
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS IV
CONGREGATIONES GENERALES LIX-LXIV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS LIX
31 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LIX

31 octobris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 59 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Audiant Patres! Sabbato sequenti, nempe die 2 novembris, in hac Basilica Vaticana, hora 17, Missam celebrabit pro fidelibus defunctis Summus Pontifex. Em.mi Patres cardd., qui velint Missam participare, in Basilicam convenient apud altare papale habitu serico violaceo, cum rocheto, mantelleta, mozzeta et cruce, et funiculo rubro aureo, et bireta. Patres conciliares reliqui humanissime ad hanc Missam invitantur.

Die autem dominica proxima, nempe tertia novembris anno 1963 [*risus in aula*] — ita scriptum est! — hora 16,30 in hac Basilica Vaticana Summus Pontifex venerabitur novum beatum, scil. Leonardum Murialdo. Omnes, ut solet, humanissime invitantur.

Eadem die dominica — hoc dico tantum pro notitia — hora 12,30 celebrabit Missam pro multis sacrorum alumnis, qui Romam conveniunt ad celebrandam instaurationem seminariorum factam per Concilium Tridentinum, em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Pizzardo.

Die quarta novembris, nempe feria secunda proxima, in anniversario quarti centenarii institutionis seminariorum a Concilio Tridentino peractae, in hac Basilica Vaticana, hora 10 habebitur Cappella Papalis. Missam cantabit em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Pizzardo, ep. Albanensis. Intimantur omnes em.mi Patres cardinales, intimantur quoque exc.mi patriarchae, archiepiscopi, episcopi, etc., qui hora 9,30 Basilicam Vaticanam petant et in sacello B. Mariae Virginis perdolentis sistant ut deinde processionali more Sanctissimum Dominum nostrum, sella gestatoria evectum, comitantes in locum Cappellae Papalis conveniant. Ex his qui cappis induti interesse debent, eas sine pellibus supra communes consuetas vestes assument in sacello Virginis perdolentis.

Vespere autem eiusdem feriae II, hora 17 habebitur hic, in hac Basilica, coram Summo Pontifice, commemoratio sollemnis huius centenarii, quam habebit em.mus ac rev.mus D. card. Stephanus Wyszyński.

Nunc lego nomina eorum qui, ad normam art. 57, § 6, verbum facere postulaverunt super cap. IV schematis *de Ecclesia,* nomine scil. quinque vel plurium episcoporum. Attamen antequam incipiat haec di-

sceptatio, habebitur, de mandato em.mi moderatoris, relatio super ultimum caput *de sacra Liturgia.*

Ecce igitur nomina: em.mus ac rev.mus D. card. Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania; exc.mi DD. Isidorus Emanuel, ep. Spirensis in Germania, Ioannes González, arch. tit. Oxyrynchitanus in Columbia; Ioseph Martin, arch. Rothomagensis in Gallia; Antonius Añoveros, ep. coad. Gadicensis in Hispania; Petrus van Lierde, ep. tit. Porphyriensis; Carolus Leiprecht, ep. Rottenburgensis in Germania; Michaël Klepacz, ep. Lódzensis in Polonia; Ildefonsus Sansierra, ep. aux. S. Ioannis de Cuyo in Argentina; Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis in India; Andreas Sapelak, ep. visitator ap. pro Ucrainis in Argentina; Augustinus Lopez de Moura, ep. Portalegrensis in Lusitania; Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Romualdus Zilianti, abb. null. Montis Oliveti; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; rev.mus P. Leo Volker, sup. generalis Missionariorum Africae; exc.mi DD. Ioseph Hasler, ep. S. Galli in Helvetia; Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis in Hollandia; Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis in Italia; rev.mus P. Ioannes Prou, sup. gen. Congregationis Gallicae O.S.B.; exc.mi DD. Iucundus Grotti, prael. Ordin. Acrensis in Brasilia; Ioseph Gopu, arch. Hyderabadensis in India; Constantinus Caminada, ep. Ferentinus in Italia; Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania; Augustinus Sépinski, praeses Conferentiae Superiorum Maiorum.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

[5] EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Capita VI et VIII schematis

1 — Caput VI « De sacra Supellectile » et caput VIII « De Arte sacra » in unum caput contrahantur.

AD ART. 100

2 — Pag. 199, linea 27, ante initium art. 100, ponatur: « CURENT ORDINARII UT ARTEM VERE SACRAM PROMOVENTES EIQUE FAVENTES, POTIUS NOBILEM INTENDANT PULCHRITUDINEM QUAM

MERAM SUMPTUOSITATEM. QUOD ETIAM INTELLEGATUR DE SACRIS VESTIBUS ET ORNAMENTIS ». [5]

3 — Pag. 199, post lineam 32, addatur: « IN AEDIFICANDIS VERO SACRIS AEDIBUS, DILIGENTER CURETUR UT AD LITURGICAS ACTIONES EXSEQUENDAS ET AD FIDELIUM ACTUOSAM PARTICIPATIONEM OBTINENDAM IDONEAE SINT ».

NOVUS ARTICULUS

4 — Pag. 200, ante art. 101, addatur novus articulus: « FIRMA MANEAT PRAXIS, IN ECCLESIIS SACRAS IMAGINES FIDELIUM VENERATIONI PROPONENDI; ATTAMEN MODERATO NUMERO ET CONGRUO ORDINE EXPONANTUR, NE POPULO CHRISTIANO ADMIRATIONEM INFICIANT, NEVE INDULGEANT DEVOTIONI MINUS RECTAE ».

AD ART. 102

5 — Pag. 200, omittatur art. 102: « *Commissiones de Arte sacra tum dioecesanae, tum provinciales vel regionales vel nationales vel etiam internationales, congregentur, in quantum possibile, ex* [6] *utroque clero et laicis peritis* ».

6 — Pag. 200, post lineam 15, addatur: « INSUPER COMMENDATUR UT SCHOLAE VEL ACADEMIAE DE ARTE SACRA AD ARTIFICES FORMANDOS INSTITUANTUR IN ILLIS REGIONIBUS IN QUIBUS ID VISUM FUERIT ».

AD ART. 105

7 — Pag. 200, lineis 32-36 et pag. 201, lineis 1-5, textus ita mutetur: « CLERICI, DUM PHILOSOPHICIS ET THEOLOGICIS STUDIIS INCUMBUNT, ETIAM DE ARTIS SACRAE HISTORIA EIUSQUE EVOLUTIONE INSTITUANTUR, NECNON DE SANIS PRINCIPIIS QUIBUS OPERA ARTIS SACRAE INNITI DEBENT, *ita ut* Ecclesiae venerabilia monumenta aestiment *atque* servent, *et* artificibus in operibus efficiendis congrua consilia queant praebere ».

2 – TEXTUS SCHEMATIS

Textus in schemate propositus

Caput VI
DE SACRA SUPELLECTILE

Quantam Ecclesia adhibuerit curam ad decorem, ornatum et pretiositatem sacrae supellectilis in cultu sacro augenda, testatur traditio liturgica. Omnia pretiosa enim, quae aut natura ipsa protulerit aut humanum ingenium comparaverit, ea Ecclesia in cultum suum assumpsit, ut ita mirabilis laudis concentus Deo tribuendus plenior et perfectior efficeretur.

Caput VIII
DE ARTE SACRA

Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes, artes pulchrae pleno iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusdemque culmen, ars nempe sacra, quippe quae natura sua ad infinitam pulchritudinem divinam spectent, humanis operibus aliquomodo exprimendam, et Deo eiusdemque laudi ac gloriae provehendae eo magis addicantur, quo nihil aliud eis propositum sit, nisi ut operibus suis ad hominum mentes pie ad Deum convertendas plurimum conferant.

Alma Mater Ecclesia, proinde, semper fuit pulchrarum, seu ingenuarum, artium amica, earumque liberum servitium, praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes vere sint dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, perenniter quaesivit, artificesque instruxit. Immo earum veluti arbitram Ecclesia iure semper se habuit, diiudicans inter artificum opera quae fidei, pietati, legibusque religiose traditis congruant, atque ad usum sacrum idonea habeantur.[1]

TEXTUS SCHEMATIS [11]

Textus a Commissione emendatus *

CAPUT VII

DE ARTE SACRA *DEQUE SACRA SUPELLECTILE*

122. Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes artes *ingenuae* optimo iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusdemque culmen, ars nempe sacra. Quae natura sua ad infinitam pulchritudinem divinam *spectant,* humanis operibus aliquomodo exprimendam, et Deo eiusdemque laudi et gloriae provehendae eo magis *addicuntur,* quo nihil aliud eis propositum *est, quam* ut operibus suis ad hominum mentes pie in Deum convertendas maxime conferant.

Alma Mater Ecclesia proinde semper fuit ingenuarum artium amica, earumque *nobile ministerium,* praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes vere *essent* dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, *continenter* quaesivit, artificesque instruxit. Immo earum veluti arbitram Ecclesia iure semper se habuit, diiudicans inter artificum opera quae fidei, pietati legibusque religiose traditis *congruerent,* atque ad usum sacrum idonea *haberentur.*[1]

Peculiari sedulitate Ecclesia curavit ut sacra supellex digne et pulchre cultus decori inserviret, eas mutationes sive in materia, sive in forma, sive in ornatu admittens, quas artis technicae progressus per temporis decursum invexit.

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

At ipsa quoque historia testatur temporum decursu nonnullos hac in re irrepsisse abusus. In externis enim cultus ornamentis amplificandis, quandoque humana vanitas irrepsit; ratio insuper et inclinatio temporum nonnumquam mutationes non parvas sive in formam sive in ornatum sacrae supellectilis invexit; dum, e contra, artis technicae progressus nova cotidie elementa producunt, quae elementis naturalibus usu traditis optime sociari possunt ad cultus decorem augendum.

Hinc profluit necessitas valde curandi materiam, formam et ornatum sacrae supellectilis et fideliter observandi leges artis sacrae, iuxta liturgicam traditionem.

Placuit ergo Patribus ea quae sequuntur principia affirmare et statuere.

Placuit proinde Patribus hisce de rebus ea quae sequuntur decernere.

99. [*Omnem stilum artis Ecclesia admittit*]. Ecclesia nullum artis stilum veluti proprium habuit, sed omnium temporum modos semper admisit. Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia campum habet, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita quidem ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per revoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem.[2]

100. [*Opera artis fidei et pietati contraria arceantur*]. Curent locorum Ordinarii ut artis

[13]

Placuit proinde Patribus hisce de rebus ea quae sequuntur decernere.

123. Ecclesia nullum artis stilum veluti proprium habuit, sed *secundum gentium indoles ac condiciones atque variorum Rituum necessitates modos cuiusvis aetatis admisit, efficiens per decursum saeculorum artis thesaurum omni cura servandum.* Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia *exercitium habeat, dummodo* sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per *praeterita* saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem.[2]

124. CURENT ORDINARII UT ARTEM VERE SACRAM PROMOVENTES EIQUE FAVENTES, POTIUS NOBILEM INTENDANT PULCHRITUDINEM QUAM MERAM SUMPTUOSITATEM. QUOD ETIAM INTELLIGATUR DE SACRIS VESTIBUS ET ORNAMENTIS.[3]

Curent *Episcopi* ut *artificum* opera, quae fidei et moribus, ac chri-

opera quaecumque, quae fidei et moribus ac christianae pietati aperte repugnant sensumque vere religiosum, vel ob insanam formarum depravationem, vel ob artis insufficientiam, mediocritatem ac simulationem, offendunt, ab aedibus sacris arceantur ac prorsus expellantur.[3]

101. [*In diiudicandis artis operibus, periti adhibeantur*]. In diiudicandis artis operibus, Ordinarii curent audire Commissionem dioecesanam de Arte sacra et, si casus ferat, alios viros valde peritos.[4] In causis autem quae, undique spectatae, difficiliores evenerint, adeant consilia ceterorum provinciae vel regionis Episcoporum eorumque peritorum. Si etiam horum consultu iudicium tutum non invenitur, rem Sanctae Sedi proponant.

102. [*Commissiones de Arte sacra*]. *Commissiones de Arte sacra tum dioecesanae, tum provinciales vel regionales vel nationales vel etiam internationales, congregentur, in quantum possibile, ex utroque clero et laicis peritis.*

103. [*Artificum institutio*]. Episcopi, vel per se ipsos vel per sacerdotes qui peculiari facultate et amore praediti sunt, artificum curam habeant, ut eos spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant.[5]

Artifices autem omnes, qui, ingenio suo vocati, gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper prae oculis habeant agi de sacra quadam Dei Creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, Ecclesiae aedificationi necnon fidelium religiosae instructioni destinatis.

stianae pietati *repugnent, offendantque* sensum vere religiosum vel ob formarum depravationem, vel ob artis insufficientiam, mediocritatem ac simulationem, ab aedibus *Dei aliisque locis* sacris *sedulo* arceantur.[4] [15]

IN AEDIFICANDIS VERO SACRIS AEDIBUS, DILIGENTER CURETUR UT AD LITURGICAS ACTIONES EXSEQUENDAS ET AD FIDELIUM ACTUOSAM PARTICIPATIONEM OBTINENDAM IDONEAE SINT.

125. FIRMA MANEAT PRAXIS, IN ECCLESIIS SACRAS IMAGINES FIDELIUM VENERATIONI PROPONENDI; ATTAMEN MODERATO NUMERO ET CONGRUO ORDINE EXPONANTUR, NE POPULO CHRISTIANO ADMIRATIONEM INFICIANT, NEVE INDULGEANT DEVOTIONI MINUS RECTAE.

126. In diiudicandis artis operibus Ordinarii locorum *audiant* Commissionem dioecesanam de Arte Sacra, et, si casus ferat, alios viros valde peritos,[5] *necnon Commissiones de quibus in articulis 44, 45, 46.*

Sedulo advigilent Ordinarii ne sacra supellex vel opera pretiosa, utpote ornamenta domus Dei, alienentur vel disperdantur.

127. Episcopi vel per se ipsos vel per sacerdotes idoneos qui *peritia et artis* amore praediti sunt, artificum curam habeant, ut eos spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant.[6]

INSUPER COMMENDATUR UT SCHOLAE VEL ACADEMIAE DE ARTE SACRA AD ARTIFICES FORMANDOS INSTITUANTUR IN ILLIS REGIONIBUS IN QUIBUS ID VISUM FUERIT.

Artifices autem omnes, qui ingenio suo *ducti,* gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper *meminerint* agi de sacra quadam Dei Creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, *fidelium* aedificationi necnon *pietati eorumque* instructioni religiosae destinatis.

87. [*Materia sacrae supellectilis*]. Leges generales circa materiam paramentorum et sacrae supellectilis in suo robore manent. Conferentiis tamen Episcopalibus facultas tribuitur materiis ex lege et traditione Ecclesiae acceptis alias admiscere aut sufficere, praesertim ex usibus et cultura populi sui traditis, dummodo vestis aut supellex exinde resultans decori, cultus reverentiae et usui liturgico respondeat, communi populi aestimatione magni habeatur atque persistens sit et duratura.

88. [*Forma sacrae supellectilis*]. Sacrae supellectilis, vestium et vasorum sacrorum forma sanctitati divini cultus studiose respondeat, congruenter usui consulat, reverentiam conciliet, ministrorum gradibus conveniat.[1]

Sanctae Sedis, vel Episcoporum in singulis regionibus, ad normam iuris, erit perpendere an in eorum forma, usu et ornatu aliquid sit mutandum vel tollendum, iuxta articulum 21 huius Constitutionis.

89. [*Usus pontificalium*]. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.

104. [*Disciplina ecclesiastica de Arte sacra opportune revisenda*]. Canones et statuta ecclesiastica, quae rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et utilem constructionem, altarium formam et aedificationem, tabernaculi eucharistici nobilitatem et securitatem, baptisterii aptitudinem et honorem, necnon sacrarum imaginum, decorationis et ornatus convenientiam, moderationem et ordinem, recognoscantur: quae Liturgiae instauratae minus congruere videntur, emendentur aut aboleantur; quae vero ipsi favent, nova et vetera, retineantur vel introducantur.

105. [*Cleri institutio in Arte sacra*]. Clerici, dum sacrae Liturgiae studio incumbunt, instruantur etiam de mutuis relationibus inter Artis sacrae historiam et christianae fidei ac disciplinae evolutionem, quatenus Ecclesiae venerabilia quaecumque monumenta aestiment et servent, necnon artificibus, in novis Artis sacrae operibus efficiendis, illuminata consilia praebere queant.

Ad hoc obtinendum, in Universitatibus omnibus catholicis, sacrae Theologiae scholis necnon Facultatibus, principia et historia Artis sacrae doceantur.[6]

128. Canones et statuta ecclesiastica, quae rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et *aptam* constructionem, altarium formam et aedificationem, tabernaculi eucharistici nobilitatem, *dispositionem* et securitatem, baptisterii *convenientiam* et honorem, necnon *congruentem* sacrarum imaginum, decorationis et ornatus *rationem, una cum libris liturgicis ad normam art. 25 quam primum* recognoscantur: quae liturgiae instauratae minus congruere videntur, emendentur aut aboleantur; quae vero ipsi favent, retineantur vel introducantur. [15] [17]

Qua in re, praesertim quoad materiam et formam sacrae supellectilis et indumentorum, territorialibus Episcoporum Coetibus facultas tribuitur res aptandi necessitatibus et moribus locorum,[7] *ad normam art. 22 huius Constitutionis.*

129. Clerici, dum philosophicis et theologicis studiis incumbunt, etiam de Artis sacrae historia eiusque evolutione instituantur, necnon de sanis principiis quibus opera Artis sacrae inniti debent, *ita ut* Ecclesiae venerabilia monumenta aestiment *atque* servent, *et* artificibus in operibus efficiendis congrua consilia queant praebere.[8]

130. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.[9]

]

NOTA

[1] *Acta et Documenta,* l. c. pp. 449-451; quoad vestes pontificales, pp. 451-453.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 591; Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 11.

[2] Cf. PIUS XII, *Epist. ad Exc. D. Jos. Freudhörfer,* 27 iun. 1955: *AAS* 47 (1955) p. 596: « Die katholische Kirche ist nicht eins mit der abendlaendischen Kultur; wohl aber ist sie bereit, mit jeder Kultur einen Bund zu schliessen »; *Allocutio Conventui X internationali de Scientiis historicis,* 7 sept. 1955 (l. c., p. 680): « L'Eglise a conscience d'avoir reçu sa mission et sa tâche pour tous les temps à venir et pour tous les hommes, et par conséquent de ne pas être liée à aucune culture déterminée... L'Eglise catholique ne s'identifie avec aucune culture; son essence le lui interdit. Elle est prête cependant à entretenir des rapports avec toutes les cultures »; Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 590; S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra,* 30 iun. 1952: AAS 44 (1952) p. 544.

[3] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 591; S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra*: AAS 44 (1952) p. 544.

[4] Cf. Can. 1164 § 1; Litt. circulares Secretariae Status, 1 sept. 1924 (Prot. 34215); S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra*: AAS 44 (1952) p. 545; S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 118.

[5] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 591.

[6] Cf. S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra*: AAS 44 (1952) p. 545.

NOTAE

[19]

[1] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 591; ID., Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 11.

[2] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) pp. 590-591; ID., *Epist. ad Exc. D. Jos. Freudhörfer,* 27 iun. 1955: AAS 47 (1955) p. 596; ID., *Allocutio Conventui X° internationali de Scientiis historicis,* 7 sept. 1955: AAS 47 (1955) p. 680; cf. etiam S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra,* 30 iun. 1952: AAS 44 (1952) p. 544.

[3] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 449-453.

[4] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 591; S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra,* 30 iun. 1952: AAS 44 (1952) p. 544.

[5] Cf. CIC, can. 1164 § 1; Litt. circulares Secretariae Status, 1 sept. 1924 (Prot. N. 34215); S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra,* 30 iun. 1952: AAS 44 (1952) p. 545; S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 118: AAS 50 (1958) p. 663.

[6] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 591.

[7] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 449 nn. 3-6, p. 451 n. 20.

[8] Cf. S. C. S. OFFICII, *Instr. de Arte sacra,* 30 iun. 1952: AAS 44 (1952) p. 545; *Acta et Documenta,* cit., III, pp. 113-114.

[9] Cf. *Acta et Documenta,* cit., III, pp. 46, 285-286.

APPENDIX

0] EXCERPTA *ex* « Declarationibus » *additis Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quae afferuntur ad meliorem intellegentiam quorundam articulorum*

AD ART. 104 [nunc 128] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. In toto rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatu recognoscendo, speciali animadversione digna videntur quae sequuntur:

1. *De ecclesia ad sacram synaxim bene ordinanda.* – Ecclesiae aedes ita instruatur, ut rerum omnium locorumque ordo iam sit signum planum et veluti repercussio fidelis sacrae synaxeos, quae est congregatio populi Dei, hierarchice ex « servis » Dei et « plebe sancta » (cf. Canonem Missae) constituti et rite coadunati. Sedula ergo cura non solum altare erigatur, sed disponatur etiam secundum Liturgiae instauratae exigentias, — praecipue in ecclesiis noviter aedificandis —, sedes praesidentiales Episcopi (si opus sit) et sacerdotum, sellae quoque vel scamna ministrorum, ambones vel legilia ad sacras lectiones proclamandas, locus scholae vel coetui cantorum necnon organo congruus, atque loci fidelibus proprii, quibus « ipsi meliore visu animoque divina Officia participare queant ».

2. *De sedibus praesidentialibus.* – In ecclesiis cathedralibus, cathedrae Episcopi, quatenus ipse tamquam synaxeos praeses atque antistes plane appareat, decet ut locus servetur in medio absidis, quod est in capite ecclesiae seu synaxeos. Cathedram decet ad latera habere canonicorum seu presbyterorum consessum. In ceteris ecclesiis, ubi non adest cathedra Episcopi, praesertim in paroecialibus, etiam sellam simplicem parochi vel sacerdotis celebrantis, qui nomine Episcopi, cuius est collaborator, synaxi praesidet, hunc honorificum locum obtinere licet; evitetur tamen omnis aspectus troni quoad eos, quibus usus troni non competit.

3. *De altari maiore.* – Altare maius, quod iam ea ratione a pariete seiunctum sit, ut facile circumiri queat, congruenter erigatur loco intermedio inter presbyterium et plebem, idest: in medio synaxeos (notione idealiter non mathematice sumpta). Altare tale, in quantum aedis condicio id suadet, ciborio seu baldachino laudabiliter cooperiatur, ut eius sanctitas manifestetur. Meminerint ecclesiarum rectores altare esse Eucharistici Sacrificii locum atque Convivii sacri venerabilem mensam, quae ornatur nobili formarum simplicitate et omnia quae non pertinent ad cultum eucharisticum stricte vetat. Crux et candelabra, quae iuxta qualitatem Missae requiruntur, vel super altare, vel etiam, secundum antiquissimum Ecclesiae usum, apud, seu quasi circum altare, ponantur.

4. *De altaribus minoribus.* – Altaria minora ita disponantur, ne sacrae synaxi circum altare maius detrimento fiant; deinde, in quantum aedificii structura et circumstantiae permittant, melius in sacellis peculiaribus quam in ecclesiae aede principali locum habeant.

5. *De altarium consecratione.* – Praeter altare maius, quod semper fixum esse debet, etiam minora convenit esse lapidea ac fixa, nisi condicio locorum, veluti in oratoriis, id excludit. In eorum consecratione, si commode fieri potest, illi romani Pontificalis modi praeferendi sunt, qui sepulcrum Reliquiarum sacrarum in stipite, vel etiam, iuxta antiquissimum usum, revera « sub altare » praevident, ne tabula sacra sine necessitate laedatur, sepulcro ab eius parte superiore excavato; mensam enim sacram pura integritas crucibus consecrationis ornatam, valde decet. Etsi haud opportunus habetur plenus ad priscam Romanae Ecclesiae legem reditus: « Nemo Martyrem distrahat » (*Cd. Theol.* 1, 9, tit. 17 et 7; BRAUN, *Altar,* I, 614), tamen optandum videtur ut reliquiae Sanctorum, altarium sepulcris condendae, ne sint nimis parvae. Omni insuper benevola consideratione digna videtur quaestio, an instaurari possit usus, saltem in quibusdam casibus, praesertim quoad altaria minora, immo portatilia, consecrandi altaria sine reliquiis. Usus exponendi corpora Sanctorum ficticia, etiam aliqua parva sed vera reliquia inclusa, abrogandus videtur.

6. *De SS. Eucharistia asservanda.* – Sanctissima

Eucharistia habitualiter asservetur in tabernaculo solidissimo ac inviolabili in medio altaris maioris vel minoris sed vere praecellentis, aut in alio ecclesiae loco pernobili et debite exornato, secundum locorum vel regionum consuetudines. Liceat Sacrificium Missae celebrare versus populum in altari apto, etiam si in eius medio exsistat tabernaculum parvum, pretiosum tamen et omnino dignum, cum SS. Eucharistia asservata.

Saepius, praesertim in ecclesiis maioribus, vel propter antiquitatem vel artis perfectionem insignibus, venerationi et cultui tanti Sacramenti opportunius videtur, si sacellum SS. Eucharistiae proprium adsit quam maxime ornatum, mere spectantibus quasi vetitum, adoratoribus autem plane apertum; quod sacellum etiam contra violationis pericula melius protegi possit.

7. *De ambone seu de legilibus.* – In ecclesiis aedificandis, ambones seu legilia ad sacras lectiones proclamandas, regulariter ita disponantur, ut sacrarum Scripturarum, immo ipsius verbi divini proclamati dignitas et honor plane appareat.

8. *De loco scholae seu coetus cantorum.* – Locus scholae seu coetus cantorum ita disponatur, ut clare appareat illos qui officio scholae cantorum fungantur, revera munus in Ecclesia exercere. In loco disponendo, semper providendum erit ut singuli cantores, si velint, ad S. Communionem facile accedere possint.

9. *De loco fidelium.* – Optandum est, ut in ecclesiis ponantur regulariter scamna vel sedilia in usum fidelium. Reprobatur consuetudo personis quibusdam privatis reservandi sedilia, quia acceptio personarum vitanda est.

10. *De Baptisterio.* – Baptisterium in ecclesiis tam cathedralibus quam paroecialibus maximo gaudeat honore. Optandum est ut fons baptismalis ita accommodetur ut super ipsum baptizari queat. Si commode fieri potest, nihil impedit quin Baptisterium largum sit, et veluti ad modum aulae fidelibus instruendis digne disponatur, ut his adiumento sint initiationis locus sacer eiusque ornamenta.

11. *De sedibus confessionalibus.* – Sedes confessionales decorum obtineant locum, patentem et conspicuum; sint ecclesiae architecturae convenientes, et ad sacramenti Poenitentiae administrationem dignae.

Sedes temporarias vel ad modum simplicis scamni, in quantum fieri potest, ne ponantur. Sedes tamen ad modum cellae, prope secretarium, viris destinatas, conservari oportet.

12. *De imaginibus sacris.* – Ab antiquissimis temporibus Ecclesia catholica imaginibus sacris, imprimis Domini nostri Iesu Christi, deinde Dei Genetricis Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum omniumque Sanctorum, honorificentissimos locos parat in aedibus suis, illisque in imaginibus eorum venerationem praebet, et per istos pietatem fidelium excitat atque fovet. In imaginibus autem per ecclesias et oratoria disponendis ordo sacer strenue servandus videtur. Imaginem Christi incarnati, passi, crucifixi, resurgentis, in caelum ascendentis, gloriose triumphantis, ad dexteram Patris sedentis, cum gloria iterum venientis, perhonorabilem decet locum in summo ecclesiae capite, ea lege ut, etsi retro post altare maius imago titularis ecclesiae seu altaris adesse liceat, imago tamen Christi principaliorem semper teneat locum. Eorumdem Sanctorum imagines in eadem aede sacra sine gravissimis rationibus ne multiplicentur; retro post idem altare eorum multiplicatio omnino reprobetur.

13. *De ordine decorationis.* – Cum duplex sit in aedibus sacris exornandis artis pictoricae vel sculptoricae munus, iconographicum nempe et ornativum, aequilibrium inter ambo, necnon inter elementa figurativa et sic dicta abstracta, semper quaerendum esse oportet, ut in omnibus splendor ordinis effulgeat. In ornandis aedibus sacris, partes principaliores in genere gaudeant ornatu praecellentiore.

14. *De arte funeraria.* – Suadeatur fidelibus ut in funeribus et in monumentis funeraticiis apparandis adhaerescant conceptibus mortis christianae et vitae aeternae, quavis reiecta specie mythologiae vel alterius signi profani.

3 – RELATIO

Exc.mi D. Caroli Rossi, Episcopi Bugellensis, Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia Sodalis, circa Emendationes propositas.

Venerabiles Patres,

In schemate Constitutionis de sacra Liturgia duplex exhibetur Caput, scilicet Caput VI, *De Sacra Supellectile,* et VIII, *De Arte Sacra.* Attamen Commissioni de sacra Liturgia visum est, ob rerum affinitatem, duo Capita congruentius ad unum esse reducenda. Ideoque unum Caput proponitur: *De Arte Sacra deque Sacra Supellectile.*

Huius Capitis momentum, etsi praecipuum dici nequit, tamen non est spernendum, cum totus externus apparatus ad divini cultus dignitatem ordinetur, ac per sacrarum aedium aedificationem et ornatum, praecipue vero per repraesentationes pictas vel sculptas, populus christianus possit sacris mysteriis doceri et ad pietatis sensus adduci.

Quapropter mirandum non est, non paucos Patres de hac re vel locutos esse in Aula conciliari, vel animadversiones suas ad Secretariam Generalem Concilii misisse; quas omnes animadversiones Commissio de sacra Liturgia accurate perpendit, ut textum propositum iuxta Patrum mentem, in quantum opportunum visum esset, emendaret.

Re vera tres quaestiones prae ceteris eminent, quae a Patribus habitae sunt peculiari consideratione dignae:

1. Prima quaestio est de novae artis operibus in sacras aedes admittendis; et ratio quaestionis ex hoc oritur, quod artis modernae praetextu nonnunquam deformationes quaedam exhibentur, quae nullo modo cultui et pietati congruere videantur; vel sub nomine « artis abstractae » quaedam exponuntur, populo christiano omnino incomprehensibilia et a sensu religioso non parum aliena.

In hac re duo concilianda sunt: quod nempe ars nova divinae laudis et gloriae concentui suam valeat addere vocem; at simul omnes deformationes quae sub specie artis exhibeantur quaeque cum cultus di-

gnitate et sacrae Liturgiae indole componi non possint, a christianis templis arceantur.

Patres igitur hinc inde mentem suam aperuerunt; utrorumque tamen conciliatas sententias textus emendatus proponit, cum arti novae viam pandat, simulque per sedulam Episcoporum et competentium Commissionum vigilantiam, operum dignitati et religiositati consulat.

Nec insuper praetermittere fas est, quanta sedulitate et cura invigilandum sit, ut praeclarus per saeculorum decursum collectus artis thesaurus, sive supellectilis sive ornamentorum sive sacrorum indumentorum, diligenter servetur, nec inconsulte alienetur vel quomodolibet disperdatur.

2. Secunda quaestio est, de sacrarum imaginum expositione et cultu: cum *hinc,* ut doctrina, traditio et praxis Ecclesiae omnino defendantur et serventur merito multi Patres petierint, deplorantes invalescentem conatum, imagines Sanctorum a sacris aedibus distrahendi — *inde* vero alii Patres conquesti sint, nimio quandoque numero Sanctorum imagines pictas vel sculptas ad cultum exponi, nec semper dignitati et veritati consonas, cum detrimento verae fidelium pietatis, qui forte insufficienti doctrina praediti ac sensibilibus repraesentationibus attracti, a solida Dei et divinorum mysteriorum religione non raro avertuntur.

Etiam de hac re textus qui nunc suffragationi proponitur iustam et aequam viam indicare studuit, ab utroque nempe abusu praecavendo: ne cuidam « iconoclastico » sensui indulgeatur, neve quid inordinatum, incongruum vel superstitiosum in sacrarum imaginum cultum inducatur.

3. Tertia est quaestio, in qua Commissio de sacra Liturgia Patrum sententiis conciliandis studuit: de sumptuositate rerum ad cultum pertinentium. Quidam enim Patres severis verbis conquesti sunt de nimiis expensis sive in sacris aedibus aedificandis et ornandis, sive in supellectile acquirenda, sive etiam in propriis indumentis et ecclesiasticae dignitatis signis adhibendis, notam paupertatis iure vindicantes Ecclesiae, praesertim nostris temporibus et in illis regionibus, ubi populi magna pars, indigentia laborans, ex nimia rerum pretiositate scandalum sumere potest: quod sane serio considerandum est.

Attamen alii Patres non immerito, ut videtur, opposuerunt hanc rem non esse plus aequo urgendam, cum in sacris Scripturis, a venerabilibus Ecclesiae Patribus et ab aliis sanctissimis viris pulchra et pretiosa in rebus ad cultum pertinentibus commendentur et requirantur, existimantes numquam nimium esse quod ad honorem Dei et ad cultus decorem

impendatur; et hoc populi christiani communi religioso sensui apprime consonat.

Commissio de sacra Liturgia rem satis componi censuit, si Sacra Synodus Episcopis commendet ut artem vere sacram promoventes, potius nobilem intendant pulchritudinem quam meram sumptuositatem, iisdemque facultatem tribuat, supellectilis et indumentorum materiam et formam necessitatibus et moribus locorum aptandi: in cuius facultatis usu absque dubio ratio habebitur etiam conditionum et circumstantiarum omnium, ex quibus illud populi « scandalum » oriturum timetur. Insuper in textu explicita mentio fit, de vitanda nimia sumptuositate indumentorum et ornamentorum.

* * *

Quae in schemate Constitutionis typis impresso et Patribus in priore Synodi periodo subiecto, in Capite VI, « de sacra Supellectile » habebantur, fere omnia omissa sunt, ne eadem bis dicerentur, dum in schemate nunc exhibito, ea tantum inserta fuere, quae ad rem opportune pertinere visa sunt. Attamen Commissio integrum inserendum esse putavit, prout exstabat, articulum « de usu pontificalium ».

* * *

Denique nonnulli Patres, ad rectius interpretanda quae in quibusdam articulis decernuntur, praesertim de canonibus et statutis recognoscendis ad artem sacram spectantibus, petierunt ut practicae determinationes adderentur. Verum, cum sacrosanctae Oecumenicae Synodi munus non sit nimis particularia statuendi, visum est satis esse, si summatim quaedam indicarentur, de quibus Commissionum postconciliarium erit decernendi studium.

* * *

Venerabiles Concilii Patres,

Etiam de rebus Artem sacram et sacram Supellectilem spectantibus, sicut et de ceteris sibi concreditis, Commissio de sacra Liturgia, quae maxima qua potuit cura Patrum mentem interpretari et componere conata est, Vestrae benignitati et humanitati textum emendatum submittit et suffragandum proponit.

Quod Commissio, Deo adiuvante, opus moliri studuit, Vestra sapientia, Deo inspirante, complere dignetur.

Moderator: Audiant Patres! Quia hoc in capite constitutionis *de Liturgia* quaestiones controversae proponi non videntur, audita et consentiente praesidentia, moderatores quaerunt a Patribus utrum de capite ultimo schematis sacrae Liturgiae, quod de arte sacra et supellectile agit, placeat Patribus unicam suffragationem facere de integro obiecto [*plausus*], omissis suffragationibus de singulis emendationibus, quae votatio fieret modo sueto cum schedis, cum *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Nunc, Patres qui sunt pro unica definitiva votatione velint surgere e locis suis.

[*Fit votatio per erectionem personae, cuius exitus est positivus*].

Gratias! Legat nunc exc.mus secretarius generalis emendationes huius capituli, et postea fiet votatio.

Secretarius generalis: « Emendationes a Patribus conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae... » [*cf. pag. 10*].

Nunc lego principium et finem capitis quod suffragationi subiciendum est. Videatis, Patres venerabiles, pag. 11-17: *Cap. VII, de arte sacra...* [*cf. pag. 13-19*].

Moderator: Modi in hac votatione possunt afferri sequenti hebdomada, si Patres forsan hodie obliti sint.

Audiant nunc Patres! His ultimis hebdomadis saepe lamentabantur Patres Concilium nimis lente procedere. Certe integra debet manere libertas loquendi et proponendi emendationes omnes, sed omnes nos persuasum habemus nunc celerius esse progrediendum. Hesterna die, omnibus Patribus, paucissimis exceptis, placuit ut finis regularis disceptationi de cap. IV *de Ecclesia* imponeretur. Attamen pro hodierna die, ad normam art. 57, § 6, numerus sat amplus Patrum loqui petiit. Ut iuri horum Patrum ea proferendi quae ipsis adhuc addenda esse videantur et simul voluntati congregationis hesterna die clare manifestatae aeque satisfiat, ad haec velint oratores benigne attendere:

1. Stricte se teneant intra fines et materiam huius capitis.

2. Omittant omnes repetitiones. Qui similia ab aliis oratoribus, etsi aliquatenus diversimode expressa, iam audierit, generose renuntiet verbo vel sobrie eligat ex textu praeparato.

3. Quia discussio regularis, secundum voluntatem Patrum, heri ab-

soluta est, iudicant Moderatores tempus pro singulis oratoribus posse restringi. Hodie, post 6 momenta, sonabit primum signum monens [*plausus*], et post 8 momenta ad definitive concludendum repetetur.

4. Meminerint Patres omnia quae in scriptis traduntur in commissionibus eodem iure gaudere ac oratione prolata.

5. Ne aegre ferant Patres, si moderator, ob bonum commune Concilii, sine ira et studio, oratores, quoad puncta modo dicta, humanissime moneat [*plausus*].

PATRUM ORATIONES

De Ecclesia, cap. IV * (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi aliqua brevissime innuere de absentia sanctitatis, ut ita dicam, socialis seu publicae in populo Dei.

Pro multis, immo pro maxima parte mundi hodierni, vox Ecclesiae vocantis omnes ad sanctitatem est « vox clamantis in deserto », sensu vulgari.

De his cogito speciali modo ab initio convocationis Concilii Oecumenici. Sed veniam petere de hac re loquendi ausus sum ex quo audivi hesterna die in hac aula em.mum card. Cento recolere verba Pii XII sanctae memoriae: « deperditur vel ipsa notio peccati ». Documenta vero Romanorum Pontificum et episcoporum hac de re hortantium multa sunt ut scitis.

Et merito quidem nam ut paucis dicam instrumenta quae communicationis socialis appellantur, media corruptionis moralis sunt magna ex parte — non enim quae bona sunt ignoramus — sed de facto paganismum iterum in mundo in dies praevalere evidens est. Verba notissima sunt: materialismus, unde atheismus, practicus *saltem,*[1] divortium, unde familiae disgregatae, etc. etc.

In hac morum corruptione partem magnam habent spectacula obscoena quae Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, fortiter improbat in litteris ad omnes episcopos missis nos rogans ut orationes et actus poenitentiae et mortificationis nostris fidelibus commendemus pro Concilii felici exitu.

Addenda multa essent et aliquando terribilia dictu, si conspectum hodiernae vitae ob oculis ponere vellemus.

Haec dicta sint de virtutibus in genere, nam de caritate et iustitia

* Cf. textus schematis *de Ecclesia* in vol. II, parte I, p. 215 ss. Disceptatio circa cap. IV schematis *de Ecclesia* incepta est in congregatione generali LVI (cf. vol. II, pars III, p. 368).

sociali in specie iam paucis abhinc diebus etsi breviter aliqua in hac aula *humiliter* [2] dixi.

Unum petere audeo. Ut Concilium actum publicum orationis coram Ss.mo Sacramento sollemniter exposito, fidelibus etiam adstantibus, disponat, qui ad honestatem morum et ad vitam authentice christianam in toto mundo tamquam clamor sit validissimus, de quo mentio fiat in actis Concilii, et aliqua exhortatio addatur in hoc sensu. Dixi. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

2

Exc.mus P. D. ISIDORUS MARCUS EMANUEL
Episcopus Spirensis

Venerabiles Patres et dilecti in Christo Fratres,

Consentaneum videtur universalitatem et varietatem vocationis ad sanctitatem relucere etiam debere in cultu liturgico eorundem sanctorum. Iamvero non liquet, cur tot sancti in Liturgia non nominentur titulo suo competenti, scil. qualis status in terris fuerint. Sic plurimi sancti tam sacerdotes tam religiosi tam laici appellantur nimis collective et mere negative « non pontifices ». Ita quoque tot sanctae mulieres prorsus privative nuncupantur « non virgines ». Attamen talis qualificatio negativa apparet satis diminutiva nec convenire videtur genuino valori status vitae in ordine ad sanctitatem. Nonne sacerdotes sancti, qui in terris reverendi et reverendissimi salutantur, etiam in gloria charactere sacerdotii indelebili effulgent? Nonne et laici ascenderunt ad apicem sanctitatis virtute baptismatis et confirmationis, quorum sacro obsignati sigillo cum Christo in aeternum triumphant? Et hunc caelestem « triumphalismum » nemo est qui non libenter approbet. Concedatur igitur iure merito etiam sanctis non pontificibus titulus illis competens, nempe sanctus sacerdos, religiosus, laicus. Idem valet analogice de sanctis mulieribus: honorandae sunt titulo suo proprio virgines religiosae et saeculares, viduae et uxores, ita ut cum sacra virginitate agnoscatur quoque explicite castum connubium.

Etiam humilis noster S. Franciscus Seraphicus, qui testis fuit nostrarum discussionum de diaconatu, quasi spem novam cepit perveniendi tandem ad modestum titulum diaconi, quem collega suus, S. Ephraem Syrus iam per saecula gestat.

Sed exspectant etiam in terris adhuc militantes non pontifices, quos dignissime repraesentantes venerandi superiores et probatissimi theologi periti altas tribunas huius aulae nobilissime coronant. Licet suspicari propositionem meam illis non displicere. At multi ex illis nequeunt suffragio dicere « placet », cum sint tantum « praesentes non votantes ». Nec palam verbo possunt uti, nisi ad normam Ordinis Concilii interrogati — quod hucusque non evenit. Restat igitur tantummodo appellare magnanimitatem venerabilium Patrum, qui sunt in possessione, quique procul dubio non in vanum cani volunt: « Ecce sacerdos magnus »!

Si verba docent, exempla autem trahunt, vocatio omnium ad sanctitatem etiam documentari debet canonizationibus laicorum, qui hoc honore digni inveniuntur. Sane sedes in gloria caelesti assignat ipse Rex aeternae gloriae, sed honores altarium in terris largitur sancta mater Ecclesia.

Populus Dei valde desiderat, ut in ista « gloria » Berniniana super Petrinam Cathedram etiam appareat saepius sanctus vestitu laicali indutus, sicut dominica proxima feliciter eveniet. Populus Dei cupit salutare in honoribus sanctorum patrem quoque familias, fidelem...

Moderator: Exc.me Pater, hoc pertinet non ad capitulum nostrum.

Orator: Et concludo: dummodo proposita impleantur et tunc multi sancti laetabuntur in cubilibus suis vobis et Deo dicentes gratias.

Textus scripto traditus:

Permittatis militi cuidam ignoto militantis Ecclesiae quaedam verba siquidem indigna tamen non prorsus invalida proferre in favorem plurimorum sanctorum sive in facto esse in caelis sive in actu fieri in terris.

Placet in genere expositio in pag. 19, par. 30, qua universalis ad sanctitatem vocatio applicatur diversis fidelium ordinibus, scil. clericorum, religiosorum necnon laicorum. Attamen

1. In exhortatione ad sanctimoniam expetendam una cum sacerdotibus etiam episcopi videntur commonendi, ut sequela Christi summi sacerdotis fidelissima se et suos sanctificent, sicut eminenter iam exposuit em.mus card. Gilroy, assentiens conferentiae Patrum linguae germanicae ad Christi imitationem. Huiusmodi manifestatione obligationis sodaliciae, auctoritas praesulum certe non minuitur, sed potius confirmatur in oculis sacerdotum. Evitari quidem vix potest, ne clerici quidam volumen decreti de episcopis intuentes ironice psallant: « nimis honorificati sunt... nimis confortatus est principatus eorum » (*Ps.* 138, 17). Neque hoc Concilium Oecumenicum funditus eradicare valet famosam illam « invidiam clericalem », quam clerici ipsi — non quidem theologi periti, verumtamen parochi experti — dicunt esse « quasi de fide ».

2. Cum non pauci fideles errore cuiusdam « minimalismi » decepti vitae sanctimoniam suspicentur privilegium esse prorsus insolitum vel quin etiam indolem minus sanam, eo magis oportet in contextu huius argumenti mentionem fieri

etiam sanctorum cum Christo iam regnantium, qui ex variis statibus et professionibus terrestribus prodierunt.

Porro consentaneum videtur hanc universalitatem et varietatem vocationis relucere etiam debere in cultu liturgico eorundem sanctorum. Iamvero non liquet, cur tot sancti in Liturgia non nominentur titulo suo competenti, scil. qualis status in terris fuerint. Sic plurimi sancti tum sacerdotes tum religiosi tum laici appellantur nimis collective et mere negative « non pontifices ». Ita quoque tot sanctae mulieres prorsus privative nuncupantur « non virgines ». Attamen talis qualificatio negativa apparet satis deminutiva nec convenire videtur genuino valori status vitae in ordine ad sanctitatem. Nonne sacerdotes sancti etiam in gloria caelesti charactere sacerdotii indelebili effulgent?! Nonne et laici ascenderunt ad apicem sanctitatis virtute baptismatis et confirmationis, quorum sacro obsignati sigillo cum Christo in aeternum triumphant. Et hunc caelestem « triumphalismum » nemo est qui non libenter approbet. Concedatur igitur iure merito etiam sanctis non pontificibus titulus illis competens, nempe sanctus sacerdos, religiosus, laicus. Idem valet analogice de sanctis mulieribus: honorandae sunt titulo suo proprio virgines religiosae et saeculares, viduae et uxores, ita ut cum sacra virginitate agnoscatur quoque explicite castum connubium.

Ecce in circuitu huius almi templi statuae sanctorum fundatorum, quorum multi sunt confessores non pontifices et exspectant adhuc hanc agnitionem suae dignitatis sacerdotalis qua intime Christo configurantur. Ceterum si S. Hieronymus et S. Valentinus in Liturgia titulantur presbyteri, cur non alii, cur non omnes? Etiam humilis noster S. Franciscus Seraphicus, qui testis fuit nostrarum discussionum de diaconatu, quasi spem novam cepit perveniendi tandem ad modestum titulum diaconi, quem collega suus, S. Ephraem Syrus iam per saecula gestat.

Sed exspectant simul cum filiis spiritualibus fundatorum omnes sacerdotes non pontifices in terris adhuc militantes, quos dignissime repraesentantes venerandi superiores et probatissimi theologi periti altas tribunas huius aulae nobilissime coronant. Licet suspicari propositionem meam illis non displicere. At multi ex illis nequeunt suffragio dicere « placet », cum sint tantum « praesentes non votantes ». Nec palam verbo possunt uti, nisi ad normam Ordinis Concilii interrogati, quod hucusque non evenit. Restat igitur tantummodo appellare magnanimitatem venerabilium Patrum, qui sunt in possessione, quique procul dubio non in vanum cani volunt: « Ecce sacerdos magnus! ».

Exspectant quoque fideles laici sanctos ex conditione sua provenientes competenti titulo insigniri. Si temporibus transactis in Liturgia solummodo laici sublimis muneris titulo suo ornati erant, uti imperatores et reges, augustae et reginae, nunc hora omnium laicorum advenit secundum illud psalmistae: « quia tempus miserendi eius venit, quia venit tempus » (*Ps.* 101, 14). Praesentia symbolica auditorum nostrorum spem alit vocationem christianam laicorum magis magisque in lucem proferri. (Audeo animadversionem discretam addere quasi in parenthesi: S. Paulus scripsit: « Mulieres in ecclesiis taceant » [*1 Cor.* 14, 34]. Patet illum prohibuisse sermonem mulierum, sed non auditionem. Si igitur Summo Pontifici Paulo placeret admittere in hanc aulam conciliarem iuxta auditores etiam auditrices tum religiosas tum saeculares, hoc minime esset contra praeceptum apostolicum, immo dici posset alterum humanissimum « privilegium Paulinum »). Puto etiam observatores nostros doctissimos et vigilantissimos huic corollario practico ex Sacra Scriptura deducto vix esse contradicturos.

3. Si verba quidem docent, exempla autem trahunt, vocatio omnium ordinum fidelium ad sanctitatem, documentari debet etiam canonizationibus laicorum, qui hoc honore digni inveniuntur. Sane sedes in gloria caelesti assignat ipse Rex aeternae gloriae, sed honores altarium in terris largitur sancta mater Ecclesia — suppositis utique supponendis. Patet in hoc campo ex natura rei primatum quendam convenire illi statui, qui iam ex indole sua ad acquirendam perfectionem christianam peculiariter ordinatur. Neque negari potest conspicua praevalentia sororum nostrarum religiosarum, quarum venerandae matres et fundatrices fere turmatim sequi videntur illud psalmi: « intende, prospere procede et regna! » (*Ps.* 44, 5). Minime dissentio; dummodo sanctimonia praefulgens capitum etiam in membra communitatum semper redundet.

Attamen populus Dei valde desiderat, ut in ista « gloria » Berniniana super Petrinam Cathedram relucente appareat interdum etiam sanctus vestitu laicali indutus. Populus Dei cupit salutare in honoribus sanctorum patrem quoque familias, fidelem servum et prudentem, qui dedit suis in tempore nostro tritici mensuram (*Lc.* 12, 42): gens sancta vult videre in altaribus etiam « mulierem fortem » nostrae aetatis, « matrem filiorum laetantem » (*Ps.* 112, 8), in qua confidebat cor viri sui et cuius filii beatissimam illam praedicaverunt (*Prov.* 31). Quousque tandem videbitur « in splendoribus sanctorum » vir nostri temporis in aspero vestimento operarii, quo indutus etiam in illo tempore « apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei » (*Tit.* 3, 4), qui putabatur filius fabri (cf. *Mt.* 13, 55).

Ceterum censeo praerogativam in partibus sanctorum, quae speciem prae se fert alicuius monopolii a limine esse tollendam.

Ne dicatur non existere dignos huius honoris candidatos. Pastores animarum non latent. At obsistit aliud impedimentum non quidem canonicum, sed non minus reale, immo sat realisticum. Parcatis verbo, sed neminem fugit grandes machinas copioso egere benzino. Sub hoc respectu videtur generatim magnas tantum communitates religiosas capaces esse illius concentrationis omnium virium tum spiritualium tum oeconomicarum, quae requiruntur ad excitandum et efficaciter promovendum ponderosum apparatum vigentis nunc systematis usque ad bonum finem et plenam victoriam contra omnes insidias diaboli et advocati eius.

Videant consules, quaesumus humiliter, videant consules in hac materia competentes, ne detrimentum capiat populus Dei. In pervigilio ipsius festivitatis Omnium Sanctorum licet in sincerum favorem omnium utique Sanctorum rogare « instanter - instantius - instantissime », ut credibilitas, universalitas vocationis revera ad oculos demonstretur.

At tempus volat et imputatur. Ad portum tendere debeo, ne fragilis mea navicula fulmine tangatur ex alto et fiat finis ante finem. Si vero vota ipsa (etsi minus prudenter) proposita Sacro huic Coetui placuerint, tunc multi « sancti exsultabunt in gloria et laetabuntur in cubiculis suis » (*Ps.* 149, 4) dicentes unanimiter Vobis et Deo gratias.

Moderator: Iam tres Patres renuntiaverunt dicere verbum suum. Eis gratias ago. [*Plausus*].

3

EXC.MUS P. D. IOANNES EMMANUEL GONZÁLEZ ABELÁEZ
Archiepiscopus tit. Oxyrynchitanus

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Observatores et Auditores,

Loquor nomine 16 episcoporum, quorum nomina hic habeo et secretariatui tradam.

Mea brevis interventio ad par. 30 cap. IV spectat, pag. 19.

Quae ibidem de presbyteris dicuntur, amodo placent. Videtur tamen aliquid praesertim de parochis addendum, ut apertius pateat eorum munus quo in apostolatu episcoporum participant et, ceteris longe amplius, quod secumfert appellationem ad vitam excelsae sanctitatis gerendam. Ipsi etenim quasi vocem et actionem episcopi coram populo protendunt, et eorum servitium est applicatio mandati maximi, scil. caritatis.

Principium generale est episcopum uti perfectorem populi Dei sese obstringere ad testimonium Christi inter oves porrigendum, ut S. Thomas docet in quaest. 184 et 185 II-II. Huius adiutor est parochus, quasi vocem et actionem sui episcopi coram populo producens. Servitium autem istud est applicatio mandati maximi, scil. caritatis erga Deum et proximum, tamquam officium et *essentia*[1] totius *sui*[2] ministerii, ad quod cetera reducuntur.

Rationes huius servitii caritatis pro parochis sunt similes ac pro episcopis.

1. Ex Sacra Scriptura, exemplum et mandatum Domini: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis », ut dicitur in *Io.* 10, 11; « dilexit me et tradidit semetipsum pro me (*Gal.* 2, 20); « sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16); « ut videat mundus quia diligo Patrem et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio » (*Io.* 14, 31). Et pariter Paulus haec applicans aiebat: « Omnia impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris » (*2 Cor.* 12, 15); et praesertim in sua ad *Rom.* 13, 8 ss, ait: « Qui enim diligit proximum legem implevit. Nam: non adulterabis; non occides; non furaberis; non falsum testimonium dices; non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio ».

2. Ex Liturgia. In Pontificali Romano aperte insistitur ritu ordinationis Presbyteri: « Accipe *vestem* (*in momento traditionis casulae ad presbyterum*)[3] per quam caritas designatur... ».

3. Ex praxi generali Ecclesiae: quoniam de facto sunt ipsi qui longe amplius aliis onus diei et aestus sustinent in ministeriis obeundis. Ab ipsis etenim regnum Dei in terris maxima ex parte dependet, cum parochi strenue diu noctuque saepe dimicare debent pro Christi nomine.

4. Ex immenso fronde patristico duo tantum in mentem revocare vellem. Pseudo-Dionysius ait: « Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum ». Et Augustinus in *commentario* [4] 87 Tractatus *Ioannis* [5] ait: « Caritas ergo est fructus noster, quam definit apostolus, de corde puro, de conscientia bona, de fide non ficta. Hac diligimus invicem, hac diligimus Deum; neque enim vera dilectione diligeremus invicem nisi diligamus Deum ».

5. Certo certius iam ipsi parochi sub imagine 72 discipulorum conspiciuntur qui missi sunt a Domino omnibus laboribus et infirmitatibus medendis: et Vaticano II, cuius indoles eminenter pastoralis vindicatur, oporteret sane huiusce ministerii servitium maiori luce commonstrare.

S. Thomas ...[6] ait: « Quoniam episcopus obligatur ad ea quae sunt perfectionis, pastorale assumens officium ad quod pertinet ut animam suam ponat pastor pro ovibus suis » ...[7], concludendum est *quod* [8] parochos qui omnibus aliis longe amplius de hoc ministerio pastorali participant, etiam eadem proportione esse de hac perfectione participes.

Unde conclusio. Humiliter propono ad clarius evincendum caritatis ministerium parochorum et ut incitamentum aestuosum pro gloria Dei et salute animarum *ipsis*,[9] addantur in n. 30 schematis, pag. 19, lin. 7, post verbum *ministerium*, haec alia verba: « ministerium suum, i. e., servitium universale omnimodae caritatis et perfectionis, sancte, alacriter et fortiter adimpleant ». *Et liceat ipsis proinde venerabilibus episcopis suis sed ipsi tamquam parochi, quando erunt in gaudio supremo immensae caritatis repetere: si compatimur et conglorificemur.*[10] Dixi, et gratias.

In textu scripto tradito: [1] essentiale. [2] deest. [3] casulam. [4] deest. [5] in Ioannem. [6] in II-II, 184 et 185. [7] (*Io.* 10, 15). [8] deest. [9] deest. [10] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Aijiro Yamaguchi, arch. Nagasaken.; I. Lopez Ortiz, ep. Tudensis-Vigensis; A. Rodriguez Gamoneda, ep. tit. Gazaren.; A. Duque, arch. Manizalen.; A. A. Trujillo, ep. Iericoen.; G. van den Elzen, praef. ap. Doruma; P. van Diepen, praef. ap. Manokwarien.; L. Rubio, prior gen. Ord. E. S. Aug.; A. Muñoz Duque, arch. Neopampilonen.; B. Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus; R. Sarmiento, ep. Ocanien.; I. A. Castro, ep. Palmiranus; L. Mathias, arch. Singapuren.; M. V. A. Laetitiae.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. MARTIN
Archiepiscopus Rothomagensis

Venerabiles Patres,

Breviter loquar: 1. *ex natura;* 2. *ex necessitate;* 3. *ex prudentia.*[1]

In capite nostro[2] agitur de perantiqua et constanti praxi consiliorum evangelicorum in Ecclesia, sub influxu gratiae Dei (« excitante Dei gratia »).

Optandum esset, ut haec paragraphus fusius exponeretur propter suum peculiare momentum oecumenicum: 1. *relate ad orientales;* 2. *relate ad fratres anglicanos et protestantes.*[3]

1. *Relate ad orientales.* In oriente initium habuit vita proprie monastica, decursu IV saeculi. *Tunc*[4] apparuit tamquam incrementum modi vivendi virginum et ascetarum, qui exstiterunt iam ab origine communitatis christianae.

Monachus ille est qui imprimis et essentialiter ut homo spiritualis (pneumatikos) exstat; charisma ei conceditur, non solum ad propriam sanctificationem, sed etiam ad Ecclesiae aedificationem.

Decursu temporum vita religiosa orientis cum historia monachismi arcte connectitur.

Hodiernis etiam diebus *vera*[5] sanctitas semper florescit in vita monastica orientali, et hac in re testimonium praeclarissimum nobis praebet, inter cetera, vita sanctitate effulgens Seraphini de Sarof, *Seraphim Sarovsky, ut dicitur in lingua russica, ni fallor.*[6]

2. *Relate ad fratres anglicanos et protestantes.* Valde interest etiam, ut quaestio de consiliis evangelicis, necnon de votis religiosis, in dialogo cum fratribus seiunctis disceptetur.

Certissimum est etenim, quod vita religiosa, et praesertim eius vota, unum fuit ex elementis Ecclesiae catholicae, quae a Luthero prorsus reiecta sunt.

Sed, e converso, hoc elementum reiectum nonnulli ex seiunctis fratribus denuo invenerunt, sub actione et influxu Spiritus Sancti.

In Ecclesia anglicana, monachismus iam apparuit in fine saec. XIX.

Ulterius, vita monastica exorta est in quibusdam communitatibus Reformationis.

Et hodie, in hac ipsa aula, omnes nos propriis oculis videre possumus — et quidem cum magno cordis affectu — (*habete me excusatum, venerabiles Patres et forsan vos quoque amici fratres*), *oculis vi-*

dere possumus[7] quomodo fratres communitatis bene reputatae, quae vocatur *Taizé,* in Gallia [*Plausus in aula*], prope celeberrimam Abbatiam Cluniacensem, eandem vocationem audierunt ad veram praxim consiliorum evangelicorum — et speciatim ad unitatem visibilem assequendam — et quomodo totam vitam Christo devovent in fiducia et laetitia eorum qui omnibus, *bene dico omnibus*[8] renuntiaverunt, ut Dominum sequerentur.

...[9] Ex dictis optandum esse videtur, ad illustrandum valorem et pulchritudinem illius traditionis vitae consecratae: — quae tanti est momenti et communis est omni familiae christianorum; quae in oriente semper vivens et virens remansit; quae hisce temporibus nostris diebus in occidente ab aliquibus ex nostris fratribus seiunctis renovatur; quae semper servata et observata fuit in Ecclesia catholica romana, et quidem sub variis formis, scil. vitae coenobiticae, Instituti saecularis, et etiam, usque ad praesentem diem, vitae eremiticae — optandum est, inquam, ut omnia haec magis in lucem exponantur in capitulo de vocatione ad sanctitatem.

Et benedictio Dei copiosa descendat super omnes qui preces fundunt, sese offerunt et peramanter vivunt pro causa maxima unitatis christianorum.

Textus emendationis propositae a me committetur secretario generali, ut rite examini commissionis competentis subiciatur.[10]

Cuique suum; in aula satis est. Est tempus loquendi et tempus tacendi. Breviter dixi, sed dixi. Amen![11]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] In art. 31 (de mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis, pag. 20). [3] etenim. [4] ibi. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] Votum. [10] N. 31, pag. 20, post lin. 35 addatur alinea: « Hac de re Ecclesia eo magis gaudet, quo genus hoc vitae in oriente semper vivens et virens remansit. Quinimmo, hisce nostris temporibus, etiam in occidente ab aliquibus ex nostris fratribus seiunctis renovatur, ita ut monachismus rite considerari potest tanquam patrimonium, quod semper in communi servatum est a plurimis, qui fidem in Evangelium Christi profitentur ». [11] deest.

5

EXC.MUS P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE

Episcopus tit. Porphyriensis

Em.me Moderator, venerabiles Patres, Observatores, Auditores praeclari,

Loquens nomine 15 Patrum ex 8 nationibus provenientibus, oboedienter normis em.morum moderatorum obtemperare cupio, statim ad orationis nucleum pergens.[1]

Liceat[2] notabilem eiusdem textus *cap. IV*[3] lacunam adsignare. Lacuna quidem haec est: omne silentium circa sanctitatis promotionem.

Ne dicas textum de hoc negotio sermonem texere non debuisse. Universalis vocatio ad sanctitatem expostulare videtur universalem sanctitatis promotionem.

Ne iterum dicas huiuscemodi rem pertinere ad animarum curam ideoque non mereri locum in nostra constitutione dogmatica.

Quod *humiliter*[4] quaero et exopto praesertim in constitutione dogmatica est huius promotionis ad sanctitatem *principium* seu enuntiationem theologicam. Quod quidem magni est ponderis in casu et ad effectum de quo agitur.

Iam dixi universalem vocationem ad sanctitatem expostulare universalem sanctitatis promotionem. Quae enuntiatio probatur duplici ex parte, videlicet ex parte ipsius vocationis ad sanctitatem prosequendam et ex parte mundi praesertim hodierni hanc sanctitatem scienter vel inconscienter exspectantis.

Ipsa vocatio ad sanctitatem prosequendam quia huius sanctitatis actuatio, progressus continuus et inde arduitas genuinam sanctitatis promotionem exquirit.

Mundi hodierni exspectatio quia huius mundi ad Christum conversio et consecratio eamdem sanctitatis promotionem exigit. Valores humani utpote valores reales magnopere hodie extolluntur. Magna utique ac perutilis res! Ast, valores istos etiam cum fructu et gaudio suscipiens Mater et Magistra Ecclesia, eius praecipui muneris est Iesum Christum mundo revelare simulque latitudinem, longitudinem et sublimitatem et profundum scientiae et caritatis Dei omnibus hominibus in orbe terrarum sparsis detegere. Quod maxime fit per sanctitatis promotionem seu per apostolatum vitae interioris seu spiritualis, per genuinum apostolatum asceticum. Qui apostolatus sanctitatem non solum praesupponit, sed potius provocat, non solum portat sed causat...[5]

Quid enunciandum de huius apostolatus exercitio? Sanctitatis promotio fieri potest et debet mediate et implicite omni actuositate ministeriali seu apostolica iam exstante secundum cuiuscumque personalem vocationem suscepta, sed eadem sanctitatis promotio praesertim hodie urgenda videtur nova actuositate apostolica novaque disciplina pastorali qua haec promotio etiam per se, immediate et explicite exercetur.

Quae nova apostolica actuositas absque dubio possidere oportet adspectum doctrinalem, theologiam asceticam et mysticam seu a. v. sermonem de Deo rebusque divinis prodientem e traditione divina, e fontibus Veteris et Novi Testamenti *et maxime ex sermone montano* [6] fontibusque ecclesiasticis viginti saeculorum. Qui sermo theologicus sua vice causare oportet claram expositionem spiritualitatis episcopalis, sacerdotalis *dioecesani,* [7] consiliorum evangelicorum statusque perfectionis necnon spiritualitatis fidelium laicorum praesertim coniugum seu familiae christianae et tandem spiritualitatis apostolatus catholici nostrorum temporum.

Ast simul haec sanctitatis promotio seu apostolatus asceticus, ditandus est adparatione, *organizatione* [8] concreta et practica uti v. g.: cursus et studia; congressus multi generis; scripta, elucubrationes omniaque quae ad media communicationis socialis pertinent: bibliothecae, immo et domicilia et centra quorum omnium auxilio sanctitatis scientia et praxis, diffusio et penetratio Ecclesiam in membris suis ditat, roborat, laetificat, munit atque extendit.

Sic vocatio universalis ad sanctitatem per genuinam ac universalem sanctitatis promotionem aptius et facilius in praxim Dei adiuvante gratia est deducenda.

Conclusio. Conclusionis instar duo proposita humiliter *et reverenter* [9] edicere queo:

Primum propositum. Haec sanctitatis promotio obtineat in constitutione dogmatica *de Ecclesia* ad finem cap. IV enuntiationem theologicam simul ac iuridicam insertione v. g. sequentis commatis: « Quum vocatio universalis ad sanctitatem in Ecclesia eiusdem Ecclesiae causam finalem, i. e., fidelium sanctificationem magnopere commonstret atque extollat, ab omnibus, praesertim ab iis qui divino peculiariter servitio sunt mancipati, sedulo colendus et fovendus est diligens ac constans vitae spiritualis apostolatus iuxta mensuram donationis Christi et uniuscuiusque vocationem et officium ».

Alterum propositum. In Institutis studiorum pastoralium quae schemata decreti *de cura animarum* et *de clericis* iam distributa huius Sacrosancti Concilii expostulant, erigatur *sectio* ad apostolatum asceticum elaborandum, fovendum ac diffundendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Textus huius cap. IV cuius titulus « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », felicem obtinet locum in constitutione dogmatica *de Ecclesia*. Sanctitas enimvero iam exstans una ex Ecclesiae notis simulque est Ecclesiae causa finalis.

Praeplacet evocatio omnium Ecclesiae membrorum communis vocationis ad sanctitatem, consiliorum evangelicorum clara adsignatio eorundem momentum atque pondus pro omnibus Ecclesiae membris licet diversimode.

Schematis textus valde utiliter sermonem instituit de consiliorum observatione privata. « Unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic » (*1 Cor.* 7, 7). Variae exstant Ecclesiae necessitates et non omnes sunt insuper apti ad statum perfectionis, speciatim si stabilis vivendi forma coincidit cum vita communi.

Optima elucubratio de consiliorum spiritu omnibus christifidelibus necessario et tandem felix consiliorum adplicatio ad statum perfectionis acquirendae qui huiusmodi status exstant cardines.

Hic perfectionis status in praedicta constitutione dogmatica meo humili iudicio rectissime connectitur cum Ecclesia tota seu cum universo populo Dei. Schematis textus, ni fallor, praecise enucleare intendit rationes Ecclesiae inter et perfectionis status. Huic visioni theologicae plane adhaerere volo ob rationes ex constructione Ecclesiae desumptas. Ecclesia constat ex capite, collo et corpore.

Caput: Ipse Iesus Christus. Status perfectionis non solum interius, sed exteriore quoque vitae ratione Iesu Christo peculiariter configuratur tum in genere, eius exinanitionem, crucem et novam prorsus gratiae vitam imitando, tum in specie, Christum in dies melius commonstrando ut ipse eloquitur schematis textus, « vel in monte contemplantem, vel ad turbas concionantem, vel aegrotos et saucios sanantem... vel pueris benedicentem, vel denique omnibus benefacientem » (n. 36, pag. 23, linn. 11-14).

Collum: Ipsa excelsa B. Maria Virgo et Mater. Textus omnibus nobis propositus explicite enunciat consilia evangelica hominem christianum magis conformare praesertim ad vitae genus quod Mater Christi subsecuta est.

Corpus: Ecclesiae scilicet membra. Etiam heic dicendum perfectionis status officium erga Ecclesiam reapse adimplere et bono Ecclesiae esse dicatum. Huiuscemodi status sodales fidelium undequaque sunt adiutores sicuti etiam exstant sacrae hierarchiae ac ministrorum propinqui et validi cooperatores.

Propter utique rationes censeo doctrinam rationes inter Ecclesiam et perfectionis statum expendentem minime e textu nostri schematis esse expungendam. [2] Hisce omnino ad textus laudem edicitis, liceat nunc. [3] deest. [4] deest. [5] En quomodo Summus Pontifex Pius XII s. m. hunc adsignat apostolatum: « Sicut iam pluries a Nobis annuntiatum fuit, hodie in Ecclesia agnoscitur Spiritus Sancti afflatus ad heroismum et omnem impellens deditionem. In medio spinarum huius mundi ad paganismum iterum delapsi auctiore semper numero emergunt et crescunt flores candidi sine macula suavem edentes fragrantiam: animae electae cuiuscumque condicionis atque aetatis. Utinam sacerdotes sanctam monstrassent audaciam absque timore adsignantes sublimis sanctitatis celsitudinem. Quare tot tantaeque animae in mundi retia cadunt? Quia mundum censent plane respondere suis anxietatibus et optatis. E contra nimis tarde percipiunt mundum acerbos parere fructus inter quos irrequietudo, anxietas, tristitia et dolor, desperatio atque odium. Oh dilecti filii sacerdotes, fortes estote ut animas dirigere valeatis eas

fortiter ac suaviter ad Christum conducentes, ad Christi, inquam amicitiam, ad plenam in Eum transformationem. Dicite hominibus Christum eis esse pacem, fidem, spem atque amorem, immo vitam undequaque abundantem » (*A.A.S.*, vol. 47, 1955, pp. 214-215). [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest.

Moderator: Haec ultima propositio non erat ad rem in hoc capite.

6

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH LEIPRECHT
Episcopus Rottenburgensis

Venerabiles Fratres,

Loquor in nomine episcoporum linguae germanicae. Agitur in disceptatione de cap. IV schematis *de Ecclesia* imprimis de quaestione, quem locum quodque munus religiosi in Ecclesia, in Corpore Christi, in populo Dei habeant. Censent enim multi, in hac re aliquam correcturam necessariam esse. Et revera! Nostro tempore de condicione saeculari non-religiosorum aliter iudicamus ac saeculis anteactis. Mutua relatio inter status ecclesiasticos valde alterata est. Hae mutationes neglegi non possunt. Habent etiam pro religiosis suas consequentias. Quamquam inter catholicos de speciali dignitate, immo de aliqua praestantia vocationis ad consilia evangelica discussio esse non potest, tamen modus loquendi de religiosis in comparatione cum laicis hodie cautior esse debet tempore praeterito...[1]

Cum haec omnia etiam pro redigendo nostro capite magni momenti sint, proponam hic brevissime illas veritates, quae mihi circa doctrinam de statu consiliorum evangelicorum nostro tempore maxime necessariae esse videntur.

I. Quod ad rationem individualem-asceticam status consiliorum pertinet, sunt veritates sequentes:

1. Omnes fideles cuiuscumque status vel conditionis in Christo ad perfectionem caritatis Dei et proximi vocantur et obligantur, proinde etiam pervenire possunt.

2. Non omnes ad eundem gradum perfectionis christianae vocantur. Deus enim gratiam suam libere largitur. Vocat unumquemque in specie.

3. Invenitur in Ecclesia secundum Sacram Scripturam et secundum traditionem unanimem specialis vocatio ad perfectionem via consiliorum evangelicorum. Haec consilia sunt pro vocatis magnum adiutorium, caritatem a Deo gratiose collatam magis magisque acceptandi suumque faciendi...[2]

4.[3] Omnes fideles obligantur ad spiritum Evangelii, i. e. ad spiritum beatitudinum sermonis montani et consiliorum evangelicorum habendum, colendum et in vita sua pro eiusdem condicionibus realizandum. Neque non-religiosi unice mundo uti aut frui, neque religiosi simpliciter illi renuntiare possunt. Et omnes obligantur ad integram et indivisam suiipsius donationem Christo et in Christo Deo Patri factam...[4]

Hactenus de ratione individuali-ascetica status consiliorum. Nunc *brevissime* [5] de ratione eius ecclesiologica.

1. Religiosi in consiliis evangelicis prosequendis non solum realizant, sed visibilem reddunt illum spiritum evangelii, qui omnibus christianis proprius esse debet ...[6]. Sic simul testimonium reddunt, christianos et totam Ecclesiam adspirare fide, spe et caritate in illum Deum et illa bona, quae vires et exigentias mere humanas absolute trascendunt. Hinc ratione *status,* in quo vivunt, sunt testes qualificati, regnum Dei, in quo « neque nubent neque nubentur » ...[7] in Christo et in Ecclesia iam advenisse, testes supernae Ierusalem, quae in fine saeculorum manifestatur, testes vero etiam populi Dei adhuc in terra peregrinantis ad illam patriam.

2. Talis testificatio mysterii redemptionis per consilia evangelica Ecclesiae necessaria est ...[8]. Nam communis vita christianorum hanc vim testimonii relate ad vitam et finem hominis *supernaturalem* non sufficienter habet...[9]

Conclusio. Quaesivimus de positione religiosorum in Ecclesia et de relatione inter religiosos et alios status ecclesiasticos. Vidimus rationem existendi status religiosorum ecclesiologicam esse munus significandi et testificandi regnum Dei, novam in Christo vitam. Hic ergo sensus in schemate dogmatico *de Ecclesia* imprimis inculcandus est. In tali expositione theologiae consiliorum evangelicorum etiam apparet cur aptissime in nostro capite de *universali* vocatione ad sanctitatem agatur, non in detrimentum religionum, sed in eorum favorem. Nam praecise in eorum munere vicario, Ecclesiae tam necessario, agnoscatur oportet eorum praestantia prae ceteris statibus. Et simul elucet, quam intime religiosi et ceteri fideles ad invicem referuntur. Dum religiosi fratribus suis laicis testificantur mysterium regni Dei, laici ex munere sibi proprio « consecrationem mundi » vivere et testificari debent. Ambo vero sunt fratres unius populi Dei peregrinantis ardua via sanctitatis ad patriam. Necessariae nobis sunt nostris temporibus religiones plus quam unquam. Habemus ergo ut pastores totius Ecclesiae sanctam obligationem illas omni modo fovendi. Sed etiam ipsae religiones magis magisque cognoscant, quomodo muneri in bonum totius populi Dei accepto mutatis temporibus in dies melius satisfacere possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Porro: ex antiqua traditione religiones inveniuntur in sat magna segregatione a saecularibus, etiam fidelibus, segregatione non solum externa, sed interna quoque. Huic observationi non obstat apostolatus religionum tam multiplex et foecundus. Religiosi sublineant et urgent saepius nimis illa quae sibi sunt propria, prae illis quae omnibus christifidelibus sunt communia. Iam nomen quo signantur, scil. « status perfectionis », hominibus hodiernis hoc demonstrare videtur. Sonat enim nostris auribus, acsi hic status sensum primarium haberet in se et propter se. Si nostro vero tempore de statu in Ecclesia tractatur, videmus primo loco eius relationem ad Ecclesiam, ad communitatem omnium christianorum, ad totum populum Dei. Tali modo videndi bene fundato religiones melius se adaptare debent, non solum externis vitae suae formis, sed etiam in exponenda doctrina sui status theologica. [2] 4. Maior pars hominum certo non ad vitam consiliorum vocatur. Pro his ordinarium vitae genus, matrimonium v. g., est concretus modus quo secundum *positivam* Dei voluntatem mandatum magnum scil. caritatis exsequi debent. Consequenter vita consiliorum pro his non potest dici via expeditior et tutior vel medium efficacius perfectionis acquirendae. 5. Perfectio christiana habet in omnibus fidelibus, non solum in religiosis, aequalem indolem soteriologicam, ecclesiologicam et eschatologicam. Est participatio crucis Christi pro toto mystico eius Corpore, est insertio in Corpus Christi quod est Ecclesia, est « conversatio in caelis », sicut dicit Paulus apostolus in epistola ad Philippenses (3, 20), i. e. communicatio amoris cum Deo immediata, hunc mundum absolute transcendente. [3] 6. [4] 7. Gradus vero coniunctionis cum Christo, propinquitas sequelae Christi, profunditas donationis Christo factae *unice* dependet e caritate maiore vel minore. Vita ergo secundum consilia evangelica qua talis nondum intimius coniungit cum Christo, non iam est propinquior et perfectior sequela Christi, sed est tantum realizatio, testificatio et medium illius coniunctionis et sequelae. Vita consiliorum mere obiective sumpta et praxis eorum subiectiva identificare non licet, quamvis intime coniungantur. [5] II. [6] indolem soteriologicam, ecclesiologicam et eschatologicam caritatis christianae. [7] (*Mc.* 12, 25). [8] Nam ut continuatio vitae Verbi Incarnati *debet* Ecclesia spiritum suum intrinsecum visibilem reddere et mundo testificari. Iamvero haec ratio internam naturam Ecclesiae significandi et testificandi imprimis convenit consiliis evangelicis. [9] Hinc status consiliorum evangelicorum qui in hac perennitate et multiformitate in Ecclesia sola invenitur, constituit illud miraculum morale quo Ecclesia per seipsam est testimonium irrefragabile suae divinae missionis (Denz. 1792). Et proinde dici potest, statum consiliorum evangelicorum ex institutione divina pertinere ad vitam plenam et integram utpote ad structuram charismaticam Ecclesiae. 3. Inter primum aspectum individualem-asceticum et hunc alterum ecclesiologicum multiplex et arcta coniunctio habetur. Ratio ecclesiologica quasi cogit religiosum ut interne vivat quod externe exhibet. Et simul scit, vitam suam spiritualem non inservire alicui perfectioni individualisticae, sed missioni Ecclesiae. Et vice versa: Qui audivit vocem Domini « Si vis perfectus esse... » non potest consiliis evangelicis recte uti, nisi se simul scit vocatum ut fratribus et toto mundo testificetur spiritum Christi, spiritum fidei, spei et caritatis.

7

EXC.MUS P. D. MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Poloniae. Caput ...[1] schematis *de Ecclesia* iuremerito agit de statibus perfectionis acquirendae in contextu universalis ad sanctitatem vocationis. Attamen sat elaborata tractatio de statu vitae religioso disproportionem in caput nostrum introducit, cum de vocatione ad sanctitatem in statu laicali *praeter exhortationem* [2] vix aliquid habeatur, dum ad sanctitatem vitae clericalis paucissima tantum directe referuntur. Haec explicantur utique genesi nostri capitis. Desideratur tamen aliqua proportionata tractatio vocationis ad sanctitatem in triplici statu vitae, nempe laicali, clericali et religioso. Quae tractatio non debet esse iuridica vel disciplinaris — agitur enim de constitutione dogmatica — sed res considerandae sunt sub aspectu doctrinae de vita spirituali.

Quod laicos attinet, quaedam utique habentur in capite de laicis in specie, pag. 7, ubi dicitur inter alia coniuges christianos ex virtute sacramenti matrimonii se invicem in vita coniugali et prolis educatione sanctificare. Sed haec sunt paucissima. In schemate autem decreti de matrimonii sacramento hac re nihil habetur. Extollenda ergo videtur in nostro capite functio sanctificatrix amoris christiani ...[3]. Nec obliviscendum est magnum sanctificationis medium quale prostat in uniuscuiusque officio speciali adimplendo maxima cum sollicitudine propter Christi amorem, sive agatur de prolis educatione, sive de labore professionali. Tandem recolenda est, ut patet, illa fundamentalis sanctitatis via, qualis est vita in statu gratiae sanctificantis decurrenda, adiuvantibus mediis ab Ecclesia propositis, scil. regulari ad sacramentum poenitentiae accessu, frequenti ad mensam eucharisticam aditu, etiam lectione Sacrae Scripturae, quae inspirationis causa influxum salutiferum habet quaeque maximi momenti est pro religiosa prolis educatione praesertim tunc, cum educatio haec a solis adhuc parentibus praeberi potest.

Quod clerum attinet, habetur utique in schemate *de clericis* caput de clericorum vitae sanctitate. Sed problema vocationis ad sanctitatem in uno schemate tractandum videtur, non in duobus schematibus adeo *disiunctis*.[4] Praeferendum est autem schema *de Ecclesia,* eo magis quod schema *de clericis* vix organicam structuram habet...[5]

Quaedam praeterea prae oculis tenenda sunt. Ratione habita menta-

litatis etiam apud quosdam sacerdotes obortae, sublineandus est valor caelibatus Deo dicati, eo magis quod eius depreciatio de facto saepe secumfert conceptionem matrimonii non christianam, sed naturalisticam.

Certo, status clericalis non exposcit ex natura sua, ut sacerdotes caelibatum servare teneantur ...[6]. Convenit tamen ut sacerdos, alter Christus, exemplar suum etiam hac in re sequatur. Christus enim non alium habuit amorem quam amorem fratrum suorum ...[7], non aliam habuit sponsam ac Ecclesiam quam condidit. Et certo certius nihil humanitati Christi defuit eo quod ipse caelebs permansit. Ideoque sacerdos, saltem in ritu latino, libere et voluntarie statum caelibatus christiani eligit ut vicinior sit Christo, ut experiatur id quod Christus, verus homo, in vita sua expertus est, ut maiore fruatur disponibilitate ad serviendum Christo et Sponsae eius, Ecclesiae, ut indivisus sit et quaerat ea quae Dei sunt...[8]

Praeter caelibatum christianum extollendus est etiam spiritus paupertatis qui hisce diebus — praesertim apud sacerdotes — valde exoptatur et maximopere a populo christiano aestimatur. Non omnes enim vocantur ad servandum re consilium evangelicum paupertatis — quamvis non desint sacerdotes qui privatim et sua sponte huiusmodi obligationem suscipiunt — sed omnes, praecipue vero episcopi et presbyteri, « spiritu » pauperes esse debent ut « qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur » ...[9]. Non est enim « spiritu » pauper qui aegre egestatem fert, sed qui bona sua non ad suam tantum utilitatem adhibet, sed in bonum commune societatis illud vertit sicque, uti Christus, « pertransiit benefaciendo » ...[10]

Quod episcopos attinet, exhortatio habeatur pariter in schemate de sanctitate ab eis consequenda, cum ipsi sint patres et pastores, qui, forma facti gregis ex animo ...[11], subditos suos tamquam filios amare illosque ad sanctitatem exemplo vitae revera Deo dicatae allicere atque ducere debent. Amor enim Dei et proximi primum et principale medium est ad sanctitatem magis in dies adipiscendam. Concludo:

1. Augeatur cap. IV apta sed sobria tractatione de vocatione laicorum et clericorum ad sanctitatem.

2. Ratio habeatur amoris mutui coniugum et officii professionalis adimplendi tamquam mediorum ad sanctitatem ducentium.

3. Melius in lucem ponatur valor theologicus, spiritualis et practicus caelibatus christiani et spiritus paupertatis.

4. Addatur exhortatio de sanctitate ab episcopis consequenda. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ultimum. [2] deest. [3] — indissolubilitas matrimonii sacramento sanciti — qui amor sponsos inducit ad suiipsius abnega-

tionem propter alterum sacri connubii comparem, ad imaginem Christi qui dedit semetipsum mortuusque est pro Ecclesia (*Eph.* 5, 25-29). [4] distinctis. [5] Constat enim 3 capitibus, quorum primum (de clericorum vitae sanctitate) in schema nostrum, breviore forma, incorporandum videtur; quorum secundum (de distributione cleri) ad regimen dioecesanum et interdioecesanum se refert, ideoque caput ultimum schematis *de dioecesium regimine* constituere posset (quaedam paragraphi tractant de materia pertinente ad caput de episcopis in schemate *de Ecclesia* par. 14, ad schema *de seminariis* par. 17-19, ad caput de paroeciarum erectione in schemate *de dioecesium regimine* par. 21); quorum tertium tandem caput (de officiis et beneficiis ecclesiasticis) materiam praebet quae ad commissionem ius canonicum reformaturam mandanda videtur. Quae cum ita sint, in caput nostrum de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, incorporanda est materia praefati capitis de clericorum vitae sanctitate, quod nunc in schemate *de clericis* invenitur. [6] (cf. Pius XII, *A.A.S.*, 53, 1951, p. 29). [7] (*Mt.* 12, 46-50 et par.). [8] (cf. *1 Cor.* 7, 32-35), ut signum sit in nationibus positum adventus regni Dei eschatologici, « in quo neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo » (*Mt.* 22, 30). Certo, caelibatus non est in se moraliter superior statui matrimoniali, sed est melius et beatius caelibatum christianum eligere propter amorem Christi et servitium Ecclesiae, sicut fecit magnus apostolus Paulus (*1 Cor.* 7, 7-8). Nec obiiciendum est sacerdotem utpote spiritualem populi ducem amorem coniugalem experiri debere. Spiritus Sanctus enim dirigit nos in spirituali animarum directione, et ipse Christus paternitatem spiritualem in centuplum promisit iis qui propter Evangelium et regnum Dei uxorem etiam et filios reliquerunt (*Mt.* 29, 29; *Mc.* 10, 29-30; *Lc.* 18, 29-30). Libera vero optio status caelibatus Deo dicati est optio definitiva et quidem, uti videtur, ex ipsa Christi intentione, qui hac de causa comparavit caelibatum propter regnum Dei cum condicione physica eunuchorum (*Mt.* 19, 12). Ideoque caelibatus christianus analogiam quandam praesefert cum matrimonio christiano, quod indissolubile est. Non sequitur tamen exinde non posse dari exceptiones. Generatim tamen loquendo « nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei », ut dicit Dominus (*Lc.* 9, 62). Incurrit enim periculum damnationis, quia primam fidem irritam fecit (cf. *1 Tim.* 5, 12). Ideo, ut sacerdos in hac via caelibatus christiani, auxiliante gratia Dei, tentationes et difficultates superet, debet ex una parte exercitio ministerii sui totus addictus esse, per quod etiam seipsum sanctificat, ex altera vero assidua oratione et meditatione Sacrae Scripturae niti, ne sui muneris inceptis sese dedens, propriam spiritualem vitam negligat, quae est anima eius apostolatus. [9] (*1 Cor.* 7, 31). [10] (*Act.* 10, 38). [11] (*1 Petr.* 5, 3).

8

Exc.mus P. D. ILDEFONSUS M. SANSIERRA
Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

Em.me Praeses, venerabiles Patres, Observatores et Auditores,

Quae dicam erunt etiam nomine 11 episcoporum qui una mecum haec subscribunt.[1]

1. *In hoc cap. IV,*[2] non semper Sacrae Scripturae textus afferuntur qui fundamentum doctrinae in hoc capite fulcire valeant.

E. g.: quando est sermo de paupertate et de oboedientia (in pag. 20); quando exemplum Christi concionantis vel contemplantis in schemate exhibetur (in pag. 23); vel denique in eadem pagina quando fideles omnes monentur, ut in qua vocatione quisque vocatus sit permaneat.

Ratione *ergo doctrinae et*[3] uniformitatis *causa*[4] omnes textus biblici expresse indicandi erunt, vel in ipso constitutionis textu, vel ad calcem.

...[5] 2. Ad n. 30 ...[6]. Hic etiam meminisse iuvabit quae Ss.mus Paulus Pp. VI, feliciter regnans, in epistula ad Concilium vocante, ad unumquemque nostrum effatus est: « Catholica Ecclesia ut perenni vigore praedita salutis administra cunctis appareat oportet: ei enim a Christo Domino depositum fidei est traditum, ut ab ea fideliter servaretur eiusque impigra opera omnibus hominibus modo congruenti et consentaneo innotesceret » ...[7]

Quapropter *hoc loco*[8] mihi videtur duas alias paragraphos ponendas: prima in qua de pauperibus agatur, et secunda de opificibus seu operariis. Hoc magni momenti esse opinor, ob socialem rerum condicionem *et de hoc*[9] explicite et distincte significare ex voluntate Christi, etiam pauperes et operarios, tam viros quam mulieres, sanctitatis viam arripere posse: et ne videamur opificum et pauperum, in hac maxima re, oblivisci. Sic ostendet Ecclesia supernaturales thesauros gratiae quos habet, et quibus homo filius Dei fit, materne offerre illis quorum evangelizatio est signum advenisse regnum Dei ...[10], et quorum esse regnum caelorum Christus Dominus proclamat ...[11]

3.[12] Ad n. 31. Cum amor Dei seu caritas in Deum et in proximum sit forma et finis totius sanctitatis, sicuti legitur in textu, peropportunum esset concrete determinare, prout ex evangelica doctrina eruitur, principaliores gradus seu condiciones, quas exercitium huiusmodi dilectionis proximi induere debet. Hac enim in re tanti ponderis, utile semper erit accuratiorem doctrinae conciliaris expositionem praebere.

Ergo [13] addenda censeo quae sequuntur vel quid simile: « Circa dilectionem proximi, divinus Ipse Magister indicat modos seu veluti gradus, quibus in praxi dilectio perfici debeat. Christifidelis enim diligere debet fratrem suum, non tantum sicut seipsum ...[14], et ut diligit ipsum Iesum Christum ...[15]: sed fratrem diligere quoque debet eadem mensura qua Christus dilexit nos ...[16], immo et eadem caritate qua Pater diligit Filium suum » ...[17].

Alia secretariae tradidi.[18] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sicut in praecedentibus capitibus, multa quoque sunt in hoc cap. IV laude digna, plurimis S. Scripturae textibus hinc inde roborata. Propterea, generice loquendo, caput hoc *placet.* Quaedam tamen, notatu digna sunt, immo et corrigenda. Liceat mihi, quaeso, haec pauca saltem adnotare. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] 2. Ad n. 28 (pag. 18, linn. 2-3). In ipso prooemio verba « sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur » delenda esse iudico. Ratio est, quia his verbis ablatis, et mens Concilii perfecte ostenditur brevissima clausula « omnes ad sanctitatem vocantur », et unitas populi Dei simplicius et verius significatur. 3. [6] (pag. 19, lin. 3). Unitatis causa et veritatis, auferenda esse videntur verba « utriusque cleri ». Etsi enim iuridice et, ut ita dicam, technice, verba haec sint omnino exacta, theologice tamen unus et unicus est clerus, nempe sacerdotes omnes qui de aeterno Christi sacerdotio participant. Sic ergo emendandus esset textus: « Sacra Synodus imprimis sacerdotes *omnes* enixe et peramanter hortatur ». In eodem n. 30, secunda pericope quae incipit « Libenter... » adverbium hoc supplendum esse videtur, v. g. per « vehementer », vel simpliciter dicatur: « Etiam coniuges parentesque alloquitur Sacra Synodus ». [7] (ep. 14 sept. 1963). [8] post lin. 23. [9] deest. [10] (*Mt.* 11, 5). [11] (*Mt.* 5, 3). [12] 4. [13] Postquam ergo sacramenta, mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatio proponuntur tanquam media sanctificationis — quod quidem nimis obiter, ni fallor, in schemate fit —. [14] (*Mt.* 19, 19-22 et 39; *Rom.* 13, 9; *Gal.* 5, 14; *Iac.* 2, 8; *Mc.* 13, 31). [15] (*Mt.* 25, 45). [16] (*Io.* 13, 34). [17] (*Io.* 17, 26). [18] In eadem pag. 20, linn. 20-21, paragraphus quae incipit « Quamobrem christifideles... invitantur et obligantur », corrigenda videtur; si enim obligantur, supervacaneum est eos invitare. In eadem pagina, lin. 27. Quae hic dicuntur confirmari debent effatis S. Pauli « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite » (*1 Cor.* 10, 31; *Col.* 3, 17).

[*Subsignaverunt etiam*] A. Rodriguez y Olmos; Iulius Barbetta; Aloisius Franco; J. Essuah; Roberto Cáceres; Michel Darmancier; Ernesto Segura; André de la Brousse; M. E. Pechuán; Carlos M. Cafferata.

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH PARECATTIL
Archiepiscopus Ernakulamensis

Venerabiles Patres,

Lego tantummodo duas paragraphos mei interventus in nomine aliquorum Patrum ab India et aliis regionibus.[1]

Ad art. 31, pag. 20 ...[2]. Minus accurate dicta videntur quae de paupertate et de castitate Deo dicata asseruntur. De iis enim affirmatur esse signum — signum praestantiae bonorum regni caelestis, signum quo quis se Deo devovet. Signum quidem sunt; at *non solum signum.*[3] Ista enim praeprimis quamdam realitatem in se ipsis continent. Paupertas est voluntaria spoliatio bonorum legitimorum temporalium ut quis Deo serviat; castitas est totalis donatio Deo facta ut quis liberius Deum amet. Ambae sunt, primo et principaliter, quaedam dedicatio personalis Deo facta eiusque sigillum *et corroboratio, non tantum signum.*[4]

Ad pag. 21, art. 33 ...[5]. Ibi de religiosis dicitur: « ... a professione sanctitatem sectandi derivat officium... pro viribus scil. prece *actuosaque opera* laborandi ad regnum Christi in animis radicandum... ». Loco « prece actuosaque opera laborandi », velim proponere formulam « prece et iuxta proprium institutum actuosa quoque opera laborandi ». Sic enim ex nimio momento apostolatui activo dato recta observantia vitae contemplativae in discrimine non poneretur et spiritus et scopus ordinum contemplativorum in tuto ponitur. Nos episcopi omnes testes sumus de meritis quae ipsi religiosi in regno Christi dilatando sibi meruerunt, sive in campo studiorum sive in campo actionum. Simul cum nostro elogio huius operae et apostolatus, in hac parte schematis adiungemus etiam nostram sollicitudinem quin vita activa locum sumat vitae contemplativae quae immensus quasi thesaurus spiritualis exstat in tota Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. Peropportunum est quod in schemate *de Ecclesia* sermo fit de vocatione christifidelium ad sanctitatem, cum ipsa Ecclesia lux illuminans et magistra sanctitatis sit.

2. Attamen non videtur sat clare et undequaque recte proposita tota de sanctitate doctrina.

a) Optime quidem affirmatur sub n. 29 linn. 26-34 quod pro omnibus et singulis, cuiusvis status vel ordinis una est christiana sanctitas... et una vocatio ad caritatem perfectam vires extendendi. Attamen immediate in par. 30 in primis

15 linn. modo quodam illogico exercitium talis sanctitatis ad sacrum ministerium episcoporum, sacerdotum vel laicorum ab episcopo vocatorum coarctatur. Modo quodam disiuncto prosequitur adhortatio ad coniuges ut se mutuo spiritualiter adiuvent. Exsurgit quaestio quid de religiosis non sacerdotibus et monialibus, et quid de ceteris laicis? Exercitium muneris pastoralis est tantum aspectus apostolicus et manifestatio ecclesialis ipsius sanctitatis personalis et non totum sanctitatis exercitium. Totus par. 30 ad finem capitis modo exhortationis melius collocetur.

b) Natura ipsius sanctitatis in hoc capite non bene demonstratur. Bene dictum est sanctitatem in fide et baptismate inchoari (vide pag. 18, lin. 28). Tamen silentium de transformatione profunda hominis in ipso baptismate seu de intima eius unione (communione seu « koinonìa ») cum Christo et de crescentia Christi in homine baptizato per alia sacramenta, praesertim per Eucharistiam, lacuna vera est in toto hoc tractatu de sanctitate. Hic character christologicus vel christocentricus et sacramentalis totius sanctitatis christianae, in eius inchoatione sicut et evolutione, in lucem afferendus est. Talis clarificatio urgens videtur pro cohaerentia, consistentia et harmonia huius tractatus cum aliis schematibus, e. g. de liturgia, quae omnia in schemate de sanctificatione ecclesiae membrorum integrari oportet.

c) Disproportio totius capitis videtur clara si advertimus quod post partem introductoriam in nn. 28-30, tota reliqua pars 6 numerorum ad consilia evangelica dedicatur. Quaeri licet, agiturne hic de vocatione universali christifidelium ad sanctitatem in Ecclesia ut sonat titulus capitis an tradatur hic theologia tantum de consiliis evangelicis?

Haec deficientia oritur praesertim ab illa visione negativa qua sanctitas vel perfectio christiana in abnegationibus praecipue ponitur. Sub luce sublimi illius mysterii Incarnationis tota alia visio et orientatio aperitur. De sanctificatione laicorum in vita et apostolatu quotidiano fusius et clare in hoc capite tractandum est. Iis non tantum dicatur quod « in usu mundanarum rerum... a caritate perfecta prosequenda minime impediantur », ut dicitur in pag. 20 linn. 23 ss. Doctrina magis positiva et integra de sanctitate proponatur.

d) Propono etiam quasdam emendationes in ipso textu:

1. Ad pag. 18, art. 29, linn. 29 et 30: Post verba « adiuvante Dei gratia », addenda existimo haec alia verba: « per in dies intimo cum Christo ope ceterorum praesertim sacramentorum, mediante exercitio omnium virtutum » ita ut textus ita sonet: « una est christiana sanctitas quae in fide et baptismate inchoata, excitante et adiuvante Dei gratia (omisso verbo « gratuita »), per in dies intimiorem cum Christo ope ceterorum sacramentorum unionem, mediante exercitio omnium virtutum, in abundantes fructus excrescit ». Sic enim cardo totius christianae sanctitatis eiusque media superna humanaque co-operatio in exercitio virtutum harmonice integrantur.

2. Ad n. 31, pag. 20, linn. 27-35, videtur adesse quaedam repetitio eiusdem ideae ubi dicitur: « Gaudet Ecclesia plures in sinu suo inde ab antiquitate exstitisse... anachoretas, continentes, virgines etc. », et in linea sequenti, « Plures enim fuerunt omni tempore... viri et mulieres qui haec consilia... privatim observant etc. ». Loco harum linearum sequentem formam breviorem proponere velim: « Gaudet vero Ecclesia quod etiam nostris diebus, sicut inde ab antiquitate, non pauci viri et mulieres cuiusque conditionis tria haec consilia, vel eorum aliquod, excitante *et adiuvante* Dei gratia, privatim observant... etc. ».

3. Ad finem eiusdem paragraphi perspicuitas et praecisio carere videntur cum dicitur, « sese toto corde Deo... consecrantes et servitio diffusionis amoris dedicantes, sive contemplatione, sive apostolicis laboribus susceptis, sive spiritualibus exhortationibus sparsis ». Tota illa pars multo melius hoc sequenti modo dici posse opinor: « sese toto corde Deo summe dilecto consecrantes, ut propriae personali sanctificationi efficacius vacent, et vitam christianam, sive verbis sive operibus, pro cuiuscumque conditione et virtute, diffundant ». [2] linn. 7-14. [3] solum secundarie. [4] ut ita dicam. [5] linn. 30-34.

10

Exc.mus P. D. ANDREAS SAPELAK

Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres conciliares,

Praetermittam aliqua, et ad nucleum veniam.[1] Omnia quae in cap. IV dicuntur de sanctitate, respiciunt exercitium amoris Dei et proximi in constantibus condicionibus vitae hominum, sive saecularium sive religiosorum, in communi et ordinaria temporum condicione.

Sed nihil in textu schematis, ne quidem verbum, de ista extraordinaria sed perpetua in Ecclesia Christi ad sanctitatem heroicam vocatione, quae innumeros fidei confessores ac martyres, Christi Ecclesiae procreavit, libris « Martyrologii » testantibus.

Nihil in textu nostro de isto supremo actu dilectionis Dei et proximi, qualis est confessio Christi coram hominibus etiam cum sacrificio ipsius vitae; ad quam sublimem vocationem innumeri christifideles hodierno tempore vocati sunt, et in hac vocatione in statu diuturno permanent...[2]

De hodierna condicione Ecclesiae, sub hoc aspectu, Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in Sua allocutione die 29 mensis septembris, his verbis nobis locutus est: « *Quanam condicione religio versatur*[3] in iis Nationibus ubi Ecclesiae bellum indictum est ...[4]? Haec Nobis considerantibus graviora videntur, si mentem intendimus ad ea quae novimus, multo magis autem ad ea quae noscere non licet, de sacra hierarchia, de religiosis viris, et sacris virginibus, ac de ingenti filiorum Nostrorum multitudine, qui ob invictam suam erga Christum et Ecclesiam fidelitatem timoribus, vexationibus, aerumnis, oppressionibus sunt obnoxii ».

Pro istis hierarchis, religiosis, ac ingenti multitudine fidelium in hoc statu viventibus exercitii sanctitatis ordinariae viae, quae in schemate nostro contemplantur, praeclusae sunt, dum ipse status et quidem stabilis in quo pro Christo ac Ecclesia versantur, maximam perfectionem sanctitatis, nempe amoris Dei, ab eis exigit.

Quantum solatii esset omnibus pro Christo ac Ecclesia in multis nationibus patientibus, si hoc Sacrosanctum Concilium Oecumenicum Vaticanum II expresse declararet, quod propter eorum « timores, vexationes, aerumnas, oppressiones », carceres, ipsi omnibus in via sanctitatis praecedunt, quia quam proxime Divinum Magistrum ac Salvatorem nostrum sequuntur.

Iam pluries et iuste in hac aula dictum est, pauperes in Ecclesia Christi specialem locum habere. Sed fratres nostri in carne sua passionem Christi renovantes, ac totum Corpus mysticum Ecclesiae passione sua adiuvantes, specialissimum locum in Ecclesia merent. Insuper ipsa vita eorum magno apostolatui omnibus christifidelibus est, quia omnibus exemplum praeclarissimum praebent et maximum praedicant gradum, quo Deus amandus est ...[5].

Concludendo proponere audeo, ut in hoc cap. IV, de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, una cum multiformi sed ordinario sanctitatis exercitio etiam de hac *extraordinaria vocatione ad sanctitatem,* nempe de fidei confessione ac de martyrio, sub speciali numero loquatur, eius sublimitatem uti specialissimum et mysteriosum Dei donum pro singulis ac pro christifidelium communitatibus datum, extollendo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In cap. IV schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* loquitur de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, et quidem de universali vocatione ad sanctitatem, de multiformis unius sanctitatis exercitio, de mediis ad sanctitatem ac de consiliis evangelicis. Maior autem pars huius cap. IV « consiliis evangelicis » ac « statibus perfectionis » dedicatur. Iuste sub n. 31 affirmatur: « Sanctitatis forma et finis est *amor Dei super omnia* et operosa proximi dilectio. Unde mandatum dilectionis Dei et proximi ab ipso Domino pro omnibus proclamatur et primum maximum et necessarium, in cuius *cotidiano opere perfectio usque ad plenitudinem exseritur* ». [2] In schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* sive in parte I sive in parte II, Ecclesia sub variis aspectibus consideratur, saepe sub nova quidem luce, sed quasi nihil invenitur de mysterio persecutionum in vita Ecclesiae, quae aliquid extraordinarium sed permanens, quasi stigmata Christi in suo mystico Corpore constituunt; praedicente Domino: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur » (*Io.* 15, 20). [3] Ubinam sunt nostri fratres. [4] et quanam conditione religio ibidem versatur? [5] Pluries etiam dictum est Concilium Oecumenicum Vaticanum II dialogum cum mundo hodierno aperire intendere. Tamen cavendum est ne ingentis multitudinis fratrum nostrorum pro Christo et Ecclesia patientium in hoc dialogo obliviscantur.

Nomine etiam: Borckyj Isidorus; Gabro Jaroslaw; Kérautret Renatus; Arrieta Villalobos Roman; Benitez Philippus Iacobus.

11

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS IOACHIM LOPES DE MOURA

Episcopus Portalegrensis-Castri Albi

Em.me Praeses, Patres venerandi, Observatores ac Auditores dilectissimi,

Loquor nomine plusquam 30 Patrum ex Lusitania aliisve nationibus, et tantum conclusiones affero.[1]

1. Desideratur in cap. IV saltem adumbratio doctrinae de sanctorum communione, quae ut omnibus videtur, maxime confert ad progressum sanctitatis in Ecclesia.

2. ...[2] In hoc ...[3] capite necesse est ut praesentia Christi Domini, *qui unica est via, unica veritas et unica vita,*[4] omnia illuminet, omnia vivificet, omnia pervadat quia sanctus in Ecclesia solummodo esse potest qui verbum paulinum cum omni veritate sibi vindicat: Mihi vivere Christus est!

3. Initio numeri 31 (pag. 19) optime asseritur: « Sanctificationis forma et finis est amor Dei super omnia et operosa proximi dilectio ».

Hoc autem fit tantum per transennam ...[5]. Nonne fas est Concilium nostrum, quod finem tum oecumenicum, tum pastoralem sibi imposuit, cum de sanctitate ex professo sermonem instituit, virtutum reginam ita eloquenter extollere ut compertum sit omnibus hominibus, in Ecclesia catholica, prae omnibus aliis virtutibus sanam activitatem humanam elicientibus, caritatem, iure et facto, primatum tenere?

4. Ad religiosos autem quod attinet, circa consilia, qua evangelica, textus, aliqua cum prolixitate, delectatur; verumtamen, in votis est ut consiliorum vera et genuina praxis a religiosis tenenda componatur sive cum christianorum laicorum ad sanctitatem progressu magis magisque in dies augescente, sive etiam cum hominum huius temporis mentalitate ita ut vita religiosorum, sine ambiguitate aliqua, ut signum sanctitatis, et quidem eximiae, in Ecclesia, « pro mundi vita », appareat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Parcite mihi, Patres, si ad ea quae circa cap. IV iam fusius prolata sunt, nomine plus quam 30 Patrum ex Lusitania aliisve nationibus, adnotationes quasdam adiicere audeo. [2] Si de sanctitate agitur, quis nobis est via? Nonne Christus Dominus? Et in hac sanctitatis via, quis nobis est veritas? Nonne adhuc ipse Christus? Immo, quis nobis est vita? Nonne semper Iesus Christus Dominus noster? [3] igitur. [4] deest. [5] Cum autem scientia sit « cognitio rei per causas » et in textu indicentur, tamquam formalis et finalis causae sanctitatis, amor Dei super omnia et operosa proximi dilectio,

miror quod de hoc duplici amore obiter tantum et non enucleate disseratur. Nonne pulcherrima caritatis doctrina a S. Paulo in *1 Cor.* 13 nobis tradita, ut totius tractationis fulcrum adhibenda esset? Etiam meminisse iuvat disquisitionis de caritate, in iudicio finali faciendae, ut constat ex cap. XXV S. Matthaei, omnes vitae semitas illustrantis.

Animadversiones additae:

1. Nonne, in capitulo de sanctitate ex professo tractante, debet Concilium nostrum, qui sibi finem tum oecumenicum tum pastoralem imposuit, explanationem facere de caritate ita ut compertum sit omnibus hominibus, et quidem eloquentissime, in Ecclesia Christi, caritas, prae omnibus aliis virtutibus, primatum iure et facto tenere.

2. Quia textus de caritate fere silet, per duas tertias partes, circiter, sermonem facit de consiliis evangelicis; quod consentaneum non videtur cum « universali ad sanctitatem vocatione » a qua caput incipit et suam propriam finalitatem assumit.

3. Etiam non opportunum videtur in hoc eodem capite expositionem, et quidem sat copiosam, facere de iurisdictione hierarchiae Ecclesiae circa religiosos, quod n. 34, modo aliquantulum subrepto, fit.

4. At contra, videtur quod, cap. IV perlustrato, definitionem, saltem descriptivam, laici christiani, praeeuntibus exc.mis DD. Morcillo et Ménager, de novo et maiori cum amplitudine, conficere possimus. Ea quae conatus sum exprimere, brevitatis causa, secretariatui generali tradam.

[*Subscripserunt*] Xav. Geeraerts, ep. tit. Lagania; Ioannes Mazur, ep. tit. Bladiensis; Stanislaus Jakiel, ep. tit. Tanagra; Othon Motta; Ioseph de Almeida, ep. Septemlacunensis; Manuel Maria, arch. tit. de Cizico; Antonius Cardoso Cunha, ep. aux. de Beja; Franciscus, bispo de Quelimane; Franciscus, ep. Faro; Manuel, ep. Aveirensis; Juston Simonds; Ioannes Ruth, vic. ap. Trontheim; P. A. Kobayashi, ep. Sendaiensis; Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus; Ioseph, ep. tit. Aegeaensis.

Moderator: Ut mihi videtur, venerabiles Patres, repetitiones in ultimis orationibus videri possunt; enixe rogo Patres ut omittant repetitiones.

12

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Venerabiles Patres conciliares,

Sacra Synodus optime facit in omnium fidelium mentem revocando quod sanctitas quae est « amor Dei super omnia et operosa proximi dilectio » est *verum* [1] mandatum a Christo Domino pro omnibus proclamatum, non tantum pro aliqua populi Dei portione, nam *omnes qui* [2] « ex aqua et Spiritu Sancto renati » *facti sunt* [3] « divinae consortes naturae » ...[4], debent « ut filii lucis ambulare... in dilectione sicut Christus

dilexit nos », *ut ait Paulus.*[5] « Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei » ...[6]. Porro, *cum filii aetate ac viribus sint inaequales, ab eis non potest exigi idem munus, idem exitus, eadem perfectio in adimplendo officio.*[7] Mihi liceat *aliqua*[8] proponere.

1. In n. 30, pag. 19 (De multiformi unius sanctitatis exercitio) ...[9]. Optarem ut *a*) in exhortatione ad sacerdotes ...[10] post verba: « In uno eucharistico sacrificio coniunguntur », addantur « ad personalem sanctificationem sedulo ac constanter attendentes, ministerium suum... adimpleant ». *Nam sine sanctificatione personali, omne ministerium alacri et constanter adimpleri nequit.*[11] Sic enim in Veteri Testamento *et praesertim in Novo, Christus ipse semper exegit a suis discipulis sanctitatem.*[12] « Et ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate » ...[13] *Idem monuerunt apostoli*[14]: « Admoneo te ...[15] ut resuscites gratiam Dei ...[16] », « Attende tibi ...[17] ».

b) In verbis ad coniuges et parentes *faciendis,*[18] in lin. 18, post verba: « prolem a Deo amanter acceptam », addantur haec sequentia vel alia: « Doctrinam revelatam per se et per alios rite apteque edoceant ». *Et*[19] post verba « virtutibus imbuant », adiungantur « beatosque sese existiment si Deus e gremio familiae, aliqua membra in suum servitium vocare dignetur » ...[20].

Moderator: Exc.me Pater, haec diversimode iam dicta sunt.

Orator: *Et cum in hac aula iam audivimus multoties querimonias de penuria vocationum, puto quod educatio in familia esset ita opportuna et necessaria ut debeamus in hoc schemate insistere.*[21]

...[22] (De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis). *Puto quod in fine paragraphi primae possumus addere explicite, quando agitur de exercitio omnium virtutum, explicite facere mentionem de fide et spe.*[23]

Moderator: Etiam haec diversimode iam dicta sunt.

Orator: Et bene. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quotquot. [3] effecti. [4] filii Dei et fratres Christi nominantur et sunt. [5] et tradidit semetipsum pro nobis » (*Eph.* 5, 2. 8). [6] (*Rom.* 8, 14). [7] a filiis aetate, viribus inaequalibus, non eadem exiguntur, vel idem, sed non eodem gradu et mensura. [8] aliquas observationes humiliter. [9] Ordo exhortationis ad sanctitatem ibi est: ad sacerdotes cum ministris et laicis electis — coniuges et parentes — ceteros christifideles. Nonne melius poneretur exhortatio ad simplices christifideles omnes ante coniuges et parentes: hi enim inter christifideles simplices inveniuntur. Praeterea. [10] in lin. 7. [11] deest. [12] Deus a sacerdotibus semper exigebat: « Sancti estote quia ego sanctus sum » (*Lev.* 11, 44; 19, 3; 20, 26; 31, 8); in N. T. Christus ipse idem declaravit. [13] (*Io.* 17, 19). [14] deest. [15] ait Paulus ad Timotheum. [16] quae est in te per impositionem manuum mearum. Collabora

Evangelio secundum virtutem Dei » (*1 Tim.* 1, 6. 8). [17] et doctrinae » (*1 Tim.* 4, 16). Item S. Petrus: « Seniores obsecro, pascite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo » (*1 Petr.* 5, 1-3). [18] deest. [19] necnon in lin. 19. [20] Ratio est quia generatim dechristianizatio vel animarum zeli defectus ab ignorantia divinae doctrinae proveniunt, ut saepe notaverunt S. Pontifices, ut S. Pius X et alii, ac saepe saepius parentes aut sese impares ad eam tradendam existimantes, necnon de futura prolis sociali conditione nimis praeoccupati, eius religiosam instructionem omnino negligunt aut sacerdotibus unice relinquunt. [21] In aula conciliari, quoties audivimus de religiosarum vocationum penuria conqueri. Porro quisnam locus magis naturalis aptiorque, unde oriuntur, consolidantur ac firmo gressu progrediuntur vocationes, quam familia vere christiana quando de suis gravibus officiis prolis educandae bene ac profunde conscia, nobile munus prolis a Deo sibi commissae et ad titulum filii Dei, testis Christi, civis sanctorum vocatae, rite adimplet! [22] N. 31. [23] Optime a schemate declaratur caritas Dei esse et forma et finis sanctificationis necnon varia media ad eam conservandam et augendam. Attamen virtutes quae caritatem ad augmentum, sustentationem et perseverantiam, necnon eam semper praecedunt et concomitantur, sunt fides et spes: etenim animos disponunt ad sacramenta et sacramentalia maiori cum fructu suscipienda, ad mandata intensiori cum fervore alacrique constantia observanda, proinde S. Scriptura earum dignitatem et necessitatem saepissime exaltat. Propterea inter media ad acquirendam et augendam caritatem specialem mentionem mereri videntur.

Sufficiat aliqua exempla ex utroque testamento depromere.

a) In V. T. « Credidit Abram Deo et reputatum est illi ad iustitiam » (*Gen.* 15, 6).

b) In N. T. Christus fidem semper exegit priusquam miraculum patraverit vel peccatorum remissionem dederit: « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti... Credo Domine, adiuva incredulitatem meam » (*Mc.* 9, 22-23). « Tu credis in Filium Dei? », ait ad Martham (*Io.* 9, 35). « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (*Mc.* 16, 16). Audiamus S. Paulum. Apostolus fidei exemplum Abrahae repetens, addidit: « Qui contra spem in spem credidit » (*Rom.* 4, 3, 18). « Tantum digne Evangelio Christi conversamini... ut in Deum credatis sed ut etiam pro illo patiamini » (*Phil.* 1, 27. 29). « Nos enim spiritu, ex fide spem iustitiae exspectamus » (*Gal.* 5, 5).

Non aliter locutus est Ioannes apostolus caritatis. « Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei?... Hoc est mandatum eius ut credatis in nomine Filii eius I. C. » (*1 Io.* 3, 13; 5, 13).

Primam primi Papae, S. Petri encyclicam si legimus, ibi videmus apostolum fideles ad sanctitatem energice invitasse per fidei et spei exercitationem, eo fine ut eorum cor erigeretur inter persecutionum difficultates necnon ad perseverantiam in patientia induceretur ex desiderio vitae aeternae.

« In virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in novissimo... in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus; ut probatio vestrae fidei... inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione I. C. quem cum non videritis, diligitis, in quem nunc non videntes creditis; credentes exultabitis laetitia inenarrabili... » (*1 Pet.* 1, 5-8).

Numquid nostris temporibus non minoribus difficultatibus valde intricatis, in quibus incessanter eveniunt calamitates, bella, timores, persecutiones, priva-

tiones, angustiae..., nobis nonne erit magno auxilio atque efficaci incitamento, si in clariorem lucem ponantur fides et spes? Undenam tam frigescit mundus hodiernus in christiana vita, unde tantae apostasiae, unde tantae difficultates in apostolatu, necnon in conversione paganorum, licet in variis scientiarum et technicae campis tanti progressus admirabiles acquirantur, nisi quia fides, spes, caritas, apud nostros fideles valde diminuuntur?

Unde proponere audeo ut post verba « augetur et crescit » pag. 20, lin. 1, addatur: « maxime fidei, sine qua " impossibile est placere Deo " (*Hebr.* 9, 6) et Spei in Deo, sicut Abraham " contra spem in spem credidit " (*Rom.* 4, 18) ».

13

REV.MUS P. D. LEO VOLKER
Superior generalis P.A.

Venerabiles Patres,

...[1] In cap. IV quaedam mentio fit de sanctitate sacerdotali, et de sanctitate religiosorum et laicorum, sed nihil dicitur de sanctitate, quae vitae missionariae propria est. Immo in conclusione capitis, in art. 36, in quo variae religiosorum navitates enumerantur, omnino siletur activitas missionaria proprie dicta...[2]

Unde [3] de forma sanctitatis apostolica paucis verbis nunc agemus: ...[4]

1. Vocatio missionaria, quae est vocatio specialis a Deo suscitata et charismate donata, consistit in dedicatione sui ad opus evangelizationis, quod eo tendit, ut inter coetus non-christianos Christus annuntietur et Ecclesia aedificetur. Haec vocatio cohaeret cum intima natura Ecclesiae, utpote quae missa sit ad praedicandum Evangelium omni creaturae...[5]

Inde ab exordiis Ecclesiae functio missionalis exercita est praecipue ab iis, quos Spiritus Sanctus segregavit ad hoc opus evangelizationis ...[6]. Vocatio specifice missionaria in luce ponitur a S. Paulo, qui ad Galatas scribit: « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes »...[7] Quibus verbis agnoscit vocationem missionariam specialem, qua quis a Deo charismate donatur eo consilio, ut aptior evadat ad evangelizandum talem vel talem hominum coetum religione vel moribus vel cultura determinatum, secluso tamen omni monopolio, geographico vel ethnico.

In Novo Testamento extant exempla huius vocationis specifice missionariae, distinctae tam a ministerio presbyterorum atque diaconorum quam a vocatione virginum et continentium. Memorari possunt Philippus, unus e septem diaconis ...[8], Paulus iique omnes, qui cum eo laboraverunt in Evangelio ...[9]. Vocatio ergo missionaria est segregatio ...[10] seu consecratio ad opus evangelizationis: nostris diebus haec vocatio, votis

vel iuramento firmata, ab Ecclesiae auctoritate recognoscitur et praeprimis sancitur in Institutis Missionariis.

2. Instituta missionaria constituunt statum vitae christianae specialem, quo sodales ad peculiarem sanctitatis formam a Deo vocantur. Vita Christi per Ecclesiam continuatur et manifestatur ab aliis aliter, cum investigabiles sint divitiae eius ...[11] Per missionarios *vita apostolica* Christi regnum Dei annuntiantis continuatur et manifestatur secundum *virtutes,* quas Christus in *vita sua publica* exercebat. Flagrat enim in missionariis *zelus* apostolicus Christi emanans ex illa caritate, quam ad instar Christi pernoctantis *in oratione Dei* ...[12] nutriunt.

Segregatio ad opus Evangelii requirit, ut missionarii abdicatis saecularibus negotiis ...[13] et relictis omnibus ...[14], *pauperem* sicut Christus ducant vitam.

Deinde[15] ut « sine impedimento » ...[16] verbo Dei unice deserviant, *castitati perfectae* sese dedicant.

Cum evangelizatio sit opus Ecclesiae *collegiale,*[17] vinculo *oboedientiae* se ligant, ut sint parati et prompti « ire in omnem civitatem et locum »...[18]

Omnibus omnia facti, ut omnes faciant salvos ...[19] cupide volunt tradere non solum Evangelium Dei, sed etiam animas suas ...[20]. « Communicantes Christi passionibus » ...[21] iacturam vitae et *martyrium* pro Christo libenter suscipiunt e manu Dei, *mortificationem* Iesu in corpore suo circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur...[22]

Opus facientes evangelistarum ...[23] *abnegationem sui* adeo prosequuntur, ut parati sint Ecclesiis novellis conditis omnia hierarchiae locali relinquere et alio transire, ubi Christus adhuc ignoratur.

Sanctitas ergo in Institutis missionariis acquirenda, fine proprio, scil. evangelizatione, determinatur.

3. *Et*[24] sic constituitur *status vitae missionariae* ...[25] particularis, tum quatenus missionarii directe et principaliter sese consecrant evangelizationi qua tali, ex qua desumunt necessitatem virtutum apostolicarum et ideo consiliorum evangelicorum, quae supra memoravimus; *etiam*[26] quatenus ...[27] participant de missione et caritate episcoporum, quod attinet ad totius mundi evangelizationem, cui missionarii ex toto sese dedicant.

Sane tota Ecclesia ex natura sua et ex mandato Domini missionaria est. Cum tamen Ecclesia sit hierarchice constituta, collegio episcoporum cum Petro concredita est ordinatio evangelizationis. Missionarii, qui vi vocationis et chrismatis sese totos illi operi dedunt, cooperatores sunt ordinis episcopalis ...[28] et iuramento sese mancipant Summo Pontifici, collegii episcoporum praesidi.

Unde tradam secretariatui aliqua proposita ad emendandum textum huius capitis.[29] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Nomine sex Institutorum Missionariorum et nomine 20 episcoporum loquar. [2] Nobis optandum esse videtur: 1. ut in hoc capite martyrium, illa primordialis ac summa forma sanctitatis, expresse laudetur; 2. ut vitae contemplativae praestantior locus concedatur; 3. ut sanctitas sacerdotalis pressius definiatur; 4. ut inter ceteras formas sanctitatis memoretur forma apostolica, quae Institutis Missionariis acquirenda proponitur. [3] deest. [4] 1. Vita missionaria in Ecclesia est vocatio peculiaris a Deo suscitata et charismate dotata; 2. Haec vocatio missionaria secum fert necessitatem prosequendi formam sanctitatis specialem; 3. Status vitae missionariae, distinctus a statu cleri saecularis et a statu religioso, mancipatur operi evangelizationis, quod apostolorum successoribus concreditum est. [5] (cf. *Mc.* 16, 15). [6] (cf. *Act.* 13, 2). [7] (*Gal.* 2, 8). [8] (cf. *Act.* 21, 8). [9] (cf. *Phil.* 4, 3). Post mortem apostolorum Didachè de vocatione specifica missionaria testimonium affert (*Didachè* 4, 4). Eusebius Caesariensis in Historia Ecclesiastica (3, 37, 2-3) laudat permultos illos discipulos primaevae Ecclesiae, qui amore Verbi divini accensi, bonis suis distributis patriaque relicta, opus evangelistarum (cf. *2 Tim.* 4, 5) faciebant, ut Evangelium traderent iis qui verbum Dei nondum audierant. Fundamenta fidei inter exteros ponebant et pastores ibi constituebant, quibus curam Ecclesiae concredebant; ipsi vero his dispositis ad alias gentes evangelizandas transibant, gratia et auxilio Dei muniti. [10] (cf. *Gal.* 1, 15). [11] (cf. *Eph.* 3, 8). [12] (cf. *Lc.* 6, 12). [13] (cf. *2 Tim.* 2, 4). [14] (cf. *Mt.* 19, 27). [15] deest. [16] (*1 Cor.* 7, 35). [17] deest. [18] (cf. *Lc.* 10, 1). [19] (cf. *1 Cor.* 9, 22). [20] (cf. *1 Thess.* 2, 8). [21] (*1 Petr.* 4, 13). [22] (cf. *2 Cor.* 4, 10). [23] (cf. *2 Tim.* 4, 5). [24] deest. [25] qui est. [26] tum. [27] missionarii. [28] (cf. *Pontificale Rom.*, Ord. Presb.). [29] Unde mihi liceat sequentia proposita facere ad emendandum textum:

Pag. 20, lin. 16: tria praedicta consilia, *simul cum aliis consiliis evangelicis,* ab Ecclesia enixe commendantur, propter eorum ad sanctificationem *propriam,* momentum atque pondus *et ratione eorum efficacitatis apostolicae,* praesertim quia christiani per eorum praxim ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt.

Pag. 20, lin. 28: gaudet autem Ecclesia plures in sinu suo inde ab antiquitate exstitisse ab ea laudatos *apostolos,* anachoretas, continentes, virgines ac viduas.

Pag. 20, lin. 35: optime dicitur quod a dilectione Dei defluit ipse proximus amor, qui est fons et anima activitatis apostolicae, sed optarem ut adderetur quod ex statu missionali defluit obligatio sanctitatem apostolicam acquirendi. Unde propono ut addantur in fine par. 33 haec verba: « Cum ex alia parte fecunditas operis apostolici dependeat a sanctitate apostolica operariorum in via Domini, hi continuare et manifestare debent vitam Christi apostolicam modo eminenti exercendo virtutes Christi et quidem speciali modo virtutes zeli supernaturalis, paupertatis, castitatis, obedientiae et abnegationis sui ».

Pag. 22, lin. 17: peculiari enim vocatione sua constituti sunt validi et propinqui Sacrae Hierarchiae ac ministrorum cooperatores (necnon) fidelium adiutores in regno Christi provehendo et stabiliendo *necnon missionem saepe receperunt ab Ecclesia, vi eorum constitutionum, evangelium praedicare non-christianis, ut Ecclesia sic possit adimplere praeceptum ei datum a Christo*: *euntes docete omnes gentes.*

Pag. 22, lin. 40: ... consilia enim, in caritate et secundum cuiusque persona-

lem vocationem suscepta, ad affectuum humanorum purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant, *missioni apostolicae Ecclesiae prosunt, immo necessaria sunt,* variis modis humanae societati promovendae prosunt, et praesertim ad vitae genus, quod pro se elegit Christus Dominus, quodque Mater eius virgo subsecuta est, hominem christianum magis conformant.

Pag. 23, lin. 11: meminerint ergo omnes peculiariter vocati, suum esse commune in caritate officium ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies melius commonstret *tam fidelibus quam infidelibus,* vel in monte contemplantem, vel ad turbas concionantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, vel denique omnibus benefacientem.

Pag. 23, lin. 19: quoniam vero omnes fideles ad sanctitatem spiritu evangelico prosequendam tenentur, unusquisque sedulo curet, ut in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad maiorem gloriam Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar, et ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem *et fecunditatem.*

14

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis

Venerabiles Patres,

Praemitto me locuturum esse circa cap. IV schematis de Ecclesia, i. e. de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, nomine 25 Patrum Concilii.[1]

Laudandum omnino est quod luculenter in schemate nostro proclamatur omnes fideles ad sanctitatem vocari: hoc enim fini pastorali huius Concilii plene correspondet.

Attamen ut finis iste melius assequi possit, adhuc clariore in luce ea quae dicuntur ponenda esse videntur; si enim necessariae distinctiones clare non proponentur, confusio oriri potest et fideles non intelligent quomodo ad sanctitatem tendere possint et debeant, unusquisque secundum suam propriam vocationem et statum. Sequentes ergo liceat humillime animadversiones facere:

1. Dictum est in aula ea quae ad vocationem omnium ad sanctitatem referuntur non debere transferri ad caput de populo Dei. Argumentum adductum est quod secus confusiones fierent et duobus in locis sermo esse deberet de consiliis evangelicis.

Nunc vero ostendendo radicem ultimam vocationis ad sanctitatem esse in nostra incorporatione in Corpore mystico, ostendatur in schemate cur et quomodo singula membra Corporis mystici diversimode ad sanctitatem tendere debeant, scil. secundum functionem unicuique propriam

in Corpore mystico, hoc est, secundum statum seu vocationem divinitus sibi factam.

Si res vero secundum haec principia proponentur, tunc etiam clare dignoscetur eos, qui a Christo vocantur ad profitenda consilia evangelica, statum constituere praestantiorem, qui sic disponente voluntate divina, ad Ecclesiae structuram quodammodo pertinet. In schemate actuali vero, secundum meum humile iudicium, statui religiosorum iustus locus minime datur, nec eius praestantia, qua status est, clare proponitur.

2. Ut negaretur statum religiosum quodammodo pertinere ad structuram Ecclesiae, dictum est ex institutione divina duos tantum dari status, hierarchicum nempe et laicalem. Quod verum est; sed alius aspectus considerari potest. In Ecclesia enim — si eius mysterium consideramus — ex Christi Fundatoris consilia proponentis voluntate et providentia, christifideles dividuntur in aliam duplicem categoriam seu statum: eorum nempe qui ex invitatione Christi ad praxim effectivam et totalem consiliorum eliguntur et vocantur et eorum qui ad hunc statum non vocantur.

Si status eorum qui consilia effective profitentur superior de se est, hoc nullo modo significat quod religiosi contendere possint se monopolium sanctitatis habere; sanctitas enim propria dici potest omnium qui pervenerint ad perfectam adimpletionem munerum proprii status.

3. Denique dicitur periculum adesse quod religiosi pro sua personali et individualistica perfectione adlaborant. Re quidem vera religiosi in sua vita etiam spiritum ecclesiologicum habent et ostendunt. Vita religiosa enim in hoc consistit quod illi qui consilia evangelica profitentur et Christo pauperi, virginali, et oboedienti se devovent, ita se gerunt ut vitae Christi intimius adsocientur et per eorum holocaustum operi Christi Redemptoris pro totius mundi salute pressius participent.

Ceteroquin et principium ipsum de valore holocausti vitae religiosae pro bono Ecclesiae et factum visionis ecclesiologicae apud religiosos clarissime elucent: *a*) ex eo quod actio missionaria et diffusio evangelii in mundum universum principaliter a religiosis facta est et adhuc fit; *b*) ex eo quod S. Teresia a Lisieux, etsi claustralis, a Pio XI solemniter Patrona missionum declarata est.

Conclusio. a) Auspicandum est ne in schemate de valore holocausti religiosorum pro bono universalis Ecclesiae modo insufficienti sermo fiat. *b*) Tandem optandum est ut designetur religiosis in constitutione *de Ecclesia* ille locus qui eis ab Ecclesia semper fuit agnitus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Locutus est etiam nomine PP. DD.*] Crist. Terzi, Dom. Capozi, Bonav. Uriar-

te, Aloisius Arroyo, Cael. Fernandez, Dam. Laberge, Fel. de Cunha Vasconcellos, Pac. Scozzina, Emm. Romero, Ios. Arango, Leon. Rodriguez Ballón, Pius Crivellari, Alanus Leroy, Raph. Radossi, Vict. Costantini, Franc. Mazzieri, Dav. de Souza, Ven. Filippini, Bon. Bertoli, Ioann. Niccolai, Petron. Lacchio, Alf. Ferroni, Henr. Pintonelli, Franc. Aldegunde.

15

Rev.mus P. D. IOANNES PROU
Superior generalis Congr. Gallicae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Cap. IV de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et, ni fallor, totum schema de Ecclesia[1] fere totaliter silet de Ecclesiae oratione propria, scil. liturgica, positivum ipsius sanctitatis adspectum manifestante; silet de laude divina ad quam tandem tota ordinatur ita ut aliqui eam appellare potuerunt « societas divinae laudis ». Optime dicitur Ecclesiam salvare et sanctificare homines: non satis, meo saltem humili iudicio, proclamatur modus prior validiorque huius operis salvifici qui est oratio ipsa Ecclesiae, necnon finis eiusdem operis, nempe constituere veros Patris adoratores in spiritu et veritate. Optarem ergo ut Ecclesia praesentaretur etiam ut « perfecta perpetuaque orans », quo titulo fit orationis sanctitatisque exemplum et magistra, *et omnes filios suos ad sanctitatem obtinendam efficaciter adiuvat.*[2]

...[3] Quod modo specialissimo fulget dum Ecclesia religionis vota accipit et consecrat. Tractando de statu religioso, schema videtur professionem religiosam reducere ad actum moralem et iuridicum subiecti qui se Dei servitio mancipat, nulla pene intentione facta ad actum divinum seu potius ad actum Ecclesiae in nomine Dei agentis, quae, profitentis vota suscipiens eum Domino Deo consecrat, visibili namque consecratione per signa exteriora huic statui propria, et invisibili per obtentionem gratiae divinae eidem statui adnexae et omnino necessariae.

Traditio perantiqua monachorum, e contra, nitidissime distinguit in professione religiosa duplicem actum: unum actum subiecti sese Deo offerentis, alium actum Ecclesiae quae, nomine Dei, oblationem accipit, contractum sancit et ipsum professum in statu perenne consecrationis instituit. Hic Ecclesiae actus tum a monastica traditione, tum a Pontificali romano vel ab antiquis libris sacramentorum, « consecratio vel benedictio » appellatur. Non quidem quod sit verum sacramentum, sed verum sacramentale: immo ad modum perennis sacramentalis conditiones totius vitae ipsius professi elevat. Schema non memorat nisi actum moralem

professi seipsum voventis, et actionem iuridicam tum ipsius professi, tum Ecclesiae professionem accipientis.

Dolendum esset si ne verbum quidem faceret de stricta religiosi consecratione ab ipsa Ecclesia, per orationem publicam et liturgicam, operata, quae voventem positive Deo ordinat, sanctificat et supernaturali adiutorio ditat quod, per modum operantis Ecclesiae, si professus obicem non ponit, efficacitatem perenniter *in tota sua vita*[4] servabit.

Unde humiliter propono *duas additiones faciendas in cap. IV quas brevitatis causa scripto tradam exc.mo secretario generali.*[5]

Hanc occasionem nactus optarem etiam ut, loquens de vocatione ad sanctitatem in hoc cap. IV, Concilium locum specialem tribueret illi formae vitae religiosae quae principaliter ad vitam contemplativam consecratur, in Ordinibus tam virorum quam mulierum. Tali enim vocatione contemplativa maxime manifestatur munus latreuticum Ecclesiae simulque opus salutis generis humani efficacissime adimpletur.

Ceterum toto corde assensum praebeo iis quae pulcherrime dixit exc.mus D. Martin, arch. Rothomagensis.[6] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Schema *de Ecclesia* plura et pulchra de eius unitate, apostolicitate et catholicitate declarat. De vocatione ad sanctitatem membrorum Ecclesiae etiam tractatur. Sed pauca tantum innuit de ipsius Ecclesiae sanctitate quae tamen inter notas praecipuas constitutionem Ecclesiae integrantes, maxime praefulget. Inde etiam idem schema. [2] deest. [3] Talis defectus vividius adhuc oculos offendit in cap. IV de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia. Affirmatur quidem, et bene, illa vocatio universalis christianorum prout a Christo data est, qui etiam illius fuit perfectum exemplar. Non videtur postea tacendum Ecclesiam ipsam, non solum hanc vocationem filiis suis transmittere, sed et ipsam illis eximiae sanctitatis exemplar praebere, necnon ad sanctitatem filiorum suorum obtinendam perpetuo, tum doctrina et exemplo, tum etiam sua prece perpetua, efficaciter cooperari. [4] deest. [5] sequentes additiones ad textus nn. 29 et 34 schematis: 1. Ad n. 29, pag. 18, post lin. 25: « Ipsa etiam Christi Ecclesia sancta est, non tantum quia fide, spe et caritate in hac terra ipsi et soli Deo inamissibiliter adhaeret, sed quia, mandatum et exemplum Sponsi sui fideliter obsequens, ipsa est perfecta perpetuaque orans, et incessanter publica sua prece laudem Domini proclamat. Unde Ecclesia sancta non tantum filios suos ad sanctitatem invitat, sed et ipsos ad eandem sanctitatem generat per baptismum, in eis sanctitatem nutrit, accrescit aut reparat per alia sacramenta ipsi a Christo commissa. Insuper Ecclesia oratione sua publica, gratias et dona pro hominibus implorat, ipsosmet vel res eis inservientes ad Dei servitium ita exclusive consecrat ut non solum segregantur a quolibet usu profano, sed positive et supernaturaliter aptantur ad opera gratiae et ad cultum sive laudem Dei peragendum. Hac eadem prece omnibus fit orationis perfectae et sanctitatis eximiae exemplar et magistra. Cum gaudio tandem filios suos, qui per totam vitam virtutibus orationibusque claruerunt, in albo sanctorum collocat ut perpetuos vividosque suae sanctitatis testes ». 2. Ad n. 34, pag. 22, lin. 7: « Non tamen statum illum Ecclesia sanctione

iuridica tantum et canonica sancit, sed et liturgica: ministerio enim praelati vel sacerdotis evangelica consilia profitentes in nomine Domini suscipit, prece sua publica eis dona et auxilia, quae ad perfectionem adquirendam necessaria sunt, a Deo postulat, eos denique sollemniter benedicit, sive iuxta perantiquum ritum benedictionis monachorum vel consecrationis virginum, sive ritu simpliciore qui, ad instar cuiusdam perennis sacramentalis totam religiosae vitae conditionem sanctificat, oblationem factam eucharistico sacrificio saepe adsocians ». [6] deest.

16

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Venerabiles Patres,

Hoc capite finem ponimus tractationi *de Ecclesia.* Quas et quales novitates audivimus! Omnes ad Ecclesiam vocantur; omnibus panditur ianua ut non tantum in Ecclesiam veniant sed in ea vivant, agant et se sanctificent! Verba prolata sunt ad longiores, scil. ad paganos; dulcissima verba ad propinquiores, scil. ad separatos; omnes ad unitatem vocantur nobiscum! Fratres separati, in hac aula, sunt introducti; nunc postulatur ut et ipsi loquantur! Immo et mulieres, et plus quam millenario « mulieres in Ecclesia sileant » detentae, in hisce sessionibus invocantur (et non ad parandam rubiaceam potionem vulgo « caffè » vel « cappuccino »!. Tamen...

Moderator: Loquaris, quaeso, ad cap. IV.

Orator: Ad conclusionem deveniam. Tamen Ecclesia oblivisci non potest sacerdotes qui defecerunt in via et ab ea, sit venia verbo, tenentur in aliquo inferno excommunionis in quo nulla salus nec spes salutis. Et sunt fratres nostri, et eamdem fidem profitentur! Pro originali peccato habemus remedium; pro illorum culpa nihil habet Ecclesia? *Sanctitas est etiam pro ipsis.*[1] Et quot et quales vires amittimus!

Nullam ideam concretam hodie propono: suo tempore proponam. In praesenti tantummodo dicere vellem Patribus: aperite corda vestra ad horum nostrorum fratrum angustias; orate, cogitate in Domino et aliquid pro illis faciamus, sunt enim, pleno iure, noster proximus uti nemo est; et potius quam in inferno excommunionis, illos ponamus in aliquo purgatorio ubi ipsi, sibi, nobis et Ecclesiae sint utiles. Aperite corda, aperite brachia, estote Patres, veri Patres, ne in itinere suo umbroso tantummodo inveniant malos et necessaria subsidia a malis accipiant qui illos, nos et Ecclesiam humiliant.

Uno verbo: si per Concilium spes omnibus arridet, et ipsis arrideat; et Concilium nostrum sit eis saltem initium salutis! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Michelato (Italia); Kinch (Africa); Zioni (Brasil); Ungarelli (Brasil); Pesce (Brasil); Casullo; P. Carretto; G. M. Coderre; Mario di Lieto.

Animadversiones additae:

1. Sanctitas, ut in schemate proponitur, est potius formalistica quam realistica (non loquor de forma scholastice accepta!...), nam sanctitas quae fere unice praesentatur est sanctitas moralis; sed ipsa substantia sanctitatis non est moralitas actionum, sed praesentia ipsius Christi, seu gratia, in omnibus actionibus. Unde oporteret, meo humili iudicio, tali modo dicere ut clare appareat sanctitatem esse in vita gratiae cuius moralitas actionum est veluti forma externa et fere probatio interioris sanctitatis. Hoc modo facilius ad sacramenta omnes vocare possumus uti ad fontes gratiae et sanctitatis.

2. Abest ratio clara et evidens cur quis ad perfectionem tendere debeat (in primo capite, ni fallor, aberat ratio parallela, ut ita dicam, scil. cur quis in Ecclesiam Christi ingredi debeat). Exhortatio Patrum Conciliarium non est ratio et multo minus ratio sufficiens; semperque, saltem in minus instructis, ideam gignere posset agi de consilio non vero de stricta obligatione. Tamen, ex verbis constitutionis quae consilium Dei ostendere debent et quidem omnibus, fidelibus et infidelibus, clare apparere debet quod quis tantummodo in Ecclesia Christi perfectionem attingit ad quam Deus vocat homines omnes; et in Ecclesia Christi, tantummodo qui perfectionem attingit, seipsum perficit ex toto (si realizza!) tum in ordine naturae tum in ordine gratiae.

3. Ad paupertatem quod attinet, etsi forte ad extremum non sit deveniendum, uti in hac aula audivimus elapsa die, bonum esset considerare quid de nobis dicit populus noster christianus, ad vestes, aedes et currus praesertim quod attinet.

Spiritus Sanctus, uti dictum est, ephemerides non legit; tamen omnibus notum facio — et notitia est utilis — quod in illis diebus in quibus in hac aula tam clare et aperte de Ecclesia pauperum disserebatur, ephemerides quaedam istius civitatis sub duplici columna quaestionem hoc modo lectoribus proposuit: in prima, sermones patrum paupertatem extollentes, in altera pretium crucis pectoralis, anuli episcopalis et aliorum nostrorum ornamentorum, necnon pretium diarium (diaria) cuiusdam hospitalis domus (vulgo hotel) ubi aliqui Patres conciliares inveniuntur!

Haec dixi, non quia omnia prorsus reicienda, sed moderanda saltem videntur; at videant Patres!

De schemate Ecclesiae noviter disponendo.

Cum huius Sacrosancti Concilii Patrum suffragio statutum sit ut de B. Virgine in schemate *de Ecclesia* disseratur, consequenter materia constitutionis de ipsa Ecclesia, multis de causis, noviter disponenda et integranda videtur ut sequitur vel alio meliori modo:

Introductio.
Caput I. De Dei Patris aeterno consilio eiusque temporali exsecutione.
seu De mirabili totius Ecclesiae sacramento.
Caput II. De Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.
Caput III. De Spiritu sancto ac de sanctitate.
Caput IV. De Deipara Virgine Maria.
Caput V. De ministris Dei et Ecclesiae.
Caput VI. De consiliorum evangelicorum sectatoribus.
Caput VII. De christifidelibus.
Caput VIII. De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis.
Conclusio.

Rationes et emolumenta:

a) Nominantur tres divinae Personae, ideoque et causa efficiens, finalis et exemplaris Ecclesiae. Ecclesia enim est, sub invisibili et visibili Patre, in Christo congregatio filiorum, Spiritu Sancto adunatorum, sanctificandorum in dies ac salvandorum, seu « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata » (S. Cypr.);

b) Introducto capite de D. N. I. C. ante cap. de B. Virgine, utriusque debite illustratur locus etc.; de B. Virgine congrue disseritur, loco et mensura (ratio pastoralis et oecumenica);

c) Spiritus Sanctus apparet ut causa et anima totius Ecclesiae omniumque vocationum et sanctitatis;

d) Membra hierarchiae, religiosi et laici aptioribus et sibi propriis distinguuntur appellationibus; religiosi non miscentur laicis; laici non illo vocantur nomine improprio et profano, sed consueto, sicut cum sermo est de fidelium sensu.

De vocatione ad sanctitatem.

Pulchra et quidem multa, mihi videntur contineri in hoc capite; sed et defectus non paucos video, quique alii sunt proprii, alii vero communes, scil. totius schematis.

Defectus proprii:

1. Abest prorsus « ex integro » quaestio praecipua totius capitis, scilicet: « quid est sanctitas?... ».

2. Sanctitas est de essentia Ecclesiae, ergo locus proprius est in primo non in novissimo capite, quasi in appendice!

Et fortasse quidam, ex hoc facto, concluderet sanctitatem in Ecclesia esse aliquid periphericum vel saltem minoris momenti.

3. Abest ratio clara et evidens cur quis ad perfectionem tendere debeat (in primo capite, ni fallor, abest ratio parallela, ut ita dicam, scilicet, cur quis in Ecclesiam Christi ingredi debeat!).

Exhortatio Patrum conciliarium non est ratio et multo minus ratio sufficiens; semperque, saltem in minus instructis, ideam gignere posset agi de consilio non vero de stricta obligatione.

Tamen, ex verbis constitutionis quae consilium Dei ostendere debent omnibus, fidelibus et infidelibus, clare apparere debet quod quis tantummodo in Ecclesia Christi perfectionem attingit ad quam nos vocat Deus; et in Ecclesia Christi, tantummodo qui perfectionem attingit, seipsum perficit ex toto (vulgo: « si realizza ») tum in ordine naturae tum in ordine gratiae.

Defectus communes:

1. *Termini* neque a philosophia, neque a theologia neque a Iure Canonico desumuntur, et quidem studiose; sed nec semper menti hominis nostri aevi sunt accommodati, unde:

a) theologi, philosophi et canonistae (et multi in hac aula!) distinctionis motivum semper insumunt semperque suffragium hoc modo ferunt: « placet iuxta modum »;

b) ceteri nec semper quae dicuntur intelligunt, neque quae intelligunt rite intelligunt.

2. *Propositiones* non conficiuntur sollemni stylo conciliari et pluribus citationibus inficiuntur cum sacrificio: linguae, styli et claritatis.

3. *Nexus* inter propositiones est potius in voce « enim » vel in similibus quam in re.

Citationes scripturisticae nec semper bene aptantur, praesertim quando agitur de rebus accidentalibus, temporis Scriptoris Sacri propriis, non vero nostri aevi.

Ut quae dixi pateant, videamus prooemium! (pag. 18).

[In primis noto: quod bis in prooemio dicitur, ter saltem in sequenti numero (29) repetitur. Videte:

Linn. 1-3: « omnes ad sanctitatem vocantur ».

Linn. 4-8: « Filius ad homines venit ut sint sancti etc. ».

Lin. 16: « Dominus Iesus omnibus et singulis hominibus praedicavit: estote ergo vos perfecti etc. ».

Lin. 18: « Unum universaleque mandatum dedit (Iesus) etc. ».

Lin. 23: « perspicuum est Dominum ad sanctitatem vocare omnes discipulos »].

Lin. 1: « in mysterio Ecclesiae », omnes ad sanctitatem vocantur. Quod omnes in Ecclesia vocati sint ad sanctitatem est evidens; non equidem in mysterio Ecclesiae.

Lin. 2: « annuntiatur ». Non est novitas istius nostri Concilii mysterium Ecclesiae!

Lin. 3: « sive ad Hierarchiam etc. » haec distinctio est

a) inutilis, nam dixit antea omnes;

b) male proposita, nam laici ponuntur uti qui pascuntur tantum, et multa in hac aula audivimus de apostolatu laicorum!

Lin. 3: « ad sanctitatem ». Sed quid est sanctitas?... Nihil de eius essentia in toto capite!

Lin. 4: « Filius ». Cuius filius? ... est terminus syncategorematicus et alio verbo indiget ut ad suam deveniat claram significationem. Certe pro christianis esset sat clarum agi de Filio Dei, sed pro ceteris!...

Lin. 5: « habeat ». Pulcherrima haec citatio transfertur in integrum cum sacrificio concordantiae latinae, quae discordantia ulterius progreditur ad sequentia verba « elevat - replet - eligit ».

Lin. 6: « universos ad plenam etc. ... ». Si elevati et repleti caelestibus benedictionibus ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei, ad quid conatus ad sanctitatem?...

Lin. 8: « in laudem gloriae gratiae suae »: sanctitas videtur uti Nirvana, scilicet tantummodo apparent quae sunt Dei non vero quae sunt hominis!

Lin. 9: « eligit ». Aegre sustinent theologi divisionem « operationum ad extra »

Divinarum Personarum; nunc vero alia operatio tribuitur Filio, scilicet electio quorumdam ad vocationem religiosam!

Lin. 10: « ad regnum caelorum ». Sanctitas non est vocatio ad regnum caelorum; et regnum caelorum nec semper Paradisum indicat, immo fere semper Paradisum non indicat.

Lin. 11: « testimonium et exemplum ». Vita religiosa definitur potius ad extra (relate ad eos qui religiosi non sunt) quam ad intra (relate ad illos qui religiosi sunt); tamen, in primis, status religiosus est pro religiosis, non pro ceteris!

Moderator: Optima quidem erant quae dixisti, sed non pertinent ad hoc caput. Et enixe rogo Patres ut se teneant intra ambitum capitis.

17

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARCUS GOPU
Archiepiscopus Hyderabadensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Patres haud pauci monstrarunt deficientiam quamdam sub art. 30 cap. IV *de Ecclesia,* nempe de natura status sacerdotalis atque de natura perfectionis sacerdotalis. Dictis horum Patrum in genere assentio. Liceat et mihi aliquod votum addere paucis verbis ad iuste honestandam dignitatem sacerdotum saecularium, cooperatorum immediatorum ordinis episcopalis.

Loquor nomine 42 episcoporum, ex utroque clero, ex India, Malaisia, Thailandia, Indonesia.

Verba « saecularis et religiosus » usitantur persaepe in schematibus quandocumque de clero agitur. Mea humili sententia, habemus nunc tempus opportunum, *tempus acceptabile,*[1] auferendi vocabulum « saecularis » et substituendi aliud vocabulum melius, v. g., « dioecesanus », etiam in futuro Codice Iuris Canonici.

Vox « saecularis » in usum venisse videtur ut distinctio conveniens fieret inter sacerdotes pastorali munere fungentes et sacerdotes in monasteriis viventes sub regula communi cum votis solemnibus, propter quod vocabantur « regulares ». Nunc temporis vero vocabulum « saecularis » odiosum, *peiorativum* [2] et ambiguum factum est. Peius adhuc, quando iuxtaponimus voces « saecularis » et « religiosus » implicamus quasi sacerdos saecularis non esset homo religiosus. Praesertim in regionibus paganis, seu missionum, sacerdotes quamdam humiliationem sentiunt quando nominantur « sacerdotes saeculares », quia in auribus pagano-

rum vox « saecularis » sonat tamquam aliquid mundanum, Deo vel religioni non dedicatum; ergo vox « saecularis » practice contradiceret voci ipsi « sacerdoti ».

Nonne sacerdos est homo Dei, homo ex hominibus assumptus et servitio Dei et cultui Dei dedicatus, homo ex professo colens virtutem religionis? Est sane homo religionis per excellentiam; « religiosus Dei » sicut aiebat P. Olier, fundator Societatis S. Sulpicii. Vivit inter fideles in mundo sed non est de mundo. Consequenter mihi videtur, sicut permultis sacerdotibus et episcopis, odiosum et ambiguum esse sacerdotes vocare saeculares. Immo voces « sacerdos » et « saecularis » sonant tamquam verba fere contradictoria.

Animadvertendum est etiam non deesse catholicos fideles *laicos* [3] qui sibi figurant, ob hoc vocabulum, sacerdotes in ministerio pastorali occupatos esse sacerdotes secundi ordinis quasi tolerati in Ecclesia; clericos vero regulares et religiosos tamquam veros, pleno sensu, sacerdotes. Nonne esset opportunum corrigere hanc anomaliam et ambiguitatem et ita animum addere sacerdotibus adhuc ad magis aestimandam suam sublimem vocationem et ad maiorem generositatem in servitio dioecesis et in quaestu sanctitatis?

Mihi placet proponere usum vocabuli « clerus dioecesanus ». Haec expressio iam in usum *deducitur* [4] in multis regionibus; habet positivam significationem; monstrat sacerdotem utpote dependentem ab episcopo; membrum presbyterii dioecesis; incardinatum servitio communitatis dioecesanae. Continet uberiorem doctrinam et inspirationem quam ieiuna expressio « clerus saecularis ». Concilium plenarium Indiae celebratum anno 1950 praesidente em.mo card. Gilroy, renuntiavit nomini « clerus saecularis » in favorem nominis « clerus dioecesanus ».

Forsan quis argueret alias in dioecesi inveniri communitates sacerdotum ex institutis religiosis qui etiam vellent se considerare clerum dioecesanum ...[5]. Valde debile est hoc argumentum. Hi clerici operantur utique in dioecesi constituentes alteram sectionem cleri in dioecesi, propter quod habetur expressio « uterque clerus » sed non habent tam totalem dependentiam ab episcopo, neque sunt dioecesi incardinati neque tam exclusive et stabiliter dedicati servitio communitatis dioecesanae quam clerici saeculares. Dependent insuper ab aliis superioribus et transferri possunt ex una dioecesi in aliam. Quapropter clerus saecularis maius habet ius ad titulum cleri dioecesani quam religiosi. *Et reliqua.*[6] Haec expressio nullo modo derogat statui aut dignitati religiosorum. Mihi persuasum est hanc mutationem terminologiae receptum iri ubique *terrarum* [7] a sacerdotibus cum gaudio et grato animo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deducta est. [5] quia vivunt et operantur in dioecesi sub aliqua dependentia ab episcopo. [6] Omnes christifideles, tum clerici tum laici, tenentur esse homines religiosi (Deo et religioni devoti), sed vox « religiosi » appropriatur iis qui publicam professionem perfectionis acquirendae emittunt in institutis religiosis. Similiter, quamquam omnes fideles alicuius territorii vulgo vocantur dioecesani, sacerdotes saeculares sunt dioecesani per excellentiam propter eorum incardinationem et directam atque totalem dedicationem servitio dioecesis. Tandem, dum clerici saeculares, etiamsi ipsi sint viri religiosi vi suae vocationis et ministerii, libenter vocant collaboratores suos ex institutis clericalibus « clericos religiosos », deficiente aptiore vocabulo, nonne decet clericos religiosos vocare clericos dioecesis « sacerdotes dioecesanos »? [7] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] (Iam exhibui 27 nomina episcoporum qui mecum sentiunt. En alia nomina:) Thomas Roch Agniswami S. I., ap. Kottar; P. Kerketta S. I., arch. Ranchi; Leo Tigga S. I., bish. of Dumka; A. Beretta, ep. Warangalensis; Leo D'Mello, ep. Aimerensis; Mar Gregorios, arch. Trivandrensis; Mattew Kavukatt, arch. Changanacherrensis; J. Rosario, bish. of Amravati; E. D'Souza, arch. of Nagpur; Lawrence Trevor Picachy S. I., bish. of Jamshedpur; J. Malenfant, praef. ap. Benares; R. Ambrose, arch. Pondicheriensis-Cuddalorensis; S. Vallopilly, ep. Tellicherry; Fortunatus Coutinho, ep. coad. Belgaum; William Bouter, ep. Nellorensis.

18

Exc.mus P. D. EDUARDUS SCHICK

Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Venerabiles Patres,

Pauca solummodo ad structuram internam totius cap. IV.[1]

1. In *isto capite*[2] de sanctitate sermo est quin nitide et sufficienter definiatur quid sit. Talis definitio autem eo magis opportuna videtur, quod conceptus biblicus sanctitatis — et in schemate argumentatio fit textis biblicis — inadaequate solummodo coincidit cum conceptu nostro consueto sanctitatis, qui imprimis est ethicus...[3]

Liceat mihi itaque lineas principales istius conceptus sanctitatis biblici brevissime adnotare. Ad cognoscendam significationem biblicam sanctitatis exeundum est ab assertione in Scriptura Veteris Testamenti iterum atque iterum repetita: « Deus sanctus est ». Quae sanctitas *Dei* fundamentaliter consistit in eius separatione a mundo creato seu in eius transcendentia. Ita etiam sanctitas *hominis* — biblice sumpta — est conditio eius, qui divinitus e profanitate mundi electus atque vocatus, instrumentum Dei constitutus, hanc suam conditionem (a Deo gratis donatam) Deo adiuvante *vivit*. Exemplar istius sanctitatis hominis patet in Abraham patriarcha et in eius prole, nempe in populo electo Veteris

Testamenti, cui consequenter ad istam electionem et attractionem ad Deum mandatum incumbit: « Sancti estote, sicut et Ego sanctus sum » ...[4]

In homine *christiano* autem haec sanctitas seu ad Deum relatio consistit in sanctitate Christi participanda, et quidem ontice indeque ethice. Itaque S. Paulus in epistolis suis methodum sequitur, in prima parte dogmatica indicare, quid homo christifidelis gratia redemptionis factus sit; in altera parte paraenetica transponit indicativos primae partis in imperativos correspondentes. Unum exemplum pro pluribus, illustrandi causa, afferatur: « Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis » ...[5] — (aspectus onticus, ex quo sequitur imperativus ethicus) « Induite igitur utpote electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiae... etc. » ...[6]. Quae forma originalis catecheseos moralis christianae in schemate nostro magis adhibenda id magnopere emendaret et substantialiter compleret.

2. In n. 29, *ab initio,*[7] de Christo Domino sermo est ut causa sanctitatis christianae. Sed non sufficienter videtur Christum considerare omnis sanctitatis magistrum et exemplar, auctorem et consummatorem, quae omnia — scholastice loquendo — ad causalitatem exemplarem et efficientem reducuntur. Causalitas autem Christi relate ad sanctitatem fidelium, si non etiam quodam sensu « formalis » agnoscitur, vix iustitia fit corpulento modo dicendi S. Pauli. Metaphora « induendi Christum » imprimis, ubi de prima sanctificatione baptismali agitur, causalitatem generis « formalis » haud obscure significat. Item, si « in Christo esse » a S. Paulo explicatur de Christo, « qui factus est nobis sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio »...[8]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] cap. IV. [3] et sic sumptus in nostro schemate praevalet. Deficiens vel saltem non solidum fundamentum biblicum heri ab em.mo card. Bea deploratum est. [4] (*Lev.* 11, 44). [5] (*Gal.* 3, 27). [6] (*Col.* 3, 12 ss.). [7] (pag. 18, linn. 13-15). [8] (*1 Cor.* 1, 30).

19

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Venerabiles Patres,

Loquar nomine plus 20 Patrum, et plurium superiorum generalium. Praetermissis eis quae perpulchre scripta sunt in hoc schemate, propero subito ad subiciendum examini titulum, structuram necnon materiam huius capitis.[1]

1. Materia, quae annuntiatur in titulo, proprium locum hic non habet...[2]

2. Titulus et materia cap. IV, ni fallor, inter se parum cohaerent, i. e. materia non evolvitur modo quem titulus innuit. *Rationes harum duarum animadversionum scripto tradam.*[3]

3. Praefatum cap. IV in logica ordinatione materiae constitutionis *religiosis seu asseclis status perfectionis* dicatum esse deberet.

In duobus praecedentibus capitulis enim de hierarchia et de laicis actum est. Laicorum vero nomine intelliguntur hoc loco « fideles qui... neque ad ordinem hierarchicum neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent » ...[4]. Ergo aut de religiosis omnino silendum esset, et tunc mutilam constitutionem haberemus, aut sequens caput, i. e., cap. IV, religiosis dicandum esset.

Revera, quando mense maio anni 1962 haec quaestio in commissione centrali ventilata fuit, Patres commissionis centralis ante oculos habebant optimum schema a commissione theologica exaratum, quod titulum habebat *de statibus evangelicae adquirendae perfectionis*. In disceptationibus vero circa 100 em.morum, exc.morum et rev.morum Patrum ne una quidem vox contraria audita est; sed responsiones semper erant: *placet,* vel *valde placet,* vel *placet omnino.*

Ex altera parte, prima intentio et mens auctorum schematis *de Ecclesia,* quod nunc ante oculos habemus, erant eaedem...[5]

Cum igitur res ita se habeat, Patribus Conciliaribus proponere velim:

1. Ut hoc caput a commissione mixta exaratum accurate revideatur et emendetur, et quidem sequentibus normis:

a) Materia praesens dividatur, ita ut nn. 29-30 ...[6] ad caput de populo Dei in genere transferantur, et conserventur in praesenti capite tantum ea quae de statu religioso agunt;

b) Reponatur titulus concorditer probatus: de iis qui consilia evangelica profitentur.

Ratio huius ultimae propositionis non est quidam sensus sentimentalismi, ut aiunt, sed provenit ex ipsa natura rei.

Revera Ordines et Congregationes religiosae constituunt in Ecclesia elementum maximi momenti, inde ab initio aerae christianae, primum apud orientales, postea apud occidentales, ita ut, sicut iure meritoque quidam exc.mus archiepiscopus-episcopus Galliae in Emendationibus praesentis schematis ...[7] notat: « haec professio (scil. votorum), si non ad essentiam, tamen ad integritatem Ecclesiae pertinet »...[8]

Quod attinet ad rationem oecumenicam, scil. ad Orthodoxos, Angli-

canos, et Protestantes, ex animo adhaereo iis quae hodie optime dixit exc.mus D. Martin.[9]

Adiungo quod in conventu generali superiorum generalium, die 14 mensis octobris huius anni habito, superiores generales unanimiter votum submissum sed ardens emiserunt, ut caput speciale in constitutione *de Ecclesia* dedicetur « iis qui consilia evangelica profitentur »...[10]

Alias animadversiones secretariatui trado.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Vos allocuturus, Patres conciliares, quoad cap. IV schematis *de Ecclesia,* praemittere velim me rem tantum globatim pertractaturum esse.

Quod si de singularibus verbum facerem, non pauca in textu proposito perpulchre dicta iure laudanda censerem, ut sunt: (pag. 18, nn. 28-29) explicita assertio universalis vocationis ad sanctitatem; (pag. 21, n. 33, lin. 19) affirmatio *sensus socialis* status religiosi, quippe qui est Ecclesiae « sanctitatis peculiare testimonium » et signum vitae novae, redemptione Christi acquisitae (pag. 18, linn. 15-16); porro affirmatur (pag. 21, linn. 31-34) officium religiosorum, derivans a professione votorum, consistere in « prece, actuosaque opera laborandi ad regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum », et alia huiusmodi: quae omnium plausus merentur.

Intendo tamen *titulum, structuram* necnon *materiam praedicti capituli* brevi examini subiicere, Vestraeque attentioni exponere quomodo, meo submisso iudicio, illud emendari et perfici possit.

Perpenso textu in se et in complexu organico, cuius partem constituit, ac collato cum titulo capitis (« De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ») necnon cum totius constitutionis *de Ecclesia* corpore, sequentia statim perspicere possumus: [2] Cum omnes filii Dei ad sanctitatem vocati sint, de ea vocatione agere expedit in capite « De populo Dei in genere », quod, iuxta notulam in calce pag. 5 positam, caput II schematis constituet.

Ceterum affirmatio de universali vocatione ad sanctitatem *pluries ibi repetitur* (pag. 5, lin. 18; pag. 6, lin. 13). Sufficeret ergo has affirmationes in capite de populo Dei breviter explanare atque diversis vitae statibus doctrinam applicare. [3] Etenim cum agatur de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, *omnes* fidelium coetus aequa ratione subsumi debent, scil. episcopi et praesules, sacerdotes, diaconi aliique clerici, personae consilia evangelica profitentes, coniuges et parentes, operarii etc. Nunc vero praesens textus, aliquibus considerationibus circa universalem vocationem ad sanctitatem praemissis (pag. 18, n. 29), dedicat n. 30 (pag. 19) ad sacerdotes, ad coniugatos et ad omnes christifideles; nn. vero 31-36 (pag. 19-23) ad statum religiosum se referunt. Evidenter deest congrua proportio inter partes huius capitis. [4] (pag. 6, n. 23, linn. 31-36). [5] Nam textus quem subcommissio mixta, e membris commissionis theologicae et commissionis de religiosis composita, in sessionibus dierum 6, 7 et 8 mensis martii 1963 paravit, titulum habebat: de iis qui consilia evangelica profitentur. [6] in pag. 18 et 19. [7] (pag. 19, n. 83). [8] (Weber). [9] Adest etiam ratio oecumenica: Orthodoxi, Anglicani et Protestantes (in oriente, in Anglia, in Gallia, in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis) de propriis institutis religiosis

sollertem curam gerunt; ideoque gaudebunt Concilium in speciali capite constitutionis *de Ecclesia* ex professo locutum esse « de iis qui consilia evangelica profitentur ». Porro experientia constat hodiernos protestantes necnon alios non catholicos magni habere Ordines et Congregationes catholicas atque Instituta saecularia. [10] En verba tabularum (vulgo *verbale*) huius sessionis: « I Superiori generali domandano che si introduca (nello schema *de Ecclesia*) un capitolo speciale " de religiosis ", soprattutto perchè non è normale trattare *de Ecclesia* senza dare alla vita religiosa, come tale, il posto che merita, de iure et de facto ». *c*) Animadversionibus ad singula huius capitis secretariatui relictis, opportunum tamen mihi videtur adiungere statum religiosum non solum nec praecipue sub aspectu sociali considerandum esse. Munus enim primarium consiliorum evangelicorum est sanctificatio personalis animae Deo consecratae. Porro melius enucleetur pro unoquoque voto fundamentum biblicum; et dicatur etiam verbum de mortificatione et poenitentia.

2. Si vero minime acceptetur propositio mea de speciali capite dedicando « iis qui consilia evangelica profitentur », saltem addatur ad praesentis capitis titulum locutio: « speciatim de religiosis », sicut abhinc paucis diebus, ab aliquibus exc.mis Patribus iam propositum fuit. [11] deest.

Animadversiones additae:

Animadversiones minoris momenti:

Ad pag. 18, linn. 1-2: « In mysterio Ecclesiae quod a Sancta Synodo sollemniter mundo *annuntiatur* »: haec verba quae aliquantulum affectate et ambitiose sonant, his verbis vel similibus substituantur: « de quo in S. Synodo sollemniter agitur ».

Lin. 7: pro verbo « elevat », melius dicatur « vocat ».

Linn. 9-12: pro verbis schematis hunc textum proponerem: « ut per statum perfectionis adquirendae huius universalis vocationis ad sanctitatem praeclarius in mundo sint testimonium et exemplum ».

Lin. 28: corrigatur lapsus « inchoata »; deleatur verbum « gratuita », quia superfluum.

Ad pag. 19, linn. 1-2: proponerem hanc verborum positionem: « Una vero sanctitas in variis vitae generibus et officiis excolitur ».

Lin. 5: pro verbo « constituuntur » dicatur « vocantur ».

Linn. 8-10: proponerem hanc verborum positionem: « Sic enim, ut Sancti Patres docent, ad perfecte Deum proximumque perfecte propter Ipsum *amandum,* ascendere possunt ».

Lin. 16: pro « Libenter... alloquitur Sacra Synodus » dicatur simpliciter « Etiam coniuges parentesque amore fideli... ».

Lin. 29: placet emendatio n. 76, et dicatur « Quo magis enim crescit... ».

Linn. 34-35: numerus 31 incipiat sine repetitione « Mandatum dilectionis Dei et proximi ab ipso Domino... ».

Ad pag. 20, linn. 10-11: loco « Deo dicata castitas », melius dicatur « *Christo* dicata castitas », sicut habetur in emendatione n. 79.

Lin. 12: loco « tamquam signum quo quis se ... », dicatur melius: « qua (sc. castitate) quis se Deo totum devovet ».

Linn. 20-23: omittendum verbum « Quamobrem », nam quae postea dicuntur non sunt conclusio eorum quae praecedunt; et dicatur: « Christifideles autem, quamvis omnes ad sanctitatem vitae invitentur et obligentur, non omnes tamen

ad consiliorum evangelicorum praxim reapse vocantur, nisi secundum proprium charisma et caritatis normas. Sed omnes ad hoc tendere debent ut in usu mundanarum rerum *horum consiliorum spiritum* in rem deducant, monente Apostolo: " Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur " (*1 Cor.* 7, 31) ».

Ad pag. 21, lin. 22: post verba « Soli Christo adhaerent » addatur: « Quae professio consiliorum, si non ad essentiam, tamen ad integritatem Ecclesiae pertinent » (cf. *Emendationes,* pag. 19, n. 84).

Ad pag. 22, lin. 11: loco « sibi soli subiicere » dicatur « sibi immediate subiicere ».

[*Subscripserunt etiam*] Em.mus card. Landazuri Ricketts; beat.mus Albertus Gori, patr. Lat. Ierusalem; exc. Ignatius Doggett, Thomas Manning, Ioannes Ev. McBride, Horatius Ceol, Dominicus Coscia, Hyacinthus Eccher, Bernardinus Mazzarella, Ioseph Cal. Rosenhammer, Constantinus Trapani, Pacificus Calzolari, Petrus Moretti, Attilius Previtali; rev.mi Kleiner Sighardus, abb. gen. Cist., Alfonsus M. Montà, prior gen. O. S. M., Anastasius a S. Rosario, prep. gen. O.C.D., Raimundus G. M. a SS. Sacramento, prior gen. R.S.S.A., Moscatelli Theobaldus, abb. praes. gen. Cist. Ital., Ioannes B. Boccelli, min. gen. T.O.R.

20

REV.MUS P. D. CRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congreg. Angliae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Liceat mihi *tres*[1] animadversiones facere super ...[2] pag. 18, nn. 28 et 29.

Numquam prius, quod sciam, a solemni magisterio extraordinario tam clare declaratum est omnes in Ecclesia ad sanctitatem vocari. *Et debemus, meo quidem iudicio, perpendere quod in hac re talem progressum consulto facere intendimus.*[3]

Sed cum vocatio ad sanctitatem intime connectatur cum doctrina de gratia divina ...[4], duas emendationes ad n. 29 propono, quas ...[5] legere velim, utrique rationibus si quae sunt adiectis.

1. Pag. 18, ...[6] linn. 28 s. Pro verbis « quae in fide et baptismate inchoata, gratuita excitante et adiuvante Dei gratia », pro his verbis, propono legendum: « quae in fide et baptismate per infusionem gratiae sanctificantis inchoata, continuo excitante, adiuvante, et perficiente Dei gratia », etc. *Et ratio est quia*[7] gratia actualis ordinatur ad gratiam sanctificantem vel habitualem *aut infundendam aut*[8] augendam. *Et secundo quia*[9] gratia non solum est principium et comes actuum virtutum sed etiam consummator vel sequens; et hoc valde interest ut clare affirmetur a nobis...[10]

2. Eadem pag. 18, linn. 30 s. Pro primo dimidio sententiae incipientis « Omnes ergo christifideles » etc., legatur: « Omnes igitur christifideles ad caritatem perfectam pro viribus secundum mensuram donationis Christi acceptis se praeparent » etc.

Ratio huius emendationis est, ut clare affirmetur quod conatus morales nec non preces et orationes fidelium se habent ad sanctitatem non ut causae efficientes sed ut causae dispositivae ac meritoriae; et ut ita salvetur primatus in omnibus gratiae Dei, immo Dei ipsius qui est Actus purus et Prima Causa...[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] aliquas. [2] cap. IV schematis *de Ecclesia* et praesertim de. [3] De veritate huius sententiae, dummodo normam statuere intendat salvis exceptionibus, e. g. pro iis qui moriuntur antequam ad plenam aetatem pervenerint, vix mihi dubitandum esse videtur. Tamen Patres debent, meo quidem iudicio, perpendere quod talis declaratio progreditur ultra limites adhuc determinatos. [4] maximi momenti duco ut sententia omni cura theologica perpoliatur. Ideoque. [5] singillatim. [6] n. 29. [7] Rationes sunt sequentes: *a*) [8] vel infundendam vel. [9] *b*) [10] Notandum quidem est, quod Iesus nominatur lin. 15 « consummator » sanctitatis, quod est optime dictum; sed desiderandum esse videtur ut gratia dicatur consummare quemvis actum virtutis christianae. *c*) Verbum vero « gratuita » omisi, quia nihil addit verbo « gratia ». [11] Non quidem dubito eos doctissimos viros qui schema confecerunt, has veritates toto corde tenere, sed cupio ut veritates ipsae clare enuntientur in schemate, ne vel catholici aliqui vel fratres seiuncti opinionem concipiant quod in dialogo S. Pauli cum sic dicto iudaismo in epistola ad Romanos nos apostolo parum consentiamus. Et emendationes propono eo confidentius quia persuasum mihi est omnes Patres consensuros esse ea quae in his continentur et vera esse et digna quae hic a nobis affirmentur.

Moderator: Audiant Patres! Proxima feria III fiet transitus ad disceptationem de schemate *de episcopis,* primo de schemate in genere, et dein de primo capite. Interea moderatores examini subicient textus interventionum eorum Patrum qui adhuc de cap. IV *de Ecclesia* loqui petierunt, etiam nomine aliorum. Quod examen fiet iuxta articulum 57, §§ 3 et 4, Ordinis Concilii, ut invitari possint Patres ad abstinendum a sermone aut ad unum reducendos sermones qui eadem vel similia continent.*

Nunc dabit exc.mus secretarius generalis notum Patribus exitum votationis in initio huius congregationis generalis.

---

* Cf. pag. 554.

Secretarius generalis: Exitus suffragationis circa integrum caput ultimum schematis *de sacra Liturgia*:

Praesentes votantes	. . . .	1.941
Dixerunt *placet*	. . . .	1.838
non placet	. . . .	9
placet iuxta modum	. . . .	94

Ergo caput est probatum.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. IV SCHEMATIS DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. IV SCHEMATIS DE ECCLESIA *

1

EM.MUS P. D. ARCADIUS CARD. LARRAONA

I. In cap. IV schematis *de Ecclesia,* cui titulus nunc est de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, dum proclamatur in prooemio, et quidem recte, vocatio communis, et inde orta omnium obligatio, ad sanctitatem in Ecclesia, duplex veluti sectio capitis simul innuitur, i. e.: *a*) sectio de sanctitate communi, quae complectitur nn. 29-31, et *b*) sectio de sanctitate specifica status perfectionis quae, status vitae, per professionem consiliorum evangelicorum, prosequitur, in nn. 32-36. De hac ultima sanctitate in statu perfectionis prosequenda, postremis lineis (9-12) n. 28, dicitur: « quosdam autem inter illos (christifideles Ecclesiae filios), benigne eligit ut, per statum vitae ab Ecclesia sancitum, huius universalis vocationis ad regnum caelorum praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum ».

II. Nullo modo dici potest Dominum, et Ecclesiam eius nomine, homines invitasse ad perfectionem specificam per acceptationem et obligatoriam assumptionem eorum quae Christus in evangelio non praecepit sed consuluit; quaeque ex se, etsi non absolute necessaria sed libera, tamen efficacia immo efficaciora sunt ad sanctitatem, ut simpliciter testimonium et exemplum in mundo ferant huiusmodi communis sanctitatis.

Species certe non est, nec esse potest, testimonium tantum et exemplum generis: sacerdotium, e. g. specificum, sacramento Ordinis receptum, inepte quis diceret exemplum esse et testimonium sacerdotii communis; vel episcopatum testimonium esse tantum et exemplum sacerdotii presbyterorum.

III. Nn. 29-31, — in quibus exarandis, sit obiter dictum, manus statim apparent diversae ab eis quae nn. 32 ss. exararunt —, quique specialem veluti sectionem constituunt, quae tota de communi fidelium sanctitate agit, certo amandari deberet capiti *de populo Dei,* qui ad sanctitatem vocatur et tenetur ex sua ipsa natura supernaturali, ex charactere nempe baptismatis et confirmationis, per mandatorum observantiam adipiscendam; non tamen ea media et elementa exsequendo et profitendo quae Dominus in Evangelio li-

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

bera reliquit et quorum non omnes, cum ardua sint et naturae humanae normaliter importabilia, capaces sunt (« sed quibus a Patre datur », cf. *Mt.* 19, 11).

Haec sanctitas, quam certe populus sanctus Dei prosequi potest et debet, et ad quam excitandus et ab omnibus adiuvandus, maxima sua gloria est, Ecclesiae sanctitatis nota, argumentum et testimonium.

IV. Hoc in loco logice agendum tantum esset de statu perfectionis adquirendae, quatenus ipse continet elementa ad Ecclesiae constitutionalem integritatem ex voluntate Christi pertinentia, ut statim dicimus, — « iure divino non praecipiente sed consulente », ut ait Suarez — et in Ecclesia iam a temporibus apostolicis quodammodo recognita, vindicata, summa cura elaborata et in praxim deducta.

Si haec elementa theologica, quae etiam statum perfectionis quatenus institutum iuris divini in concreto constituunt, fuerunt iuxta communem doctrinam, et certo esse possunt, obiectum infallibilis magisterii; absque status huiusmodi ordinatione in Ecclesia et historia (quoad sanctitatem, apostolatum, influxum etc.) nec veram Christi Ecclesiam, nec authenticum ipsius vultum referimus, nec historiam intellegeremus. Mysterium Ecclesiae mutilum videretur ac non completum si in ea Christi asseclae non essent qui, modo stabili et ut forma vitae, invitationem divini Magistri acceptarent.

V. Haec elementa non ex Ecclesiae divina ordinatione et constitutione quatenus organica et hierarchica est, proveniunt et exiguntur; sed ex ipsius fine essentiali prosequendo, qui est salus et sanctitatis omnium et singulorum, maiori qua possibili est intentione et adaptatione, quatenus nempe, etiam ex divina intentione et constitutione, Ecclesia, praeterquam hierarchica etiam est pneumatica et eschatologica. Status enim perfectionis usque ad ultimae exigentiae deducit imitationem Christi et in terra fidelius vitam Hierusalem caelestis exprimit et exsequitur (conversatio nempe in caelis dum in terra degunt, in hac vita constituti neque nubent neque nubentur et voluntas Patris, propria abnegata, adimpletur sicut in caelis).

VI. Status perfectionis, prout hodie in Ecclesia floret, et quem Ecclesia, divino afflante Spiritu, — ut documenta doctrinalia omne genus, etiam solemnia et solemnissima quae ignorare omnino non licet — recepit, promovit et ordinavit, non est considerandus ut factum vel phaenomenon quod quasi ex fortuito in Ecclesia apparet et displodit, sed ut harmonica et homogenea evolutio vitae eorum coram Ecclesia, qui vocem Domini invitantem audientes et eius ardua consilia acceptantes ad arctiorem eius sequelam et ad perfectiorem eius imitationem, bona terrena amore caelestium renuntiant, sacram virginitatem, nuptiis posthabitis, amplectuntur, mundo valedicunt et Deo specialiter mancipantur.

Et si initio, in primordiis nempe Ecclesiae, non omnia, ut hodie, huiusmodi elementa status perfectionis evoluta habentur quae, ut germen, in Evangelio apparent, et quasi charismatice in Ecclesia primitiva et in primis saeculis, a christifidelibus ad id vocatis exercentur et profitentur; non aliter

res se habent ac in aliis indubiis elementis et institutis Ecclesiae constitutionis divinae (puta episcopatus, presbyteratus), quae germinaliter, ut ita dicam, primum in doctrina et in praxi Ecclesiae habentur, postea vero, decursu temporis et sub ductu Spiritus Sancti, harmonice evolvitur et ad plenam et perfectam structuram et ordinationem adducuntur.

VII. Hae duae sectiones nullo modo in eodem capite poni et componi possunt. Sane:

a) Talis unio et promiscua compositio in eodem capite, sanctitatis nempe specialis, quae fundamentum constituit et rationem status certo certius evangelici vereque ecclesialis, et sanctitatis communis, fundata videtur in aliquibus opinionibus recentioribus, quae acriter disputantur. Huiusmodi opiniones, ex una parte, nonnulla exaggerate et impraecise proferunt quae de vocatione et obligatione ad sanctitatem in documentis magisterii continentur et, ex alia parte, non parum parvipendunt haec eadem documenta, vel perperam interpretantur. Ideo hae recentiores opiniones, quae certo cum tota doctrina traditionali et unanimiter admissa pugnant, nec certae dicendae sunt, nec clarae, nec ergo conciliarem textum fundare possunt.

Reverenter et plane admissa doctrina magisterii, et a theologis elaborata, de sanctitate generali, omnibusque viribus promota, nihil officere potest, immo maxime prodesse, sanctitati specificae episcoporum, sacerdotum et religiosorum.

b) Etiam omissis considerationibus ordinis obiectivi et ontologici quoad unitatem sanctitatis, sub aspectu subiectivo, quatenus attinet ad integrum populum Dei, sanctitas melius exponitur quando et ubi de populo Dei agitur in schemate *de Ecclesia*; sanctitas vero quae, sub aspectu etiam subiectivo, quomodolibet vel non omnes tangit vel non eodem modo (v. g. ratione sacramenti Ordinis, vel ratione voti etc.) in proprio uniuscuiusque tractationis: et sic quae ad episcopi sanctitatem specificam spectant (perfectio adquisita seu perfectoris) ubi de episcopis; quae ad sacerdotalem sanctitatem attinent (ut talem) ubi de presbyteris sermo fit deque eorum muneribus et officiis; quae denique ad sanctitatem propriam status perfectionis, ubi specifice de hoc statu agatur.

c) Neque, demum, practice et psychologice loquendo, expedit illa exponere quae a sanctitate communi generatim exiguntur, quaeque aliunde in concreto non facile definiuntur, simul cum illis quae professio sanctitatis religiosae vel sacerdotalis clare imponit.

Expositio huiusmodi promiscua in hoc videretur conspirare, ut dum typus sanctitatis communis magis ac magis extollitur atque, ex adverso, minoris fieri videretur sanctitas specifica, praesertim sanctitas religiosa, omnes aequentur, et quidem in inferiori gradu fieret aequatio seu libellatio, ita ut status perfectionis de facto deprimatur, cum, e contra, iuxta Christi consilium sit institutus, et ab Ecclesia ordinatus indesinenter, ut possit esse in ea, in campo perfectionis nempe, civitas supra montem posita, lucerna super candelabrum, fermentum quod massam fermentatur (*Mt.* 5, 14 ss.; *Mt.* 13, 33).

VIII. In particulari, quoad sanctitatem omnium fidelium de qua in alio loco est agendum, ubi nempe de populo Dei sermo fiat in schemate, ut nunc iacet, nonnullae animadversiones:

a) Vocatio communis ad sanctitatem intrinsece, id est, ex ipsa natura Ecclesiae, non clare illustratur et vindicatur;

b) Obligatio ad hanc communem sanctitatem non definitur, neque explicatur ad quid urgeat praeterquam ad adimpletionem officiorum, ut aiunt, proprii status seu condicionis vitae cuiusque propriae;

c) Ratio sanctitatis communis, eiusque a peculiaribus sanctitatis rationibus differentiae, nempe ab episcopalis, sacerdotalis et religiosae specificis sanctitatis rationibus, non patent, nec ex schemate usquedum procedant huiusmodi differentiae liquido apparet;

d) Deficiunt, in describenda hac communi sanctitate, elementa intrinseca ex Scriptura et theologia petita; deficiunt enim, vel saltem non sufficienter subnotantur, adspectus christocentricus, eschatologicus, religiosus;

f) Episcopus, non exacte quidem, proponitur ut communis omnium caritatis imago et exemplar;

g) Melius clariusque exponenda essent necessitas, munus, functio virtutum in ordine ad sanctitatem;

h) denique non attingitur, neque patet in schemate, ut par erat, profunda et solida sanctitatis ratio, evolutio, gradus diversi, atque eius consummatio. Sane: 1) ratio sanctitatis est in unione ontologica vitali supernaturali cum Christo in Ecclesia; 2) haec unio, sicut palmitis vitae vel corpori membrorum, Christi vitam nobis communicat qua vivimus, usque dum « vita nostra abscondita sit cum Christo in Deo » (*Col.* 3, 3), « vita Iesu manifestetur in corporibus nostris » (*2 Cor.* 4, 10-11), et Christus nobis fiat a Deo « iustitia, et sanctificatio et redemptio » (*1 Cor.* 1, 30), et iam non nos vivamus sed Ipse in nobis (cf. *Gal.* 2, 19-20); 3) Sanctitatis evolutio incipit per incorporationem uniuscuiusque fidelis, filii Dei, Christi Corpori mystico, quod est Ecclesia, per baptisma, et per sacramentum confirmationis roboratur; 4) sicut ad vitam humanam naturalem in nobis defendendam cogimur, et ad ipsam alendam, formandam perficiendamque, iuxta leges proprias tenemur usque dum ad mensuram hominis signatam perveniamus; pariter etiam per arctiorem in dies cum Christo coniunctionem et per supernaturalium mediorum exercitium, crescere debemus in Christo, usque dum viri perfecti efficiamur et ad mensuram aetatis plenitudinis Christi occurramus (cf. *Eph.* 5, 13) secundum donum eius (cf. *1 Cor.* 7, 7; *Eph.* 4, 7); 5) Sanctitas progreditur in omnibus pari gressu ac unio cum Christo, perfectiorque et intensior fit cum eo configuratio et conformatio nostra.

Conclusiones ergo: 1. Haec pars schematis, nn. nempe 29-31, transferatur in cap. de populo Dei in genere; 2. Vocatio generica ad sanctitatem, ipsius obligatio et ratio, progressus et perfectio, ex solida doctrina ontologicae unionis, vitalis ac supernaturalis, cum Christo desumatur, ex qua Christi vita, per sacramenta aliaque vitaliter nobis communicatur; vocatio vero specifica

ad sanctitatem, seu status perfectionis, desumatur ex configuratione; praecipue, cum eo in eius miranda exinanitione et immolatione, quam consilia evangelica comportant et in vocatis efficiunt.

2

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Magna proprietas, ut scitis, Concilii Oecumenici Vaticani II, est pastoralis. Magni ergo momenti est schema « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ». Ait enim Summus Pontifex Paulus VI, in initio huius II sessionis: « Concilium spectat ad florentiorem Ecclesiae renovationem ». Et alibi: « Nostra quidem sententia, huiusmodi renovatio profici debet e conscientia necessitudinis qua Ecclesia cum Christo coniunguntur ».

Mirum ergo est, quando agitur de sanctitate in Ecclesia, semel, et obiter dicta, unioni cum Christo, cum Deo alludere: « Qua fervide gratiam, vi cuius filii Patris, fratres Christi et templum Spiritus Sancti efficiuntur, fidelius servant eamque fecundam reddant ad Sanctissimae Trinitatis gloriam » pag. 19, lin. 26. Primitivae Ecclesiae christifideles vitam christianam, cuius sanctitas est perfectio, non ita intelligebant. Propter suam fidem in Christi, Dei praesentia in se, Christophorus, Theophorus, Theodorus vocari amabant. Vere gratiam sanctificantem tenere et eam fecundare debemus. Sed quo ardore caritatis, qua indefectibili fidelitate Christum cum Patre et Spiritu Sancto in nobis tenere et ei interesse debemus! Nefas est magis mediis quam Fini, donis quam donorum Auctori, gratiae creatae quam Increatae in nobis attendere. Insuper quaestio est, in eodem numero, « de multiformi unius sanctitatis exercitio ». Qualis est haec una sanctitas? Optatur ut reapse ad unionem cum Christo, cum Deo et ad vitae huius unionis perfectionem natura sanctitatis definiatur. Hanc sanctitatis conceptionem magis christianam, omnis sanctitatis fundamentum esse et nostrorum temporum necessitatibus respondere videtur.

1. Haec sanctitatis conceptio magis christiana est. Ad melius vitam nostram supernaturalem intelligendam, vitam divinam et mysterium Incarnationis inspicere debemus. In Sanctissima Trinitate Divinae Personae in naturae unitate iunguntur. In Incarnationis mysterio natura divina humanam in Persona Verbi assumit. Per suam nobiscum unionem, Christus in supernaturalis ordinem compenetrationis nos introduxit: « Si quis diligit Me, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ».

Haec unio vitae nostrae programma esse debet. Templa Christi, Dei intellectu et voluntate praedita praesentem Christum, in nobis cum Patre et Spiritu Sancto amanter adorare et orare debemus. Et quia Christus in nobis, per nos ad suae Incarnationis redemptricis fines agit, Christi instrumenta, ministri evadimus. Christo ergo nos unire et cum eo collaborare debemus.

Mentis actu et voluntatis affectu Christo nos uniemus. Cum Christo collaboramus voluntatem Patris multiformem in praeceptis, in status officiis, in eventibus et in gratiae inspirationibus facientes. Tunc a Christo sublimati, ad gloriam Patris, membrorum Ecclesiae renovationem et mundi conversionem efficaciores erimus.

2. Haec sanctitatis conceptio nostrorum temporum necessitatibus respondet. Ecclesiae et totum genus humanum vehementer ad caritatem, unionem et unitatem aspirant. Sed, de hoc unionis voto omnium hominum, verbum S. Pauli in memoria revocandum est: « Fundamentum non est aliud praeter id quod positum est, quod est Christus ». Caritas inter homines facilior evaderet, si Christi, Dei praesentiae in homines memores essemus. Cavendum est nobis, quia bonum aut malum hominibus facta, facta sunt Christo, Deo qui hominibus inest. Christus ubicumque est, amandus est.

Haec sanctitatis conceptio remedium est ad atheismum in mundo vigentem. Atheismus contra Christi, Dei existentiae, praesentiae et actionis ideam in mundum pugnat. Ad huius diabolicae superbiae et Christi, Dei odii reparationem, doctrinae Christi, Dei praesentiae in nobis favere, supernaturaliter Christum, Deum in nobis recipere, et huic Deo amoris responsum amoris in nobis et in tota vita nostra esse debemus. Sic Christus in nobis, per nos adversus atheismum misericorditer colluctabimur, mundum atheum convertendum vincet. Christus manet semper, ut ait aliquis S. Pater, omnis quaestionis solutio.

3. *Concludimus,* duo vota exprimentes:

a) Optamus ut, pag. 19, n. 30, dicatur sanctitatem in unione cum Christo, cum Deo fundamentaliter consistere. Gratia autem sanctificans medium est ad hanc coniunctionem cum Deo ontologicam.

b) Optamus iterum ut, eodem numero, dicatur sanctitatem in vitae huius unionis perfectionem formaliter consistere... Virtutes autem tam theologicae, cardinales quam dona Spiritus Sancti ad vitam et ad vitae huius unionis perfectionem sunt media.

3

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Caput IV in genere placet.

Ad n. 28, pag. 18: deest aliqua synthetica de ipsa sanctitatis natura descriptio, quae hic in prooemio, vel in nova addita paragrapho inter nn. 28 et 29 evolvenda esset.

Ad n. 29: tota haec paragraphus sapit extrinsecismum, i. e. ostendit Christum tantum ut exemplar, non adeo ut plenitudo sanctitatis et caput corporis sanctorum. Desunt formulae ontologicae participationis, « cum Christo mori et vivere » ac vitalis evolutio eius gratia in nobis. Parum de fide et, in genere, de virtutibus theologicis, quae revera constituunt cardo totius chri-

stianae sanctitatis. Deest etiam conceptus communitarius sanctitatis, saltem tendentialis, totius populi Dei.

Pag. 18, lin. 28: post verbum « inchoata », addatur: « per Eucharistiam nutrita, maternis Ecclesiae subsidiis confortata, gratuita... »; ratio: sic melius indicatur natura ecclesialis sanctitatis.

Pag. 18, lin. 29: loco « gratuita excitante et adiuvante Dei gratia », ponatur « Spiritu Sancto excitante et adiuvante », aut aliquid simile; ratio: ne gratia Christi videatur quaedam « res » impersonalis; in isto schemate pastorali et oecumenico melius adhibentur termini concreti, magis vitales et biblici, ac melius indicantes « personalem » activitatem Dei in cordibus nostris.

Ad n. 30, pag. 19: stylus exhortativus videtur improprius. Divisio numeri secundum personarum categorias non placet. Nam potius ab elemento materiali quam a rationibus formalibus distinctionem indicantibus procedit. Categoriae materiales revera imprecisae sunt: quid de matrimonio sacerdotum orientalium, quid de poenitentia, de infirmis?

Proponitur ergo ut refundatur numerus ita ut distinctio fiat secundum « gratias sacramentales »! Gratiae enim sacramentales sunt revera distinctiones ex ipsa concreta conformatione cum Christo in via peracta. In ipsis totum includitur multiforme unius sanctitatis exercitium, quin periculum adsit aliquas praetereundi personarum categorias. Mentio Trinitatis, quae in fine huius paragraphi minorem aptum locum nunc invenit, faciliter aptari posset ad indicandam consecrationem Baptismi.

Loquendo de gratia sacramentali Eucharistiae, postquam de eius aspectu cibativo aliquid dictum esset, optime sermo erit de aspectu unitatis ex universali communione, ita ut clare appareat sanctitatem non esse simpliciter perfectionem aliquam staticam uniuscuiusque individui, sed potius intensificationem dynamicam communionis amoris seu caritatis omnium membrorum unius Corporis per Eucharistiam indesinenter perficiendam. Sanctitas, sic, neque simpliciter individualis neque veluti statica apparebit, sed potius semper ad alios referta uti amoris communio crescens ac luctans non sine defectionibus; hoc ultimum specialiter tractari poterit in consideratione gratiae sacramentalis Poenitentiae.

Ad n. 31, pag. 19-20: in hac paragrapho deest vera tractatio de praecipuis mediis ad sanctitatem, e. g., de labore, tribulatione, actione christiana, operibus misericordiae, oratione, etc., et quidem sensu « christiano » et non tantum generice religioso vel philosophico.

Consilia evangelica considerantur modo insufficienti; loquendum est de evangelicis beatitudinibus, quarum substantia ad omnes prorsus christifideles spectat; consilia, autem, bene definienda sunt ac distinguenda sensu evangelico potius quam iuridico ita ut minime identificentur cum statu religioso.

Pag. 20, lin. 21: verba « invitantur et obligantur » rursum confirmant visionem extrinsecistam ipsius sanctitatis, quae mutanda est in toto capite.

Ad n. 32, pag. 20-21: formula « status perfectionis adquirendae » in pag. 21, lin. 1, debet omitti, siquidem non est opportunum eam consecrare.

Huic formulae nec fundamentum biblicum neque patristicum inveniri potest, nec eius significatio clara evadit, nec speciale adest motivum eam canonizandi. Insuper non est oecumenica.

Ad n. 33, pag. 21: in hac paragrapho proponitur visio apologetico-iuridica potius quam theologica status religiosi; fere nihil dicitur de munere eschatologico religiosorum ac de eorum evangelica significatione et testimonio. Videtur paragraphus malle formam canonicam istius status defendere, potius quam enucleare vitam evangelicam in eo continendam ac evolvendam.

Religiosi in toto *de Ecclesia* schemate non sunt considerandi propter seipsos sed propter Ecclesiam, obiectum scil. formale (ut aiunt) uniuscuiusque istius schematis capitis est Ecclesia; in tantum ergo hic agitur de religiosis in quantum per ipsos aliquas Ecclesiae proprietates peculiariter panduntur.

Pag. 21, lin. 21: verba « non solum interius, sed exteriore... » inopportuna videntur, siquidem insinuant alios christianos nullam exteriorem manifestationem suae christianae vitae peragere. Finem paragrapho imponatur cum verbo « testimonium » (pag. 21, lin. 19), cum reliqua sint repetitio.

Pag. 21, lin. 24: loco « eiusque mysterio » dicatur « eiusque missioni ».

Ratio: formula est obscura et posset interpretari ac si status religiosus uniret hominem ipsi Ecclesiae.

Ad n. 34, pag. 21-22: in pag. 22, linn. 1-7, verba « sicut inde... adfuit » omittantur.

Ratio: omnia haec historica non videntur hic declaranda, siquidem eorum sensus et veritas clara non apparent.

Pag. 22, linn. 8 ss.: fundamentum exemptionis debet includere collegium episcopale totum, ad quod commissa est cura universalis Ecclesiae una cum et sub Romano Pontifice. Motiva ecclesialia talis exemptionis melius sunt exprimenda, et non solum ad religiosos referenda.

Loco « Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus » melius dicendum videtur: « suprema Ecclesiae potestas ».

Ad n. 35, pag. 22-23: tota haec paragraphus videtur supprimenda, cum exprimat quasdam categorias quae nullum momentum habent in schemate doctrinali de Ecclesia.

Ad n. 36, pag. 23: in lin. 18, loco « Christi » ponatur « Patris » ob claram rationem theologicam.

N. B.: Proposuimus in aula convenientiam breviter tractandi in hoc capite de Sanctis; ita consideratio sanctitatis in Ecclesia erit magis historica ac simul praebebit pastoralem opportunitatem doctrinaliter illuminandi cultum erga sanctos (de quo aliquid iam dictum est in schemate de S. Liturgia).

En specimen nostrum:

In fine huius capitis addatur haec nova paragraphus:

(*De sanctis ac de eorum cultu*). Ecclesia, in suo ad caelestem patriam itinere (cf. *Heb.* 11, 14-16) Christo Domino glorioso unita, « sancta » nuncupatur (cf. *Eph.* 5, 27; *1 Pt.* 2, 9) tum ob divinum suum originem, doctrinae sublimitatem, necnon sacrorum sacramentorum fecunditatem, tum ob

fructus egregiae sanctitatis, quos ipsa, ex sua cum solo Sancto unione,[1] in filiis suis fert. Semper enim in Ecclesia exstiterunt viri et feminae ex omni aetate, et stirpe, et lingua (cf. *Apoc.* 7, 9) qui, per suam vitam Christi imagini conformatam (*Rom.* 8, 29), lucem suam, Christum scil. (cf. *Io.* 1, 9; 8, 12), coram hominibus manifestarunt (*Mt.* 5, 16). Nubis illa testium Veteris Foederis, quae iam ab Ecclesiae exordiis fideles Christi comitabatur (cf. *Heb.* 12, 1), sic in dies augetur usquedum illam turbam magnam adstantium ante thronum Dei efformet, quam dinumerare nemo potest (cf. *Apoc.* 7, 1-10).

Divino impulsu edocta, Ecclesia scit lucernam non accendi ut sub modio ponatur, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, et sic homines glorificent Patrem, qui in caelis est (*Mt.* 5, 15-16). Propterea illa filios suos sanctitate insignes sollemniter in Sanctorum numerum refert eosque peculiari designatione ac dilectione « Sanctos » vocat. Hic honor Sanctis tributus totus in Dei honorem redundat, nam, sicut contemplatio caelorum nos ad enarrationem Dei gloriam ducit (*Ps.* 18, 2), sic etiam Ecclesia, coronando eorum merita, dona Dei laudat, qui mirabilis in sanctis suis ostenditur (cf. *Ps.* 67, 36). Per suam enim vitam totaliter Dei proximorumque amori et servitio dicatam, sancti tanquam vivens exstant testimonium doni caritatis Dei, Spiritus nempe amoris in cordibus nostris inhabitantis (cf. *Rom.* 5, 5).

Pro totius bono Ecclesiae sancti summopere conferunt. In eis enim clare elucet, vocationem omnium christifidelium ad sanctitatem non esse quid insolitum et fere inattingibile, sed scopum vere possibilem, qui revera a multis obtinetur. In sanctis, praeterea, ostenditur quomodo gratia Christi peculiaribus adiunctis diversorum locorum ac temporum, necnon differentiis aetatum ac conditionum aptetur, ita ut in eis homines clarius videre possunt, modum quo unusquisque iuxta propriae suae vitae conditiones Christum imitari debeat. Communicantes, tandem, et memoriam omnium sanctorum venerantes in celebratione sacrorum mysteriorum,[2] spes nostra novo robore ad caelestia bona erigitur, cum nos sentimus unitos ad multos nostrorum fratrum, qui « bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu » iam adepti sunt (*Phil.* 3, 14). Hac enim arcana communione, Sancti totius generis humani eximii sunt benefactores. Merita enim quae per gratiam Iesu Christi in hac mortali vita acquirunt, haud sibi solis acquirunt, sed toti Ecclesiae, adimplentes « ea quae desunt passionum Christi, in carne sua, pro Corpore eius quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24); et haec etiam in patriam recepti pro nobis offerre et fructificare non desinunt, continuas orationes pro nobis apud thronum Dei intercedendo (*Apoc.* 8, 3).

Hinc apparet quam magni Ecclesia cultum Sanctorum semper fecerit et cur illa fideles indesinenter exhortetur, ut eis congruo ac quo decet modo cultum exhibeant, eos debito honore venerando, eorum intercessionem expostulando, et praesertim eorum exempla imitando, omnia haec vero per Do-

---

[1] Cf. « Gloria » Missae ritus latini: « Tu solus Sanctus, ... Iesu Christe ».

[2] Cf. Canon Missae ritus latini.

minum nostrum Iesum Christum ad laudem gloriae Dei Patris (cf. *Eph.* 1, 6. 12).

Hae emendationes proponuntur nomine conferentiarum episcoporum chiliensium et uruguarensium.

4

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

1. Vultus Ecclesiae, quem S. Synodus illustrare sibi proponit, sicuti in capite ita etiam in organis et in membris, necessario, ex ipsa eius natura, sanctitate signatur quae missionalis seu apostolica declaranda est.

2. In agendo de iis qui in Ecclesia et quodammodo nomine Ecclesiae statum consiliorum evangelicorum profitentur liceat in mentem revocare longe maiorem partem illorum ad perfectionem tendere et hunc in finem consilia evangelica in praxim traducere in vita variis operibus apostolatus dedita.

Neminem latet quid novi in hoc haberi praesertim pro religiosis mulieribus quod primo nostrum Concilium considerare oportet. Pluribus in apostolicis operibus Ecclesia operatur et etiam in futuro aget per religiosos ac religiosas aliosque evangelica consilia profitentes.

3. Quapropter in praesenti constitutione magni est momenti speciali modo fundamenta seu radices apostolatus in professione consiliorum evangelicorum, prout ab Ecclesia ordinata est, illustrare et ideo ostendere:

a) apostolatum non quid accessorium sed essentiale esse in praedicto statu consecrationis;

b) apostolatum etiam per exercitium operum erui ex ipsa intima fonte vitae consecrationis sicuti flores et fructus ex radicibus arboris atque opera apostolica in vita religiosa non deminutionem seu subtractionem vitae sanctitatis, sed potius additionem secumferre, prout scribit S. Thomas: « cum aliquis a contemplativa vita ad activam vocatur, non hoc fit per modum subtractionis, sed per modum additionis » (II-II, q. 182, a. 1 ad 3).

Amor proximi propter Deum nihil detrahit amori Dei, sed potius illum comprobat.

4. Licet apostolatus in quantum communicatio vitae divinae et attractio ad Deum in vita religiosa numquam deesse queat, eius rationes ac modi seu actus varietatem exhibere possunt, ex quibus ipsae formae diversae vitae religiosae oriuntur, nempe illa quae *contemplativa-apostolica* et illa quae *apostolica-contemplativa* vocari possent, quae tamen varia mensura uniri valent.

Quolibet in casu religiosa vita intima et in se indissolubili signatur unitate, qua, sic dicti duo fines ad invicem devinciuntur et in unum veluti confluunt, nempe in perfectionem seu sanctitatem quae apostolica necessario erit.

5. In vita apostolica contemplativa, quae simpliciter religiosa apostolica forsan dici posset, apostolatus sic dictus directus, seu per exercitium operum

externarum, qui apostolatui generico sociatur, non est quid accidentale vel accessorium, sed essentiale et ad formam vitae, sensu philosophico intellectam, pertinens. Apostolatus praedictus nihil detrahit sanctitati, vel eius exigentiis, sed potius illas exprimit et adimplet et quodammodo corroborat et evolvit.

Exercitium apostolatus alitur, sustinetur et signatur a consiliis evangelicis aliisque elementis vitae religiosae v. g. vita communi; et vicissim ipsum alit atque informat totam vitam perfectionis acquirendae. Mutuus et vitalis influxus inter apostolatum et perfectionis vitam.

6. Ideo exercitium apostolatus nequit haberi uti obstaculum vel periculum pro vita religiosa, dummodo de genuino apostolatu agatur iuxta proprias leges exercendus; quinimmo fidele responsum constituit vocationi a Deo datae et muneri ab Ecclesia commisso et vitam praebet qua perfectio evangelica intendenda erit.

7. Quapropter religiosus et religiosa apostolatui dediti necessitatem experientur: *a*) ex una parte respondendi exigentiis consiliorum evangelicorum et perfectionis; *b*) ex alia parte vires in hoc haustas ad gloriam Dei in bonum animarum impendendi, prout necessitates locorum et temporum requirunt, ad finem proprii Instituti intendendum.

Tali modo perfecta unitas obtinetur, quae tamen non statica, sed dynamica est motum exhibens erga renovationem in praxi et in spiritu consiliorum evangelicorum et simul erga adaptationem exterioris formae vitae ad exercitium operum apostolatus, cuius effectus erit renovatio et adaptatio ipsius apostolatus.

8. Huius S. Synodi erit commemorare statum consecrationis per evangelica consilia apostolicae sanctitati donum esse eximium a Divino Conditore Ecclesiae factum in eius germine saltem, quod sub ductu Spiritus Sancti Ecclesia mire custodit, alit et evolvit et ex quo nova semper haurire valet, prout saeculorum decursus comprobat.

9. Pariter huius S. Concilii exprimere erit statum professionis consiliorum evangelicorum totalem secumferre dedicationem Ecclesiae ad eiusdem apostolicam sanctitatem exprimendam, qua de causa Instituta eorumque sodales signum, testimonium atque instrumentum et veluti sacramentum apostolicae sanctitatis ab ipsa Ecclesia constituuntur.

Quapropter religiosi stricte Ecclesiae adhaerent ratione finis scil. sanctitatis et ratione muneris seu missionis acceptas, seu melius unico ligamine duplici externe constituto filo, nempe sanctitate et apostolatu.

10. In praesenti schemate, quolibet excluso sic dicto « monopolio » perfectionis et apostolatus, clara in luce ponenda erunt vocatio atque munus seu ministerium religiosorum aliorumque evangelica consilia profitentium uti status consecrationis apostolicae sanctitati Ecclesiae, tamquam eiusdem testimonium et instrumentum ad aedificationem ipsius Ecclesiae, quo verba comprobantur S. Bedae dicentia « Ecclesia quotidie generat Ecclesiam » (*Explanatio Apocalypsis,* 2, 12: *PL* 93, 116 d).

11. Uti consequentia ostendendum erit officium et honor pro Institutis eorumque sodalibus plene vocationi religiosae-apostolicae respondendi, vitam et actionem Ecclesiae, iuxta proprium statum, in se exprimendi, quem in finem quam maxime ipsorum erit: *sentire cum Ecclesia, sapere cum Ecclesia* atque *vivere cum Ecclesia,* ad instar Apostoli gentium dicentis « mihi vivere Christus est » (cf. *Phil.* 1, 21).

12. Ad singulos numeros deveniendo haec animadvertenda videntur:

a) N. 31, pag. 20, linn. 6-19: consilia evangelica directe praesentanda essent prae oculis habitis religiosis et aliis qui ratione status, ab Ecclesia constituti, illa profitentur et pro eisdem contentum apostolicum paupertatis et oboedientiae exprimendum esset, paucis verbis, sicuti pro castitate perfecta habetur, v. g. lin. 10 post verba « in filiorum Dei libertate adsumitur » addatur: « ita ut non quae sua sunt quaerant, sed quae sunt Iesu Christi » (cf. *Phil.* 2, 21).

b) N. 32, pag. 21, lin. 3: adderem: « atque uberes fructus sanctitatis et apostolatus Ecclesiae affert ».

c) N. 32, pag. 21, lin. 22: post verbum « adhaerent » adderem « etiam pro eius salvifica missione explenda », vel alia verba quae exprimant religiosos soli Christo adhaerere etiam in apostolica activitate.

d) N. 33, pag. 21, lin. 25: post verba « spiritualis horum vita » addendus esset « atque apostolica actio, iuxta propriam cuiusque vocationem, bono totius Ecclesiae, a qua veluti duplici munere sanctitatis nempe et apostolatus ipsi asseclae donantur, devoveatur oportet ».

e) N. 33, pag. 21, lin. 32: post verbum « connexum » adderem « et ab Ecclesia novo titulo ac robore sancitum ».

f) N. 34, pag. 22, lin. 7: post verbum « adfuit » adderem « atque singulis Institutis propriam missionem in agro Domini contulit ».

g) N. 35, pag. 22, lin. 25: post « Deo consecratio » adderem « et Ecclesiae dedicatio ».

5

EXC.MUS P. D. ANTONIUS M. AGUIRRE
Episcopus S. Isidori in Argentina

In pag. 19, n. 30 huius schematis vehementer in mentem revocatur sacerdotibus ceterisque christifidelibus omnibus obligatio quae illis incumbit sanctitatem vitae procurandam.

Nomine episcoporum Americae Latinae magno animo huic exhortationi subscribo, tamen puto talem exhortationem ad sanctitatem adipiscendam in primis episcopis fieri debere, qui praeses nempe sunt Ecclesiae.

Ad hunc obtinendum finem, proponimus ut in hoc schematis numero addatur publica agnitio obligationis quae nobis, episcopis, incumbit incessanter ad perfectionem tendendi. Nos enim sumus populi christiani consummatores atque sanctificatores. Rationem etiam reddere debemus coram Deo sancti-

tatis huius plebis nobis commissae: a nobis, ergo, validius testimonium petitur, « spectaculum — enim — facti sumus mundo et angelis et hominibus ».

Tale testimonium sanctitatis, in caritate radicatum et fundatum, in omnes omnino virtutes exundet oportet. Nihilo tamen minus una nobis videtur inter eas virtutes hodie eminere debere: paupertas nempe evangelica, quae a tot hominibus, christianis et non christianis, a nobis petitur, veluti signum eloquentissimum missionis nostrae divinae.

Non satis habere debemus alios quosdam ad sanctitatem exhortare, sed incipiendum est a nobismetipsis. Agitur de exemplo dando, ita ut iure dicere possimus: « exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci ita et vos faciatis ».

Haec humilis agnitio nostrae imperfectionis (quae nempe quotidie sanari petit ad sanctitatem indefessa conspiratione) nedum nos coram oculis fidelium nostrorum imminuat, coram ipsis atque praesertim coram Deo, nos iuxta evangelicum dictum exaltabit.

[*Subsignaverunt etiam*] Manuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero; Aloisius Baccino, ep. S. Ioseph in Uraquaria; Roberto Cáceres, ob. de Melo, Uruguay; Alberto Devoto, ob. de Goya; Vicente Zazpe, ob. Rafaela; Francisco Austregèsilo de Mesquita, ob. de Afogados da Ingàzeira, Brasil; Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis; Orestes S. Nuti, ep. Canelonensis, in Uraguay; Miguel Balaguer, ep. tit. Castelli Minoris, Uruguay; M. J. Blanchoud, ob. de Rio Cuarto, Argentina; Antonio Rossi, ob. de Venado Tuerto; Jorge Kemerer, ob. de Posadas, Argentina; Alafridus Viola, ep. Saltensis (Urug.); F. X. Gillmore S., vic. castr. Chile; Guillermo C. Hartl, Chile; Marcellus Mendiharat, ep. coad. de Salto, Urug.; Francisco Valdes S., ep. Osorno, Chile; T. Eugenín, ob. tit. Gerisso; Ramón Bogarin A., ob. S. Juan B. de las Misiones, Parag.; J. Manuel Santos A., ep. Valdiviensis; Enrique Alvear U., ob. aux. de Talca; Vladimiro Borić, ep. de Punta Arenas, Chile; Augusto Salinas, ob. de Linares, Chile; Juan Fresno L., ob. de Copiapó, Chile; Raul Zambrano C., ob. de Facatativá, Colombia; Miguel Antonio Medina, ob. aux. Medellin, Colombia; Bernardo Arango, ob. de Barranca Bermija, Colombia; Eloy Tato, ob. tit. de Cardicio, Colombia; José Arango, pref. ap. Guapi, Colombia; Angel Ocampo Berrío, ob. de Tunja, Colombia; Pedro José Rivera Mejía, ob. de Socorro y San Gil, Colombia; Alfonso Uribe J., ob. aux. de Cartagena; Jorge A. Giraldo, ob. de Pasto; Vicente Roig y Villalba; Argimiro A. García Rodriguez, vic. ap. de Tucupita; Tomas A. Clavel M., ob. de David, Panama; Hector Rueda H., ob. Bucaramanga; Juan José Diaz Plata, prel. null. Bertrania, Columbia; Enrique Bolaños Q., Costa Rica; H. Lara M., Verapaz, Guatemala; Eduardus Boza Masvidal, ep. tit. Vindensis, La Habana, Cuba.

6

Exc.mus P. D. REMIGIUS AGUSTIN

Episcopus tit. Turuzitanus, aux. Portus Principis

1. Valde placet quod in constitutione *de Ecclesia* caput habetur « De vocatione ad sanctitatem », quae, uti terminus ad quem omnes contendere tenentur, eadem pro omnibus est, nempe: amor Dei ex toto corde dilecti in imitatione Domini nostri « via, veritas et vita » (cf. *Io.* 14, 6).

Placet quoque quod in hac constitutione agatur de praxi consiliorum evangelicorum, quae praxis totaliter et directe ad sanctitatem ordinatur. Dicebat Concilium Tridentinum « non ignorat sancta Synodus quantum ex Monasteriis... in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur » (*De Reformatione*, sess. XXV, c. 1).

2. Necessarium, tamen, videtur in hac constitutione commemorare Iesum Christum verbo et exemplo docentem perfectiorem eius sequelam in castitate perfecta, in paupertate et in oboedientia consistere: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes... sequere me » (*Mt.* 19, 21).

Tunc, clarius et plenius vocatio et munus in Ecclesia profitentium consilia evangelica apparerent; christifideles, praesertim iuvenes et adolescentes utriusque sexus, praedilectionem Domini ad illa vocantis intimius persentirent et illi qui « omnibus relictis » (*Lc.* 5, 11) Dominum secuti sunt, facilius retro non aspicerent, sed, vota Domino facta, fideliter et integre redderent.

3. Praeterea, indicandum esset peculiari invitatione seu vocatione hanc formam vitae propositam fuisse et indesinenter, atque generose proponi; praxis consiliorum, enim, Ecclesiae necessaria est ut sit sancta et sine ruga (*Eph.* 5, 27) atque plene ac perfecte amori sui Sponsi respondeat. Hic status vitae non tantum significat, sed revera connubium constituit quod perenniter inter Christum et Ecclesiam celebratur prouti in Pontificali Romano « De Consecratione Virginum » asseritur.

4. Doctrina Christi eiusque invitatio quam christifideles Ecclesiae hierosolimitanae quoad paupertatem et communitatem bonorum, virgines et ascetae quoad virginitatem et deinceps monachi aliorumque legiones etiam quoad oboedientiam secuti sunt animam et essentiam atque vim constituunt illius status socialis, iuridici, et pro religiosis etiam publici et canonici, qui in sua institutionali forma fructus exstat sapientis atque providae actionis Ecclesiae, omnis sanctitatis fidelium matris ac magistrae, in qua actione privatorum charismata momentosam collaborationem praestiterunt.

Status perfectionis acquirendae per praxim consiliorum evangelicorum, prouti nunc ab Ecclesia habetur, mirus agnoscendus est fructus doctrinae Christi, invitationis Spiritus Sancti atque maternae actionis Ecclesiae.

Conclusio. Haec omnia expressiori in luce ponenda essent in nostro schemate ad hoc ut status professionis consiliorum evangelicorum magis ac magis ornamentum sit et decor Ecclesiae atque omnes miras in se reconditas

vires ad aedificationem corporis Christi, prouti loca et tempora requirunt, exerat.

Ideo, votum humiliter propono ut in schemate, n. 31, pag. 20, linn. 2-20 addatur: « Dominum Nostrum fundamentum et elementa constitutiva posuisse peculiaris status consecrationis ad quem fideles speciali Dei vocatione invitantur ad perfectionem facilius et plenius consequendam, qui status ab ipsa Ecclesia definitur, ordinatur ac regitur ».

7

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

Vocatio generalis ad sanctitatem. In populo Dei omnes ad sanctitatem vocantur. A S. Petro describitur ut: « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*1 Pt.* 2, 9).

Haec est prima et fundamentalis vocatio populi christiani ad sanctitatem, nempe: vocatio ad « admirabile lumen suum » in Ecclesia.

Populus hic erit « lapis vivus », quo domus spiritualis aedificabitur: « Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum » (*1 Pt.* 2, 5).

Haec ipsa functio activa lapidis electi et vivi Ecclesiae, invenitur iam descripta, temporibus apostolicis, in libro *Pastor* Hermae: « Tu, ecce nonne vides adversum te turrim magnam, quae aedificatur super aquas lapidibus quadratis splendidis » (Visio III, 2).

In hac domo seu turri, habitabit *gens sancta,* in hereditate Dei constituta. Haec est enim quae a Sancto Paulo vocatur Corpus Christi, in quo singula membra funguntur muneribus a solidarietate sociali petitis.

S. Petrus statuta propria huius societatis spiritualis promulgavit, stabiliens munera christianorum.

Vocatio fundamentalis ad sanctitatem in eo praecise consistit ut christianus vocetur ad hanc domum seu societatem constituendam, ut pars eius integralis, mediantibus notis essentialibus vitae christianae. Postea accedunt vocationes peculiares pro diversis organis necessariis ad vitam corporis socialis. Quaedam membra ad sacerdotium ministeriale vocabuntur, ut apostolorum successores, et pro hac selectione consequenda Christus instituit sacramentum Ordinis. Alia vero membra vocabuntur ad societatem domesticam constituendam, et pro ipsis sacramentum matrimonii instituitur.

Istae sunt vocationes peculiares ad sanctitatem, ordinatae ad officia propria et necessaria in populo Dei, et quae exigunt proprium statum perfectionis, cum exigentiis complementariis et gratia status propria.

Diversae vocationes ad sanctitatem. Sed in statu laicali, praeter has vocationes ad sanctitatem, ostium magnum apertum manet ad sanctificationem

peculiarem et propriam in his servitiis ad necessitates proximorum sublevandas, sicuti in apostolatu et exercitio operum misericordiae, in caritate sociali et in propria activitate professionali, ut in labore.

Omnis vocatio Dei est via ad sanctitatem, et in quacumque perveniri potest ad perfectionem. Nam omnibus christianis, tam his qui eliguntur ad sacram hierarchiam, quam his qui simpliciter ad vitam christianam communem vocantur, a Domino nostro Iesu Christo dictum est: « Estote vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48).

Vocatio laicorum, ut Christus sit omnia in omnibus. Omnis christifidelis, ut pertinens ad *gentem sanctam,* est *lapis vivus* aedificii socialis, et vocatione speciali destinatur ad actionem.

Christianus laicus, quatenus laicus, habet specificam vocationem et consecrationem et constituitur pontifex mundi creati et visibilis, ut per ipsum Christo incorporentur realitates et institutiones terrenae, « ut ipse sit omnia in omnibus ».

Laicus enim, in mundo realitatum terrenarum, accipiet missionem concordandi Evangelio totam creaturam et implendi arte suo et labore opus creationis divinae.

Sanctificatio in labore humano. Labor humanus est activitas et functio socialis necessaria. Maior pars vitae hominis labore impletur. Labor est homini officium et homini christiano, medium sanctificationis.

Labor ab ipso Christo Domino sanctificatus est. Homini christiano labor in oratione converti potest, ita ut singuli conatus, singulis diei momentis, augmentatione gratiae ditesci possint. Ictus in ligno, sicut in S. Ioseph, et ulcus in agro, sicut in S. Isidoro Agricola, convertuntur in augmento gratiae et sanctitatis.

Consolatrici inspiratione, humanissimus Supremus Pontifex Ioannes XXIII, laborem humanum, quasi si de altissima oratione ageretur, indulgentia plenaria quotidiana remuneratus est (*A.A.S.* 53, 1961, 827).

Laicus potest etiam invenire in labore suo efficax medium apostolatus, quia est servitium sociale fratribus praestitum et constans testimonium evangelicum.

S. Paulus loquens de « donis differentibus » videtur innuere existentiam gratiarum peculiarium respondentium diversis activitatibus christianorum et omnes has functiones esse media sanctificationis.

Populus Dei in statu laicali permanens proprio sacerdotio gaudet pro rebus terrenis consecrandis et nobilissimam missionem in ordine supernaturali habet. Sunt etenim laici ministri necessarii sacramenti matrimonii et extraordinarii sacramenti Baptismi. Spirituales institutores filiorum suorum. Apostoli sociales fratrum. His enim muneribus funguntur laici etiam sine canonica missione. Eis sufficit missio ab ipso Christo accepta aedificandi « domum spiritualem », cuius et ipsi lapides vivi constituuntur.

In hac vocatione sociali seu ecclesiali invenire potest et debet christianus laicus suam propriam sanctificationem, usque ad perfectionem.

In cap. IV schematis, « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », locum privilegii consequuntur sacerdotes et religiosi, quod quidem peroptimum est, sed tamen, *gens sancta, populus acquisitionis,* quamvis ad hierarchiam et statum religiosum non pertineant, domum Dei et aedificant et implent, et minimas partes accipiunt in hac tractatione.

Ideoque desideratur in schemate doctrina profundior et amplior circa vocationem specificam laicorum ad sanctitatem, praesertim in exercitio vitae christianae in suis elementis essentialibus, modo speciali, in iustitia, in aequitate et in caritate sociali, sicut docetur ab encyclica *Mater et Magistra.*

Desideratur status specialis perfectionis laicorum. Immo desideratur ut status specialis perfectionis constituatur pro laicis, qui plene velint vivere vitam christianam in exercitio caritatis socialis et apostolatus et nolint abdicare a sua propria conditione laicali, et prosequi velint in sua conditione saeculari sine subiectione ad aliam voluntatem quae non sit voluntas hierarchiae saecularis.

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANGRISANI

Episcopus Casalensis

Ad n. 29. Sicut Moab Moabites licentiam habuit colligendi spicas relictas a messoribus Booz, sic liceat mihi unam tantum spicam colligere de campo huius altissimae disceptationis, eamque iudicio maiorum subiicere, si forte invenerint consideratione dignam.

In cap. IV « De Ecclesia », pag. 18, sub n. 29, agitur: « de universali ad sanctitatem vocatione »; et a linn. 18-23 legitur: « (Dominus Iesus) sanctitatis viam omnibus eum sincere sequentibus per Spiritum Sanctum *aperire* desiderans, unum universaleque mandatum dedit ut Deum diligant, etc. ». Hic agitur de maximo et primo mandato « in quo tota lex pendet et prophetae » quodque — iuxta Paulum — « est vinculum totius perfectionis » (*Col.* 3, 14).

Sed, cum desiderium huius sanctae Synodus sit *omnes* christifideles ad sanctitatem vocatos demonstrare — cumque indoles huius Concilii debeat esse eminenter pastoralis, mihi videtur magis opportunum, immo necessarium, sermonem aptare ad intelligentiam et capacitatem eorum pro quibus divus Augustinus librum « de catechizandis rudibus » paravit.

Meminerimus — ad hoc — verba divi Ambrosii qui in homilia quae habetur in Communi plurimorum Martyrum, II loco, super illud Lucae (6, 17: « Descendens Iesus de monte ») scribit: « Adverte omnia diligenter quomodo et cum apostolis ascendat, et descendat ad turbas. Quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia ».

Haec est turba quae, sensu reali, dici debet « Ecclesia pauperum »!

Haec est quae de Corde dulcissimi Iesu traxit verba: « Misereor super turbam »!

Huic turbae pauperum Dominus Iesus, sicut mysteria suae altissimae doctrinae aperuit « loquens per parabolas », sic viam aperuit perfectionis ducendo eam — ut ita dicam — per gradus.

Et reapse, antequam indicaret summam et culmen totius perfectionis in mandato caritatis erga Deum et proximum (*Mt.* 22, 37; *Mc.* 12, 30) signavit iter tutum et planum, omnibus accommodatum, quod ad verticem perfectionis ducit, quando iuveni petenti: « Quid faciens vitam aeternam possidebo? », respondit: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: non occides, non adulterabis, non falsum testimonium dices, honora patrem et matrem, etc. » (*Mt.* 19, 17; *Mc.* 10, 19).

Revera, quod custodia mandatorum sit iter tutum et planum ad sanctitatem liquido patet sive ex Veteri Testamento sive — et luculentius — ex Novo.

1. Dicit Spiritus Sanctus in Libro Ecclesiastae (12, 13) « Deum time et *mandata* eius observa; hoc est enim omnis homo ».

Legitur in psalmis: « Beatus vir qui timet Dominum: qui *mandatis* eius delectatur multum » (*Ps.* 111, 1).

« ... Diligo *mandata* tua plus quam aurum et obryzum; ideo omnia praecepta tua elegi mihi, omnem viam iniquam odio habui » (*Ps.* 118, 127, 128).

2. Dominus noster Iesus Christus, in Coena ait: « si diligitis me, *mandata* mea servate » (*Io.* 14, 15).

Et discipulus « quem diligebat Iesus » in sua I Epistola scribit: « In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei cum Deum diligamus et *mandata* eius faciamus. Haec est enim caritas Dei ut *mandata* eius custodiamus; et *mandata* eius gravia non sunt » (5, 2-3).

3. Addi potest definitio sanctitatis, a Papa Benedicto XV f. r. his verbis data: « Sanctitas demum nihil aliud est nisi adimpletio perfecta et constans suorum cuiusque officiorum »; quae definitio clare innititur verbis Domini qui ait: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium domini tui » (*Mt.* 25, 21).

His dictis concludo. Si animadversio mea alicuius momenti iudicatur digna, rogo ut lin. 18, pag. 18, post verba: « sanctitatis viam omnibus aperire desiderans » addatur: « postquam omnes vocavit ad servanda Dei mandata »; et dein prosequatur sicut in textu: « unum universaleque mandatum dedit ut Deum diligamus, etc. ».

Alias spicas pro nunc non habeo offerendas caritati vestrae, et ideo ori meo custodiam pono, dicens vobis: venerabiles Patres, plurimas gratias.

9

EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN
Episcopus tit. Abudensis, coad. c.i.s. Gadicensis et Septensis

Loquor etiam nomine aliorum Concilii Patrum Hispaniae. In cap. IV schematis *de Ecclesia,* n. 35, linn. 24, 25, 33, 34 legitur: « Eo pluris evangelicorum consiliorum professio per se aestimanda est, quo intimior atque firmior fit Deo consecratio... Omnes tandem christifideles perspectum habeant consiliorum evangelicorum praxim ».

Et in n. 30, pag. 19, linn. 2-7 etiam legitur: « Sacra Synodus, imprimis utriusque cleri sacerdotes enixe et permanenter hortatur, ut ad imaginem Ordinis episcoporum... ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant ad totius populi sanctificationem ».

In Dei praesentia et coram populo hodierno ex me quaero: Nonne haec verba mitem invitationem significant, praesertim nobis pastoribus (episcopi et sacerdotes) ut sincere conscientiam nostram perscrutemur ad praxim consiliorum evangelicorum, maxime vero paupertatis, prae oculis habens magnum momentum testimonii evangelici huius virtutis?

Quapropter modificationem in hac paragrapho proponere audeo, ut postea in voti fine dicam. Hae rationes mihi suadent:

1. *Sacra Scriptura.* Iesus Messias pauperum est (*Mt.* 5, 3; *Lc.* 6, 20) qui regni annuntiati haeredes constituuntur (*Iac.* 2, 5). Hac de causa nascitur pauper, pauperque vivit (*Lc.* 2, 7; *Mt.* 13, 55; 8, 20).

Inter commendationes apostoli ad discipulum Timotheum — et ad episcopum quidem fit sermo — haud dubie et frequens sobrietas, victus humilis et simplex, frugalitas denotatur, quae omnia paupertate continentur. (Ita in *1 Tim.* 3, 2 s.; 4, 12; 6, 5-6).

His omnibus locis apparet apostolum omnibus dignitate ecclesiastica constitutis, praecepta vitae praebere.

Singularia testimonia de episcoporum paupertate in Apocalypsi invenientur (1, 9; 3, 22; 2, 9; 3, 17).

2. *Ratio historica.* Constantinus suis episcopis dignitatibus ornat, senatorum aut praeclarorum virorum instar, auctoritate iustitiae exercendae, et quibusdam negotiis, civilibus aut militaribus vacandi. Insignia honorifica primo utuntur, quae ecclesiasticos homines potestatibus immo Imperatori aequiparant.

Cum saec. V ineunte (inter clericos vestis inducitur diversa a saecularium [adhuc tantum caerimoniis a celebrantibus *mundae vestes* postulabantur]), Caelestinus I Papa, Honoratum Lerinensem hoc insimulat: « a ceteris — inquit — scientia, non veste secernamur; nostra sanctimonia, non speciebus nostrae vitae ». Sensim baculus, mitra, pectoralis inducuntur.

3. *Magni sacerdotis praeconium.* Cleri Hispani Patronus, B. Ioannes de

Avila, scribebat: « Mirandum in modum est quam diverse sentimus ac Ecclesia et Sancti sentiebant. Nunc existimatur ecclesiasticos divites esse oportere, ut pluris fiat tum ipsi tum sua... Quod — inquiunt — expedit Ecclesiae et Christi honori, cuius ipsi ministri habentur. Duo tamen mala in his exstant: alterum in hoc vacuo honore; alterum peius adhuc, quia hoc expedire dicitur Christo eiusque Ecclesiae. Verum enim si dicant, hoc sequetur, Christum id non honoravisse, cum hanc viam non fuisset secutus; immo inhonoravisse, quia aliter processit atque hi procedunt. Honor ministrorum Christi suum Dominum sequi est, non tantum interius, sed etiam exterius ».

4. *Voces Romanorum Pontificum.* Referre teneor sententiam Sanctissimi Ioannis XXIII, in adlocutione diei 11 octobris anni 1962: ante Concilium Oecumenicum: « Relate ad regiones parum evolutas — ego autem adderem ad partes parum evolutas regionum — Ecclesia se ipsam praebet — ut est et esse cupit — Ecclesiam omnium, maximeque Ecclesiam pauperum ». Similiter et Paulus VI, feliciter regnans, in oratione inchoandi secundi temporis Concilii: « *Vult, uti diximus, Ecclesia in Christo imaginem suam inquirere.* Si quid umbrae, si quid vitii post hanc contemplationem in vultu suo, in sua veste nuptiali animadverterit, quid sponte et strenue ei est agendum? Uti liquet, nihil aliud spectet opus est, nisi ut se renovet, se corrigat, se ad eam congruentiam referat cum divino archetypo suo, quam sequi ex praecipuo officio suo teneretur.

Tum solum, cum interioris sanctimoniae tantum opus perfectum erit Ecclesia vultum suum universo mundo ostendere poterit, talia fundens dicta: qui videt me, videt Christum; quemadmodum divinus Redemptor de se dixit: Qui videt me videt et Patrem.

Scil. universalis haec Synodus in id nititur, ut Ecclesiae augeat venustam illam perfectionem et sanctimoniam, quae nonnisi Iesu Christi imitatio atque mystica cum eo per Spiritum Sanctum coniunctio eidem tribuere possunt ».

5. *Vox populi.* « Faxit Deus ut ecclesiastici negotium oculis claris perspicere velint, aut saltem quae vulgo de se dicuntur audire; tunc profecto his rebus se aestimari non dicerent, et per se Ecclesiam. *Populares enim existimant radices superbiae in corde demitti, cum tantam copiam illius fructus exterius observent; atque propriam indigentiam cum opibus et pompis ecclesiasticorum conferendo, propriam vitam stomachantur et clericorum vitae invident.* Et cum haec de clericis sentiant, indevoti fiunt ut ipsorum missas audiant, eorumque cantus et sermones, itaque pedetentim scandalizati, ab Ecclesia recedunt » (B. Ioannes de Avila).

6. *Sensus pastoralis huius Concilii.* Quam difficile est ad Deum adducere et efficaciter allicere, dictione propria amoris, eos qui labore carent, operarios qui infimis et deficientibus ob annonam conditionibus vitam agunt, quibus nec focus nec tectus est, derelictos atque miseria onustos propter aliorum fratrum avaritiam, si nos ante eos sistimus nomine Christi, Domini pauperum et Ecclesiae pauperum, circumdati signorum externorum qui non adeo paupertatem significant.

7. *Ratio ascetica.* Quo liberiores vivimus a rebus huius mundi, eo maior erit noster amor Dei atque hominum propter Deum.

Certus sum, venerabiles Fratres, multos e nobis, haec in praecordiis sentire. Addo etiam: velle nos omittere ea omnia quae populo hodierno exemplum sanctitatis non praebeant. Sed fortasse modum ignoramus. Quapropter haec duo ut conclusionem humiliter propono:

a) Addatur n. 35, lin. 25: « Praesertim pastores, sacerdotes et religiosi maxime in hac hora propter adiuncta, enixe rogantur usum paupertatis evangelicae, tum in amore effectivo huius virtutis in vita privata, tum in ostensione signorum externorum, ut fideles ad virtutem alliciantur ».

b) Sive Concilium, ut sibi videatur, aut Sanctus Pater, Dicasterio opportuno, regulas certas praebeat et consentaneas usui sanctae virtutis paupertatis.

Parcite, sodes.

10

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA

Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

In cap. IV schematis *de Ecclesia* duae quaestiones tractantur: *in prima capitis sectione* agitur de omnium christifidelium vocatione ad sanctitatem, seu de quaestione utcumque generali et generica, *in altera vero sectione* agitur de statibus perfectionis acquirendae, seu de quaestione particulari et specifica.

Hae duae quaestiones sive organicitatis studio sive claritatis causa diversis in locis tractandae videntur.

Prima quaestio, de omnium christifidelium vocatione ad sanctitatem, locum organicum habet in cap. II de populo Dei in genere, in quo exponuntur principia generaliora quae ad omnes christifideles spectant, quatenus scil. membra Ecclesiae sunt.

Altera vero quaestio, de religiosis, in speciali capite tractanda est, sicut quaestiones de hierarchia et de laicis in specialibus capitibus tractantur.

Adaequatior praefatae materiae divisio expositioni de omnium fidelium vocatione ad sanctitatem in primis proderit, simul autem intelligibilem reddet statuum diversitatem in Ecclesia, ideoque etiam locum et functionem religiosorum in ea.

1. *De vocatione omnium fidelium ad sanctitatem.* Redactores schematis *universalem* vocationem ad *unam* sanctitatem modo satis extrinseco deducunt ex verbis Christi « Estote perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48); deinde statim agunt de mandato caritatis, seu, uti aiunt, de via ad sanctitatem; qua in re speciali cum emphasi insistunt in dilectione proximi, quae, sua vice, et quidem sine ulterioribus iustificationibus et qualificationibus, ab ipsis practice identificatur cum apostolatu exteriore qualis ab epi-

scopis et sub episcopis exercetur: immo, ordo episcoporum ex professo proponitur tamquam exercitii caritatis imago, logice ergo tamquam sanctificationis et sanctitatis prototypon et exemplar. (Beneplacita igitur fundamentalia sic dictae scholae Lovaniensis, utut disputabilia, de spiritualitate cleri dioecesani, qualia post card. Mercier, hodiedum ab aliquibus theologis proponuntur, sic et simpliciter in schemate introducuntur).

Talis autem procedendi modus gravissimas deficientias secumfert, e quibus saltem principaliores, reliquis praetermissis, hic enumerare liceat: *a*) non invenitur in schemate adaequata sanctitatis christianae descriptio seu biblica seu theologica; *b*) quidam sanctitatis christianae aspectus, tum christocentrici tum eschatologici, in schemate insufficienter sublineantur; *c*) vocatio ad sanctitatem in Ecclesia non systematice ex ipsa natura et indole Ecclesiae deducitur, nec proinde indicatur ratio ultima communis vocationis ad sanctitatem in Ecclesia; *d*) tandem quonam modo communis omnium fidelium vocatio ad sanctitatem cum typicis singulorum statuum vocationibus cohaereat et simul ab ipsis distinguatur nequaquam modo claro evincitur.

Si, e contra, quaestio de communi omnium fidelium vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, in capite de populo Dei in genere, eruitur ex ipsa essentia Ecclesiae, qua est mysticum Christi Corpus — ut logice expectandum est —, praefatae deficientiae eliminari poterunt.

a) Qua in re oportet ut sanctitas describatur mediante categoria progressivae unionis ontologicae et assimilationis moralis cum Christo in Ecclesia: quae unio, baptismate in terris inchoata, consolidatur sacra eucharistia et reliquis sacramentis, oratione, sacrificiis, sedula Christi patientis imitatione, praxi virtutum omnium, caritatis in primis; consummatur tandem per configurationem perfectam cum Christo glorioso in Ecclesia caelesti.

b) Si sanctitas, congruenter cum doctrina biblica et theologica describitur ope categoriae progressivae nostrae unionis cum Christo in Ecclesia, statim eo ipso patebit, curnam et quonam sensu omnes qui ad populum, ad familiam, ad regnum Dei pertinent atque ad dignitatem mystici Corporis membrorum elevantur, communi et universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia vocentur.

2. *De statuum diversitate in Ecclesia.* Si in tractanda quaestione de vocatione ad sanctitatem initium fit a doctrina de mystico Iesu Christi Corpore, simul patebit hanc communem omnium ad unam sanctitatem vocationem alio et alio modo specificari secundum locum et functionem ad quam singuli status, et intra ipsos singuli homines in Ecclesia destinantur.

Huius doctrinae applicationes ad singulos status in Ecclesia, uti patet, fieri deberent in tribus capitibus, distinctis, quae scilicet in specie hierarchiae, laicis et religiosis singillatim dedicandi essent, ita tamen ut omnia quae de singulis statibus in specie proferuntur e singulorum statuum functione propria et irreducibili deducantur.

In luce doctrinae de Corpore mystico qualis est locus, qualis functio, qualis proinde typica forma unionis cum Christo ad quam religiosi vocantur?

3. *De loco, et functione religiosis propriis.* Dicendum videtur unionem cum Christo propriam et typicam ad quam religiosi, vi sui status, vocantur in eo esse ut ipsi, per integram et indivisam donationem Christo factam, votisque firmatam, modo essentialiter novo Christo pauperi, virginali, oboedienti — et sic mundum redimenti — uniantur et conformentur, et hac ratione adimpleant ea quae desunt passionibus Christi pro Corpore eius quod est Ecclesia.

Praecise autem quia haec integra et indivisa sui ipsius donatio Christo facta implicat abnegationem perfectam bonorum humanorum maxime pretiosorum et supremum Christi et Ecclesiae amorem constanter exigit, status religiosus — per se et absolute loquendo — plus ceteris statibus asseclas suos caritatis et gratiae Christi participes facit; ipsos Christo intimius unit seu sanctificat, eosque profundius inserit salutifero Christi operi, in Ecclesia perpetuando.

Praesertim cum hodiedum status clericalis et laicalis legitime extollantur ac multi fideles bonum vitae religiosae minus clare perspiciant ideoque minus ad ipsam attrahantur, summa cum claritate affirmandum et explanandum est:

1) statum religiosum, qua statum, viam esse meliorem et efficaciorem ad unionem perfectam cum Christo seu sanctitatem;

2) hanc eminentiam status religiosi praecise in eo esse quod, per eum, illi qui ad indivisam Christi caritatem invitantur et huic gratiosae invitationi in fidei spiritu plene correspondent, conducuntur per Christi perfectiorem imitationem, ad intimiorem quoque unionem personalem cum eo;

3) affirmandum denique est ex hac intimiore cum Christo unione Ecclesiam universam permulta beneficia spiritualia contrahere.

Etiam sub hoc respectu expositiones quae in cap. IV schematis *de Ecclesia* inveniuntur, quamvis plura bona elementa contineant, satis imperfectae evadunt, nam: *a*) argumentatio biblica est incompleta et fragmentaria; *b*) sollemnis doctrina Concilii Tridentini (cf. v. g. Denz. 980), in S. Scriptura et perenni traditione fundata, quasi e proposito omissa videtur; *c*) vota religiosa, paupertatis praesertim, non adaequate definiuntur et iustificantur; *d*) ipsa vitae religiosae essentia non sufficienter et non satis systematice in intimiore Christi vitae participatione reponitur; *e*) vitalis influxus internus, qui ex statu religioso in totum Corpus mysticum redundat, inadaequate describitur et sublineatur.

Redactores schematis affirmant statum religiosum « *imprimis valorem signi habere* » (*Commentarius*, pag. 30, n. 33) et in genere status religiosi functionem essentialem per categorias testimonii et signi commemorativi, demonstrativi et prognostici describunt. Utique scimus hic non de solo signo exteriore agi, sed notandum videtur hunc modum loquendi esse polyvalentem et ambiguum, haud communiter receptum et multis theologis, sed praesertim populo christiano, difficilem captu.

Necessarium ergo est ut doctrina de essentiali functione status religiosi in Ecclesia modo magis claro et concreto enuntietur.

Haec necessitas eo vel magis urget quod redactores schematis fertilitatem apostolicam status religiosi modo nimium exclusivo coniungunt cum apostolatu exteriori, et quidem qualis ab et sub episcopo exercetur. Unde fit ut 1. de Institutis religiosis quae vitam stricte contemplativam ducunt, et in rerum veritate bonum totius Ecclesiae profundissimo modo promovent, in schemate nihil vel fere nihil inveniatur; et 2. ut etiam ubi de illis Institutis religiosis est sermo, quae ex professo apostolatui exteriori incumbunt, modo nimium unilaterali in hoc apostolatu exteriori et in eiusdem subordinatione sub episcopo insistatur.

Consequentiae practicae horum defectuum in schemate *de episcopis et de dioecesium regimine* sed praesertim in schemate *de cura animarum* manifeste deprehenduntur, uti mox adhuc audiemus.

Quamvis enim religiosi necessitatibus temporum, omni qua possunt vi, occurrere debeant, cavendum tamen est ne vitae religiosae integritas, ex qua efficacia ad exteriora profluit, cum ingenti damno Ecclesiae in discrimen adducatur vel etiam ne providentialis multiformitas Institutorum religiosorum pessumdetur.

4. *De momento exemptionis religiosorum*. Praecise hac in re exemptionis religiosorum iustificationem theologicam et necessitatem etiam hodie urgentem conspicimus.

Redactores schematis tantummodo statuunt Romanum Pontificem « ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque perfectionis institutum ac sodales singulos, intuitu utilitatis communis, sibi soli subicere atque ab Ordinarii loci iurisdictione eximere posse » (pag. 22, n. 34). Laudandum utique est, quod hoc principium generale, contra quorumdam conamina contraria, tandem in textum schematis assumptum fuerit. Convenit tamen ut ipsius exemptionis praxis, in utilitate communi Ecclesiae fundata, rationibus tum practicis tum theologicis clarius iustificetur.

Inter tales rationes practicas sine dubio computari debent maior religiosorum ad nutum Summi Pastoris disponibilitas necnon specialis quorumdam Institutorum religiosorum ad aliqua genera apostolatus aptitudo, quae directionem universalem uniformem et stabilem requirunt.

Inter rationes autem theologicas praefata consideratio de integritate et multiformitate vitae religiosae pure conservandis primarium locum occupet oportet. Quamvis enim verum sit religiosos in spiritu verae caritatis et humilitatis cum et sub episcopis apostolatum exercere debere, tamen non minus verum est, intuitu communis boni totius Ecclesiae, providendum esse ut vita religiosa, quae apostolatus anima est nec umquam sine damno ab eo separari poterit, in toto suo vigore conservetur et promoveatur. Quod fieri haud potest nisi Supremo Moderatori religioso, et sub eo superioribus quoque religiosis regionalibus et localibus, illa libertas et autonomia relinquantur quae unicuique organo vitali in Corpore mystico ad propriam conservationem et evolutionem absolute sunt necessaria et sine quibus authenticus spiritus religiosus promoveri non potest. Patet autem huius libertatis et autonomiae

stabilem securitatem longe melius sperari posse, si Romano Pontifici, non autem singulis episcopis vel episcoporum conferentiis ius competat exteriorem religiosorum apostolatum proprio iudicio et propria auctoritate determinandi.

11

Exc.mus P. D. MICHAEL BALANGUER

Episcopus tit. Castellominoritanus, aux. Montisvidei

Omnino necessarium erat Concilium loqui de exigentia omnibus christifidelibus communi ad sanctitatem tendendi, quod nulla exceptio est, sed generalis voluntas Christi pro omnibus suis discipulis.

Pro dolor, enim, maxima fidelium pars de sanctitate cogitat ut de meta tantum a sacerdotibus et religiosis assequenda, et quidem maxime difficulter: vita enim nostra hoc illis indicat.

Convicti manent illos tantum animas suas salvare debere: scil. poenas aeternas effugere. Magis ab inferno fugiunt quam Deum quaerunt.

Ecclesia tamen sancta esse debet, et non tantum aliqui de ea; christiani omnes sal terrae et lux mundi esse debemus. Si corruptio, si tenebrae adsunt est quia sal dissipatum est, quia lux non elucet.

Spectaculum sanctitatis esse debemus, secundum Evangelium, ut homines videntes opera nostra bona, glorificent Patrem qui in caelis est.

Quale autem spectaculum sumus? In regionibus sic dictis christianis, ad discernendum christifideles ab aliis, nonne necesse est diem Dominicam exspectare, et assistentiam ad Missam comprobare? Per hebdomadam autem difficillime christifideles ab aliis distinguuntur.

Maxima enim fidelium pars ita cogitat de suo christianismo ac si de adimpletione rituum ab Ecclesia legislatorum ageretur, non de fidelitate spiritui caritatis Evangelii.

Deus, sine cuius Providentia nihil in mundo est atque movetur, unicuique statum vitae indicavit, quae indicatio « vocatio » nominatur. Immensae maioritati ad statum laicalem vocavit, ut in mundo aliquam activitatem exercerent inter plures quibus honeste homines se dant; aliis autem, et quidem minore omnino numero, vocationem donavit ad vitam sacerdotalem vel religiosam. Pro omnibus tamen sive laicis, sive clericis, sive religiosis, exigentia urget ad sanctitatem, hoc est ad caritatem perfectam. Indicatio Domini ergo ad statum vitae, est vocatio sensu stricto; appellatio autem ad sanctitatem non est proprie vocatio, sed exigentia pro omnibus. Quare puto melius esse loqui de necessitate sanctitatis in diversis *vocationibus* (etiam ergo in vocatione laicali) quam de *vocatione* ad sanctitatem.

Caput tamen quartum nostri schematis hanc finalitatem non bene adimplet: novem enim constat numeris, quorum duo de sanctitate modo generico loquuntur, unus, et tantum unus, de sanctitate a laicis exigita, dum sex alii de sanctitate per exercitium consiliorum evangelicorum agunt, de illa scilicet

via ad sanctitatem quae praecise non est laicorum, sed religiosorum, quibus postea integrum aliud schema dicatur.

Haec dispositio fovet errorem maximae partis fidelium quae putat mundum fugiendum esse ad sanctitatem adipiscendam, quia impossibile est in vita laicali de perfectione christiana cogitare.

Quare mihi necessarium esse videtur, post generalem enuntiationem in hoc capite, ea quae principaliter seu particulariter ad sanctitatem religiosam et clericalem spectant, ad alia schemata ubi specifice de illis agitur esse mittenda, et in hoc capite (unico ubi hoc fieri potest) effusius de sanctitate laicorum loqui. Immo et clare indicare virtutes de quibus consilia evangelica agunt, obligatorias esse pro omnibus christifidelibus.

Omnibus enim necessaria est paupertas cordis, ab omnibus exigitur castitas (etsi non ab omnibus virginitas consecrata, vel caelibatum requiratur), omnibus tamen necessaria est oboedientia, humilis scilicet submissio auctoritati (familiari, civili et ecclesiasticae). Qui de iis virtutibus (obiectum fundamentale consiliorum evangelicorum) non curent, non sunt omnino in via ad sanctitatem requisitam a Domino pro omnibus christianis, et sunt christiani tantum nomine. Non qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris, docuit Christus.

Quare propono quod hoc caput redigatur magis ad laicos attendendo, qui maxima pars corporis Christi sunt.

12

EXC.MUS P. D. RAPHAEL BARBIERI
Episcopus Cassanensis

Omni laude mihi videtur digna omnium statuum sanctitatis tractatio et toti mundo proposita appellatio. Quid hac magis necessarium et utilius in hac tam gravi mundi hora? Cum vero haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut ait apostolus (*1 Thess.* 4, 3), haec finis, haec vitae humanae suprema est lex. Liceat mihi minimo quinque considerationes exponere circa tam excellentem materiam.

1. In par. 29, lin. 20, in S. Marci citatione, in cap. 12, 30, supremam vitae legem schema dicit: « unum et universale mandatum ». At Marcus non loquitur de « uno et universali mandato, sed de « primo » solummodo. Si textus citatur, maxima textui fidelitas servanda est.

2. Aequivoca etiam mihi videntur par. 22 verba « Una est christiana sanctitas ». At revera, una dici potest quantum ad essentiam originemque, minime vero una in formis et viis.

3. Confusionem et veram deficientiam in sanctitate sacerdotali tractanda invenio, nam schema illam, in « ministerio suo sancte, alacriter, fortiter adimplendo » ponit. Sed non in hoc, primarie, mihi sanctitas sacerdotalis videtur consistere, sed potius hoc sanctitatis effectum dicerem. Ministerium « sancte, alacriter, fortiter » adimpletur, si cor sacerdotale gratia et caritate repletur,

quae virtutes sacerdotales non solum activas sed passivas praecipue gignunt. Nam virtutes activae sine gratia et caritate, neque oriri neque exerceri possunt; quinimmo anima sacerdotalis, illusionibus decepta, illam actionis haeresim amplecteretur, qua nihil in Ecclesia perniciosius, ut videri est in admirabili et numquam satis laudato opusculo, qui « Anima totius apostolatus » dicitur, ab Abbate Chotard confecto.

Schema, vero, videtur ex professo solummodo activas virtutes sacerdotibus proponere, quia de « humili servitio et abscondito » loquitur. Nihil, de sacerdotum interiori vita excolenda; nihil de pietatis exercitiis; nihil de virtutibus personalibus, quibus vetus homo destruitur et novum induimus; nihil scilicet de humilitate, oboedientia, oratione, mortificatione; de castitate, de studio ordinato et methodico; nihil, proh dolor!, nihil schema dicit!

Et praesertim minime sacerdotibus via regia sanctae crucis ostenditur quae semper sanctis sacerdotibus regina fuit viarum. Sacerdotibus omnibus Concilium, sicut novissimi Summi Pontifices insignibus et immortalibus fecerunt documentis, mysterium Crucis hominibus ostendere debet, ad sapientiam huius saeculi debellandam, quam mundus hodiernus summopere spernit et verbis et vita et spectaculis. Exhortentur sacerdotes, paterno effuso affectu, ut vexillis regiis prodeuntibus, verba Apostoli unusquisque pronuntiare valeat: « Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua mundus mihi crucifixus est et ego mundo » (*Gal.* 6, 47)!

4. De coniugum sanctitate schema solummodo sic loquitur, in par. 30, lin. 17: « supernas vires a Deo adprecatur, ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo progrediantur; qua fervida fidelitate gratiam, vi cuius filii Patris, fratres Christi et templum Spiritus Sancti efficiuntur, fidelius servent eamque copiosioribus fructibus fecundam reddant, ad Sanctissimae Trinitatis gloriam ». At mihi videtur Concilii exhortatio a fidelibus minime recipi posse, nisi coniuges virtutibus personalibus ab apostolo enumeratis, in mundo eluceant. Quomodo in filiis evangelicas virtutes educare possunt, si coniuges ipsis careant. Si eorum sanctitatis aedificium Concilium exstruere desiderat, ipsis sese mutuo perfectionandi officium proclamare debet, invicem adiuvantes ad gratiae vitam, per sacramentorum frequentiam alendam, per orationis in communi exercitium necnon per caritatis opera.

5. Ultimo, in eiusdem paragraphi lin. 25, schema laicis christifidelibus de arduo ad sanctitatem itinere loquitur. At magis et vere arduum illud videtur, si de illorum sanctitate neque propria datur notio, quae in eorum officiis semper Divinae Voluntati conformibus plene et fideliter adimplendis consistit, neque sanctitatis semitae vere et proprie specificantur, quasi pudorem habens et timorem de operibus loqui! Dicitur, enim, in adhortatione ut « magno animo in arduo sanctitatis itinere progrediantur fideles », ad gratiam servandam. Sed vero, quaeritur in quo ista fervida fidelitas consistit? Quomodo fecundatur? De omnibus siletur in pastorali expositione, dum, e contra, velo quodam inexplicabili increbrescens maximum malorum tegitur, quod per effusum undique hedonismum, efferata quadam carnalitate, omnia foedit atque

subvertit! De praxi poenitentiali omnino schema tacet, dum, et flens dico, mundus, et non raro etiam christifideles, inimicos Crucis Christi sese ostendunt. Quaevis sanctitas in vita purgativa, primum fundamentum iacet, sine qua, totum perfectionis aedificium ruit. Nonne integram vim verba Domini conservant: « Poenitentiam agite » (*Mt.* 3, 2; 4, 17) et « Qui non baiulat crucem suam post me, non potest meus esse discipulus » (*Lc.* 14, 27). Num in Ecclesia bonorum operum necessitas imminuta est? Vel minus valet sententia paolina: « Mortificate membra vestra » (*Col.* 3, 5)?

Ex hac sacrosancta aula conciliari, tamquam tonitruum, resonet vox, in omnium aures: « Metanoiete »; mentem mutate; poenitentiam agite. « Et sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati, nunc membra vestra exhibete servire iustitiae » (*Rom.* 6, 19). Et revera magna spes est mundo: ut per poenitentiam ira placetur Conditoris et dies elucescat nova, post tot errores et tot lacrymas: dies redemptionis antiquae, hominibus reapse applicatae, et felicitatis aeternae.

Unde, materiam et formam schematis et paragraphus, quae de sanctitate agunt, omnino reformentur.

13

Exc.mus P. D. STEPHANUS BAREŁA

Episcopus tit. Illarimensis, aux. Częstochoviensis

Observationes meae vocationem ad sanctitatem in Ecclesia spectant.

1. Ex vocatione christifidelium ad sanctitatem in Ecclesia obligatio prosequendi sanctitatem derivatur. Obligatio haec ad omnes fideles in sinu Ecclesiae viventes extenditur. Omnes enim christifideles ad perfectionem seu ad vitam in pleno spiritu Evangelii obligantur. Plenus spiritus Evangelii autem praecepta et consilia simul implicat. Praecepta et consilia ad caritatem hominis voluntatem dirigunt et caritate perficiuntur. Ad caritatem vero stabiliter consequendam et perficiendam necesse est in spiritu consiliorum evangelicorum praecepta servare.

Inter statum perfectionis acquirendae et statum aliorum christifidelium in sinu Ecclesiae viventium non solum dissimilitudo, sed etiam similitudo et intima connexio invenitur. Criteria autem in explicatione et definitione quaestionibus circa statum perfectionis acquirendae spectata saepe saepius nimis iuridice et theoretice applicantur. In hac quaestione potius rationes evangelicae, quam iuridicae ponendae sunt.

2. Consilia evangelica magnum Christi donum sunt scilicet ad iuvandum hominem in bono prosequendo. Res agitur praesertim de tribus infirmitatibus naturae humanae i. e. de concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae. Insuper inter praecepta divina et consilia intimum et supernaturalis vinculum invenitur. Secundum sententiam Aquinatis vere praecepta ad perfectionem christianam essentialiter se habent, praesertim in ambitu caritatis supernaturalis, consilia autem instrumentaliter se habent ad perfec-

tionem supernaturalem. Consilia ergo sint sicut via et verum iuvamen ad praecepta divina perfecte implenda. Immo sensus consiliorum in anima omnium filiorum Christi Ecclesiae idem et communis debet esse.

3. Posita hac quaestione clarius explicare possumus vocationem ad sanctitatem eamque prosequendi in vita omnium hominum in Ecclesia degentium. Unde:

a) In concretis vitae circumstantiis multi christiani vere sanctificantur in spiritu consiliorum vivendo perficiendoque summum praeceptum caritatis Dei videlicet et proximi.

b) Ad perfectionem acquirendam sensu theologico et praesertim sensu evangelico omnes christifideles in sinu Ecclesiae viventes annumerentur.

c) Inter statum religiosum et statum aliorum fidelium magis intima connexio enucleatur et magis communis sensus responsabilitatis pro sanctitate prosequenda augeatur.

d) Magis obligatio sanctificandi seipsum et mundum in lucem ponatur.

e) Ecclesia Christi proinde realiter vult omnes filios suos in prosecutione sanctitatis christianae unire et adiuvare (cf. v. 20-30, pag. 18, cap. IV schematis *de Ecclesia*).

f) Humiliter propono in v. 22, par. 31, pag. 20, cap. IV post verbum: « vocantur » addere: « omnes tamen ad vitam in spiritu consiliorum evangelicorum vocati sunt, scilicet ad perfecte praecepta Dei implenda ».

14

EXC.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI
Episcopus Manziniensis

Circa cap. IV, comma 31. Prae oculis habita indole constitutionis, videntur supprimenda verba de triplici consilio evangelico paupertatis, castitatis atque oboedientiae, relictis tantummodo iis, quae de consiliis evangelicis in genere habentur. Praetermittendum igitur censemus a verbis « Inter multa » (lin. 6) ad verba: « propinquius accedunt » (lin. 19).

15

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. BETTAZZI
Episcopus tit. Tagastensis, aux. Bononiensis

1. Quoad exemptionem hoc videtur dicendum: est problema valde intricatum, quod ampla discussione indiget: tantum obiter de hoc locuti sumus in hoc capite et revera locus aptior erit in schemate de religiosis. Ergo non videtur conveniens ut hic quasi per transennam ponatur quin discussio exhaustiva facta fuerit.

Formaliter propono emendationem ut ex schemate auferantur linn. 8-12, in pag. 22.

2. In evidentia omnino ponatur notio socialis vitae religiosae, praecise quia sanctitas est sanctitas Christi, quae fit sanctitas Ecclesiae, quae deinde in fideles effunditur. Ecclesia est corpus et etiam sanctitas debet esse sanctitas socialis.

Vita religiosa non est tantum instrumentum ad fovendam sanctitatem individualem singulorum religiosorum; familiae religiosae Ecclesiae, ergo, debent esse testimonium quoddam ipsius Ecclesiae. Sic oboedientia religiosorum sit non tantum oboedientia singuli religiosi ad superiores suos, paupertas non tantum paupertas singuli religiosi, et ita castitas.

Sed oboedientia sit simul testimonium oboedientiae Ecclesiae ad Verbum Dei. Cum oboedientia in Ecclesia sit imprimis oboedientia christianorum ad sacram hierarchiam, familiae religiosae debent praebere hoc testimonium oboedientiae, docilitatis, sive ad Ecclesiam universalem, sive ad Ecclesias particulares.

Quoad Ecclesiam universalem: oboedientia debet elucere in eo quod familiae religiosae sese aptent ad vitam actualem ipsius Ecclesiae: dum hodie, exempli gratia, Ecclesia renovatur in maiori consideratione verbi Dei et in profundiori participatione ad sacram Liturgiam, omnino absonum esset ut Ordines et Congregationes religiosae hoc renuerent quia patres fundatores aut matres fundatrices hoc non posuerunt in suis regulis. Si hodie adessent ipsi sancti patres aut sanctae matres, ipsi primi in suis regulis sensum Ecclesiae actualis acciperent.

Est valde mirum quod in renovatione biblica et liturgica ipsius Ecclesiae familiae religiosae non raro tardiores sint praecise quia obstringuntur suis ipsis regulis, quae in saeculis praeteritis constitutae sunt.

Ergo familiae religiosae fundentur in amore Scripturae et Liturgiae; ipsae antiquiores familiae, salva eorum peculiari missione, renovent seipsas secundum renovationem ipsius Ecclesiae.

Quoad Ecclesias particulares: religiosi exemplum dent oboedientiae et docilitatis non tantum relate ad ordines seu imperia formalia Ordinariorum, — quae raro, opinor, evenient —, sed quoad spiritum ipsius Ecclesiae particularis, sese aptando initiativis quas rectores et pastores singularum Ecclesiarum pro suis Ecclesiis posuerunt.

Exemptio, si qua supererit, erit tantum exemptio in interiore regimine monasteriorum seu conventuum; valde absonum est ut sit exemptio ex ipsa orientatione spirituali quae exterius patet, necnon ex orientatione apostolica ipsarum communitatum: ita fortasse religiosi plene oboedientes, non essent testimonia oboedientiae in ipsa Ecclesia.

Pariter paupertas religiosa non debet esse tantum paupertas cuiuscumque religiosi, debet esse testimonium paupertatis Ecclesiae. Ergo non tantum singuli relate ad Superiores suae familiae, sed ipsa familia, conventus, monasteria debent esse testimonia paupertatis Ecclesiae: in aedificiis, in usu me-

diorum materialium, in bonis administrandis revera religiosi memorent hoc munus testimoniale quod hodie praesertim necessarium est sive pro pauperibus, qui tali modo sentiant Ecclesiam sibi proximiorem, sive quoad divites, qui ita recolent tam gravia dicta Domini: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei » et « Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum caelorum ».

Sic castitas sit revera testimonium amoris Ecclesiae, amoris qui superat tendentias sexuales ut dilatentur spatia caritatis. Non raro castitas mere defensiva inducit quandam ariditatem cordis: revera nullum est testimonium huius castitatis; testimonium castitatis debet esse testimonium maximi amoris: hi qui casti sunt renuntiaverunt amori alicuius creaturae praecise ut possint amorem suum ad plures dilatare.

3. Praecise quia sanctitas est una et consilia evangelica sunt via ad sanctitatem, via quam traditio praebet tamquam viam regalem, ne dicam exclusivam, ostendatur quomodo pro omnibus christianis consilia evangelica sint via ad sanctitatem, pro religiosis, ut supra dictum est, pro christianis etiam qui matrimonio iunguntur et vitam in mundo ducunt. Cogitemus de oboedientia, de paupertate, de ipsa castitate quae coniugibus revera necessaria sunt ut possint vitam christianam pacificam et honestam complere.

Ea, quae supra diximus, pro ipsis christianis in mundo degentibus, valent: actuatio consiliorum evangelicorum est testimonium mundo offerendum; vita casta coniugalis, vita docilis, limitatio in acquisitione et in usu divitiarum est revera testimonium novae vitae, quae mundo offerri debet.

16

Exc.mus P. D. HIERONYMUS BARTHOLOMAEUS BORTIGNON
Episcopus Patavinus

Circa tractationem de statibus perfectionis in schemate dogmatico *de Ecclesia,* quaestio moveri potest utrum opportunum sit eamdem tractationem a praedicto schemate separari illamque, vel prorsus remittere ad schema disciplinare « De statibus perfectionis adquirendae », vel in novum caput cooptare, quod prodeat ex renovatione cap. IV quodque vocari potest: « De sanctitate in Ecclesia ».

Quaestio, ut palam est, tribus membris constat, quae separatim perpendenda sunt.

1. *Utrum conveniat separationem inducere.* Si ratio attenditur theologico-pastoralis, quae videtur fundamentalis ratio istius Concilii, complures extant rationes, quae suadent, ut in schemate de Ecclesia sermo fiat separatim de statibus perfectionis, qui optimam partem profitentur in ratione sanctitatis Ecclesiae et veluti acies fortissime instructae inveniuntur ad Ecclesiae iura vindicanda et ad pastoralem ipsius efficaciam extendendam. Revera:

a) non agitur, in schemate, de solis lineis fundamentalibus institutio-

nis et constitutionis Ecclesiae illustrandis, quatenus ab ipso Christo proveniunt, sed de *Ecclesia,* uti est, in vera luce et in renovata iuventute *hodierno mundo praesentanda;*

b) mundus subtilitates dogmaticas non intelligit, sed de Ecclesia iudicat prout ipsam prae oculis habere potest. Unde, in comperto est quod mundo praesentari possit et debeat Ecclesia *uti nunc existit et operatur,* non Ecclesia exclusive dogmatica nec Ecclesia primitiva;

c) agitur proinde de hoc, ut Ecclesia qualis nunc est radices et fundamenta divina utique demonstrentur simulque ambitu atque influxus ipsius activitatis, finalitatis et potentialitatis dogmatice et pastoraliter decernantur in luce revelationis divinae et supremi Ecclesiae magisterii;

d) quapropter, si schema de Ecclesia sub hoc respectu integrum esse volumus, videtur quod etiam de statibus perfectionis separatim tractare debeat. Quod quidem pluribus centenis millibus personarum, quae in statibus perfectionis militant quique pro Ecclesia vitam et activitatem suam libentissime donant et in populo Dei mirificum sanctitatis Ecclesiae testimonium mundo praebent, pergratum et utile erit.

2. *Utrum conveniat tractationem remittere ad schema disciplinare « De statibus perfectionis adquirendae ».* Unica ratio, quae ad rem adduci potest est ratio opportunius complendi et pleniori modo tractandi schema « de statibus perfectionis », quod exinde, ut evidens est, fieret profecto corpus proprio naturali capite non destitutum.

Sed in contrarium ratio militare videtur, quae suadet ut schemati de Ecclesia haec haud parva mutilatio non inferratur, quae profecto non modo mutilationem sonaret, sed etiam disgregationem, saltem quod attinet praesentem ipsius formam. Et haec ratio videtur maioris esse momenti.

Verum, silentio praeteriri nequit in originali schemate « de statibus perfectionis » a commissione praeparatoria exarato et a commissione centrali praesentato, fundamentalem hanc de statibus perfectionis doctrinam primum locum obtinuisse.

3. *Utrum Statibus perfectionis speciale caput deputandum sit vel saltem eis aptior locus sit assignandus in cap. IV.* Ut huic quaestioni recte respondi possit, haud inutiliter perpendenda videtur ratio qua factum est, ut eiusmodi fundamentalis doctrina hodierna redactione in cap. IV de Ecclesia cooptaretur. In schemate *de Ecclesia* quod in priori Concilii sessione Patribus oblatum fuerat, cap. V ita inscribebatur: « De statibus evangelicae adquirendae perfectionis » et in *eo solummodo* de iisdem statibus agebatur. Constat, praeterea, in commissione theologica unanimem consensionem obtentam primum fuisse, uti relator sub die 23-X-1963 refert, de redactione cap. IV, quod *exclusive* de statibus tractaret perfectionis. Superfluum nunc videtur inquirere quomodo perventum fuerit ad hodiernam redactionem, quam prae oculis habemus et Patribus distributa est, in qua generali modo agitur de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, in unum recepta sanctitate sive laicorum sive religiosorum. Planum tamen est hoc factum fuisse ut sanctitas in

Ecclesia, sive laicorum sive religiosorum, ad unitatem redigeretur et sub uno eodemque aspectu extolleretur.

Verum, si rem probe perpendimus, eiusmodi sanctitatis comparatio seu iuxtapositio, vi cuius aequipollentia inducitur, haud parvis defectibus laborare videtur. Et revera:

a) *quod attinet notionem sanctitatis,* aequivoca praeberi videtur interpretatio. Quae enim praedicantur de sanctitate christiana in genere, non semper videntur univoce praedicari posse de sanctitate statuum perfectionis. Una est utique sanctitas in caritate id est quoad essentiam et sub hoc respectu una dici potest vocatio ad sanctitatem; sed, ni fallor, non una est sanctitas quoad gradum, nam plures dantur gradus in sanctitate nec omnes eodem modo et ad eumdem gradum ad sanctitatem obligantur. Sub hoc respectu, alia est sanctitas ad quam vocantur simplices fideles et alia est sanctitas ad quam obligantur quotquot status perfectionis adquirendae voto publico profitentur. Merito igitur aequivoca dici debet totius capitis impostatio prout aequivoce sonant verba: « Proinde *pro omnibus et singulis,* cuiusvis status et ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, *una est christiana sanctitas* » (n. 29) et identidem: « Cunctis proinde perspicuum est, Dominum *omnes* discipulos ad plenam vitae christianae et caritatis perfectionem idest ad sanctitatem vocare » (n. 29).

b) *Quod attinet naturam Status perfectionis.* Si res ita esset ut nulla detur distinctio inter utramque sanctitatem, nulla adesset ratio cur religiosi saeculum relinquant, votis se ligent et vitam in paupertate insumant, in castitate et oboedientia. Praeterea, status perfectionis non esset status a se stans eiusdemque professio degradaretur ad conditionem illam quae italice vocatur « un mestiere ».

c) *Quod attinet consectaria.* Si res ita esset, quae de commendatione statuum perfectionis nn. 32-33 schematis praedicantur, nullius essent momenti quatenus invenirentur suo theologico fundamento destituta. Praeterea, nullius essent roboris quae de consiliis evangelicis eorumque professione docuerunt nos apostoli, Patres, Ecclesiae Doctores et Petri Successores ope traditionis et exercitio supremi magisterii.

d) *Quod attinet, in specie, ipsam laicorum vocationem et sanctitatem.* Praefata aequivoca sanctitatis notio nec ipsi laicorum positioni ad rem prodesset, nam nonnullae notiones, saltem implicite, praedicantur etiam de laicis quae sunt propriae religiosorum, cum praedicentur de omnibus.

His omnibus bene et probe attentis, necessarium videtur ut aequivoca sanctitatis notio, prout nunc exstat exposita, a qualibet ambiguitate liberetur. Unde congruum videtur ut opportunius separatim agatur de laicis et de statibus perfectionis: cap. IV inscribatur: « De generali vocatione ad sanctitatem » et addatur novum cap. V quod agat: « De statibus evangelicae adquirendae perfectionis », in quo opportune reassumi possint quae habentur peroptime tractata in cap. V prioris schematis *De Ecclesia et de B. Maria Virgine* (pp. 32-35).

Denique, adest et alia momentosa ratio ut statibus perfectionis separatum caput deputandum sit, ut pleniori modo declaretur praesentia statuum perfectionis in Ecclesia.

Ecquidem, status perfectionis considerari possunt sub duplici respectu: *a*) quatenus sunt *specialis forma sanctitatis* sive speciale *medium sanctificationis* quo Ecclesia pollet ad sua membra sanctificanda, et de hoc iam agitur; *b*) sed spectari etiam possunt quatenus sunt *specialis forma activitatis salvificae* ex parte Ecclesiae seu *instrumentum hierarchiae* maximi valoris et maximae efficaciae ad salvificam Ecclesiae missionem exequendam in mundo.

Eiusmodi adspectus apostolicus statuum perfectionis (recolatur quaenam sit vis religiosorum in missionibus infidelium, in operibus caritatis, in praedicatione verbi, in iuvenum educatione, in operariorum spirituali assistentia etc.) in mentem revocari debet, si volumus ut praesentia statuum perfectionis in Ecclesia ratione vere plena et obiectiva reddatur. Ita, sane, caput speciale de statibus perfectionis in Ecclesia suam clarissimam et plenissimam iustificationem haberet.

17

Exc.mus P. D. IOANNES BUČKO

Archiepiscopus tit. Leucadensis

Valde placet quod in schemate *de Ecclesia* locus tribuatur argumento tanti momenti, prout est vocatio ad sanctitatem, seu ad illam caritatem qua homo cum Deo, supremo ultimo fine, coniungitur.

Id est fundamentale in conceptu sanctitatis seu caritatis: unio nempe hominis cum Deo, ex qua unione necessario profluet proximi dilectio. Quae tamen dilectio proximi secundarium tantum elementum est in caritate.

In nostro autem cap. IV multum de dilectione proximi, tamquam de fructu vel manifestatione caritatis seu sanctitatis, agitur, et parum in lucem profertur ille primarius et essentialis character, unionis nempe hominis cum Deo. Defectus — meo humili iudicio — non levis momenti, et consequenter in textu opportune corrigendus.

Omnes quidem procurare debent, eamque servare illam sanctitatem seu caritatem, quae per fidelem et integram praeceptorum observantiam, potest obtineri. Et haec est illa perfectio caritatis ad salutem aeternam necessaria.

Haec autem substantialis caritas, ab omnibus necessario possidenda, diversos abs dubio gradus admittit, in quibus homo maiori cum intimitate et perfectione unionem divinam obtineat. Quando, scil., homo, non per solam praeceptorum observantiam, sed praeterea per consilia evangelica, ad illam caritatem tendit, se multis privando, quae, etsi in se licita, nec per se caritati contraria, impedire tamen possunt ne affectus hominis ad Deum totaliter referatur. Ad consiliorum vero evangelicorum perfectum exercitium, non omnes homines vocantur, ut abunde ex vita cotidiana demonstratur; consequenter neque omnes vocantur ad illum sublimiorem caritatis gradum.

Si enim vocatio ad sanctitatem concipi debet in primis tamquam vocatio ad unionem cum Deo, certe illa sanctitas, ad quam homines vocantur, nequit eadem esse in omnibus, sed diversi gradus admittendi sunt, ita ut simul admittendum sit, non omnes et singulos homines, dum in terris versamur, ad sublimiorem gradum divinae unionis a Deo vocari. Sicut non omnes homines ad omnem gradum dilectionis, saltem modo permanenti, erga proximum vocati et obligati sunt, prout satis constare videtur ex diversa hominum condicione vitae. Nam alia est condicio hominis matrimonio ligati; alia illius qui matrimonio et ceteris rebus ac bonis temporalibus propter Deum abrenuntiavit; alia tandem episcopi, cuius est, ratione officii, etiam animam pro ovibus ponere, ad imitationem supremae Christi dilectionis. Si igitur Deus homines singulos, non in eadem, sed in vitae valde diversa condicione ponit, dici omnino debet Deum eos omnes et singulos ad diversum etiam gradum caritatis et sanctitatis vocare.

Haec omnia non sufficienti claritate in nostro textu sunt proposita; ac consequenter, sub hoc respectu, cap. IV insufficiens est dicendum.

Nonnullos alios defectus in nostro textu velim breviter innuere.

1. Iam dixi de defectu, qui in ipso conceptu sanctitatis seu caritatis animadvertitur, scil., quod caritas, in qua dicitur consistere sanctitatem, in toto fere textu confundi videtur cum dilectione proximi, quae tamen est in caritate aliquid tantum secundarium respectu ad dilectionem Dei: et proinde character primarius verae caritatis aliquantulum obscuratus manet.

2. Ipsum sanctitatis exercitium fere exclusive in apostolatu activo proponitur, vix sermone facto de aliis fundamentalibus formis in quibus illius sanctitatis exercitium revera habetur. De vita orationis, poenitentiae, abnegationis, et in genere de exercitio in praxi christianarum virtutum vix unum verbum in textu habetur, cum tamen huiusmodi formae ad veram sanctitatem exercendam non minoris sint momenti, quam ipse activus apostolatus; immo cum hic apostolatus, e. g. praedicatio, sacramentorum administratio, et alia, ex illis vim et efficaciam haurire debeat.

3. Ideo non satis apparens est in textu excellentia ac dignitas illius viae, a Christo nobis propositae, qua per evangelicorum consiliorum observantiam homo promptior evadit ad perfectiorem unionem cum Deo etiam in terris assequendam, et ad maiorem quoque dilectionem proximi exhibendam.

Ad nos pertinet, praesertim, ubi agimus de vocatione ad sanctitatem, clare et perfecte omnibus hominibus proponere integram Christi doctrinam de sanctitate deque mediis quibus homo huic vocationi fideliter respondere valeat. Quodsi hoc non facimus, homines non pauci privati manebunt beneficiis et bonis quae Christus in fideli suorum consiliorum evangelicorum observantia reponere voluit.

4. Opportunum, immo et necessarium videtur, ut in praesenti capite sub convenientiori luce ponatur valor vitae contemplativae, quae, si doctrinae S. Thomae stemus, potior est quam vita activa, et ex suo genere maioris est meriti, quam vita activa (*Summa Theologica,* II-II, q. 182, a. 1, 2). « Maria

enim optimam partem elegit » — dixit Dominus (*Lc.* 10, 42). De ea autem, seu de hac vita contemplativa vix unum verbum in nostro textu legitur.

Et hoc valde mirandum est, sive huius vitae momentum in historia Ecclesiae consideremus, sive quia in hac vita contemplativa potior via invenitur ad illud quod est proprium et primarium sanctitatis, nempe, ad dilectionem Dei: « Vita contemplativa, enim, dicit S. Thomas (*l. c.,* a. 2), directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei, dum vita activa directius ad dilectionem proximi, quae secundarie tantum ad veram caritatem pertinet ».

5. Etiam vita religiosa in genere, praeprimis in unione cum Deo procuranda, magis quam in apostolatu activo, reponenda videtur. Ad illam unionem divinam primario tendit ex sua natura vita religiosa, et solum ex ista unione fructus apostolatus et dilectionis proximi promanabunt. Ideoque apostolatus a religiosis peragi debet, non tamquam primarius eorum scopus, nec quolibet modo, sed secundum scopum proprii Instituti. Nec cuiuslibet est apostolatum religiosorum ad proprium arbitrium moderari aut imponere, cum bonum sive religiosi, sive Instituti, sive tandem Ecclesiae postulet, ut ita dirigatur, et ita peragatur, ne spiritus religiosus detrimentum capiat, et ne religiosi illa debita unione divina vacuentur, cum damno totius apostolatus.

Rectius igitur et accuratius in schemate determinanda et declaranda sunt criteria iuxta quae relatio inter vocationem ad sanctitatem et obligationem ad apostolatum externum est definienda, et quonam pacto in isto externo apostolatu componi possit et debeat auctoritas episcoporum cum ipso munere quod in statibus perfectionis in Ecclesia proprium est.

6. Quare in relationibus determinandis inter religiones et sacram hierarchiam, accurata principia debent statui, quibus sapienter concordentur sive auctoritas episcopalis, sive bonum spirituale Religionum, sive tandem honor et auctoritas Romani Pontificis, ne ex una parte incremento et perfectioni religiosae damnum sequatur, ne ex alia dioecesana disciplina detrimentum patiatur, ne denique Romanus Pontifex, cuius est bono universali Ecclesiae providere, instrumento tam valido privetur, prout in Religionibus, historia teste, habetur.

In hac re, siquidem de schemate de Ecclesia universali agitur, oblivioni non sunt mandandi orientales patriarchae, in quorum potestate est, sicut semper fuit, Religiones et religiosos, in bonum eorum, et in bonum patriarchatus, sibi immediate subiicere. Nemo nostrum hanc patriarchalem potestatem laedere aut minuere intendit.

18

EXC.MUS P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO
Episcopus tit. Leucenus, aux. Taubatensis

Utinam doctrina huius capitis bene ab universo mundo accipiatur! De fine enim agit totius nostri Concilii Oecumenici Vaticani II sicut et totius Ecclesiae Christi. Ad hoc enim est Ecclesia Christi ut fideles in salutem aeternam ducat, qui finis in sanctitate invenitur, ut patet.

Attamen timendum est ne in vacuum Concilii vox resonet! Nam omnibus notum est quod Ecclesia per suos pastores, presbyteros et episcopos, semper in sanctitatem colendam fideles suos impulit, nec tamen eam ipsi audierunt sicut oportebat.

Lugendus hic status passim describitur ac ostenditur misera multorum fidelium conditione, qui etiam peccati sensum amisisse videntur. Quid faciendum?

Pastorale Ecclesiae munus Conciliique Oecumenici Vaticani II finis exigunt ut doctrina de sanctitate tali modo exponatur ut grata appareat hominibus nostri saeculi eosque movere valeat ad maiora melioraque bona appetenda, vere hominibus digna!

Quae cum ita sint, videtur sic doctrina de vocatione ad sanctitatem exponenda esse, salvo meliori iudicio:

1. *De infinita Dei sanctitate.* Haec enim est ratio totius sanctitatis cuiuscumque creaturae, quae nisi in limine tractationis clare sufficienterque exponatur, ulterior doctrinae expositio obscura necessario evadet. Tota Scriptura Veteris et Novi Testamenti textibus abundat de Dei infinita sanctitate.

2. *De sanctitate universae creaturae.* Haec enim deducitur ex necessaria creaturae cuiuscumque ad Deum, sanctitatem infinitam, relatione, tum ex causa efficienti tum ex causa finali, quae utraque Deus est. Hac enim doctrina clare et sobrie exposita, nova et sublimi ineffabilique luce omnibus hominibus patefacit magna omnium creaturarum etiam minimarum dignitas, etiam illarum quae ad hominum lusum pertinent.

3. *De originali familiae humanae sanctitate.* Exponatur simplicibus verbis status *beatitudinis* familiae humanae, seminaliter et ex divina expositione solidarie in Adamo collectae, *beatitudo* haec procedens immediate ex iustitia sanctitateque originali in qua tota humana familia creata est in Adamo, eius capite, qua sanctitate fiebat ut viribus inferioribus superioribus intelligentiae voluntatisque subiectis, homo Deo uniebatur dono supernaturali iustitiae, qua in ipso et per ipsum suum caput, integra humana familia *sancta dicenda erat,* simulque ineffabiliter *beata.* Declaretur insimul quod haec sanctitas consequensque beatitudo amissa fuit per lugendum Adami peccatum (textus in epistolis S. Pauli abundant).

4. *De Ecclesiae Christi sanctitate.* Exponatur doctrina de *novo populo Dei,* de *nova familia humana,* a Christo per Christum et in Christo condita, quae vita divina donata a Christo recepta, cum ei indeficienter uniatur, universos homines iterum ad sanctitatem evehit, beatosque reddit. Declaretur quod huius Ecclesiae novae familiae vinculum, quo membra inter se cum Deo in Christo uniuntur, est *caritas,* quaeque proinde intimae Ecclesiae sanctitatis (ontologica quae vocatur) signum est evidentissimum, per quod maxime omnium hominum oculis patefit Ecclesiam esse nova Dei hominumque universorum familia, in qua beatitudo temporalis et aeterna omnibus certissime prostat.

5. *De singulorum membrorum Ecclesiae sanctitate.* Ex hac « ontologica » Ecclesiae sanctitate *sancti* fiunt quotquot Ecclesiae uniuntur per *baptismum*: *vi gratiae baptismalis* dono novae familiae humanae potiuntur, nempe, gratiae sanctificantis, quo in Ecclesia per Ecclesiam et cum Ecclesia Deo, Summae Sanctitati, *consecrati* inveniuntur; donum hoc necessario comitatur caritas, quae, ut supra dictum est, huius vitae divinae participationis exhalatio quaedam dicenda est, quia Deus caritas est. Haec caritas, cum pertineat ad ipsam structuram Ecclesiae, Christi Corporis mystici, *universalis* est sicut ipsa Ecclesia; non limitatur nec tempore nec spatio, nec affective nec effective; est, uno verbo, ipsa caritas *Christi,* cum sit manifestatio ipsius vitae Christi, qua suum Corpus, quod est Ecclesia, vivificatur.

Unumquodque membrum Ecclesiae, proinde, tantum *perfectius* dicendum est, quantum magis hac caritate movetur, tum affective quum effective.

De vocatione ad sanctitatem. Omnes creaturae, *vi ipsius creationis,* cum Deo Sanctitati infinitae sint consecratae, debent eo ipso suam ad Deum consecrationem modo sibi proprio plene agnoscere. Hoc sensu *omnes* vocari ad sanctitatem dicendae sunt.

Familia humana, vi elevationis ad statum supernaturalem, ad sanctitatem vocatur; eo enim quod est Deo consecrata modo omnino speciali, debet hanc consecrationem modo proprio creaturae rationalis, donis gratuitis insignitae, plene agnoscere; quotquot membra humana familiae generantur, eo ipso *vocari ad sanctitatem* dicendi sunt; attamen post Adae peccatum, haec ad sanctitatem vocatio, qua omnes homines per generationem vinciuntur, in cassum reddita est, unde omnes homines miserabiliores fiunt, cum amplius nequeant illam attingere sanctitatem, *in qua Deus totam eorum beatitudinem constituerat.* Haec oportet plenius ante omnium oculos ponere, si velimus homines nostri temporis grates aures nostri Concilii nuntio praebere!

Nova familia hacque divina in Christo per Christum et cum Christo constituta, pleneque *sancta atque beata,* quotquot eidem inseruntur per baptismum, *vi ipsius baptismi* ad sanctitatem vocantur, ad sanctitatem nempe ipsius Ecclesiae, quae in singulis suis membris *per caritatem* manifestatur. *Sancti* sanctitate Ecclesiae effecti, ad *hanc sanctitatem Ecclesiae plene exaequandam vocantur, in caritate.* Ita intelligitur quomodo vocatio ad sanctitatem idem sit ac vocatio ad perfectionem caritatis.

De statibus perfectionis. Cum Ecclesiae sanctitas sit causa qua eius membra sancta fiunt, scil. per baptismum, quaeque in caritate manifesta fiat, qua, sicut ipsa vita Ecclesiae, tum affective tum effective universalis est, nullis coarctata limitibus (« in Christo enim Iesu nec iudaeus, nec graecus, nec servus, nec liber, nec masculus nec femina »), *perfectio* mensurari oportet, ut evidens est, per *ipsam caritatem.* Quaedam autem sunt quae *opponuntur* caritati, quibus caritas, proinde, *destruitur*; alia, autem, sunt quae eam *difficiliorem* tantum reddunt; illis *mandata* seu praecepta consulunt, *his* consilia. Cum autem omnes vocentur ad perfectionem caritatis, sequitur quod ad sanctitatem tendere debent tam per viam mandatorum quam per viam

consiliorum. Vi baptismatis proinde, omnes fideles Ecclesiae vocantur ad sanctitatem, praeceptis ac consiliis prosequendam.

Non omnes, autem, sunt in *statu* perfectionis *publico* (de hoc enim agitur). Status enim publicus perfectionis importat 1. systema aliquod normarum seu munerum (seu vitae regula), 2. iuridicum, seu characteris publici et hoc sive ex muneris ipsius natura sive ex approbatione publicae (ecclesiasticae) auctoritatis, 3. exaequans perfecte universalem Ecclesiae caritatem. Haec autem tria *ordini episcopali* et *ordini religioso* solummodo competere videntur; soli hi ordines proinde iure vocantur status publicus perfectionis.

Ordo episcopalis. Totum munus episcopale, natura sua, est pro Ecclesia universali, tam affective quam effective: vi ipsius sacramenti, episcopus consecratur ad regendam seu pascendam, sanctificandam et docendam Ecclesiam universam. Vi ipsius muneris, ergo, est *in caritate constitutus,* quae est ipsa caritas Ecclesiae, seu Christi. Cum eius munus sit, ut patet, publicum, singuli episcopi sunt in statu perfectionis publico constituti; eorum munus publicum inducit, sua natura, caritatem universalem affective et effective, virtualiter saltem, perfectam.

Ordo religiosus. Ordo religiosus normis « iuridicis » constituitur, quae sunt antiqua traditione sancitae tanquam media efficaciora ad consilia evangelica in praxim redigenda, quibus Ecclesia quosdam electos viros sive mulieres disponit ad servitium totius populi seu totius Corporis Christi mystici. Haec media « iuridica » non continent natura sua caritatem, seu non inducunt sua vi, ex opere operato, caritatem illam universalem, sicut episcopalia munera, sed exercent eos, qui ea profitentur, in caritate universali, cum eos liberant ab omnibus limitationibus impositis sive possessione divitiarum, sive cura propriae familiae, sive libero exercitio voluntatis in commodum proprium seu suipsius: ecce vota paupertatis, castitatis et oboedientiae.

Haec est nota constitutiva status religiosi: exercitium caritatis universalis, seu mancipatio ad servitium totius Corporis Christi mystici per publicam (quia iuridicam) professionem consiliorum evangelicorum. Ita religiosus in statu publico perfectionis constituitur.

Nullus alius status videtur dicendus status publicus perfectionis, cum in omnibus, praeter illos duos recensitos, deficiat haec ad *servitium totius Corporis Christi mystici directa mancipatio,* quam consequitur vel qua inducitur *universalis caritatis exercitium.*

19

EXC.MUS P. D. MICHAEL ANGELUS BUILES

Episcopus S. Rosae de Osos

Die ultima mensis octobris em.mus card. Arriba y Castro, arch. Tarraconensis in Hispania, locutus est de vitiis quae populum Dei opprimunt, qua de causa vita christiana et sanctificatio fidelium impossibiles fiunt.

Schema vero *de Ecclesia,* in cap. IV, n. 31, pag. 19, magis de doctrina et de virtutibus quam de re morali et de antidecalogo existenti loquitur, cum in mundo moderno trium concupiscentiarum peccata regnant, speciatim concupiscentia carnis et superbia vitae.

Sed ad sanctitatem acquirendam non sufficit positiva media indicare; negativa etiam, scil., *non facere* quod in decalogo prohibetur, et postea *facere* quod praecipitur. Sic Psalmus quando dicit: « Averte a malo et fac bonum », i. e., primum malum vitare, secundum facere bonum. Haec est perfecta caritas, haec est perfecta dilectio Dei, sicut bene dixit Dominus: « Qui diligit me, sermonem meum servabit ».

De innumeris vitiis quae humanitatem totam affligunt et de quibus em.mus card. Arriba y Castro dolet, aliqua verba dicam. Multa etenim et sapienter in hoc Sacro Concilio de « populo Dei » locutum est sub aspectu *doctrinali;* sed mihi videtur etiam de eius *moralitate* loquendum est, praecipue de cinematographo, radio ac televisione, necnon de theatris, diversionibus et vestibus mulierum, cum omnia ista media civilizationis modernae periculum constituant authentici spiritus christiani, ut affirmat em.mus card. Arriba y Castro.

Loquar tantum de modo quo mulieres hodie sese vestiuntur, ex eo quod verum attentatum contra moralitatem sit, non tantum christianam, sed naturalem etiam. Dolendum est ut hodie multae mulieres inhoneste sese vestiuntur. Interpretes Sacrae Scripturae nos docent angelos primum creari quam mundum materiale; postea fecit Deus mundum ut regium palatium, et finaliter hominem ad suam imaginem et similitudinem creavit. « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram » (*Gen.* 1, 26). Et dedit Deus Evam ut sociam Adami, et eos donis naturalibus, praeternaturalibus et supernaturalibus ornavit.

Per peccatum eorum, nostri primi parentes gratiam amiserunt, de seipsis erubuerunt et in silva sese absconderunt, cum sese nudos vidissent, propter quod ipse Deus pellibus animalium eos vestivit.

Dispositiones massonicae. Hodie mulier magis massoneriae quam Deo obedit et normas massonicas anno 1884 datas sequitur. Etenim, iuxta *Boletin Masónico Francés,* « oportet ut mulier corde et animo ad francomassoneriam pertineat et ad sacramenta et religiosas practicas renuntiet ».

Iuxta « Revista Judio-Massonica », legimus: « In scholis et collegiis, praetextu physicae evolutionis, oportet iuvenes gradatim de minima ad maximam impudicitiam ferre. Sic fidem amittent de caelo et inferno, de angelis ac Deo, necnon de omnibus spiritualibus valoribus ».

« Opus est ut iuvenes mulieres physica exercitia, hominum ac militum propria, faciant et sese vestibus hominum induant, et sic ludant, ita ut provocationes excitentur, et ab omnibus satiribus, hominibus et mulieribus, sive parvulis sive adultis, plaudantur ».

« Sic omnes mulieres sine pudore redduntur et pro causa communista acquiruntur; et cum parentes corrigere intendant, impossibile erit, cum illis iam

istae practicae placuissent praesertim quoad coreas, mixtos ludos et balnearios pro hominibus et mulieribus ». Sic instructiones massonicae.

Dei dispositiones. Inter istas massonicas instructiones est illa secundum quam mulieres ut homines indui debent, contra divinam prohibitionem ut mulier hominis indumento et homo mulieris veste utatur. Sic dicit Deuteronomium, cap. 22, vers. 5.

Ratio huius prohibitionis, pro interprete Scio, ponitur in eo quod sic mulier pudorem amittit, qui suae puritatis defensio est; homo autem virilitatem perdit et a sua primatia descendit quam ipse Deus supra mulierem concessit.

Em.mus card. Siri, arch. Genovensis in Italia, qui in hac Sacra Synodo adest, de hominis veste a muliere adoptata, ait: « In usu vestis virilis ex parte mulieris, aspectus gravissimus datur ex eo quod: *a*) psychologia propria mulieris deturbatur, *b*) periculum involvit relationes inter mulieres et hominem vitiandi, *c*) facile laedit dignitatem matris coram ipsis filiis.

Sic locutus est em.mus card. Siri, arch. Genovensis, in litteris ad omnes qui responsabilitatem animarum habent, sive in locis ubi educatio impartitur, sive in piis associationibus.

Pariter hodie dolendum est de feminea nuditate in puellis, iuvenibus et etiam adultis, quae normas sequuntur confectionatorum qui dispositiones obediunt massonicas de mulieribus corrumpendis, ut pudore fugato, causae communistae faveatur.

In secretis instructionibus de la « Alta venta » legere possumus: « Omnia disponamus ad passiones omnes excitandas sive vulgarissimas sive nobillimas, et certi sumus exitum nostris intentionibus superaturum esse ».

Sic hodie mulieres vestiuntur; genua et bona pars femoris nuda apparent speciatim quando sedent aut sese movent, ita ut pudorem iam perditum esse putamus. Sic massoneria denudat, quod Deus cooperuit.

Algo más de lo dicho han conseguido los masones con la vestidura femenina en los días actuales, cuando las mujeres han resuelto subir la orla de su vestido casi a medio muslo, con un impudor y una desvergüenza inexplicables, de parte de la mujer cristian sobre todo, y de toda mujer civilizada, aunque no sea católica, que se respete y que tenga una brizna de pudor.

Ni siquiera pueden sentarse con la debida decencia, ni en el hogar, ni en las recepciones sociales, ni en las visitas, porque quedan mostrando lo que Dios manda cubrir, lo que se agrava con el vergonzoso « carrizo » que ellas acostumbran, sin preocuparse de que las miran los niños, las mismas mujeres y sobre todo los hombres en general.

Ante semejante impúdico y escandaloso espectáculo, todos sienten fastidio y vergüenza, tentaciones pasionales y pensamientos y deseos deshonestos, de los cuales vienen a ser responsables ante Dios, las mujeres que así se descubren por seguir la moda, esa moda que suplanta al mismo Dios y sus santas leyes, y por obedecer a las instrucciones masónicas.

Cum Sacrum Concilium magis pastorale quam doctrinale sit, humiliter

rogo illud ut aliquid declaret relate ad indumenta feminea, non tantum pro catholicis, sed etiam pro toto orbe terrarum, cum Dominus dicat: « Praedicate evangelium omni creaturae », « docete omnes gentes ». Sic mala atque peccata multa possumus vitare, et saltem per aliquos dies iram Dei retinere. Massonici loquuntur pro mundo toto ut illum perdat; loquatur etiam Sacrosanctum Concilium pro mundo toto ut illum salvet.

20

EXC.MUS P. D. PLACIDUS M. CAMBIAGHI
Episcopus Novariensis

Pauca placeat de vocatione laicorum ad sanctitatem disserere, qui per opera *saecularia seipsos aliosque sanctificare ab Ecclesia enixe vocantur* (cf. schema *de Ecclesia,* pars II, cap. III, n. 25).

In cap. IV schematis *de Ecclesia* plura felicioraque de vocatione christianorum omnium ad sanctitatem exponuntur. Utriusque cleri sacerdotes, inferioris quoque ordinis ministros, laicos ab episcopis ad apostolatus opera vocatos, coniuges ipsos, omnesque christianos Sacra Synodus alloquitur ut « *in arduo sanctitatis itinere magno animo progrediantur* », iisdemque sanctitatis media ostendit.

Textus tamen schematis momentum, quod in adipiscenda sanctitate rectum exercitium professionis sibi vindicat, aperta oratione non denuntiat.

De moralitate professionali sermo saepe occurrit, quae ad casuisticam a multis reducitur. Casuistica moralis professionalis certo certius habet sicut suam individualem moralem, necnon asceticam et mysticam, quippe quae non nudas officii verum etiam et consilii perfectionisque partes ostendat. Moralis professionalis malum vitandum denuntiat, sed, quod potius est, bonum faciendum praedicat. Fructus oeconomici exercitium professionis non exhauriunt, quae spiritualiter ac supernaturaliter hominem ditare debet: *Simplex sed ardua et fecunda propositio!*

Christus Dominus manu sua veritatem hanc sacravit, gratiarumque abundantia ditavit, qui humanis activitatibus favens (*Mt.* 10, 10; 25, 30; *Lc.* 10, 7; *Io.* 6, 27) fabri filius appellari sivit.

Exemplum ac apostolorum doctrina Christum resonant (*Io.* 21, 1-7; *Act.* 20, 30-35; *2 Thess.* 3, 7-13; *1 Cor.* 9, 7-14; *Eph.* 4, 28; *Iac.* 5, 4). Et Ecclesia, per magisterii os, professiones omnes permagni faciens, servitii ac ministerii divini instar eas celebrat, necnon tamquam exercitium perfectionis.

Quapropter laici semper prae oculis habere debent:

a) Professiones, quippe quae munera a Deo, peculiari vocatione donata, non privilegia, sed responsabilitatis fontes evadunt. Talentis evangelicis, de quibus rationem reddere debemus comparantur (*Mt.* 25, 15).

b) Quaevis professio, ad bonum commune necessaria et utilis, moraliter bona est, legibus entis humani conformis, ac personalis sanctificationis fons.

Dicentes studium perfectionis personalis virtuti ac valori actionis obstare nos corripimus, qui tuemur exercitium perfectionis activitatem professionalem incitare ac firmare.

Finis specificus Ecclesiae ad hoc tendit ut homines ad supernaturalem vitam regeneret, ut illi in Christo aperiantur et cum Deo veritatis et amoris vinculo vivant. Sed homines, ad gratiae vitam renati suique membra facti, sollicitat ut professiones humanae fidei lumine collustratae evangeliique spiritu vivificatae exerceantur et facilius finem suum efficacius attingant.

Per activitatem suam, gratia Christi intrinsecus elevatam laici valide conferunt ut bona creata secundum Creatoris ordinationem eiusque Verbi illuminationem, humano labore, arte technica civilique cultura ad universalem progressum, in christiana libertate conducant.

Christiani, gratia sanctificationis ducti in exercendis professionibus, lumen pro tota societate apparebunt, tanquam fermentum in mundo celebrabuntur (*Epist. ad Diognetum,* 6).

c) Denique, Providentia Divina unicuique et talenta partitur et dona naturalia ac supernaturalia, viam omnibus generico modo indicans. Hominis est professionem determinare; exinde duplex obligationum series: hinc ex electione professionis, inde ex exercitio professionis ipsius orientium.

Ecclesia, instanti cura tendit ut omnes homines in multifaria activitate sanctitatis vocationis actuent in Christo crescentes, qui vivendi forma se ostendit dicens: Ego sum via, veritas et vita.

Votum igitur propono ut inter media ad sanctitatem, praeter caritatis mandata ac evangelica consilia, quae ad perfectionem caritatis ordinantur, Sacra Synodus in lucem ponat rectum professionis exercitium, « ne quisquam putet ad paucos quosdam lectissimos vocatio ad sanctitatem pertinere, ceterisque in inferiore quodam virtutis gradu licere consistere » (Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum omnium*: *A.A.S.* 15, 1923, p. 50). Sed populus intelligat « *vitae sanctimoniam haud esse singulare beneficium, quod aliquibus concedatur, ceteris posthabitis, sed communem omnium sortem et commune officium* ». Faxit Deus!

21

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA

Episcopus Ferentinus

Si sine timore observare volumus realitatem, oportet sincere confiteri maximam catholicorum partem non vivere veram vitam christianam, vitam authentice catholicam, vitam sanctam.

Possibilis inquisitio culparum mere externarum, quae ab omnibus inspici possunt, ad luctuosas conclusiones nos ducit. Quot personae in civitatibus sic dictis catholicis regulariter Missae festivae participant, Sacramentis singulis annis frequentant?... Viginti vel maxime triginta supra centum in non paucis magnis civitatibus!

Item experientia pastoralis certos nos facit plurimos catholicos, externe honestos et practicantes, habitualiter non respectare leges divinas (v. g., sanctitatem matrimonialem), iustitia et caritate carere in gravibus, et ita porro.

Vita christiana est fundamentaliter vita gratiae sanctificantis.

Vocatio ad sanctitatem potissimum est vocatio ad illam gratiam quae theologice definitur « sanctificans », quia nos sanctificat donando vitam supernaturalem et participationem ad vitam divinam.

Hoc est punctum fundamentale, sed etiam punctum dolens. Est punctum cui instare debent pastores animarum, quia gratia sanctificans nobis donat ipsum Deum, Unum et Trinum. Sed nemo potest duobus dominis servire. Qui non vivit in Deo et cum Deo vivit in communione inimici Dei.

Bonus curator animarum promovet opera quae adiuvant animas vivere in gratia sanctificante, exempli gratia, operam dictam « Ritiri di perseveranza ».

Sed non sufficit *in Deo vivere*. Oportet etiam — ut docet apostolus (*Rom.* 6, 10) — *Deo vivere*.

Hoc postulat « supernaturalisationem » totius activitatis humanae.

Ad talem « supernaturalisationem » — supposita conformitate cum Dei voluntate — requiritur et sufficit *actuosa oblatio laboris diei Deo facta.*

Haec oblatio est authentica « orientatio » (sit venia verbo!) nostrae activitatis ad Deum.

Ad talem « orientationem » nos ducunt: 1. *Hora prima Breviarii*: « Dirigere et sanctificare dignare... corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros... »; 2. *Associatio mundialis Apostolatus Orationis* cum sua quotidiana oblatione; 3. *hortatio Ioannis XXIII* mediante Decreto S. Paenitentiariae 25 novembris 1961.

Summus Pontifex s. m. benigne dilargiri dignatus est indulgentias quae sequuntur: 1) *plenariam,* suetis conditionibus, a christifidelibus lucrandam, qui, quavis adhibita formula, sive manuum sive animi labores totius diei mane Deo obtulerint; 2) *partialem quingentorum dierum,* saltem corde contrito a christifidelibus acquirendam, quoties praesentem huiusmodi laborem, qualibet pia invocatione, pariter devote offerant.

Actiones honestae, etiam graves et laboriosae sed simpliciter naturales, nihil ad vitam aeternam valent.

Innumerabiles opifices, qui diligenter et operose laborant sed in peccato mortali vivunt, nesciunt immensam eorum iacturam. Attendunt stipendium unice a domino fabricae. Negligunt Domini caeli et terrae stipendium, quod calcem mortis superat et aeternum fit.

E contra labor, saltem corde contrito Deo oblatus: 1. est opus vere supernaturale, quod momentum transeuntem reddit aeternum; 2. maximum affert adiumentum ad peccati expiationem (« in sudore vultus tui vesceris panem! »: *Gen.* 3, 19); poenas purgatorii minuit; 3. nobis lucratur immensa merita ad aeternam vitam; 4. facile fieri potest opus apostolicum. Nam christianus opifex apostolatum exercet in propria officina non solum verbo et

exemplo sed etiam proprium laborem Deo offerendo ad fratrum conversionem.

Haec est authentica sanctificatio totius diei, totius laboris, totius vitae. Sanctificatio, sic concepta, est realitas summe vitalis, vere socialis — est maximum bonum sociale! — omnibus possibilis.

22

Exc.mus P. D. ORLANDUS CHAVES

Archiepiscopus Cuiabensis

Cum sermo fiat de vocatione ad sanctitatem vitae in Ecclesia fovendam, expedire videtur, ut episcopi ipsi exemplum dent revisionis propriae vitae praesertim quod spectat ad paupertatem. Ecclesia enim in suis episcopis quoque « Ecclesia pauperum » apparere debet.

Quam ob rem proponitur episcopos sive quoad propriae personae cultum sive quoad domum eiusque supellectilem atque aedes dioecesanas quodlibet vestigium divitiarum aut luxus devitent et amoveant, verbi gratia res ex auro vel argento confectas vel alio modo pretiosas quae unice cultui divino reserventur oportet. Insuper omnes alios vivendi modos, qui spiritum saeculi sapiunt et non ad vitae necessitatem pertinent a semetipsis arceant, quique sunt e. gr. spectaculis mundanis interesse, fumum tabaci haurire, bonis delicatioris et superflui usus frui, aliaque id genus.

Quibus ex rationibus exoptandum esset, ut viri ecclesiastici non solum oboedientiae et continentiae perfectae obligatione et promissione adstringantur, sed etiam votum vel saltem promissionem paupertatis emittant, quo fiat, ut clerici in sacris bona temporalia, etiam propria, adquirere, alienare, quin immo administrare absque licentia proprii Ordinarii nequeant. Sustentationis media et expensas, iuxta cuiusque regionis et dignitatis rationes, ex dioecesis bonis omnibus clericis suppeditentur, ne eis ulla necessitas incumbat bonis materialibus studendi eisque nimium temporis et curae tribuendi.

Quae omnia quod ad principia spectat in cap. IV schematis *de Ecclesia* inserantur; quod autem ad applicationem et peculiarem praxim respicit in schemate decreti *de clericis* locum suum habeant.

23

Exc.mus P. D. IOANNES CHEDID

Episcopus tit. Arcensis (Maronitarum)

Cum disceptatio de hoc capite nimis protracta sit, a mea petitione loquendi desisto, atque breves animadversiones quasdamque emendationes proponendas scripto hic tradere vellem, et quidem:

I. *De inscriptione capitis perfectius formanda.*

A) *Animadversiones.*

1. Inscriptio cuiusvis capitis ad ea omnia et sola quae in illo capite tractanda sunt; et si duas vel plures ideas haec inscriptio complectitur, eas eodem modo conceptuali (abstracto nempe vel concreto) enuntiare debet.

2. Iamvero in capite de quo agitur, non de sola « *vocatione* » ad sanctitatem sermo est, sed etiam de sanctitatis notione, modis, mediis, gradibus etc.

3. Deinde *modo speciali* agitur de illa perfectiori sanctitate, quae consiliorum quoque evangelicorum observantiam complectitur, et merito quidem hucusque nomine « perfectionis evangelicae » adornata fuit.

4. Unde requiritur quod inscriptio praesentis capitis ita perficiatur ut omnia iam dicta, prout fieri potest, complecti valeat; quapropter reverenter proponerem sequentes:

B) *Emendationes.*

Inscriptio capitis ita mutetur: « De sanctitate in Ecclesia et speciatim de perfectione evangelica ».

II. *De praestantia status perfectionis clarius illustranda.*

A) *Animadversiones.*

1. Verum est quod sanctitas seu perfectio vitae essentialiter et per se consistit in caritate, quae secundum totam suam plenitudinem est de praecepto (cf. S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 184, ad 3).

2. Verum quoque est quod ista caritas, ac proinde ipsa sanctitas, in praxim deducitur per conformationem vitae ad Divinam Voluntatem, semper et ubique, secundum uniuscuiusque statum (cf. Benedictus XV, in *A.A.S.* 12, 1920, p. 173).

3. Sed pariter verum etiam est quod tum fidelitas in conformatione vitae Dei voluntati, tum « aptitudo » status ad illam conformationem sublevandam, gradus, et quidem diversos, admittunt. Unde sequitur quod:

a) Ratione fidelitatis, sanctitas esse potest vel communis (ordinaria), vel perfecta (relative quidem), vel heroica (cf. Zubizaretta, I, n. 430).

b) Ratione autem status quem quis profitetur, sanctitas esse potest vel generalis, prout ad praecepta *ordinarie* se limitat, vel specialis, prout ad consiliorum quoque evangelicorum observantiam, modo quidem stabili, se extendit.

4. Haec specialis sanctitas pluribus ex capitibus illam generalem praecellit, quia est: *a*) *peculiaris* quoad vocationem, iuxta verba Christi: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est » (*Mt.* 19, 12)*;* *b*) *libera* quoad professionem, iuxta verba Christi: « Si *vis* perfectus esse, vade, vende quae habes... et veni, sequere me » (*ib.* 19, 21); *c*) *alacrior* quoad assecutionem, iuxta illud S. Pauli: « Qui sine uxore est sollicitus est quae domini sunt, quomodo placeat Deo » (*1 Cor.* 7, 32); *d*) *praestantior* quoad remune-

rationem, secundum verba Christi: « ... et habebis thesaurum in caelo » (*Mt.* 19, 21), et iuxta illud Apocalypsis: « ... nemo poterat dicere canticum, nisi... virgines. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit » (14, 3-4).

5. *Haec igitur specialis sanctitas* (quae ab Apostolo uti melior atque beatior praedicatur, et a Domino Nostro nota *perfectionis* adornatur), *sanctitatem illam generalem* (ad quam omnes et singuli vocantur, et quam omnes et singuli, vi praecepti, assequi tenentur), *praecellere dicenda est, et ab omnibus in honore habenda* est, quia: *a*) *primario et directe,* beatiorem reddit personam quae eam professa fuerit; *b*) clarius et magis fulgide illustrat notam sanctitatis in Ecclesia; *c*) maxime inservit ipsae sanctitati universali in Ecclesia, eo quod praeclarum exemplum praebet, verax testimonium dat, et salutiferum ministerium obit, ope eorum qui, sive in statu religioso, sive in caelibatu ecclesiastico, eam profitentur.

6. Haec omnia, hucusque dicta, non ita clare in textu praesentis capitis enuntiata videntur. *Quin immo quaedam ita exprimuntur ut, considerata natura hominum,* quae minus arduis semper prona est (la loi du moindre effort), *erroneis interpretationibus viam aperirent, atque ita laxismum potius fovere possent.* Nam: *a*) ex una parte, in textu (pag. 18, linn. 23 ss.) affirmatur: « Dominum Nostrum omnes discipulos ad plenam vitae christianae et caritatis perfectionem, id est ad sanctitatem vocare »; *b*) ex alia parte, affirmatur (in eadem pag. linn. 26 ss.) quod « pro omnibus et singulis, cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, una est christiana sanctitas »; *c*) immo, ipse status perfectionis, ab Ecclesia sancitus ita describitur in textu (in eadem pag., linn. 10 ss.) ut apparere possit quasi signum *ad extra tantum,* ad praebendum « praeclarum in mundo testimonium et exemplum universalis vocationis ad regnum caelorum ».

7. *Ne ergo erroneis interpretationibus indulgeamus, atque ita statui religioso necnon caelibatui ecclesiastico in genere detrimentum inferamus, sequentes saltem proponerem*:

B) *Emendationes.*

1. Pag. 18, lin. 10: post « sancitum » inseratur: « ad perfectionem evangelicam tendant, atque... ».

2. Pag. 18, lin. 27: post « una est » inseratur: « essentialiter ».

3. Pag. 19, lin. 2: post « excolitur » addatur: « ..., quae diversos gradus admittit secundum uniuscuiusque statum ».

4. Pag. 20, lin. 4: post « quae etsi » inseratur: « per se ».

5. Pag. 20, lin. 19: post « accedunt » addatur: « atque ita ad perfectionem evangelicam alacrius tendunt ».

III. *De quaestione exemptionem religiosorum respiciente opportunius et rectius tractanda.*

A) *Animadversiones.*

1. Cap. IV praesentis schematis de sanctitate agit; exemptio autem nullum ordinem ad sanctitatem ducit, sed regimen potius respicit, et opportu-

nius tractanda erit in schematibus quae de regimine agunt, nempe *de cura animarum,* vel *de episcopis et regimine dioecesium,* vel tandem *de statibus perfectionis adquirendae.*

2. De facto enim haec quaestio tractata est in schemate *de cura animarum* (pag. 16, linn. 22 ss.).

3. Si quis dicat quod hic de exemptione agitur dogmatice, ut nempe asseratur primatus Romani Pontificis, respondendum est quod quaestio de primatu non venit sub cap. IV, sed sub cap. II.

4. Si autem, his non obstantibus, quaestio de exemptione religiosorum hoc in loco tractanda videatur, modo magis recto tractari debet; cum enim in constitutione dogmatica haec quaestio enuntietur, modo quod universam Ecclesiam, non exclusis nempe orientalibus, respicit enuntiari debet.

5. Iamvero apud orientales, hoc ius eximendi religiosos patriarchae semper exercuerunt et hucusque exercent, minime renuente, sed potius expresse et explicite probante Romano Pontifice (cf. C.I.C.O., c. 163 et c. 164 *de Religiosis*).

6. His omnibus consideratis liceat mihi has quae sequuntur proponere:

B) *Emendationes.*

1. Pag. 22, linn. 8-12, usque ad « eximere potest » textus supprimatur prorsus, vel subsidiarie: *Ita mutetur*: « Romanus Pontifex vi sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singulos, in bonum Ecclesiae universae, ad seipsum vel, uti in Ecclesia orientali, ad aliam auctoritatem avocare atque ab ordinarii loci iurisdictione eximere potest ».

Haec dixi, salvo meliori iudicio.

24

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI
Episcopus Ilcinensis

Post tractationem de divina constitutione Ecclesiae, deque sacerdotio Christi eiusque participatione cum speciali respectu laicorum, eius finis in cap. IV delineatur. Si in omnibus effatum « respice finem » sapientissimum iure meritoque consideratur, in subiecta materia necessarium omnino reputandum videtur.

Etenim si Ecclesia corpus mysticum est Christi, nempe totus Christus, huius corporis anima Spiritus Sanctus, qui illud pretiosissimis donis continenter perfundit, nullus alius finis nisi sanctitatis concipi potest ontologice, dynamice, eschatologice dignus eius natura. Ubi Christus est ibi est vita vera. Ubi est Christus, ibi est lux vera quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Ubi Spiritus Dei spirat, nihil aliud nisi quod purum immaculatum sanctum spirare potest. Per Christum igitur vita communicatur, per Spiritum alitur et progressum facit usque ad plenitudinem aetatis Christi.

Tam necessarium hoc apparet quam necessarium veram vitam vivere seu Christi vitam vivere. Unusquisque ergo fidelis ita se gerere debet ut sua possit S. Pauli verba facere: vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus. Totus valor enim vitae humanae hoc est, ut si deficiat omnia deficiant, si habeatur, omnia possideantur. Huc spectat Christi responsum Petro interroganti: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

Vos qui reliquistis omnia, Christus inquit, et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam habebitis.

Haec consideranda saepe proponantur, ad hanc superiorem rerum visionem oculi et aures una cum cordibus extollantur ut, conversatio nostra in caelis sit, quae sursum sunt quaerantur, quae sursum sunt sapiantur non quae super terram.

Et eis qui defixos oculos in terris habent nihil nisi carnale gustantibus, nihil, nisi terrenum aestimantibus, cum italico maximo poeta dicamus: non v'accorgete voi che noi siam vermi - nati a formar l'angelica farfalla - che vola alla giustizia senza schermi? aut: nati non foste a viver come bruti, ma per seguir virtude e conoscenza.

Terrenismus — siquidem hoc verbo uti liceat — est maximum omnium malorum nostrorum temporum, quod comitatur naturalismus, hedonismus, utilitarismus, pestifera omnino cohors omnium errorum qui animos a proprio fine averterunt et ad mundanas et fluxas delicias converterunt: unde anxietates animorum agitationes perturbationes timores eversionum et bellorum. Schematis cap. IV sanctitatem omnibus fidelibus assequendam proponit cuiusvis conditionis tamquam praeclarum fructum redemptionis praesertim clero eiusque germanam naturam enucleat, eam reponendo, in observantia primi et maximi mandatorum legis, in caritate de qua S. Paulus in epistola ad Corinthios splendidum praedicavit elogium eam super omnia charismata extollens, ut sine ea cymbalum tinniens, aes sonans, quin immo nihil prorsus se affirmet esse.

Idem caput opportune de mediis agit ad sanctitatem acquirendam, de consiliis videlicet evangelicis, de statibus vitae, de eorum dignitate, de honore in quo habendi sunt.

Nihil agit, nisi memoria me fallit, de valore doloris, mortificationis cum spiritualis tum materialis, de necessitate sui abnegandi et crucem suam tollendi ut commoriamur cum Christo.

Commori enim omnino oportet cum Christo ut cum eo resurgamus. Forsan magis inculcanda erat sanctitas in sacerdote cum defectus inane reddat sacrum ministerium verbi, repellat fideles, deserta faciat templa, sit causa potissima Ecclesiae lacrymarum. Etiamsi naturales dotes vel peculiares habeat, permulta faciat, maria et montes promittat, si sanctitate careat opera et impensa perit. Si quid reprehensionis in schemate de ea, quae haeresis actionis dicitur, inveniretur, alienum nemo iure iudicaret.

Postremo magis amor paupertatis commendari debuit quae merito appellata est parens omnium virtutum. Quis enim negaverit paupertatem quam

tantopere Christus dilexit, ut affirmaret se ad praedicandum pauperibus missum a Patre, nec lapidem habere ubi caput reclinaret, hodie a multis etiam in Ecclesia probro haberi et eos interdum ipsos qui se voto paupertatis adstrinxerunt nihil non facere ut eam effugiant tamquam importabile pondus? Hoc videre est interdum in domibus paroecialibus conventualibus collegialibus non tantum magnifice extructis sed omni genere commoditatum abundantibus.

Cum res ita se habeant, quomodo paupertatem Christi praedicemus? Quomodo fideles ab insatiabili bonorum temporalium cupiditate deterreamus? Quomodo elata voce moneamus: quaerite primum regnum Dei et haec omnia adicentur vobis? Interrogationes hae sunt quae non exspectant responsiones. Responsiones sunt in re, neque, ut Iacobus Tudertanus aiebat, obscura facienda est adnotatio ubi littera clarescit. Si quid addere liceat, velim in finali saltem adhortatione potissimum commendari cum eucharistica pietate pietatem marianam, sine qua sanctitas vix concipi potest, cum Maria Mater sit Ecclesiae, quam Christus ei in persona Ioannis pendens in cruce commisit.

25

Rev.mus P. D. ROBERTUS CHOPARD-LALLIER

Praefectus Apostolicus Parakuensis

Praefecti apostolici, ut aiunt, in via « perfectionis acquirendae sunt » et dicuntur episcopi « in voto ». Concedere velint Patres quod simus in voto eiusdem sanctitatis seu eiusdem sanctificationis.

Quid legimus « De episcoporum exercitio sanctitatis »?

In n. 30, pag. 19, linn. 3-8, Sacra synodus intendit directe utriusque cleri sacerdotes seu inferioris ordinis ministros « Ut ad imaginem episcoporum »... ministerium sancte impleant et additur: (ordinis episcoporum) « qui in conditione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituantur ».

Valde mihi placet mentio exercitii caritatis plene pastoralis de quo habetur congrua exhortatio in cap. II, n. 21, pag. 31 sub titulo « de episcopi munere regendi »: « *Episcopus*... ante oculos teneat *exemplum boni pastoris* ».

Sic locus datur ipsae sanctificationi sacerdotii ministerialis episcoporum ut non amplius repetatur ad nos psalmistae: « Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum » (*Ps.* 138, 17) ad introitum missae festivitatis apostolorum.

Parum de episcopi sanctitate in nostro schemate, sicut exc.mus Gonzales Martin, ep. Astorga in Hispania, antea locutus est, nempe cum argumentis, vi consecrationis episcopalis. Mihi videtur aliquid corrigendum et pauca verba addenda.

1. In cap. IV ad pag. 19, lin. 5: Non placet ut sacerdotes prae oculis

habeant ministerium ad imaginem ordinis episcoporum, nisi declaretur prius (et addatur) « *ad similitudinem Iesu Christi,* principis Pastorum ».

Recte animadvertit Pater conciliaris qui voluit loco vocabuli « constituuntur » vocabulum « vocantur » substituere, quia nemo constituitur ad perfectam sanctitatem.

2. In fine cap. II « de episcopatu », fit exhortatio de munere salutifero pascendi. Miror quia in tali exhortatione ad episcopos dicitur in fine officium christifidelium: « Fideles autem episcopo adhaerere *debent* », quod melius antea aut in alio capite locum haberet.

Non debent, sed libenter, peramanter adhaerere possunt ex vero exercitio *caritatis pastoralis* necnon *fraternae collegialitatis* et *evangelicae simplicitatis.*

Una cum venerabilibus ecclesiis orientalibus quarum speramus functionem missionalem efflorescere, haec *tria* proponimus inserere in constitutione dogmatica.

a) *Caritas pastoralis et missionaria.* Prior caritas ad ecclesiam sibi commissam, ut bene exponitur in schemate decreti « de cura animarum », concedo. Sed episcopus, ratione evangelizandi, intendit suum opus — non solum per hortationem — sed ad necessitates ecclesiarum. Hic non sufficit, uti scribitur, hortatio ad hortationem, ut constat ex experientia de fructibus Litterarum *Fidei donum.*

b) *Exercitium collegialitatis.* Hanc collegialitatem, quasi unanimiter hodie desideratam, hanc arduam et salutiferam collegialitatem, quando ad effectum viderint nostri cooperatores, receperint probationem excellentiae virtutum in coetu episcoporum et valde adhaerebunt cum aedificatione.

c) *Simplicitas evangelica.* Non pauca de hac in aula. Breviter humili iudicio me convenit dicere.

Memor sum quod proponitur ab em.mo card. Léger: « Minuantur quae non congruunt cum evangelica simplicitate »... ut appareat omnibus in episcopo, pastori et patri, vultus Christi in ecclesia.

Nihil interest de ornamentis deponendis et de inflatione titulorum minuenda, sine formatione et reformatione fidelium sensus. Officium episcopi est facere quod nostri christifideles amant videre, suum episcopum cum ornamentis simplicioribus. In aliqua regione vivit, ut ait olim Pater missionarius Aupiais, ceremonialismus ita ut christiani — sicut psalmista — « dilexerunt decorem... et locum habitationis gloriae »...

Formatio communitatis convenit, praesertim catechistica, ubi instruuntur fideles de veneratione erga hierarchiam non ab exterioribus insignis essentialiter devenire.

Ad hanc simplicitatem evangelicam, quid dicam amplius, nisi quod illa fuit tam bene honorata a Papa Ioanne XXIII, piissimae memoriae qui benigne annuit ante suam mortem, nos — ex inferiore gradu hierarchiae catholicae, invitare.

Emendationes secretariatui tradam.

Pag. 31, lin. 37: « Episcopus qui sacrum ius et coram Domino officium habet... et promptus sit omnibus evangelizare (cf. *Rom.* 1, 14) fideles suos ad operositatem apostolicam et *missionalem universalem exhortari* », mutatur: « et suum opus praebere ad pontificalem et universalem actionem missionalem ».

Pag. 31, lin. 38: « fideles autem episcopo adhaerere *debent...* » mutatur: « *Libenter* fideles adhaerere *curabunt* », et addatur: « ex vero exercitio caritatis pastoralis necnon fraternae collegialitatis et evangelicae simplicitatis in episcoporum coetu ».

26

Exc.mus P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ
Episcopus tit. Bidensis, prael. nullius Corocorensis

Duo in cap. IV *de Ecclesia* inveniuntur quae mihi non placent. Primum, quod in uno eodemque capitulo et de perfectione in genere et de perfectione religiosa agatur. Secundum, quod expositio doctrinalis de natura et praestantia professionis consiliorum votis signatae, manca et insufficiens sit.

En rationes:

Prima, quia schema nimis « notionaliter » vel abstracte procedit ad stabiliendam naturam sanctitatis et praesertim ad definiendas formas et vias sanctitatis in Ecclesia. Inde difficultates quas patitur ad situm determinandum ubi legitime et commode de religiosis in constitutione dogmatica *de Ecclesia* agi possit. Si potius exsistentialiter, ut ita dicam, procederetur, tractationem sumendo a concretis seu ab iis quae in Ecclesia primo intuitu apparent, magis paedagogice procederetur et non paucas difficultates evanerent. Faciliter caput de religiosis admitti posset sicut et de hierarchia et de laicis.

Secunda ratio est quia momentum statuum perfectionis in praesenti ordinatione capitis quodammodo minimizatur et obscuratur. Iamvero talia et tanta est eius praestantia et vis in Ecclesia, sive sociologice sive historice considerentur, tot et tantis laudibus et privilegiis eos ditavit Ecclesia in decursu temporum, ut nec umbra quidem subaestimationis admitti possit.

Tertia ratio invenitur in hoc quod tractatio de religiosis in capite de vocatione generali ad sanctitatem praeiudicat quodammodo quaestionem solvendam de specifica natura statuum perfectionis deque iure quo in Ecclesia exsistant. Professio sanctitatis per praxim consiliorum votis signatam ad quid mere iuridicum vel canonicum reduci videtur, quod prorsus negandum esse putamus.

Sanctitatis media, vota ergo religiosa praesertim, seu professio consiliorum, suum finem intrinsecum habent, scilicet: homines sanctos reddere coram Deo, non proprie sanctos sese exhibere coram hominibus. Hoc eorum effectus adventitius est et extra essentiam votorum. Quod ergo signa sint sanctitatis Ecclesiae vel in Ecclesia non eorum nota constitutiva est nec id quod primarie considerandum in ipsis venit prout schema videtur facere. Non

ut appareamus sed ut simus sancti Christus nobis consilia dedit et eorum praxis votis a nobis firmatur.

Obligatio tendendi ad perfectionem usu consiliorum evangelicorum figuram quandam christiani in Ecclesia producit, sive laici sive clerici, quae specie tantum pure iuridica, propter sollemnitates canonicas quibus ornatur ab Ecclesia, dici possit, revera quid theologicum et divinum est, pendens a voluntate seu institutione Christi; talis quae stare per se possit sine his adiumentis iuridicis.

Oportet in statibus perfectionis inter elementum divinum et elementum humanum, ontologicum et iuridicum distinguere. Natura theologica statuum perfectionis in eo est quod qui ad praxim consiliorum voto tenetur novam relationem erga Deum acquirit et formam obiective meliorem sanctitatis quodammodo suscipit. Ideo tam clerici quam laici statui religioso cooptari possunt ut ad quid melius. « Clericus vero regularis, inquit Pius XII in discursu ad religiosos occasione conventus in Urbe a. 1950, non prout est clericus, sed prout est religiosus, evangelicae perfectionis conditionem et statum profitetur ». « Veritati absonum est asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturam postulatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (acquirendae) appellari. Clericus igitur non vi divini iuris evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, oboedientae devincitur ».

Religiosus vero, vi professionis seu voti, viam et formam sanctitatis per praxim consiliorum talem et ita suscipit quae proprie et obiective eum in statu perfectionis collocant et quae reductive ad ius divinum pertinent, utpote ex voluntate Christi, non praecipiente sed consiliante promanantia. Quae forma sanctitatis aliquid theologicum et divinum est, prout natura votorum postulat, quamvis eius perductio ad praxim iure ecclesiastico moderetur. Essentia status religiosi immutabilis est, eius vero effectio seu expressio historica et socialis, mutabilis seu contingens, et ordinationi Ecclesiae subditur. Status ergo perfectionis theologice et ontologice est quid divinum; iuridice et socialiter quid canonicum vel ecclesiasticum. Bene ergo de religiosis in constitutione dogmatica *de Ecclesia* agi potest et utinam in capite specifico sicut de laicis et de hierarchia.

Prodatur in lucem natura theologica et origo divina status perfectionis, et tunc melius apparebit condicionem signi et testimonii ei utique tribuendam. Quod et de laicis et clericis a fortiori de religiosis dicendum est: videant opera vestra bona et glorificent Patrem qui est in caelis.

27

EXC.MUS P. D. GERARDUS M. CODERRE
Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Intendo circa notionem sanctitatis aliquid dicere et tria ostendere: 1. Nexum proprium inter Ecclesiam et sanctitatem; 2. naturam sanctitatis christianae illustrare; 3. universalitatem vocationis ad sanctitatem in vocatione Ecclesiae fundare.

1. Videtur nexus inter Ecclesiam et sanctitatem *magis* proprie manifestari posse. Nam iure possit quis interrogare, quare de sanctitate agatur in schemate *de Ecclesia.*

Hucusque in schemate Ecclesia principalius considerabatur tamquam instrumentum vel « sacramentum » salutis, quod Christus adhibet ad salutem et sanctificationem procurandam. Agitur de Dei salvifica actione, quae a Deo descendit per Ecclesiam ad mundum. Talem fuisse considerationem, clare constat ex prooemio capitis « de populo Dei », ubi scriptum legimus: « Populus ille, beneficiis divini redemptoris cumulatus, ab eoque in communitatem caritatis et veritatis constitutus, ab eo etiam ut *instrumentum redemptionis* sumitur et ad universum mundum mittitur. Pastores scil. instituti sunt, non ut totum onus aedificandi mystici Christi Corporis in se suscipiant, sed ut fideles ita pascant et regant, ut cuncti suo modo et in suo ordine *ad commune opus cooperentur* ».

Vera quidem et necessaria consideratio, sed minime omittenda est altera, quatenus Ecclesia constituit communionem vitae fidelium cum Christo et in Christo cum Patre. Oportet Ecclesia consideretur non tantum ut organum quo Deus nos sanctificat, sed dicendum est quomodo nos in Ecclesia ad Deum convertamur et revertamur.

De Ecclesia, quae est ipsum Christi corpus, oportet quodammodo dicere quod Christus de seipso dixit (*Io.* 16, 28): « Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». Exivit a Patre missus ut opus salutis perficeret; sed opere expleto ad Patrem redit; degendo vitam communibus hominum conditionibus subiectam, Patri reddendo testimonium usque ad mortem, « secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum » (*Rom.* 1, 4) ad dexteram Dei exaltatus. Et nunc in dextera Dei factus Dominus, omnia sibi subiicit, ut in fine ipse Filius se Deo cum regno subiiciat, ut sit Deus omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 20-28).

Ita et Ecclesia atque membra eius: non tantum sunt cooperatores operis implendi, sed cooperando participes fiunt communionis cum Christo et in Christo cum Patre. Talis autem communio cum Christo et in Christo cum Patre est ipsa sanctitas. Et sic manifestatur nexus intrinsecus inter Ecclesiam et sanctitatem. Talis connexio potest explicitius et solidius exprimi in prooemio capitis « de sanctitate ».

2. Ex hoc ipso natura sanctitatis christianae magis concrete illustratur.

In quonam consistit communio vitae cum Christo, de qua dictum est? Consistit non tantum in eo quod homines christiani Christum tamquam *ab extra* sequantur et imitentur, sed in eo quod fide et sacramentis Christo incorporentur, moribus Christum induant, vita, morte, et resurrectione conformentur Christi mysteriis, et operante Spiritu Christi, cum Christo et in Christo ad Patrem perveniant et Patri intime uniantur. Haec est vita Ecclesiae, ad hoc tantum tendit sacramentorum dynamismus, ad hoc instituta est hierarchia, ad hoc cooperantur et cooperari debent omnia membra Christi, et hoc tandem unice quaerit apostolatus: homines cum Deo in Ecclesia coniungere.

Sed haec est proprie et concrete sanctitas christiana.

Actus autem et animi dispositiones quibus homines magis magisque Christo conformantur et Patri uniuntur, nihil aliud sunt nisi virtutes evangelicae et fides, spes et caritas, quae est vinculum omnium et in qua tota Lex impletur. In perfectione caritatis quaerenda est perfectio filiorum Dei: nunc quidem progressive, sub caligine fidei et in spe, per patientiam acquiritur cum auxilio Dei, sed consummatur in Dei possessione, quando similes ei erimus (*1 Io.* 3, 1-2).

Talis plenior sanctitatis christianae declaratio in prima paragrapho huius capitis opportune inseratur.

3. Universalitas vocationis ad sanctitatem ex ratione interna demonstranda est.

Ex hoc quod quis Ecclesiae incorporetur, eo ipso est particeps vocationis Ecclesiae ad sanctitatem. Ecclesia convocata est ad sanctitatem, ut omnia, visibilia et invisibilia, sub Christo recapitularentur et in Christo reconciliarentur cum Deo.

Propterea vocari ad Ecclesiam et vocari ad sanctitatem idem est scilicet vocari ad communionem vitae cum Christo et cum Patre, semper magis magisque perfectam.

Vocatio proinde non tantum ex mandato superaddito provenit. In Christi mandato quidem vocatio universalis ad sanctitatem promulgatur sed ipsa vocatio in ipso Ecclesiae dynamismo continetur.

Tandem ex hoc patet sanctitatem in Ecclesia in omnibus et singulis esse eiusdem naturae. Plurimae quidem sunt formae particulares conformationis ad Christum, sed omnes et singuli, in quocumque ordine, gradu et statu id ex omnibus viribus quaerere possunt et debent: Christum induere, eius mysteriis assimilari et per ipsum in Spiritu ad Patrem redire. Una est vocatio omnium Ecclesiae membrorum: cum Filio primogenito, in quantum possibile est, filii adoptivi Patris fieri. Ecclesia tandem est communitas horum filiorum.

28

EXC.MUS P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Post ea quae audivimus heri in disceptatione circa cap. IV schematis *de Ecclesia,* fortior mihi et Patribus qui huic voto adhaeserunt et adhaerent spes affulget ut possit eliminari a schemate isto gravis quaedam obiectiva incongruentia circa ordinem materiae.

Vellem imprimis declarare:

De sanctitate et de vocatione ad sanctitatem loquor eo sensu qui plerumque subintelligitur in praesenti cap. IV prouti iacet, nempe de perfectione, utique relativa, gratiae et virtutum.

Affirmo autem, cum multis Patribus qui de hac re locuti sunt, necessitatem distinguendi inter hanc sanctitatem asceticam, moralem, et sanctitatem ontologicam, essentialem, quae consistit in ipsa gratia habituali.

Secundo hoc etiam praenotare volo:

Maximi honoris et aestimationis est pro religiosis quod de eis in mysterio Ecclesiae explanando videatur et dicatur agi non posse nisi sub luce vocationis ad perfectionem sanctitatis. Inde enim insinuatur vocationem ad sanctitatem constituere essentiam ipsam status religiosi et eos qui sub Ecclesiae ductu consilia evangelica profitentur inveniri in conditione omnino privilegiata relate ad sanctitatis consecutionem.

Ea proinde quae contra actualem structuram cap. IV dicturus sum non proveniunt ex aliqua iniuria quae statui religioso exinde inferatur, sed tantum e rationibus obiectivis sereno animo perpensis et vobis, venerabiles Patres, fiducialiter propositis.

1. Non placet quod tractatio de vocatione ad sanctitatem ponatur in fine constitutionis de Ecclesia.

Rationes sunt obviae.

Prouti iacet tractatio insinuat vocationem ad sanctitatem esse quid *superadditum,* licet universale, Ecclesiae naturae, non autem *per se* pertinens ad ipsam.

Revera in nn. 28, 29, 31 vocatio omnium ad sanctitatem probatur tantum ex divino mandato de Deo et proximo perfecte diligendo. Nullibi autem arguitur ex intima et essentiali ordinatione ipsius gratiae et virtutum supernaturalium ex ea fluentium ad illam plenam evolutionem et radicationem in subiecto, in quo praecise consistit perfectio sanctitatis de qua nunc loquimur.

Gratia autem hoc modo ordinata ad sanctitatem pertinet essentialiter ad ipsum mysterium Ecclesiae, siquidem est scopus immediatus redemptionis et donum quod ingrediens in Ecclesiam recipit per baptismum.

Quomodo igitur possibile est exponere ab intra (non tantum describere ad extra) mysterium Ecclesiae et loqui de « populo Dei sancto » quin illic agatur de sanctitate ontologica quae omnibus confertur per gratiam bapti-

smatis et cuius intrinseca lex est ut totam hominis activitatem, nisi impedimenta apponantur, perfecte in Deum ordinet?

Cetera quae de mysterio Ecclesiae dici possunt, aut ad hoc ordinantur, aut ex hoc fluunt.

Praeterea nisi munus pastorale sacrae hierarchiae (loquor imprimis de episcopis, sed etiam de sacerdotibus) velimus claudere sub arido iuridicismo praescriptionum et obligationum, qui ob indolem pastoralem huius Concilii toties et tantopere improbatus fuit, ostendi debet eius connaturalis derivatio ex altiori sanctitate quam postulat munus hierarchicum exercendum in compagine Corporis Christi mystici.

Similiter quomodo possumus loqui de multiformi apostolatu laicorum et de modo quo ipsi in mundo et e rebus mundanis Deo servire possunt et debent quin explicetur imprimis quaenam sit anima et ideo norma tuta cuiuslibet apostolatus et illustrentur praesertim animabus generosis altissimae metae perfectionis christianae ipsis, iure nativo gratiae baptismatis, propositae?

Haec necessitas evidenter apparuit ex interventionibus quae audivimus in aula, quaeque iterum reduxerunt nos ad materiam cap. II de s. hierarchia aut III de laicis, immo et I de Ecclesiae mysterio. Quid hoc significat? Meo humili iudicio significat tractationem de sanctitate, prout nunc est, non esse in suo loco. Debuisset praemitti illis capitibus et in tractatione de sancta Ecclesia et de populo Dei sancto inseri, aut cum illa immediate coniungi antequam de sacra hierarchia et de laicis ageretur.

Neque opportunum est, ob motiva pastoralia heri adducta ab em.mo card. Léger, ut in hac constitutione arcto nexu coniungantur tractatio de vocatione ad sanctitatem et tractatio de religiosis, etsi, ut dixi, hoc est summe honorificum pro ipsis religiosis.

Considerate, venerabiles Patres, logicam evolutionem doctrinae prout habetur in praesenti cap. IV.

Affirmatur omnium vocatio ad sanctitatem (n. 28, linn. 2-3), eo quod omnibus impositum sit praeceptum de perfecta Dei et proximi dilectione (n. 29, linn. 20-23). Affirmatur, non quidem omnino clare et concinne, unam esse christianam sanctitatem pro omnibus (ib., linn. 26-31). Et in n. 30, cuius tamen graves lacunae a Patribus iam notatae sunt, tangitur multiforme unius sanctitatis exercitium.

Omnia ista logice concluduntur affirmatione quae habetur in n. 31, pag. 20, linn. 2-4: « Inter sanctificationis media, quae omnia a caritate procedunt et reguntur, *praeclara* extant consilia quae evangelica inde ab antiquis temporibus appellari consueverunt ». Quae affirmatio verissima est et eruitur ex ore ipsius Christi (« si vis perfectus esse ») et e constanti Ecclesiae traditione. Neque puto eam ob commodum dialecticum, salva veritate, attenuari aut in dubium vocari posse.

Sed estne opportunum hac affirmatione arcte coniuncta cum expositione vocationis omnium ad sanctitatem hanc ipsam expositionem quasi enervare,

acsi, licet omnes ad sanctitatem invitentur, practice tamen media vere efficacia possideantur tantum a Religiosis? Audivimus heri ab em.mo Léger inconvenientia quae habentur e practica reservatione sanctitatis ad monachos et religiosos.

2. Consequenter de religiosis tractetur in proprio capite et sub proprio titulo ita ut complexitas et momentum eorum praesentiae in Ecclesia luculenter appareat.

Id omnino consonat indoli pastorali huius constitutionis et eius materiae, quae concretam Ecclesiae praesentiam in mundo illustrare satagit. Iamvero praesentia Institutorum religiosorum in Ecclesia est fulgentissima et complexa realitas quae claudi non potest sub unico aspectu vocationis ad sanctitatem, licet iste sit fundamentalis et radix aliorum.

Audivimus heri ab em.mo Cento et a rev.mo P. Reetz qualis et quanta sit religiosorum praesentia in Ecclesia. Audivimus ab exc.mo Huyghe de pretio inaestimabili cooperationis religiosorum in aedificationem Corporis Christi. Sed antea em.mus Döpfner locutus fuerat de crescenti penuria vocationum religiosarum quae in gravem iacturam ipsius Ecclesiae redundare posset.

Loquatur igitur Concilium de religiosis saltem cum ea evidentia et solemnitate quacum loquitur de laicis.

Dictum est de religiosis agi non posse directe in constitutione de Ecclesia quia licet sint « in Ecclesia » non tamen sunt « de Ecclesia ».

Haec obiectio seriam difficultatem ingerere poterat in primitivo schemate magis speculativo de Ecclesia, quod Patribus propositum fuerat in prima sessione. In praesenti schemate nullius est valoris. Etenim etiam « laici », prout de eis in praesenti schemate agitur, sunt « in Ecclesia », sed non sunt « de Ecclesia ».

Si igitur haec obiectio non valet contra tractationem de laicis sensu illo acceptis, non debet valere contra tractationem de Religiosis.

Haec, venerabiles Patres, putavi, et decem Patres conciliares mecum, vestrae benevolae attentioni subiicienda unice ob amorem veritatis et iustitiae.

[*Subscripserunt*] Paul Dumouchel O.M.I., VT Sufes; Rud. Koppmann, vic ap. Windhoek SWA; Denis Hurley, arch. Durbanianus; Henry Routhier, ep. tit. Naissitanus; Edmund Peiris, ep. Chilavensis, Ceylon; Thomas Cooray, arch. Columbensis, Ceylon.

29

EXC.MUS P. D. THOMAS B. COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Relatio inter vocationem ad sanctitatem et consilia evangelica.

I. Ista relatio tam in psychologia naturae humanae prout est, quam in revelatione divina fundatur.

1. Secundum ipsam naturam suam homini inditae sunt quaedam ten-

dentiae quae ordinem habent ad mores, nempe tendentiae ad conservationem vitae propriae, ad propagationem speciei et ad progressum tam personalem quam socialem.

Ad conservandam propriam vitam, homo debet sese nutrire, vires suas per requiem reficere et copiam rerum materialium sibi providere. Hae actiones quae per se sunt bonae, possunt vitia evadere per gulam, pigritiam et avaritiam. Inter ista tria vitia, avaritia est potissima et quasi caput aliorum duorum. Duplex est ratio:

a) gula et pigritia tam ratione potentiae materialis in qua fundatur quam ratione obiecti, omnino materia determinantur et limitantur; e contra avaritia quamvis versetur directe circa res materiales fundatur tamen radicaliter in tendentia hominis spirituali ad beatitudinem in acquirendo bonum infinitum et ergo nunquam potest satiari in bono quolibet finito.

b) Penuria rerum externarum per se, ut patet, militat contra gulam et pigritiam.

Ad propagandam speciem requiritur actus generandi qui in vitium luxuriae tendere potest.

Ad progressum tam personalem quam socialem homo indiget adiutorio aliorum: unde, ut dicitur, divisio laboris et necessitas vitae socialis. Vita autem socialis debet esse organizata: quidam debent esse rectores, quidam subiecti. Haec tendentia socialis ex natura profluens vitiosa evadit per desiderium dominandi super alios et ita habetur superbia. Superbia autem duas quasi filias generat. Homo superbus videns aliquid melius in aliis invidia tabescit, videns autem defectus vel in se vel in aliis iracundia ardescit. Potissimum inter ista tria, nempe inter superbiam, invidiam et iracundiam, ut est evidens, est superbia.

Sic habentur septem vitia quae in locutione theologica vocantur septem peccata capitalia i. e. gula, pigritia et avaritia, luxuria, superbia, invidia et iracundia; inter quae potissima sunt avaritia, luxuria et superbia.

Ista secundum psychologiam naturae humanae.

2. Secundum autem revelationem divinam, natura humana quae a Deo creata erat in statu integritatis, per lapsum non tantum perdidit omnia dona istius status integritatis, sed etiam erat vulnerata in suis potentiis naturalibus. Unde origo supradictorum vitiorum quae secundum ipsam naturam hominis sunt numero septem.

II. Ut homo sit bene morigeratus ista vitia seu tendentiae malae temperandae sunt ad mensuram praeceptorum divinorum.

Unde verba Domini, si vis habere vitam aeternam serva mandata.

Ad sanctitatem autem altioris gradus acquirendam istae tendentiae plene eradicandae sunt: unde patet necessitas paupertatis, contra avaritiam et eius sequelas nempe gulam et pigritiam; castitatis, contra luxuriam; obedientiae, contra desiderium dominandi seu superbiam et eius sequelas i. e. invidiam et iracundiam.

III. Unde Deus qui humanam dignitatem mirabiliter condidit et mirabi-

lius reformavit, per Filium suum benedictum ad reintegrandam humanam naturam non tantum sacramenta ad vitam supernaturalem communicandam instituit, sed etiam consilia evangelica homini consuluit, ita ut homo qui voluntarie statum integritatis perdidit, voluntarie per suam abnegationem ad perfectionem filiorum Dei rediret.

Quod autem essentiale in iis consiliis relate ad sanctitatem est earum spiritus i. e. spiritus paupertatis, castitatis et obedientiae. Omnes qui ad sanctitatem aspirant debent illum spiritum acquirere. Ut autem *media* efficaciora acquirendi talem spiritum proponuntur consilia evangelica, nempe voluntaria paupertas, castitas et obedientia.

Ita de omnibus fidelibus. Ex quibus, religiosi, qui sese voto obligent tendendi ad perfectionem, emittunt vota paupertatis, castitatis et obedientiae. Clerici autem, qui ratione muneris, nempe ut sancta sancte agant, debent esse in statu perfectionis — saltem in statu habituali gratiae sanctificantis — emittunt (saltem in Ecclesia latina) votum castitatis et tenentur observare paupertatem et obedientiam secundum suum statum vitae.

30

Exc.mus P. D. IACOBUS CORBOY

Episcopus Monzensis

Aliqua animadvertere velim circa duas theses fundamentales huius capitis, quae, prae ceteris, emendatione necessario indigere videntur:

1. Prima thesis agit de omnium christianorum vocatione ad *unam* sanctitatem.

Omnino laudandum est in hoc capite omnes homines doceri se ad sanctitatem seu perfectionem christianam vocatos esse. Non enim sufficit ut christiani peccata mortalia evitent vel cuidam minimalismo morali indulgeant, sed utique gravium Domini nostri verborum memores sint oportet: « Estote perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est ».

Tamen aliquomodo mirum esse videtur quod in schemate magna quidem cum emphasi sed sine ullis ulterioribus qualificationibus, explanationibus, iustificationibus vere theologis doceatur omnes christianos ad *unam* sanctitatem et ad *unam* perfectionem christianam vocari. Talis enim modus loquendi satis obscurus esse videtur et ideo confusionibus faciliter obnoxius.

Utique enim sanctitas christiana in se est una, sed haec una sanctitas christiana ab unoquoque homine participatur secundum mensuram vocationis suae.

Falsa proinde esset conceptio quod omnes et singuli homines ad numerice eandem sanctitatem divinitus destinentur; sed falsa quoque esset opinio singulos homines ad specifice eandem sanctitatem vocari. Tamen dicendum videtur nec primam nec alteram hanc erroneam conceptionem in schemate

sufficienti cum claritate excludi, ita ut hac in re correctio revera necessaria videatur.

Ambiguitas schematis ceteroquin facile e medio auferri poterit, si ipse conceptus sanctitatis modo magis theologico et ecclesiologico elaboretur et praesertim si ex ipsa doctrina Ecclesia qua est Christi mysticum Corpus eruetur. In luce enim huius doctrinae statim patebit unumquemque hominem in Ecclesia habere suum proprium et individualem locum et ideo quoque ad suam propriam et individualem sanctitatem vocari.

Et in genere dixerim totum hoc caput maximopere clarificari posse, si serium conamen fieret notionem sanctitatis et perfectionis tum e Sacra Scriptura tum ex authentica traditione Ecclesiae magis accurate enucleandi. In praesenti enim redactione notio sanctitatis potius vulgaris adhibetur et quidem non semper perfecte eodem sensu.

2. Alterum punctum, cum priore arcte cohaerens, respicit doctrinam de praestantia status religiosi.

In schemate numquam modo claro et inambiguo de praestantia status religiosi est sermo et documenta Ecclesiae huc spectantia nusquam citantur: immo, constans et emphatica loquela de omnium christianorum vocatione ad unam sanctitatem; reductio differentiarum inter statum religiosum et alios ad simplicem differentiam inter alia et alia media sanctificationis adhibita; tandem unilateralis et fere exclusiva insistentia in charactere significativo et testificante status religiosorum, facilius impressionem gignere potest redactores schematis doctrinam classicam circa praestantiam status religiosi qua talis e proposito omisisse. Iamvero haud convenit quod tales impressiones oriantur vel immo confirmentur.

Doctrina enim Ecclesiae hac de re est quam clarissima, verbis Christi et apostolorum innititur, antiquissima et continua traditione roboratur, a supremo magisterio pluries inculcatur. Sic nuperrime adhuc Pius XII, loquens de virginitate, quae status religiosi est elementum essentiale et constitutivum, solemniter affirmavit: « Haec doctrina, qua statuitur virginitatem et caelibatum omnino excellere ac matrimonio praestare, iam a Divino Redemptore ac gentium Apostolo, ut diximus, patefacta fuit; itemque in sacrosancta Tridentina Synodo solemniter fuit ut divinae fidei dogma definita, et a Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus concordi semper sententia declarata » (Litterae Encyclicae *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954, *A.A.S.* 46, 1954, p. 174).

Tantummodo hisce ultimis temporibus doctrina de praestantia status religiosi ab aliquibus theologis in dubium revocata est, et quidem in primis ob rationes practicas et psychologicas, ut nempe momentum matrimonii christiani clariore in luce poneretur, valor status laicalis extolleretur etc. Quae argumenta, sicut et cetera quae in hoc contextu adduci solent, in sede dogmatica quidem nullius momenti sunt, cum haec quaestio iam dudum definitive determinata sit. Attamen quod ad ordinem practicum et pastoralem attinet, huiusmodi opiniones sunt certo non sine gravi periculo. Si enim dicitur sta-

tum laicalem vel coniugalem aequaliter perfectum esse ac statum religiosum, ac aeque bene utrumque ad unam sanctitatem et perfectionem conducere, quid exinde pro vocationibus religiosis expectandum erit?

Ut plena veritas dogmatica in luce ponatur et hae perniciosae consequentiae evitentur, propono ergo ut doctrina Ecclesiae hac de re claro et inambiguo modo in constitutione *de Ecclesia* exponatur. Ob easdem rationes etiam propono, ut doctrina integra de statu religioso ex integro retractetur et in speciali capite vel saltem in speciali sectione capitis cohaerenter exponatur ita ut solidis fundamentis biblicis et theologicis innixa finibus pastoralibus huius Concilii plene satisfaciat et dogmatice revera aequilibrata sit. Qua in re speciatim etiam curandum erit ut loco actualis utut exaggeratae insistentiae in valore signi et testimonii solida illa argumenta praeprimis adducantur, quibus intrinsecus valor status religiosi a saeculis in Ecclesia comprobatur.

[*Subscripserunt*] Exc.mi DD. Laurentius T. Picachy, Alphonsus Verwimp, Adamus Kozlowiecki, Benignus Chiriboga, Henricus Veniat.

31

Exc.mus P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

I. *Locutiones, quibus status religiosus ex notione « perfectionis » definitur, vitentur oportet.* Cf. pag. 21, lin. 1: « status (sing.) perfectionis acquirendae »; lin. 9: « status (plur.) perfectionis acquirendae »; pag. 22, lin. 10: « quodcumque perfectionis Institutum ». *Rationes voti*:

1. Agitur de modo dicendi scolastico, invento in saec. XIII, ab orientalibus ignorato, ne quidem in C.I.C. recepto.

2. Illae locutiones aptae non sunt ut aliquem statum peculiarem in Ecclesia definiant. Omnis christianus, ex baptismo recepto, est in « statu perfectionis acquirendae ». Si de aliqua obligatione peculiari agitur, talis obligatio etiam apud sacerdotes invenitur ex Ordine recepto.

3. Illae locutiones originem habent ex interpretatione verborum *Mt.* 19, 21 « Si vis perfectus esse... ». Atqui haec interpretatio hodie falsa apparet, cum iuvenis, quem Dominus alloquitur, eo invitatur ut de Iudaeorum legali iustitia ad plenam et perfectam iustitiam evangelicam accedat, quae Christi discipulis proponitur: « Sequere me! ». Omnes christiani, non tantum religiosi, discipuli sunt Christi.

4. Notio perfectionis intelligi potest modo moralistico (qui facile cadit in Iudaismo vel in Pelagianismo), vel modo theologico (mensura perfectionis coextenditur mensura participationis ad gratiam sanctificantem): ex utroque modo natura specifica status religionis definiri non potest.

5. Ex adiecto « status perfectionis *acquirendae* », status religionis opponitur statui episcopali, qui vocatur « status perfectionis acquisitae », ita ut

una locutio alteram quasi necessario evocet. Sed, dato verborum sensu naturali, non sine periculo videtur evocandus episcoporum « status perfectionis acquisitae ».

6. Locutiones, de quibus agitur, psychologiam elementarem videntur ignorare: is enim, qui vota religionis emittit, id non facit pro seipso, ut fiat perfectus. Item ille, qui sacros Ordines in clero saeculari recipit, personali perfectioni non renuntiat. Uterque Deo et animis plene et perfecte inservire vult, secundum donum peculiare, quod a Deo accepit.

7. Ex istis locutionibus occasio nimis frequenter invenitur oppositionis falsae inter clerum saecularem et religiosos.

Prudenter ergo locutiones illae omittantur oportet in solemni documento Magisterii extraordinarii.

II. *Prudentissime de « consiliis » evangelicis agatur.* In vocabulario enim recepto (de quo cf. notula 9, pag. 25), « consilia » « praeceptis » opponuntur, ita ut praecepta omnibus obligatoria sint, consilia vero melioribus et generosioribus proponantur.

Applicatio in casu difficultatibus non caret. « Consilia » enim evangelica ab iis tantum suscipienda sunt, qui « donum » receperunt, ut ea sequantur. Non omnibus ergo indifferenter proponuntur, ita ut generosi tantum ea suscipiant ex libera voluntate. Qui donum non habent ea suscipere nec possunt nec debent. Qui vero donum habent, ea sine periculo recusare non possunt.

Cum de « consiliis » agatur, semper igitur ratio habetur *de dono peculiari,* quod tribuitur iis, qui illa consilia sequenda vocantur.

III. *Notio « sanctitatis » modo theologico (et biblico) evolvatur, et non tantum modo moralistico.* « Sanctitas » est modus subsistendi Deo proprius. Quando sanctitas de hominibus vel de rebus praedicatur, ibi ex communicatione et participatione sanctitatis divinae adest. Homo ex propriis viribus sanctitatem producere non valet; sed sanctitatem, quam a Deo accepit, et qua eum Deus sibi consecravit, in tota vita sua humana debet extendere et applicare.

Modus, quo schema de sanctitate loquitur, Pelagianismum sapit.

IV. *Vota religiosa sufficienter definiri non possunt ut consecratio qua homo se Deo consecrat: ratio enim habenda est de actione divina, qua Deus, per legitimum Ecclesiae ministrum vota suscipientem, ipse sibi hominem consecrat.* In votorum emissione non agitur de actu simpliciter humano, sed de actione aliqua sacra, quae efficacitatem habet non mere humanam, sed supernaturalem ex Deo.

In his, quae de hac re habet schema, idem defectus apparet quam is, qui in dictis de « sanctitate » manifestatur.

V. *Ea, quae de vita religiosa ut signum pro Ecclesia dicuntur, forsitan meliori modo ordinari possent.*

a) Bene extollitur signum temporis futuri, scil. eschatologici: vita religiosa praeannuntiat conditionem nostram in regno Dei consummato.

b) In ea etiam monstretur oportet signum temporis elapsi, temporis

scil. quo Filius Dei in terra nostra ministerium suum implevit, circumdatus discipulis, qui omnia bona terrestria reliquerunt (paupertas, castitas), ut eum sequerent (« sequi » non tantum corporaliter, sed etiam in oboedientia).

c) Haec est adhuc manifestatio dominii actualis, quod Dominus in Ecclesiam exercet, et exigentias demonstrat huius quod est « unum necessarium ».

VI. *Potius quam fideles exhortentur ad aestimationem vitae religiosae* (n. 35), *nonne opportunius esset religiosos exhortare ut ita vivent, ut omnes christifideles aestimationem de eorum vita concipiant?*

VII. *Varios gradus stabilire in aestimatione, quae variis religiosis professionibus tribuenda est* (n. 35: pag. 22, linn. 23-32), *in constitutione dogmatica non videtur opportunum.*

Textus distinguit professionem publicam perpetuam et professionem publicam temporaneam, et declarat primam esse « meliorem ». Sed tacet de votis non publicis (i. e. privatis), quae forsan adhuc « peiores » sunt quam vota publica temporanea, et nihil dicit de professione publica « sollemni », quae forsan « melior » est ac professio publica perpetua « simplex »...

Cum de statu religioso qua tali agatur, melior videtur ab omni valorum scala abstrahere, et comparationes in his lineis propositas omittere.

32

Exc.mus P. D. CAMILLUS PLACIDUS CROUS Y SALICHS

Episcopus tit. Cratiensis, vic. ap. Sibundoyensis

Praecipuum fundamentum theologicum « vocationis ad sanctitatem in Ecclesia » videtur esse *vocatio ad ipsam Ecclesiam.*

Nam Ecclesia est Corpus mysticum Christi. Et huius mystici Corporis vita, seu anima, est Spiritus Sanctus — vita Christi — caritas seu *sanctitas.* Ergo *vocatio ad Ecclesiam est vocatio ad sanctitatem;* i. e., vocatio ad participandum ex vita sancta ipsius Ecclesiae, ut membrum huius Corporis mystici.

Sic enim, per sacramentum Baptismatis, quo quis Ecclesiae membrum efficitur, recipitur gratia sanctificans, qua anima fit inchoative sancta, particeps vitae sanctae ipsius Ecclesiae.

Verba Christi: « Estote ergo perfecti... »; et « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde... et proximum tuum sicut te ipsum... » videntur potius posse considerari ut confirmatio seu admonitio ad plenam sanctitatem adipiscendum, i. e., ad perfectam caritatem, ad quam omnes christiani vocati sunt, non tantum per externum mandatum Christi, sed ut membra vivi Corporis mystici, quod est Ecclesia.

[*Subscripsit etiam*] Vincentius Roig y Villalba, ep. tit. Aradensis, vic. ap. Valleduparensis.

33

EXC.MUS P. D. EMMANUEL PETRUS DA CUNHA CINTRA
Episcopus Petropolitanus

Proponitur emendatio. Inter media quae sive a schemate sive a Patribus proposita sunt ad sanctitatem adipiscendam, nullo modo consideratum est, proh dolor, aliquod omnino dignum quod inter praecipua adscribantur.

Hoc medium est vera devotio erga B.mam Virginem Mariam Matrem nostram.

Vera devotio erga Sanctissimam Dei Genitricem suaviter sed efficaciter animam christianam ad perfectionem ducit.

Hoc constat imprimis testimonio omnium sanctorum qui sive exemplis sive scriptis nobis huiusmodi devotionem proponunt tanquam aliquid omnino necessarium ut quis in virtutis et caritatis via proficiat. Immo aliqui sanctorum, ut S. Bernardus et S. Alfonsus de Liguori, de hac devotione loquuntur ut de signo, prae ceteris electo et securo, divinae praedestinationis. Quod argumentum eo vel magis vim habet quod nullus eorum inveniatur qui devotissimus non fuerit erga Beatissimam Virginem.

Si autem ad Iesum Christum, Dominum et Magistrum, qui non solum verbis sed praesertim factis nos docuit, devenimus, stupendum necessitatis huius devotionis exemplum conspicimus.

Ipse etenim Beatissimam Matrem profundissime necnon tenerrime primus coluit in terris. Tanquam filius simul ac tanquam servus. « Cum Maria Matre eius » et « Erat subditus » sunt praeclara et meditationis digna verba Sacrae Scripturae. Christifidelis ergo omnis in veram hanc devotionem sese totus incumbat constanter in ea se exercendo. Erga pientissimam Matrem quotidie et sedulo currat tanquam servus et filius. Servus ut ad Dominam suam; filius ut ad Matrem benignissimam a qua vitam, i. e. Christum, accepit. Hoc medio sincere adhibito, omnia bona supernaturalis gratiae et sanctificationis veritatis ipsi advenient, iuxta illud S. Bernardi: « omnia nos habere voluit per Mariam ».

Proponimus proinde humiliter ut in art. 31, pag. 20, lin. 1, post « mandatorum observantia », addantur haec verba: « *vera devotione erga B.mam Matrem Mariam* ».

[*Subscripserunt etiam*] Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis; Adelmus Cavalcanti Machado, arch. Macejensis; José Varani, ep. Iaboticaballensis; Vincentius Marchetti Zioni, ep. (tit.) Lauzadensis; José, ep.

34

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus Camerinensis

Ad rem tam supremi momenti — terminum divini Consilii, perarduam nostrae naturae corruptae — videtur minus adaequatum hoc schema. Videtur necessarium revocare profundius divinum Consilium circa Creationem, Elevationem, Redemptionem.

Revoco summatim. Deus constituit hominem tamquam suum cooperatorem in regendo et evolvendo universam creaturam (« Crescite, multiplicamini, replete terram, subiicite eam »: *Gen.* 1, 28). Et dat homini amorem creatum, et oblectamenta et voluptates, non quasi ultimum finem sed quasi incentivum ad operandum iuxta divinam ordinationem.

Sed valde ulterius, Deus constituit homines filios suos: divinae consortes Naturae, Divinitatis participes, quasi quamdam incarnationem Filii Sui, cuius Vita divina infunditur in homines quasi in membra a capite: ut perveniant ad cognoscendum Deum « sicuti est » (*1 Io.* 3, 2), ad amandum Deum ipsa caritate qua Deus amat seipsum solum directe et immediate, creaturas vero in Se et per Se; quae caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum (*Rom.* 5, 5).

Haec est perfectio, sanctitas, cui homines destinantur: plena et perfecta ordinatio supernaturalis erga Deum, et per Deum erga homines et omnes creaturas; perfectio, sanctitas, non tantum quasi relativa, qualis competit purae creaturae, sed quodammodo absoluta per participationem divinitatis.

Haec omnia subversa sunt peccato. Unde homines, per superbiam et concupiscentiam, inclinantur ad hoc ut de incentivo faciant suum ultimum finem.

Per Redemptionem: prout decet humanam naturam quae praeventa gratia debet libere operari, Christus infundit vitam divinam in hominem ut prosequantur suam oboedientiam non obstantibus consequentiis peccati.

Revera post redemptionem manet finis ultimus, visio beatifica in caritate; manet ordinatio bonorum temporalium in hunc finem; manet generale praeceptum originale « Crescite, multiplicamini... subiicite terram »; manent consequentiae peccati, superbia et concupiscentia.

Unde praecepta Christi, ad omnes: de abnegando se, de perdendo animam; de renuntiando omnibus; de cruce tollenda.

Unde invitatio Christi ad nonnullos: « si vis, vende... veni, sequere Me ».

Igitur plurimi uti possunt, et diligere et frui, creaturis, sed secundum legem Dei, saltem parati ad relinquenda omnia potiusquam a lege Dei discedant. Praesertim amore coniugali, quo duo fiunt in carne una, secundum legem Dei iungi possunt; immo, quatenus a Deo vocati, debent; nam Deus statuit per amorem coniugalem propagationem generis humani. Attamen debent — saltem remote sed revera — tendere ad omnia transcendenda, usque ad perfectam caritatem (qua Deus tantum amatur directe et immediate, ce-

tera vero in Deo et per Deum), saltem in vita aeterna; nam et ipsi coniuges « in resurrectione erunt sicut Angeli Dei... qui neque nubent neque nubentur » (*Mt.* 22, 30).

Ita vivendo, fiunt sancti, quatenus fideliter sequuntur particularem voluntatem Dei, perfecti in genere suo, perventuri ad perfectionem absolutam participatam saltem « in resurrectione ».

Nonnulli vero a Deo vocantur altius. Bonis necessariis ad suam sustentationem et ad munera sibi commissa, possunt et debent uti, attamen tamquam non propriis, et parce, et praetermissa quavis voluptate.

Amorem creatum quo duo fiunt in carne una, bonum sed inferiorem et caducum, statim omnino transcendunt.

Voluntatem Dei quaerunt quovis modo inveniri potest, praesertim per legitimos superiores in Ecclesia.

Ita se pandunt ut per Spiritum Sanctum Christus in eos iam in terra infundat perfectam caritatem; fiunt sancti, progrediuntur erga perfectionem absolutam participatam, qua in aeternum gradu excellentiori gaudebunt (*Apoc.* 14, 3, 4).

Ex ipsis nonnulli — raro sed reapse — vocantur ad puram vitam contemplativam, in suprema caritate et cruce et efficientia supernaturali.

Alii vocantur ad contemplanda tradenda, vel ad opera misericordiae.

Alii vocantur (v. g. in Institutis saecularibus) ad operandum circa realitates terrenas, eas supreme amantes, scilicet qua caritate Deus eas diligit, quavis propria satisfactione praetermissa.

Ita instauratur, mirabilius, Christus totus, Ecclesia; cuius munus est vocare, immo adducere, per Gratiam et Veritatem, homines ad rectam ordinationem erga Deum et per Deum erga creaturas, scil. ad sanctitatem. Sanctitas est quasi vitalitas Ecclesiae. Nam per sanctitatem homines prosequuntur oboedientiam redemptricem Christi, adimplendo ea quae desunt eius passionum, pro Ecclesia, ita ut per gratiam suscitetur et vivificetur omne opus bonum cuiusvis ordinis, et gratia fluat ad membra infirma, mortua, separata; eo efficacius quo maior est sanctitas cuiusvis membri, cuiusvis animae vel humillimae.

Vita christiana, igitur, debet tendere ad sanctitatem. Non consistit in non peccando, in quaerendo quam maxime voluptates dummodo non peccetur; sed consistit in amando: Deum « ex toto » — in primis per contemplationem in sensu lato, per orationem quasi germen et initium vitae aeternae —, in amando proximum sicut Christus dilexit nos. Recte utendum est bonis temporalibus, amore coniugali, consequentibus delectationibus; parce; quasi incentivis non quasi fine; gradatim ea transcendendum ad perfectam caritatem. Et hoc est unicum verum fundamentum ad omnes solutiones circa problemata socialia, de morali coniugali etc.

Ex dictis apparet etiam vera essentia « consiliorum », praeter particulares actuationes scholarum spiritualium particularium; apparet nexus consiliorum inter se et cum caritate: inscindibilia.

Denique apparet quod, licet per miserentem dispositionem divinam effectus immediatus ministerii sacerdotalis non dependet a sanctitate sacerdotis — et hoc in bonum animarum — attamen sacerdotium ex suprema convenientia exigit perfectionem, sanctitatem supremam in sacerdote.

Nam sacerdos, vocatus a Deo eique mancipatus in supremum opus, debet considerare sua bona tamquam non propria sed Dei, sibi commissa pro suo ministerio. Cum sit minister oboedientiae redemptricis Christi eiusque prosecutionis in populo christiano, tota vita eius debet esse oboedientia. Per castitatem perfectam, corporis et spiritus, usque ad purissimam humilitatem, debet se pandere perfectae caritati, qua Deum solum amet, et omnes in Deo et per Deum, qua ipsa caritate Deus diligit nos. Debet igitur niti ad plenam perfectionem, ad supremam sanctitatem.

Concludendo, peto quod praesens cap. IV omnino reficiatur, innitendo in profunda consideratione de divino Consilio circa Creationem, Elevationem et Redemptionem.

35

REV.MUS P. D. OMER DEGRIJSE
Superior generalis C.I.C.M.

I. In cap. IV agitur « de vocatione ad sanctitatem », i. e. « De Ecclesia qua sancta ». Nonne optandum esset ut etiam in hoc cap. IV explicite sermo fieret « De Ecclesia qua sanctificante » de Ecclesia ut « institutione salutis », ut « medio generali salutis », indicando media salutis Ecclesiae? « Ecclesia sanctificans » ad « Ecclesiam qua sanctam » dirigitur seu refertur: sunt duo aspectus eiusdem Ecclesiae.

1. « Sanctificatio » est unus e finibus Ecclesiae. Quaeri potest: Cur in schemate *de Ecclesia* nullibi ex professo agatur de fine, de missione Ecclesiae? (Episcopi regionis Burdigalensis petierunt caput « De Missione Ecclesiae »: Emendationes, Pars II, pag. 11). In primo textu schematis aderat caput: « De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus » (cap. X). Hoc autem caput ex toto excidit.

2. Si autem Concilium imaginem organicam Ecclesiae delineare intendit, necesse est sermonem facere *de fine* Ecclesiae. Quomodo enim Ecclesiam intelligere possimus tacendo eius finem? « Finis est primum in intentione »; e fine declaratur ratio ob quam Ecclesia est fundata; finis explanat Ecclesiae mysterium; rationem exsistentiae hierarchiae praebet, rationemque vitae religiosae, apostolatus laicorum, etc. Omnia consideranda sunt tamquam in hunc finem Ecclesiae directa et relata: Ecclesiam intelligere non possumus, si non videmus eam, totam et integram, eniti ad huius finis assecutionem; ita solummodo imaginem seu figuram dynamicam Ecclesiae obtinebimus.

3. In schemate nostro, diversis in locis, per transennam sermo fit de munere Ecclesiae. Hoc autem insufficiens videtur. In capite quodam speciali vel in parte eiusdem, aut per modum epilogi, explicite agendum esset de Missione Ecclesiae in mundo. Tunc tantum apparebit imago dynamica Ec-

clesiae, imago Ecclesiae in statu missionis seu Ecclesiae missionalis, sicut multi Patres exoptaverunt. Mundus universus, catholici et non-catholici oculos ad Ecclesiam vertunt. Mundus exspectat ut Ecclesia solemniter declaret quaenam sit ratio eius exsistentiae, quaenam sit eius missio in mundo, praesertim in mundo hodierno. De cetero, in « Introductione » schematis dicitur: « Cum vero Ecclesia sit in Christo signum et instrumentum; seu veluti sacramentum intimae totius generis humani unitatis eiusque cum Deo unionis, naturam *missionemque* suam universalem instantius fidelibus suis et mundo universo declarare intendit, praecedentium Conciliorum argumento instans, illudque sermone menti hodiernae accommodato enucleans ». Iam vero, hoc non factum est in ulteriore expositione schematis.

4. Quod si nunc finis Ecclesiae declaratur, ponitur fundamentum dogmaticum sequentium schematum: v. g.: « De Missionibus », « De B. M. Virgine », « De statibus perfectionis », « De sacrorum alumnis formandis », « De apostolatu laicorum », « De cura animarum », « De praesentia efficaci Ecclesiae in mundo hodierno », etc. In aliis quidem documentis ecclesiasticis iam sermo factus est de missione Ecclesiae (Conc. Vat. I: Denz., n. 1821; Litt. Enc. *Satis cognitum* Leonis XIII; Litt. Enc. *Mystici Corporis Christi* Pii XII; attamen oportet ut Concilium Vaticanum II de illo argumento quoque agat, ut claram imaginem Ecclesiae delineat et exspectationi mundi hodierni satisfiat.

5. *Quisnam est finis Ecclesiae?* Opus redemptionis Christi persequi: « Opus redemptivum Christi perenne reddere »: sanctificatio et salus hominum: « constitutio populi Dei in Christo uniti, in terra peregrinantis ad caelum » (finis proximus); glorificatio Christi et Dei (finis ultimus).

Ad finem suum assequendum, Ecclesia tria munera Christi continuare debet (« Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21):

a) *Munus propheticum*: « Euntes docete... » (Mt. 28, 18-20). Bonum nuntium afferre, verbum annuntiare: *ad extra*: paganis; evangelisatio: officium et ius Ecclesiae veritatem evangelicam omnibus hominibus praedicandi. Hic, pars cap. X prioris schematis reassumi posset, item cap. I, art. 10 novi schematis. Ita fundamentum dogmaticum operis missionalis poneretur; *ad intra*: in ipsa Ecclesia; ministerium verbi.

b) *Munus sacerdotale*: sanctificatio hominum, incipienda a baptismo: « baptizantes » (*Mt.* 28, 18-20). « Ecclesia ut sanctificans », ad « Ecclesiam ut sanctificatam » directa, ad « communitatem salutis inchoatam », et ad « communitatem salutis consummatae ». Quaeritur num in schemate satis agatur de « Ecclesia triumphante »?

c) *Munus regale*: « Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28 ,18-20). Potestas iurisdictionis in Ecclesia. Hic poni potest fundamentum eorum quae postea dicentur de missione Ecclesiae quoad temporalia.

II. 1. Schema Ecclesiam considerat tantum sub respectu *theoretico* et *intemporali.*

Cur Ecclesia in fine huius schematis non poneretur in medio nostri temporis, confrontata cum mundo hodierno et crastino (Concilium enim etiam pro futuro decernit)? Hoc mundus hodiernus ab Oecumenico Concilio exspectat: quomodo Ecclesia (sub forma praecipuarum linearum descripta) concipit munus suum in mundo hodierno et crastino?

2. Hoc Concilium pastorale intendebat confrontare Ecclesiam cum mundo huiusque magnis quaestionibus seu problematibus, et renovare Ecclesiam ita ut praedictas quaestiones solvere posset. Dolendum vero est quod nulla synthesis praecipuorum problematum mundi nostri Patribus Concilii data est a peritis in sociologia religiosa, in scientia et actione pastorali atque in missiologia. Quae synthesis nobis validum adiumentum fuisset ad melius perspiciendum quid in Ecclesia accommodandum esset ut ipsa necessitatibus nostri temporis occurrat, et simul ut Ecclesiae problemata minus sub respectu Ecclesiae localis quam universalis considerentur.

3. Si loqui volumus de missione Ecclesiae in mundo hodierno et crastino, attendenda sunt haec problemata:

a) Problema dechristianisationis in mundo occidentali, in antiqua Ecclesia christiana. Ne nosmetipsos decipiamus: praesens status rerum angustias et sollicitudinem suscitat. Laicismus, materialismus, humanismus atheisticus semper magis magisque pervadunt vitam socialem, politicam, oeconomicam, technicam et scientificam. Mundus pure humanus, sine Deo, construitur. Apostasia de die in diem crescit. Ecclesia magis magisque evadit « minor coetus » (minoritas) in mundo irreligioso. Neque praetermittendum est mundum occidentalem maxime influere in ceteras nationes et praesenti tempore fere solum omnes vires et opes missionarias supplere debet. Status Americae Latinae, anxietatem suscitans, omnibus notus est.

Concilium munus suum non comprehenderet, si non premeretur anxietudine in facie status Ecclesiae in mundo occidentali.

b) Problema marxismi atheistici qui iam tertiam partem generis humani subiugavit.

c) Problema « explosionis » demographicae humanitatis, de qua hic pauca tantum dicuntur. Quod problema annis proxime futuris quaestiones gravissimas solvendas ponet.

Nunc, in mundo adsunt: 3.000.000.000 homines, quorum tantum 17% sunt catholici; hoc saeculo exeunte, aderunt: 6.000.000.000 homines, quorum (probabiliter) tantum 14% erunt catholici.

Nunc iam adsunt: 2.000.000.000 non-christiani, quorum numerus, saeculo nostro exeunte, erit: 4.000.000.000. (In sola *Asia* erunt fere 4.000.000.000 pagani).

Nunc in America Latina numerantur 150.000.000 incolae; saeculo exeunte, erunt circiter 400.000.000.

Nostro saeculo exeunte, Ecclesia erit « parva minoritas ».

Persentiendum nobis est Ecclesiam, relative loquendo, semper retrogredi, ad numerum fidelium quod spectat, eamque de die in diem muneri

suo minus satisfacere: « Euntes docete... », atque semper minus capacem fieri munus suum implendi. Opus missionale tantum incipit.

Concilium conscium fieri oportet status urgentis necessitatis Ecclesiae, atque usum magnorum mediorum decernere, ut Ecclesia nostris temporibus munus suum explere valeat.

d) Problema famis in mundo seu problema regionum quae sunt in statu evolutionis.

Opportunum videtur ut in fine schematis *de Ecclesia,* cum sermo fit de missione Ecclesiae, *etiam* breviter agatur de eius missione in mundo hodierno atque paucis verbis delineatur solutio quam Concilium supra relatis problematibus proponere intendat.

Animadversiones additae:

Liceat mihi aliqua verba facere circa cap. IV *de Ecclesia,* in specie de vita religiosa:

1. Tota *vita* et *actio* profitentium consilia evangelica in statu ab Ecclesia ordinato et actioni Ecclesiae associato, *Ecclesiae devoveri* debet, cum in hoc rationes essendi et operandi habeat. Omnia in hoc statu ad *Ecclesiae bonum* ordinantur: religiosus non amplius de se disponere valet sed in manibus Ecclesiae positus est, eique in sua vita spirituali, culturali, apostolica et disciplinari plene devincitur, quo peculiari titulo se *filium seu filiam Ecclesiae,* sicut S. Theresia ab Avila, proclamare valet et adhuc magis uti talis vivere debet, ita ut cum S. Paulo dicere possit: « Mihi vivere Christus est », scil. Christus in Eius mystico corpore. Sese vovere Christo est sese vovere Ecclesiae, sacramento Christi in terris; sese vovere Ecclesiae est sese vovere missioni Ecclesiae et in sua vita exprimere sanctitatem et dynamismum Ecclesiae. Schema videtur sensum vitae religiosae in Ecclesia nimis restringere ad testimonium sanctitatis et non satis eam considerare ut instrumentum sanctificationis.

Ideo textus n. 33, pag. 21, linn. 24-26, ita redigi potest: « Religiosus per consiliorum evangelicorum professionem Ecclesiae se tradit, quam traditionem Ecclesia admittit, atque religioso munus committit signum et testimonium necnon instrumentum sanctitatis et fecundae operositatis Ecclesiae sese *exhibendi.* Quilibet sodalis status perfectionis acquirendae certo sciat se in *servitium Ecclesiae* constitutum esse, quod servitium per sanctitatem et in Ecclesiae labore cooperationem iuxta propriam vocationem exprimendum est ».

2. N. 33, pag. 21, linn. 25-29. Ut tota religiosi vita hoc *spiritu ecclesiali* imbuatur, utiliter exprimi posset, *non tantum* quod professio consiliorum evangelicorum *auxilium praestat* ad vitam Salvatoris clarius exprimendam, sed etiam quod *munus tribuit* sanctitatem Christi *in Ecclesia* exprimendi per omnia opera et elementa quibus vita consecrationis constat et expletur, nempe per orationem et cultum, per ascesim et variarum virtutum exercitium, per apostolatum variis formis expressum, per disciplinam qua integra sodalis vita regitur.

3. Exprimendum esset etiam quod per profitentes consilia evangelica, in statu ab Ecclesia instituto et ordinato, *ipsa Ecclesia* plene *amori* et *sanctitati Christi,* eius sponsi, *correspondet.* Ecclesia uti « sponsam Christi », iuxta doctrinam Patrum, peculiari modo esse exhibet in consecratione et professione virginitatis.

In hoc fideli responso ope sodalium statuum perfectionis, Ecclesia sese exhibet

sine *macula et sine ruga* (*Eph.* 5, 27) et praeterea *foecunditatem explet* quo corpus Christi mysticum aedificatur atque regnum Dei extenditur.

4. N. 36, pag. 23, lin. 14. Addi potest quod vita religiosa, tam stricte vitae Ecclesiae devincta est, ut persolvi seu exprimi debeat in *quolibet sodali,* tamquam *vita ipsius Ecclesiae.* Religiosi practice nosse debent ipsos non esse *insulam* aliquam in Ecclesia sed per ipsam religiosam professionem in *ipso corde Ecclesiae* insertos esse, atque signum et veluti sacramentum ipsius Ecclesiae effectos esse. Quapropter, consequenter ad ipsam indolem pastoralem Concilii, religiosos conscios esse debere eorum *strictae* et *peculiaris unionis* et *incorporationis Ecclesiae,* ex quo obligatio fluit ita resumenda: sentire cum Ecclesia, sapere cum Ecclesia, vivere et operari cum Ecclesia.

5. Laudandum est schema pro profunda eius doctrina vitae religiosae. Notum est quod hucusque doctrina vitae religiosae generatim laborabat sequentibus defectibus:

a) Perfectio christiana attingenda proponebatur modo nimis individualistico, modo non satis sociali et ecclesiali.

b) Non satis elaborata fuit theologia servitii Ecclesiae.

c) Nimis exclusive illustrabatur theologia vitae contemplativae et non satis theologia vitae activae seu apostolicae, sicut haec exercetur in Congregationibus vitae activae, sive virorum sive mulierum. Perfectio vitae religiosae est in caritate, quae caritas exercetur non solum in contemplatione sed etiam in actione apostolica quae ex seipsa habet valorem sanctificantem.

Concludo. Schemate nostro apparet et forsan clarius apparere debeat quod aspectus ecclesialis et apostolicus est elementum essentiale vitae religiosae.

36

Rev.mus P. D. ANTONIUS DE HORNEDO CORREA

Praefectus apostolicus S. Francisci Xaverii

Multa quidem bona in hoc capite « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » dicuntur; attamen, omnibus perpensis, dicendum videtur essentiam, functionem et missionem status religiosi in Ecclesia non recte concipi ac enuntiari. Sequentia ergo animadvertere placet:

1. Religiosi sunt populus Dei, membra Corporis mystici Christi, sicut ceteri fideles. Ergo habent omnes titulos eorum ad vitam virtutis sine limite tendentis ad perfectionem; nihil eis deficit ex fundamentis in quibus aliqui affirmant tendentiam ad specialem perfectionem laicorum innixam esse vel in quibus specialem spiritualitatem laicorum radicare intendunt. Status religiosorum proinde, cum specialibus suis obligationibus et mediis, ortis ex voluntaria consecratione totali et radicali sequelae Christi in Ecclesia, non potest reduci ad meram modalitatem diversam vitae christianae: non enim *modo* tantum illae differentiae typificantur quae inter statum religiosum et statum laicalem habentur. Ergo clare dicendum est Religiosos amplecti statum vitae excellentiorem in se ipso, et ex seipso diversum ab aliis statibus, quia secundum constantem traditionem Ecclesiae exigentias ponit, quarum

observantia sub auxilio gratiae certo ad perfectionem christianam specifice superiorem conducunt. Tales autem exigentiae non inveniuntur in statu laicorum et ne quidem in statu sacerdotali qua tali. Quamvis enim status sacerdotalis maioris dignitatis et responsabilitatis subiectivae sit, tamen ex seipso nullum consilium evangelicum implicat. Utique Ecclesia in eo varia media determinat quae ad perfectionem conducunt, sed alia media statuere potuisset, uti v. g. patet e lege caelibatus quae in oriente non obligat sicut in occidente.

Quod nunc ad praestantiam vitae religiosae attinet, iam inde a saeculo quinto inveniuntur perplura testimonia valde explicita hac de re (cf. *Enchiridion de statibus perfectionis,* v. g. nn. 10, 15, 22, 30 etc.).

De relatione autem status sacerdotalis ad statum religiosum in eodem hoc sensu praeclara exstant testimonia Pii XII qui in tota traditione catholica hic innititur (cf. v. g. *Allocutionem Pii XII ad Congressum Perfectionis* anni 1950).

2. Non solum autem status religiosus qua status aliis statibus est superior, sed per consequentiam eius spiritualitas typice religiosa praestat spiritualitate sive laicorum sive sacerdotum saecularium. Totalis enim et illimitata stabilis sui ipsius consecratio Christo facta speciales et quidem superiores exigentias spiritualitatis secumfert. Quod utique ex maximis operibus spiritualitatis catholicis ad oculos demonstratur.

3. Praesertim autem considerandum est doctrinam de praestantia status religiosi non esse quoddam theologoumenon quod libere denegari posset. Hac de re enim existit authentica traditio catholica et definitivum magisterii supremi iudicium, necnon etiam technicus theologorum consensus. Suo tempore Suarez iam dicebat negationem huius doctrinae esse haereticam (Suarez, *De statu perfectionis,* lib. 1, cap. 6).

4. Hac in re non solum theologi, sed etiam supremum magisterium Ecclesiae plures textus S. Scripturae adhibuerunt sed etiam ad nostros usque dies adhibere pergunt. Quamvis autem sensus litteralis aliquorum horum locorum scripturisticorum non immediate et directe de statu religioso agerent — quod tamen haud ab omnibus conceditur — tamen hoc nullatenus significat hisce textibus nullam vim probativam inesse. Exegesis litteralis enim utique necessaria et primarii momenti est; attamen haud confundenda est cum exegesi legitima sic et simpliciter. Ceteroquin quis auderet denegare veritatem v. g. a Pio XII hisce verbis enuntiatam quoad radicationem status religiosi in ipsa Iesu Christi doctrina: « Di fatto — aiebat hic venerandus Pontifex — la sostanza dello stato religioso consiste nei tre consigli evangelici realizzati e professati per mezzo dei tre voti. I riferimenti al Vangelo sono qui superflui. Basterà ricordare il testo classico... » (De facto substantia status religiosi consistit in tribus consiliis evangelicis quae in tribus votis vivuntur et professione veniunt... Superfluum est hic ad Evangelium explicite referre. Sed sufficit textum classicum quendam referre...).

Iamvero, cum pateat, hasce doctrinas in schemate haud enuntiari sed

completo silentio praeteriri, censeo hoc caput ex hoc capite penitus retractandum esse eo fine, ut veritati catholicae integrae et non ad lubitum dimidiatae suus in Ecclesia sit locus.

Hoc autem non tantum ob rationes stricte dogmaticas necessarium esse iudico, sed etiam ob rationes practicas et pastorales.

Ecclesia hodie sicut antea indiget viris et mulieribus qui in vita religiosa Christo in Ecclesia sese dedicant. Si autem modo quo nunc in schemate fit, status religiosus prorsus inadaequato modo exhibeatur, timendum est ne vocationes diminuantur cum ingenti damno totius Ecclesiae.

37

Exc.mus P. D. AURELIUS DEL PINO GÓMEZ
Episcopus Illerdensis

Meo humili iudicio cap. IV « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » est mirifice confectum, ita ut, prout iacet, votationi subiici posset. Ideoque quae proferemus ut clarius decor eius splendeat ordinantur.

Huius capitis maximum momentum nemo est qui non videat. Siquidem bene dicere possumus sanctificationis opus esse finem redemptionis: Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et revera Dei glorificatio est ultimus hominis et omnium rerum finis ad quem per sanctitatem pervenimus. Peccatum est offensa Deo illata, cui peccando negamus gloriam ipsi debitam. Deo per peccatum offenso debitam reparationem tribuimus per poenitentiam, quae est dolor de peccato commisso cum proposito novae vitae, i. e., vitae sanctitatis, qua restituimus Deo gloriam, quae est clara notitia cum laude. Per sanctitatem nos exercemus in amorosa Dei cognitione et ineffabili laude ipsi tributa per actus omnium virtutum, singulariter per actus virtutis caritatis.

In prooemio omnium ad sanctitatem vocatio luculenter asseritur, sive ad hierarchiam pertineant, sive ab ea pascantur.

N. 29: De universali ad sanctitatem vocatione agitur. Pluribus omissis quae de nomine et conceptu vocationis exponi possunt, tantum dicimus: Vocatio, prout hic sumitur, est actus divinae voluntatis, quo Deus, supernaturalibus gratiis, ad sanctitatem amorose impellit. Ut omnia quae asseruntur bene intelligantur et possibilis confusio vitetur, notandum est sanctitatis nomen plures significationes habere, quas nunc propter temporis defectum determinare non oportet, sed tantum affirmabimus quod in quacumque acceptione hoc nomen sumatur, agendo de creaturis semper significat aliquam coniunctionem aut relationem cum Deo, qui est sanctitas essentialis et infinita, ex cuius participatione homo et res sancti dicuntur. Evidenter apparet hic agi de sanctitate prout formaliter constituit vitam supernaturalem in hominibus, ad quam oeconomia redemptionis ordinatur. Forma et essentia huius vitae supernaturalis est gratia habitualis et sanctificans, quae est formalis participatio divinae naturae et ex qua efficimur filii Dei adoptivi, fratres Chri-

sti, habitaculum Sanctissimae Trinitatis, templum Spiritus Sancti et heredes vitae aeternae. Haec gratia sanctificans, quae in anima nostra recipitur et ei confert vitam supernaturalem est ad modum naturae supernaturalis et secum habet virtutes theologales et morales necnon Spiritus Sancti dona. Exercitio virtutum theologarum habentium Deum ut obiectum formale, praecipue vita supernaturalis evolvitur; sed inter eas eminet caritas, quae est amor Dei propter Se ipsum, nimirum propter suam infinitam bonitatem, et amor nostri et proximi, et vellem dicere omnium aliarum rerum, propter ipsum Deum, cuius bonitas in universa creatione exsplendescit. Si autem sanctitas est coniunctio cum Deo, et amore caritatis ineffabili modo cum Deo coniungimur, evidens est sanctitatem in caritate consistere et homines esse sanctiores quo intensiori caritate cum Deo coniunguntur, ac proinde nos omnes debemus tendere ad actus caritatis perficiendos et actus aliarum virtutum magis ac magis caritatis effluviis informandos usque dum perveniamus ad indicibilem amplexum cum Deo in vita caelesti. Ita agendo, secundum mensuram donationis Christi, et nos in sanctitate crescemus et mirifice cooperabimur ut in Ecclesia Dei sanctitas augeatur.

In n. 30: De multiformi unius sanctitatis exercitio agitur. Peropportunum nobis videtur extollere unam esse sanctitatem, hoc est, sanctitatem in variis vitae generibus et officiis non differre neque essentialiter seu specifice neque qualitative, sed tantum quantitate seu intensive. Et revera gratia sanctificans cum omnibus suis virtutibus eadem est essentialiter et qualitative pro omnibus hominibus, et idem affirmari debet de caritate; inde unica differentia pro distinctorum hominum sanctitate nequit provenire nisi ex eiusdem intensitate seu gradu.

Verba quae in n. 30, linn. 2-13 inveniuntur merentur ut ab omnibus episcopis et presbyteris in intimis animae nostrae reponamus et sine intermissione ex toto corde recolamus. Nos omnes penitus sumus persuasi sanctitatem in universa Ecclesia et in singulis dioecesibus et paroeciis maxime pendere a sanctitate episcoporum et presbyterorum. Imprimis quia haec sanctitas in Cor Iesu Sacratissimum efficacissimam vim affert ut perabundantes gratias super Ecclesiam et omnes eius institutiones proferat; insuper si episcopi et presbyteri sanctitate emineamus, pervalide sacrosanctum munus nostrum pastorale exercemus, quo exercitio dioeceses et paroeciae in Christo transfigurabuntur. Id quod ratio theologica luculentissime nobis aperit, omnium dierum experientia clarissime comprobatur. Si dioeceses et paroeciae in fervore et sanctitate decrescunt, omnibus bene deprehensis, comprobatur hanc imminutionem generatim defectionibus pastoralibus obedire. Dicere non intendimus apostolatum ministrorum, qui sancti non sint, omni efficacitate carere, neque dicere intendimus opera apostolatus, nempe praedicatio proprie dicta vel alii actus, ut librorum piorum publicatio, conferentiae, actuationes indolis socialis et alia huiusmodi, ad sanctificationem ordinata, sint causa immediata gratiae sanctificantis vel actualis. Sunt tantum gratia externa quae praeparat modo a theologis explicato ad veram gratiam internam.

Non obliviscamur haec verba: episcopi in conditione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituuntur. Iure extollitur excellentia status religiosorum, sed prae oculis habeamus eorum statum esse perfectionis adquirendae, dum status episcoporum, cui in schemate videtur assimilari status presbyterorum, est status perfectionis adquisitae. Oportet prae oculis habere perfectionem alicuius status non necessario secumferre perfectionem eorum qui talem statum professi sunt et in eo vivunt, immo contingere potest et de facto contingit aliquos eorum in sanctitate superari a laicis. Haec consideratio accrescet in nobis desiderium sanctitatis et fervoris pastoralis. Neque praetermittamus quae in hoc numero innuuntur de inferioris ordinis ministris, immo latiore sensu etiam de laicis a Deo electis, qui ut plene apostolatus operibus incumbant ab episcopo vocantur, ut specialiter fit in Actione Catholica, quae definita est a Pio XI, felicis memoriae, participatio laicorum in apostolatu hierarchico, et eius excellentia nuper magnis laudibus exaltata est a peramantissimo Pontifice nostro Paulo VI, feliciter regnante.

Quae de coniugibus et parentibus sub ratione sanctitatis dicuntur, alacriter et diffuse evolveremus si tempus non deesset. Per pauca schematis verba, tanta significationis et sensus plenitudine splendent, ut in ipsis perfectissime appareat imponderabile officium familiae christianae in promotione sanctitatis in omnibus Ecclesiae liminibus. Quam bene perspicitur hic quod S. Paulus de matrimonio scripsit: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32).

N. 31: De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis. Ad adquirendam et fovendam sanctitatem, quae, uti diximus, in caritate consistit, perplurima media inveniuntur, inter quae numeranda sunt: Sacrificium Missae; receptio sacramentorum, praecipue Eucharistiae, quod est sacramentum amoris et convenientissime intra sacrificium Missae recipitur; oratio; sincera nostri abnegatio et firmum amplexum crucis Domini nostri Iesu Christi; auditio verbi divini in praedicatione proprie dicta, in exercitiis spiritualibus, praecipue ad normam Sancti Ignatii, quae numquam satis commendantur, in recessu mensuali, cuius celebratio pro sacerdotibus, pro fidelibus et pro institutionibus magis ac magis celebrari debet; quotidiana lectio selectorum librorum spiritualium, praesertim evangeliorum et totius Novi Testamenti, filialis impletio sanctae Ecclesiae praescriptionum, specialiter Romani Pontificis, conscientiae examen et iugis Dei praesentia; fervida devotio filialis erga B.mam Virginem Mariam, Matrem Domini nostri Iesu Christi et Matrem Ecclesiae, et singulariter recitatio sanctissimi Rosarii, ex qua tot et permagnae gratiae obtentae sunt, ut historia testatur; sicut theologi docent vera devotio erga sanctissimam Virginem Mariam est unum ex signis praedestinationis. His mediis mirifice augentur caritas et omnes virtutes, passiones dominio subiiciuntur et peccata venialia imminuuntur.

Plura vellem dicere de consiliis evangelicis, sed tempus non adest. Altissimam gratitudinem nostram Domino nostro Iesu Christo ferventer exprimamus, qui talia consilia peramantissime nos docuit exemplo et verbis, et effi-

caciter adlaboremus ut praedicta consilia ab omnibus fidelibus, immo ab omnibus hominibus agnoscantur et modo a Deo ipsis concesso libentissime ea pervivant.

38

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis

I. *Quis sit locus primae sectionis cap. IV magis idoneus?* Cap. IV in duabus sectionibus dividitur. Prima (nn. 29-31) de universali vocatione ad sanctitatem tractat, secunda (nn. 32-36) de statibus perfectionis.

Quod ad locum magis idoneum primae sectionis in schemate de Ecclesia pertinet, duae dantur opiniones quarum unaquaeque argumentis validis innititur.

Prima opinio tenet divisionem uti nunc datur melius ante oculos ponere momentum religiosorum et status vitae perfectionis acquirendae in Ecclesia. Rite huiusmodi status momentum magni facit, quod minuere nullo modo debemus.

Alia opinio ad hoc specialiter attendit quod omnes ad sanctitatem vocentur, ita ut sanctitas sit vocatio populi Dei. Unde proponit quod prima sectio directe *in fine capituli de populo Dei ponatur,* dum novum fit capitulum de religiosis.

Argumenta in favorem primae opinionis iam ab exc.mis DD. Charue et Urtasun allata, magni ponderis sunt et aliquomodo anceps sum. Attamen, omnibus perpensis, ad alteram opinionem inclinor, quia melius mihi videtur proponere doctrinam de natura et fine Ecclesiae.

Sanctitas enim est vocatio propria populi Dei ac finis charismatum et munerum in Ecclesia. Finem oportet proponi antequam de particularibus tractetur.

Tunc n. 30 deleri debet. Quod dicitur de presbyteris et ministris, in articulo « de sacerdotibus » (in cap. de hierarchia) veniet; quod de coniugibus et parentibus, in capitulo « de laicis ». Deinde sequitur capitulum « de his qui consilia evangelica profitentur ». De quocumque statu rectius et aequius loqui potest, sicut optavit exc.mus D. Angelus Fernandes.

Sic ordo logicus melior habetur. Primo, in duobus primis capitulis agitur de natura et de fine Ecclesiae; secundo, in capitulis sequentibus de diversis muneribus et statibus, quibus unica vocatio christiana ad sanctitatem vel fovetur et adiuvatur vel exercetur.

Sicut diximus, novum capitulum « de his qui consilia evangelica profitentur » initium habet in n. 32, cuius textus tamen modificetur.

Pag. 20, lin. 36, sic legatur: *Ad sanctitatem seu caritatis perfectionem, ad quam omnes vocantur, ferventius prosequendam, maxime confert praxis consiliorum evangelicorum. Ad quae* consilia evangelica...

Pag. 21, lin. 3, valde opportuna esse videtur recordatio primaevae deter-

minationis huius status vitae, quae est scil., iam a primis temporibus Ecclesiae, *sacra virginitas vel castitas Deo stabili modo dicata.* Haec recordatio proculdubio momentum oecumenicum habere potest. Textum sequentem propono: « Huius peculiaris status vitae primaeva determinatio est sacra virginitas vel castitas Deo stabili modo dicata. Quae forma vitae iam a Christo Domino ut mysterium quoddam tantum ab aliquibus intellecta (cf. *Mt.* 19, 12), a Paulo apostolo ut consilium sensu proprio commendata (cf. *1 Cor.* 7, 25), per totam traditionem antiquam a sanctis Patribus extollitur. Quae castitas Deo dicata semper in Ecclesia floruit et hodie mirabiliter viget, praesertim inter mulieres. Iam ab origine caelibatus consecratus exstitit etiam in clero et decursu temporis generalis factus est, in Ecclesia occidentali. Vitae virginali apud multos adiunctae sunt paupertas effectiva et erga praepositum oboedientia ».

II. Animadversiones sequentes tantum primam sectionem respiciunt, nempe par. 28-31, quarum ordinem sequemur.

Par. 28-29 simul: sanctitas specifice christiana. Gaudendum est quod n. 29 clare affirmet sanctitatem in caritatis perfectione essentialiter consistere et omnes homines ad eam vocari.

Tamen ex modo loquendi notio sanctitatis nimis *moralis* eruitur, quasi sanctitas principaliter ex conatu hominis proveniret.

Unde grave incommodum sequitur. Nam *transcendentia specifica* sanctitatis christianae non apparet, dum hodie variae falsae viae perfectionis homines seducant: multi putant sufficere, ut aiunt, amare, quidquid sit de natura huius amoris; humanismus naturalisticus valde diffunditur, pro quo ipse homo est auctor et consummator suae perfectionis pure terrestris; etiam nonnulli conantur Absolutum attingere methodis mere humanis.

Oportet ergo sequentia sub n. 29 clare affirmari (quae re vera tantum insinuantur, et quidem sine vigore, pag. 18, n. 28, linn. 4-9, pag. 19, n. 31, linn. 38-40). *Gratia divina,* quae est *radix sanctitatis,* nobis *datur* a Filio unigenito incarnato, qui et nos sanguine suo redemit. Ipse est Caput nostrum a quo omnes gratiae profluunt, praesertim *per sacramenta* quae *in Ecclesia* eius distribuuntur: initium sanctitatis est gratia baptismatis, quae in sacra Eucharistia nutritur et ad perfectionem ducitur. *Sic sanctitas est sanctitas Christi* (scil. nobis communicata), *locus eius est Ecclesia, haec sanctitas est sacramentalis* (scil. per viam sacramentorum communicata).

Hac gratia homines, filii adoptivi Dei facti, re vera *deificantur,* ita ut *vita theologali fidei, spei et caritatis in societate et amicitia Divinarum Personarum in animis iustis inhabitantium, vivent.*

Christifideles ita Christo Capite uniuntur quod, si gratiae eius *libere respondeant,* in Eum de die in diem *transformentur* ac in opere salutis adimplendo *Redemptoris consocii fiant.*

Insuper si *spiritu beatitudinum,* gratia operante, imbuantur, Domini Iesu, humilis, pauperis et mitis, *testes* fiunt.

Sic homo potest diligere Deum, quem in veritate Patrem vocat, si *volun-*

tatem eius faciat, mandata eius custodiens, praesertim *fratres et proximum diligendo.*

Emendationes textus in scriptis directe exc.mo secretario generali trado.

Par. 30. Secundum propositionem meam in initio factam, haec paragraphus deleri debet, dum substantia eius in aliis paragraphis distribuatur. Unde considerationes sequentes tantum valent in casu quo haec mea propositio retenta non fuerit.

Lin. 13, pag. 19, expressio « gratiae episcopalis » mihi videtur claritate carere ac potius confusionem afferre. Nam intelligi potest ac si esset gratia sacramentalis, sacramenti scil. ordinis, quod non est in omnibus casibus certum. Sufficit *de missione* loqui, cum constet: *a*) participationem muneris episcopi ius obiectivum ad gratias actuales ponere; *b*) omne munus in Ecclesia titulum novum esse tendendi ad sanctitatem. Quae etiam explicite dici possunt.

In commentario pag. 29 optime dicitur quod ministri *sese per exercitium sui muneris sanctificant,* quod in textu nostro non dicitur. Oporteret hoc inserere, v. g. lin. 8 vel 12.

Uti sub n. 29 diximus, gratia fideles *Redemptoris consocii* fiunt. Agitur nempe de vocatione redemptrice christianae vitae. Unde in nostro n. 30, lin. 23, postquam de ministris et de coniugibus ac parentibus sermo fuerit, oporteret loqui de vocatione eorum qui, dum sit caritas, directius fiunt participes crucis Domini, primo *de aegrotantibus* sed etiam de omnibus pro quibus *privatio bonorum humanorum est occasio fecunditatis supernaturalis* in mysterio Christi et Ecclesiae. Similiter loquendum est de *pueris et senibus,* quorum oratio pretiosa est in conspectu Domini.

Par. 31. Haec paragraphus non tractat de stabili vitae forma, sed de consiliis in genere, et hoc quidem recte. Tamen, pag. 20, linn. 14-16, agitur *de oboedientia erga praepositum,* dum lin. 31, alluditur ad eos qui *omnia* tria consilia *privatim observant.* Sed valde dubitatur utrum hoc re vera detur *extra stabilem vivendi formam, ab Ecclesia sancitam.* Ergo cautius loquendum esset *de oboedientia vel spiritu oboedientiae.*

Emendationes textus quoad nn. 30-31 in scriptis directe exc.mo secretario generali trado.

Emendationes.

Pag. 18, n. 28, linn. 2-3, textus sic mutetur: deleantur verba: « sive ad hierarchiam... pascuntur ». Textus sic remanet: *omnes ad sanctitatem vocantur.*

Lin. 9, disputatur si pro religiosis loquendum sit de electione proprie dicta. Unde pro: elegit, legere: *vocat* vel *invitat.*

N. 29, linn. 13-17, textus sic mutetur: Omnis perfectionis divinus *Auctor, Magister, Exemplar et Consummator,* Dominus Iesus, omnibus et singulis hominibus cuiuscumque condicionis praedicavit dicens...

Lin. 25, additio: « vocare. Simul gratiam suam, praesertim per sacramenta in cordibus infundit. Dum plena libertate respondeant, homines hac

gratia in eum transformantur, ipseque eos in opere redemptionis adimplendo sibi consociat ac testes eius fiunt, cum spiritu beatitudinum imbuti in humilitate, paupertate, castitate et mansuetudine vivant ».

Linn. 26-31, textus sic mutetur: « Gratia Christi homo filius Dei adoptivus fit ac re vera deificatur, ita ut ipsa sanctissima Trinitas in corde eius inhabitet ipseque iam in hac vita, fide, spe et caritate in amicitia et societate divinarum Personarum vivat. Sic dante Spiritu Sancto Deum Patrem appellat, quem plene amat dum voluntatem eius facere satagat, mandata custodiens ac fratres et proximos sicut seipsum diligens. Omnes ergo... ».

Vel loco linn. 26-31, possent venire linn. 24-32, pag. 19.

Pag. 19, n. 30, lin. 8, sanctificationem. *Etiam per exercitium sui muneris sese sanctificant.*

Linn. 8-9, verba: « ut Sancti Patres docent » deleantur quia inutilia.

Linn. 12-13, textus sic mutetur: *Missionis autem episcopalis* participes sunt...

Lin. 15, additio: « Unde novum ius acquirunt ad gratias actuales recipiendas novaque pro eis ponitur exigentia sanctitatem prosequendi ».

Lin. 23, additio: « Speciali dilectione ad eos se convertit Sancta Synodus, qui in corpore vel anima patiuntur aut bonis legitimis vitae humanae quocumque modo privantur, sive sint aegrotantes sive in captivitate degentes sive in aerumnis vel iniustitia lugentes. Hi omnes, dum sint spiritu fidei, spei et caritatis animati, strictius Domino crucifixo Salvatore, in victimam pro peccatis oblato, uniuntur. Etiam pueros et senes adhortatur Sancta Synodus, quorum preces pretiosae in conspectu Domini sunt ».

Pag. 20, n. 31, lin. 15, textus sic mutetur: ordinationi, *in spiritu oboedientiae et quandoque in hac speciali forma oboedientiae* erga...

Lin. 23, pro: sed, legere: *attamen.*

Lin. 34, legere: sive apostolicis *et caritativis* laboribus.

39

REV.MUS P. D. LEO DESCHÂTELETS

Superior generalis O.M.I.

Abhinc aliquos dies, hanc venerabilem adunationem alloquendi privilegium quaesieram, de his quae ad cap. IV schematis *de Ecclesia* pertinent.

Nonobstante voto heri emisso, rursus honorem hunc sollicitavi atque de eo benigniter concesso, pergratus maneo.

In praesenti quidem, nulla referre intendo, de rationibus ob quas consideratio, ex professo necnon et in capite distincto facienda de statu perfectionis adquirendae, in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* omnino postulata sincere mihi videtur. Praedictas rationes ad secretariatum generalem Concilii referre satis habeo.

Aliunde autem, compluribus Patribus nuperrime in aula auditis, quam

maxime necessarium tale caput in constitutione hac inserendum retineo. Etenim, in Concilio, claro vel confuso modo, haud paucae quaestiones surrexisse, haud paucae difficultates prodiere, et forsan dubia, relate ad « statos diversos perfectionis adquirendae », necnon, modo particulari, quoad vitam ipsam religiosam.

Quae cum ita sint, videtur Concilium debere problematibus istis responsum dare. Schema propositum partim eis respondet, non autem totaliter. Sic, ut feliciter hoc eveniat, longior et accuratior expositio necessitatur, quae per aliquos articulos uti nunc habentur satisfieri non potest.

Certocertius permulta problemata assurgunt aliaque iure et merito a Patribus ponuntur, de origine necnon de natura consiliorum et praeceptorum evangelicorum, de natura vitae religiosae, vel etiam de ipsis statibus perfectionis adquirendae in Ecclesia.

Nec deest, ut mihi videtur, desiderium et quidem legitimum ex parte Concilii ut vita consiliis evangelicis ducta praecisius et accuratius definiatur atque exponatur.

Et revera urget, tempore hoc tam opportuno quo in Ecclesia sanctitatis vitam clariorem in lucem prodire desideratur, tempore quoque quo laicos huic viae sanctitatis plene et secundum totam eius evangelicam aestimationem sese committere optatur, tempore hoc denique quo exigentias episcopalis sacerdotalisque sanctitatis definire et elucidare in votum est omnium.

Insuper si modo particulari ab hoc Concilio indicationes speciales de perfectione aut sanctitate prosequenda laici exspectant, a fortiori, ut censeo, idem desideratur quoad exigentias status sui a religiosis qui observantiam consiliorum evangelicorum voluntarie et publice spopondere. Has exigentias minui minime volunt, magis autem ut clarius indicentur, declarentur et — si opus fuerit — imponantur exoptant.

Sic speciatim vos alloqui, venerabiles Patres conciliares mihi incumbere videtur ut plurium millium missionariorum mihi commissorum et per orbem tot in dioecesibus et vicariatibus sparsorum vota adimpleam.

Et ideo, humiliter quaeso ut in schemate *de Ecclesia,* ubi movetur quaestio de sanctitate, speciale caput, et quidem distinctum, inseratur cui titulus esse posset: *De iis qui consilia evangelica profitentur.*

De modo et loco agendi de statu perfectionis adquirendae in constitutione dogmatica « de Ecclesia ».

Omnino probanda est insertio *status perfectionis adquirendae* in constitutione dogmatica *de Ecclesia*; et licet id aptiori modo fieri potuisset, laudanda est commissio imprimis praeparatoria et deinde subsequens conciliaris « de doctrina fidei et morum » quae ut fieret libenter adnuit et sollicite adlaboravit, cui propterea grati esse debemus et sumus.

1. *Opportunitas insertionis status perfectionis adquirendae in constitutione.* Ecclesia cuius vultum haec Sacrosancta Synodus universo mundo clara luce ostendere intendit, sponsa est Christi mira circumdata varietate et non una refulgens pulchritudine; cui haud ultimum extat ornamentum turma

fidelium qui eius divino Sponso integram vitam et operam professione consiliorum evangelicorum in variis statibus perfectionis adquirendae generoso perseverantique animo consecrant.

Status perfectionis minime accidentaliter Ecclesiae adiicitur, quasi transeunte charismate repente excitatus. E contra, ab ipso Evangelio defluens, Ecclesiae intime pertinere dicendus est. Vi enim specialis ac plenae quam secumfert christianae perfectionis professionis, evangelicis consiliis solide fundatae (cf. Pius XII, Motu Proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948, II), primario fini Ecclesiae universaeque fidelium vocationi gloriam Deo procurandi et propriae sanctificationi incumbendi, divinitus inseritur tamquam germen foecundum, quod volventibus saeculis arbor factus est in dies crescens ramisque suis multipliciter diffusus (cf. schema: cap. IV, n. 32).

Sane, status perfectionis ad completam hodiernam ordinationem sollicita Ecclesiae opera adductus fuit, Spiritu Sancto indesinenter excitante et adsistente. Attamen, ex consiliis evangelicis a Christo Domino verbis et exemplis inductis, primam originem et veluti inchoativam formam indubitanter trahit ita ut iuxta communem theologorum et canonistarum sententiam haud paucis pontificiis documentis confirmatam, de *iure divino* non praecipiente sed consulente quoad substantiam habendus sit. Id inter alios docuit Summus Pontifex Leo XIII ad archiepiscopum Parisiensem die 23 decembris anno 1900 scribens: « Les Ordres religieux tirent, chacun le sait, leur origine et leur raison d'être de ces sublimes Conseils Evangéliques que notre divin Rédempteur adressa, pour tout le cours des siècles, à ceux qui veulent conquérir la perfection chrétienne... » (« Religiosi Ordines, ut cuique notum est, suam originem ac essendi rationem trahunt ab istis sublimibus consiliis evangelicis, a nostro divino redemptore pro toto saeculorum cursu propositis iis qui christianam perfectionem adipisci cupiunt... »). Cf. Epist. *Au milieu,* 23 dec. 1900, in *Acta Leonis XIII,* vol. XX, pag. 340.

Hanc sanctitatis oeconomiam in Ecclesia Christi perspiciens, Pius XII, felicis memoriae, in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* diei 2 februarii 1947 pulchre describebat sequentibus verbis: « Quam arcte atque intrinsece, historia sanctitatis Ecclesiae et apostolatus catholici, cum historia fastisque vitae religiosae canonicae, Spiritus Sancti iugiter vivificantis gratia, mira varietate in dies subcrescentis et nova magis magisque altiore atque firmiore unitate roboratae, coniuncta sit, in comperto apud omnes est. Nihil mirum, si Ecclesia, etiam in iuris provincia agendi rationem fideliter retinens, quam providens Sapientia Dei clare innuebat ita statum canonicum perfectionis consulto prosecuta fuerit et ordinaverit, ut iure meritoque supra ipsum aedificium ecclesiasticae disciplinae, tamquam supra unum ex angularibus lapidibus superaedificare voluerit ».

Quapropter, status perfectionis qui sibi vindicat divinam originem et talem cum Ecclesia connexionem, in constitutione dogmatica *de mysterio Ecclesiae* populo Dei sollemniter declarando, tamquam eiusdem mysterii pretiosum patrimonium locum habet claraque luce exhiberi debet.

2. *In capite distincto de statu perfectionis agendum est.* Sed qua ratione status perfectionis in constitutione *de Ecclesia* inducendus sit?

Absque dubio, omnes fideles vocantur ad unam et substantialiter eamdem sanctitatem. Advertendum est autem quod in statu perfectionis ad eam contenditur speciali professione specialique consiliorum evangelicorum disciplina, ex qua derivatur eiusdem ab aliis statibus vitae distinctio, non solum quodam accidentali gradu sed specie.

Difficultas iam notata in statibus personarum distinguendis et definiendis oritur, saltem in parte, quia *idem vocabulum ad diversos conceptus non univocos* exprimendos adhibetur et infeliciter adhibendum est, meliore nondum invento. Inde *aequivocationes* quae etiam in hac aula conciliari pluries defluerunt et etiam in casu nostro habentur relate ad vocabulum « *laicus* », quod opponitur tum *clerico* (can. 107), tum *religioso* (can. 491, § 1). Si res autem in se analytice consideretur, omnia perspicua apparent et inter se apte composita. Etenim:

a) ratione mancipationis *divinis ministeriis* (can. 108, § 1), *clerici* distinguuntur a *laicis* et quidem, attenta sacramentali ordinatione, « ex divina institutione », « licet non omnes clerici sint divinae institutionis » (can. 107);

b) ratione vero *vocationis ad sanctitatem,* nonobstante eiusdem substantiali unitate, secernendi sunt illi qui vi specialis professionis consiliorum evangelicorum illam prosequuntur, ab aliis sanctitatem sectantibus in propria vitae conditione, etsi non minore cum affectu et zelo.

Priores sunt *asseclae* status perfectionis adquirendae, votis publicis adscripti vel non, vitam communem ducentes aut singulariter in saeculo degentes.

Alii vero, disciplina trium consiliorum non suscepta, spiritu tamen ea observantes, sanctitatem prosequuntur sive titulo communis professionis christianae baptismo et confirmationi adnexo, et *laici,* strictiori sensu, nuncupantur, quatenus neque clerici neque religiosi sunt; sive titulo peculiaris officii sacri, et sunt *clerici.* Hi quidem, non solum sanctitatem in aliis sacri ministerii exercitio promovere debent; sed ipsi « sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere » (can. 124) tenentur; atque, ut hac de re quid minimum innuatur, ad sacros Ordines digne recipiendos riteque exercendos, aliquem sanctitatis gradum, vel, ut Codex Iuris Canonici modeste ait: « mores ordini recipiendo congruentes », praeseferant oportet.

Haec distinctio *status* perfectionis adquirendae a statu simpliciter laicorum et a statu clericorum, non est dubia neque ambigua, quam Summus Pontifex Pius XII in Allocutione *Annus Sacer* anni 1950 perspicuis et satis notis verbis inculcavit dicens: « Quocirca divino ipso iure statutum est, ut clerici distinguantur a laicis (cf. can. 107). Inter duos hos gradus religiosae vitae status interiicitur, qui, ecclesiastico ordine defluens, ideo est atque ideo valet, quia arcte proprio fini Ecclesiae fini cohaeret, qui eo spectat, ut homines ad sanctitatem assequendam perducantur. Quamvis quilibet christia-

nus, Ecclesia duce, hoc sacrum culmen scandere debeat, tamen religiosus homo illuc progreditur *itinere* omnino suo et praesidiis celsioris naturae ».

Immerito diceretur hanc tripartitam divisionem personarum in Ecclesia a solo iure ecclesiastico pendere ideoque locum non habere in constitutione dogmatica. Non ita. Status religiosus enim, in quo haec distinctio nititur, originem et veluti inchoativam formam, ut supra dictum est, a consiliis evangelicis trahit atque primario Ecclesiae fini suapte natura inseritur. Neque hic status exsurgit ex mera selectione quorumdam sanctitatis mediorum; secumfert, e contra, authenticum *institutum* vitae a Christo Iesu inchoative praeformatum et ab Ecclesia ad perfectionem adductum, quod fidelis amplectitur non solum abnegatione terrestrium sed effectiva abdicatione, ita ut reapse remaneat sine *proprio* in paupertate, sine *uxore* in permanente caelibatu et sine *libero arbitrio* in universali mancipatione.

Quamobrem, omnino congruit ut status religiosus non solum in constitutione *de Ecclesia* includatur, sed distincte quidem et distincto loco; quod rite fiat in capitulo speciali, a generali consideratione de vocatione universali ad sanctitatem separato, sub cuius umbra nimis dissimulatur et parum elucescit. Ita, clarius apparebit vocationem ad sanctitatem haud esse religiosorum monopolium vel privilegium, licet ipsi ad eam progrediantur via omnino speciali et vere privilegiata a Christo sibi monstrata. Hinc etiam, universali vocatione ad sanctitatem initio schematis posita, expeditior apparebit via ad eandem quae est propria tum episcopis et clericis, tum religiosis, tum laicis.

Obiici posset quod scissio praesentis cap. IV coget bis loqui de consiliis evangelicis. Sed, in quacumque hypothesi, id necessarium erit et sine incommodo fieri poterit. Consilia evangelica, enim, omnibus quidem competunt, sed non eadem ratione: omnes sanctitatem adipisci vere cupientes, saltem *spiritu* consiliorum vivere debent, quatenus « abalienato a divitiis rebusque terrenis et suipsius animo, morum praeseferent lenitatem et esuriant sitiantque iustitiam » (Pius XI, *Quas primas* in festo Christi Regis, cf. *Brev. Lect.* 6). Huiusmodi observantia consiliorum in spiritu a non paucis praeclarissimis exemplis sanctorum probatur. Religiosi autem sanctitatem quaerunt speciali, expeditiori tutiorique via, consilia evangelica suscipiendo non tantum *affectu* per meram animi dispositionem, sed *effectu,* quatenus institutum vitae assumunt quo, ut diximus, sine proprio remanent in paupertate, sine uxore in caelibatu sineque libero arbitrio in oboedientia. Hae duae consiliorum evangelicorum considerationes inter se distinctae et irreductibiles, in praesenti quaestione sunt etiam fundamentales; et nisi accurate serventur, confusio in statibus vitae definiendis expectari potest, quae haud infrequenter de facto evenit.

3. *Proprius locus capitis specialis de statu perfectionis.* Proprium locum huic capitulo assignare non videtur magni negotii, si ordinatio materiae a commissione de Concilii laboribus coordinandis in nota ad cap. III, pag. 5 adiecta, servetur. Etenim:

Cap. I esset *de Ecclesiae mysterio;*

Cap. II, *de populo Dei in genere,* ad quem trahenda sunt ut a pluribus Patribus propositum est, ea quae in cap. IV de vocatione ad sanctitatem in genere habentur;

Cap. III, *de constitutione hierarchica Ecclesiae;*

Cap. IV posset esse *de presbyteris, diaconis ceterisque clericis,* prout est in voto plurium Patrum;

Sequetur tunc cap. *de religiosis* quod esset V, vel IV si speciale caput de presbyteris non habetur;

Deinde erit caput *de laicis,* quod erit VI vel V;

In fine deberet poni caput *de missionibus,* ut praevidetur, cuius schema nondum prodiit.

4. *Titulus capitis de religiosis.*

Ut notum est, materia de religiosis variis titulis subiecta fuit: in schemate commissionis theologicae praeparatoriae erat: « De statibus evangelicae acquirendae perfectionis » (cf. pag. 32). In schemate subcommissionis *conciliaris mixtae,* schema mense martii 1963 exaratum, titulum habebat: « De iis qui consilia evangelica profitentur ». Alii proponere possent simplicius titulum: « De religiosis ». Omnibus perpensis videtur praeferendus ille: « De iis qui consilia evangelica profitentur ». Etenim, ex una parte, nullum saporem iuridicum habet, propterea melius congruit constitutioni dogmaticae; ex altera parte, omnes complectitur qui consilia evangelica effectu profitentur, sive partim, ut virgines consecratae in saeculo, sive tria consilia simul cum vel sine votis publicis, cum vel sine vita communi.

Sub hoc titulo etiam, materia praesentis schematis congruenter ordinari poterit, cum debitis emendationibus et nonnullis additionibus.

40

Exc.mus P. D. STEPHANUS DESMAZIÈRES
Episcopus tit. Bybliensis, aux. Burdigalensis

Loquar de pag. 19, n. 30. Agitur de presbyteris. Presbyteri sunt cooperatores episcopi, ministerium suum adimplere debent sancte, alacriter, fortiter « ad totius populi sanctificationem ». Sic enim, ut ait textus schematis, ad perfectionem ascendere possunt. Cur solummodo « possunt »? Nonne melius esset dicere: « debent »?, vel potius: « possunt ac debent »?

Explico meam sententiam. Ministerium presbyteri est « totius populi sanctificatio ».

Omnes enim christiani, vi sacramenti baptismi, ad sanctitatem vocantur. Sed presbyter, vi sacramenti Ordinis, vocatur ad sanctificandum christianos. Debet illos adiuvare, in omnibus circumstantiis, ut fiant magis in dies quod sunt vi baptismi, veri fideles, sancti, perfecti, sicut Pater caelestis perfectus!

Primum, evidenter, ministrando sacramenta, praesertim sanctissimum sacramentum; sed etiam docendo, praedicando verbum Dei, opportune et im-

portune, veritatem faciens semper in caritate ita ut, praecise, fideles possint plene et vere participare sacrosancto Eucharistiae mysterio, et, offerendo una cum sacerdote immaculatam Hostiam, seipsos offerre spiritualem et devotam hostiam, et sic magis in dies seipsos sanctificare.

Sed quid valet praedicatio, nisi simul testimonium? Quomodo presbyter ad sanctitatem vocabit, si non tendit, ipse, ad sanctitatem? Quomodo ad perfectionem alliciet, si non diligit ipse Dominum ex toto corde?

« Casti connubii » leges christiani coniuges debent discere, et secundum illas vivere. Presbyter, si vult eos sincere adiuvare, debet in castitate perfecta amanter vivere.

Oboedire hierarchiae debent christiani. Presbyter, si vult eos sincere adiuvare, debet exemplum praebere oboedientiae perfectae episcopo suo, secundum « Promitto » ordinationis suae.

Pauperes spiritu esse debent christiani. Diverso modo, unusquisque secundum proprium statum. Sed pro omnibus discipulis suis Christus dixit: « Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus » (*Lc.* 14, 33). Presbyter, si vult eos sincere adiuvare, debet et ipse, pauper vivere, spiritu, et quodammodo realiter.

Tria vota religiosa presbyter non emittit, sed vi muneris pastoralis debet in spiritu illa vivere.

Insuper plus dicam. Multas alias virtutes, equidem evangelicas, presbyter exercere debet, si vult quam optime pastorali munere fungi, scil., ut loquar tantummodo de principalibus:

Humilitas, cum, v. g., accipiet illud munus quod episcopus committit, quamvis non gloriosum, quamvis etiam minus remuneratum.

Abnegatio sui, cum, v. g., collaboret cum aliis presbyteris, et etiam cum laicis, in caritate fraterna, « semetipsum abnegans » et semper « quaerens primum regnum Dei ».

Vi sacramenti Ordinis, presbyter constituitur in statu, in quo munus pastorale illum obligat ad perfectionem caritatis. Si vult esse bonus pastor, debet esse « Evangelium vivens » et animam suam dare pro ovibus.

Legendo hoc schema, videtur quod a saecularibus sacerdotibus nimis exigere timemus.

Sunt solummodo « clerici secundi ordinis »! et non sunt « religiosi »! Unde oportet bene distinguere, ut non confundantur cum religiosis, qui sunt « perfecti », et cum episcopis, qui sunt « perfectores »!

Sane, non sunt religiosi, sed Pius XI (Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii,* diei 20 dec. 1935) et iam antea S. Pius X (Hortatio *Haerent animo* diei 4 augusti 1908) luculenter scripserunt de obligatione peculiari presbyterorum ad sanctitatem.

Illud oportet hodie iterum proclamare. Aliter nonnulli presbyteri poterunt dicere — timeo! — et possem nonnulla exempla praebere — quod non sint ad perfectionem evangelicam vocati, quod sunt « saeculares » et non « religiosi »! Quasi si perfectio religiosa esset religiosis reservata!

Sane, sunt solummodo « clerici secundi ordinis », sed coniuncti episcopo, debent, sicut ille, celebrare Missam quam perfectissime, et adiuvare fideles ut participent Missae melius in dies. Episcopo exemplum praebente, debent et ipsi fieri quantum possunt « forma gregis ex animo ». Uno verbo, sunt cooperatores episcopi: cooperatores toto corde episcopi, qui est Perfector totius sui gregis, et primus religiosus suae dioecesis.

De populo Dei in hac aula iam pluries dictum est: « Caveatur confusioni, dum loquimur de aequalitate membrorum ». Inaequalitas in eo est quod, in maiore dignitate constituti, ad maiorem perfectionem tendere debemus!

Perfectio magna laicis praescribitur; maior clericis praescribenda est.

Pius XI non timebat coniugibus christianis praescribere perfectionem: « Omnes, aiebat, cuiuscumque sunt condicionis, Deo adiuvante, ad summum christianae perfectionis fastigium pervenire possunt ac debent ».

Cur, quando agitur de presbyteris, non dicitur a fortiori: Possunt ac debent?

Si, ut nonnulli Patres optaverunt, recognoscitur paragraphus de presbyteris, humiliter propono ut magis instetur de obligatione peculiari ad sanctitatem.

In tota hac aula, idem personat clamor inquietus: Deficiunt presbyteri. Deficiunt pastores. Exaltemus vocationem pastorum, et in tota Ecclesia sane surgent plurimi et sanctiores.

41

EXC.MUS P. D. IOSEPH DELPHIS DES ROSIERS
Episcopus Qachasnekensis

Liceat mihi sequentes animadversiones circa cap. IV schematis *de Ecclesia,* scil. « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » caritati vestrae scripto proponere, ne discussio in aula conciliari huius capitis nimis protrahatur.

Hoc caput incompletum et deficiens mihi apparet ex eo quod argumenta ibi allata quadam confusione laborant et ulteriorem confusionem producere possunt. Tota materia huius capitis ad duplicem vocationem refertur: ex una parte ad vocationem omnium christifidelium ad sanctitatem et ex altera parte ad vocationem ad statum vitae religiosae seu professionem consiliorum evangelicorum. Mea humili sententia, omnia quae de vocatione omnium christifidelium ad sanctitatem ibi dicuntur melius ponerentur in capite de populo Dei ubi cum debita amplitudine simul ac fundamentum theologicum de natura, dignitate et obligationibus vocationis christianae exponerentur. Quae vero de statu religioso ibi habentur, caput speciale constituere deberent in quo simul ac vitae religiosae natura theologica, dignitas et momentum sive pro christifidelibus ad illam vocatis sive pro tota Ecclesia Dei, in clariore luce ponerentur.

In nuntio quod ineunte Concilio Oecumenico Vaticano II ad universos homines mittebamus solemniter declaratum est: « Quaerere volumus quo-

modo nosmetipsos renovemus oporteat, ut Evangelio Christi magis ac magis fideles inveniamur. Integram ac puram Dei veritatem huius aetatis hominibus sic proferre studebimus ut eam ipsi intellegant eique libenter assentiant » (*A.A.S.*, 54, 14, pag. 822).

Ad hunc finem consequendum necessarium iam apparuit Concilio voluntatem Christi salvificam denuo in mentem omnium revocare: « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant ». « Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra ». Doctrina vero divini redemptoris de via ad salutem et ad sanctitatem hominibus nostri temporis ipsis verbis Christi denuo proclamanda est. Nam omnibus hominibus qui ad vitam aeternam pervenire volunt Christus Dominus eamdem semper dedit ac dabit responsionem: « Si vis ad vitam ingredi serva mandata ».

Oblivisci tamen non possumus, si « integram veritatem proferre studemus » secundae partis responsionis Christi Salvatoris iuveni diviti qui illum de hac re interrogabat: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, da pauperibus et veni sequere me ». Similiter non sunt praetereunda alia consilia evangelica uti sermo in monte, virginitas perfecta « propter regnum Dei », sicut et ipsa exempla Christi Domini qui hic in terris ut pauper vivere voluit factus « oboediens usque ad mortem » et qui relate ad Patrem suum potuit dicere: « Quae placita sunt ei facio semper ».

Omnino evidens est christifideles in mundo degentes in tali spiritu evangelico vivere posse, immo, debere, et de facto saepe ita realiter vivere, uti probant solemnes declarationes Summorum Pontificum inter beatos ac sanctos adscribentes servos Dei qui in saeculo ut sacerdotes vel laici vixerunt. Sed non minus evidens est multos christifideles libere statum religiosum eligere ad hoc ut voluntatem Christi ad perfectionem illos invitantis securius adimpleant. Omnino certum est sanctitatem essentialem eamdem esse pro omnibus Christi discipulis et in caritate erga Deum et proximum consistere. Tale enim est « primum et maximum mandatum » ex quo tota lex pendet et prophetae. Neminem tamen fugit media ad sanctitatem, praesertim ad consilia evangelica quod attinet, prae se ferre applicationem particularem et sat profunde diversam pro diversitate statuum personarum ad illam (sanctitatem) tendentium.

Status religiosus seu vita religiosa, ut iam pluries in aula conciliari declaratum est, uti v. g. ab em.mo D. card. Cento, exc.mis DD. Franić et Martin, rev.mo Patre Sépinski et multis aliis, decursu temporum, iam uberrimos fructus sanctitatis praebuit et semper in traditione Ecclesiae laudata est. Dignitas ac momentum eius hodie a multis ex fratribus separatis agnoscuntur. Iam prima durante huius Concilii sessione unus ex observatoribus, quibusdam Patribus declarabat se per longum tempus in oratione et meditatione medium efficacius adlaborandi pro adimpletione Christi desiderii: « Ut unum sint » quaesivisse et post diuturnam orationem medium quaesitum illi apparuisse in ipsa dedicatione totius vitae Deo per vota religiosa. Talis est, dicebat clarissimus ille observator, origo vitae nostrae religiosae apud Taizé in Gallia.

Ad hoc ut hanc doctrinae Christi partem quae veluti traditionalis in Ecclesia Dei habetur, homines nostri temporis melius intellegere possint, ad hoc ut religiosi et religiosae ad maiorem spiritualem fervorem invitentur et uberiores sanctitatis fructus Dei et Ecclesiae praebeant, humillime proponere vellem ut caput speciale de statu religioso instituatur in quo cum quadam amplitudine explicabuntur fundamentum theologicum, natura, dignitas et momentum vitae religiosae pro Ecclesia Christi.

42

Rev.mus P. D. ALFONSUS DUTIL
Superior generalis M. S.

De munere Ecclesiae in ordinario statu professionis consiliorum evangelicorum.

1. Tria consilia evangelica quae fons sunt status perfectionis acquirendae in Ecclesia, in huius patrimonio et haereditate continentur quippe quae custos, Mater ac Magistra sanctitatis constituta sit.

Dicit Pius XII in Encyclica *Sacra Virginitas,* diei 25 martii 1954: « Sacra Virginitas et perfecta illa castitas, quae divino est consecrata famulatui, in pretiosissimis procul dubio annumerantur thesauris quos Ecclesiae Auctor ab se conditae Societati quasi haereditate reliquit » *(A.A.S.,* 36, 1954, pag. 161).

2. Quae iam primis saeculis ad oboediendum invitationi Domini: « Si vis perfectus esse... » et motui Spiritus Sancti, in anima fidelium operanti, peracta sunt, non tantum vigilandi cura ab Ecclesia considerata sunt, ut abusus vitentur et genuinus spiritus perfectionis probaretur, sed obiectum fuerunt providae actionis Ecclesiae quae... « saeculorum decursu... Christo Sponso fidelis sibique semper constans, sub Spiritu Sancti ductu, continuato certoque incessu usque ad conditum hodiernum canonici iuris codicem status perfectionis disciplinam pedetentim evolvit », prout asseritur in constitutione apostolica *Provida Mater* diei 2 febr. 1963 et fuse iterum describitur pro vita religiosa mulierum in constitutione apostolica *Sponsa Christi* (*A.A.S.,* 33, 1951, pagg. 1 ss.).

3. Etsi in statu sequelae consiliorum evangelicorum aspectus et influxus actionis charismaticae in Ecclesia, clarior quam alibi appareat, actio ipsius hierarchiae Ecclesiae additur quae operam privatarum personarum suam fecit, eam complet et in institutionem socialem, iuridicam quinimmo canonicam transformat; quin tamen peculiaris character seu spiritus a privatis personis impressus dispareat.

4. Actio Ecclesiae et effectus huius actionis nempe transformatio operis alicuius privatae personae in opus ipsius Ecclesiae cum consequentibus iuribus et obligationibus quae characterem iuridicum et publicum huic operi conferunt non sufficienter elucere videtur in praesentis schematis textu.

Ex hoc impressio oritur quod status professionis consiliorum evangelicorum effectus est tantum cuiusdam privati charismatis ab Ecclesia probati vel sanciti.

5. Quapropter nonnullae animadversiones et additiones inducendae videntur.

a) Sub n. 28, pag. 18, lin. 10: Post verba « per statum vitae ab Ecclesia sancitum » addatur: « definitum et ordinatum ».

Ecclesia revera non tantum sanctionem confert proposito alicuius fundatoris sed suum facit cum illum approbat et sic evadit fundatrix et, ideo, speciali titulo Mater institutorum religiosorum.

Textus ita compleri posset: « ut per statum vitae ab Ecclesia ordinatum et approbatum atque ad conditionem status iuridici et etiam canonici elevatum, huius universalis vocationis ad regnum caelorum nomine Ecclesiae praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum necnon sanctitatis prosecutionis in Ecclesia sit efficax instrumentum ».

b) Sub n. 32, pag. 21, linn. 3 ss.: « Statuto quod ex iure divino illi qui statum perfectionis acquirendae profitentur non sunt quid intermedium inter clericalem et laicalem conditionem, exprimendum esset quod ipsi ornari possunt et de facto, in decursu saeculorum peculiari conditione iuridica et, pro religiosis, etiam canonica ornati sunt in Ecclesia, qua conditione vocatione et servitio seu munere decorantur et constituuntur in Ecclesia ut, nomine ipsius Ecclesiae, mysterium Domini nostri Iesu Christi, in Ecclesia extans, exprimant et manifestent, sive per orationem seu precationem, sive per ascesim et exercitium variarum virtutum, sive per exercitium operum apostolatus, sive per totalem et plenam obedientiam seu dependentiam.

c) Sub n. 32, pag. 20, lin. 40, pag. 21, lin. 1... Utile esset in lucem ponere quod status perfectionis acquirendae, seu stabilis forma vivendi seu profitendi consilia evangelica fructus est providentis et maternae actionis Ecclesiae quae non solum sanctionem contulit generosae operae privatarum personarum sed pedetentim hunc statum ordinavit eique contulit peculiaria officia quibus novus status socialis iuridicus et canonicus ab Ecclesia constitutus est, qui status perfectionis acquirendae vocatur.

Textus ita redigi posset: « Ad consilia evangelica, in verbis et exemplis Domini fundata, ab apostolis et Patribus, Ecclesiaeque doctoribus et pastoribus commendata, plures christiani vocati accedunt, immo praxim eorum instituunt in stabili et in communi quoque vivendi forma, quam Ecclesia vigilanti cura prosecuta est eamque attente legibus suis ordinavit, iura et officia, sive coetibus sive sodalibus, contulit, quibus novus status socialis et iuridicus et canonicus in Ecclesia constitutus est, qui status perfectionis acquirendae vocatur ».

6. Status professionis consiliorum evangelicorum, in suis variis formis, fructus est maternae sollicitudinis Ecclesiae erga filios suos qui vocatione divina attracti, plene Deo sese consecrare intendunt; effectus est etiam desiderii efficacis ipsius Ecclesiae plene per illos amori Sponsi sese devovendi.

43

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRÍA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Liceat nobis aliquam et quidem brevissimam observationem facere circa quaedam quae in hoc capite dicuntur.

In pag. 20 a lin. 2, haec litteraliter dicuntur: « Inter sanctificationis media, quae omnia a caritate procedunt et reguntur, praeclara exstant *consilia* quae *evangelica,* inde ab antiquis temporibus appellari consueverunt ».

Ni fallor, secundum istam propositionem, sic dictorum consiliorum praxis, perfectio non est, sed solummodo medium ad perfectionem, quod, secundum meum humile iudicium, a veritate abhorret. Praxis consiliorum non solum medium, sed ipsamet perfectio est.

Etenim, ut in pag. 18, lin. 13 dicitur, « Omnis perfectionis divinus magister et exemplar, Dominus Iesus... exstat ». Ex quo colligitur quod omnis perfectio et proinde sanctitas ab ipsius imitatione desumenda sit. Ille erit perfectus qui perfecte illum imitatur, ille erit perfectior qui perfectiori modo imitatur, et ille erit perfectissimus, qui perfectissimo modo illum imitatur. Quod de cetero, omnino conforme est cum eiusdem declaratione quando dixit: « Si vis perfectus esse, tolle crucem tuam et sequere me ». Proinde tota et suprema ratio sanctitatis imitatio Christi est.

Nunc vero quaero: In ipsamet vita Christi, observantia consiliorum, simplex theoria an realis practica est? Estne aliquid perifericum vel aliquid nucleare in vita Christi? Aliis verbis, ipse Christus practicavit vel non evangelica consilia? Si ipse non practicavit, sine dubio, nihil aliud sunt quam simplex medium pro creaturis, et proinde in se perfectiones non sunt sed media ad perfectionem; si autem ea Christus practicavit, iam non simplex recommendatio sunt sed obiectum imitationis secundum illa verba, discite a me, sequere me etc.

Si sinceri esse volumus, credo quod negare non possumus, quod Jesus Christus consilia sic dicta evangelica, non solum praedicavit, sed etiam et quidem, strictissimo modo in praxim duxit. Circa suam oboedientiam, et quidem eminentissimo gradu peractam, sufficiat recordari sua verba. Si potest transeat a me calix iste, sed non mea sed tua voluntas fiat; circa suam paupertatem eiusdem etiam verba recordemur, Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum, necnon prae memoria habeantur verba: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, etc. De eiusdem castitate hic supervacaneum videtur loqui, hac de causa cum reverentia nihil dicimus.

Ex quo liquido sequitur quod Christus non solum consilia commendavit sed ea in praxim ipsemet duxit, et quod si Christum, omnis perfectionis Magistrum et Exemplar imitare volumus, ad perfectionem acquirendam, etiam in consiliorum praxi imitari debemus.

Sine dubio, non omnes homines ad istam altissimam sanctitatem sunt vocati, ipsemet Christus distinctionem facit quando iuveni interroganti quid

faciendum sit ad vitam aeternam habendam simpliciter dicit, Serva mandata; et solummodo quando ille manifestat desiderium maioris sanctitatis respondet. Si vis perfectus esse. Sed ex hoc, nullo modo sequitur, quod praxis evangelicorum consiliorum perfectio non sit, ut in schemate dicitur.

Alia consequentia exinde sequitur, nempe. Si religiosorum vita ad id tendit ut consilia evangelica quam fideliter ad praxim ducantur, ipsamet vita in quantum talis, status perfectionis est vel maioris sanctitatis quam pro aliis quod utique, ut bene in schemate dicitur « non est intermedium quid inter clericalem et laicalem condicionem » sed status valde venerandus et nostro amore et devotione augendus.

44

Exc.mus P. D. CLARENTIUS E. ELWELL

Episcopus tit. Conensis, aux. Clevelandensis

Caput IV: *De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* (quia nec in schemate uti iacet, nec in aula, praeponebantur).

A) *Prima et quidem maioris momenti emendatio.* Inter media sanctificationis de quibus pag. 20, linn. 2 ss., addatur explicita mentio quod septem opera misericordiae, tam corporalia quam spiritualia, media sunt magni momenti ad sanctitatem fovendam et augendam.

Rationes: *a*) Pro laicis praesertim (sed non pro iis tantum), cum oratione, observatione mandatorum et receptione sacramentorum, etc., medium ordinarium sanctificationis opera misericordiae praestant. Quare, mihi videtur, praetermittenda non sunt; *b*) Salvatore nostro ipso testante, opera misericordiae in Iudicio ultimo fundamentum praebent sententiae salvationis vel damnationis aeternae, sicut indicium quodlibet sanctitatis saltem minimalis. (« Intra in gaudium » vel ...).

B) *Aliae emendationes non tanti momenti.*

1. Expressa invitatio a Sancto Synodo *pueris et iuvenibus* oblata, eos ad sanctam vitam fortiter alliceret. Sunt enim « Spes messis in semine ». Invitatio explicita ad ipsos dirigi debet etiam ex ea ratione, ne et ipsi et institutores eorum obliviscantur pueros et iuvenes quoque ad sanctitatem sequendam et augendam obligationem habere.

2. Pro permultis medium sanctitatis acquirendae et augendae invenitur in negotiis quotidianis et in obligationibus status rite et sancte persolvendis. Hoc debet schema innuere.

45

Exc.mus P. D. IOANNES M. FEARNS

Episcopus tit. Geritanus, aux. Neo-Eboracensis

Velim verba facere circa necessitatem conatus perfectionis pro sacerdotibus cleri dioecesani. Breviter loquar quia frater noster, exc.mus ac rev.mus D. Bäuerlein iam de hac re aliqua exposuit.

Saepe saepius dicitur sacerdotium pastorale non constituere statum perfectionis et ad hoc demonstrandum, recurritur ad auctoritatem Divi Thomae.

Notandum tamen venit quod S. Thomas cum hoc dicit, tantummodo vult demonstrare ius religiosorum praedicandi, et ad hoc praecise affirmat sacerdotium dioecesanum non constituere « statum », cum careat necessaria stabilitate. Nullatenus intendit S. Thomas dicere sacerdotes dioecesani obligationem tendendi ad perfectionem non habere. Unice dicit sacerdotium de se non esse statum perfectionis et proinde non esse statum ad modum episcopatus necnon vitae religiosae.

Praeterea, multoties, tum in Summa quam in aliis scriptis, Divus Thomas aperte et clarissime demonstrat necessitatem conatus perfectionis in vita sacerdotali, non exceptis sacerdotibus cleri dioecesani.

Proh dolor, ex abusu huius argumentationis, quod scil. « sacerdotium non esse statum perfectionis », non raro conamen perfectionis arreficitur inter sacerdotes dioecesani, qui hac de causa possunt etiam sese iudicari in aliqua inferioritate respectu religiosorum.

Conditiones nostri temporis revera mutatae sunt. Difficulter probaretur hodie sacerdotium dioecesanum non esse stabilem ac proinde non constituere « statum ». Et quamvis sacerdotium potius « officium » consideretur quam « statum », tamen, mihi videtur, insistendum esse in necessitate conatus ad perfectionem acquirendam pro sacerdotibus dioecesanis, eodem iure ac pro episcopis ac religiosis.

Immo, mihi videtur, affirmandam esse in hac parte huius schematis, explicite et fortiter, talem necessitatem. Mentio explicita « *cleri dioecesani* » ut talis desideratur quia: 1. magis et clarius apparet dignitatem talis formae servitii Christi in Ecclesia; 2. vitatur confusio inter sacerdotium pastorale et laicatum; 3. demonstratur Ecclesia ab illis magis spectare quam simplicem cooperationem cum episcopis.

Quod si Concilium, relictis distinctionibus qui hodie infirmae videntur, sacerdotium declaret, ex eius charactere sacramentali, constituere etiam « statum perfectionis », hoc sensu quod sacerdotes per se tenentur ad perfectionem tendere, tunc certe apertius exprimitur dignitas status sacerdotalis et vehementior incitatur ad sanctitatem acquirendam, quod certe in maiori zelo erga servitium Christi in Ecclesia redundabit.

46

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O. P.

In capite hoc duplex distinguitur pars: *prima,* de vocatione universali ad sanctitatem; *altera,* de religiosis.

Circa primam, tria velim animadvertere:

1. *Momentum huius primae partis.* Si ad indolem pastoralem et oecu-

menicam Concilii Vaticani II mentem intendimus, forsitan quaestio de vocatione universali omnium christifidelium ad sanctitatem inter omnes principalior vel saltem nulla inferior exstat. Et ratio est quia nihil efficacius ad optatos Concilii fines assequendos, praesertim fines pastorales et oecumenicos, quam suscitare in tota Ecclesia, scil. in Pastoribus et in fidelibus, ardentiora desideria perfectionis spiritualis ac veram constantemque animorum applicationem ad haec in praxim reducenda. Ex tali agendi modo statim vita christiana reviresceret in sua pleniori authenticitate necnon pulchritudine; ac exinde zelus pastoralis et oecumenicus uberius oriretur necnon vultus Ecclesiae clarius, pulchrius et amabilius appareret vimque irresistibilem in homines omnes christianos exerceret atque alios, sicut et illos ad unitatem, ad fidem Christi attraheret.

Conclusio. Vel maxime quidem in hoc pastorali ac oecumenico Concilio exoptatur ut aliquod medium ad fervorem spiritualem in Ecclesia augendum reperiatur et quomodo diversa media vel methodi usque nunc adhibita efficaciora reddantur. En, procul dubio, pretiosissimum medium: quod omnes christiani, pro suo uniuscuiusque statu, intimius perpendant se ad sanctitatem vitae vocari.

2. *Clarior expositio huius vocationis desideratur.* Inter alia, in hoc capite valde laudanda, sed quae, iuxta meam humilem sententiam, maiori explanatione et nitidiori vigore indigent, imprimis notare cupio sequentia: omnes christiani sunt vocati ad vitae sanctimoniam omnesque adspirare, suo quoque modo, ad perfectionem sanctitatis debent, *si in statu gratiae perseverantes inveniantur*; et insuper quod huius vocationis *omnes sunt participes, ita ut quilibet, in proprio statu vel officio, possit ad altiores sanctitatis gradus pervenire, gratia Dei opitulante, quae nemini negatur.* Valde placeret si haec omnia ita affirmentur et diffundantur ut clare eniteat quod sanctitas, sicut supra alii retulerunt, non est *negotium* vel *monopolium* religiosorum et sacerdotum.

Undenam haec vocatio, ideoque et obligatio, tanquam ex ima radice, oriuntur? Verum quidem est sacerdos et religiosus, ratione sui status et professionis, urgentius obligari ad vitae sanctimoniam; ad eam tamen omnes christiani, vi baptismi et incorporationis ad Ecclesiam suo quoque modo tenentur. Gratia sanctificans est veluti semen vitae aeternae, quod in praesenti humanorum conditione evolvitur et crescit per virtutes infusas sive morales sive theologales, inter quas eminet caritas, quae altior res maximasque in sanctificatione christifidelium vices gerit, cum sit mater et forma aliarum, ideoque veluti anima et forma totius vitae christianae consideranda (*1 Cor.* 13, 13; *Col.* 3, 14; *Summa Theol.* II-II, 23, 8).

Consequenter perfectio christiana maxime consistit in perfectione caritatis (*De perfectione vitae spiritualis,* cap. 1; *Summa theol.* II-II, 184, 1), quae unionem importat et conformitatem voluntatis nostrae cum divina voluntate.

Fortasse definitio clarior pro omnibus magisque pastoralis est quae po-

nitur in imitatione et sequela Christi. Ipse enim nobis reliquit exempla omnium virtutum, ut *sequamur vestigia eius,* ut ait Sanctus Petrus (*1 Pt.* 2, 21), maxime autem exemplum caritatis.

Quam ob rem Sanctus Thomas iure dixit Christum esse « exemplar omnium officiorum ecclesiasticorum » (*Suppl.* 40, 4 ad 3), episcoporum nempe, sacerdotum et religiosorum, immo et opificum manu operantium.

Conclusio. Omnes igitur christiani pro suo quoque modo imitari debent Christum eique conformari. Et quidem eo magis perfecti et sancti erunt quo magis Christo assimilantur, eiusque imaginem fidelius exprimunt. Ipse enim est qui vocat omnes mediaque ad sanctitatem adipiscendam praebet.

3. *Verbum ipsum « sanctitas » sub luce perfectae caritatis est enucleandum.*

Re enim vera, verbum « sanctitas » est quodammodo aequivocum, cum scilicet multas diversasque significationes secum ferat, teste eadem Sacra Scriptura, quae ipsum applicat ad res, ad personas, etc. Insuper, in praxi Ecclesiae et in communi fidelium modo loquendi exprimit culmen, apicem, quodammodo fixum vel sancitum, vitae christianae. Unde opus est pressius sensum hic volitum exprimere. Qui quidem sub luce et perfectionis et caritatis enucleandus est.

Etenim, potius quam ad sanctitatem, christiani invitantur a Christo Iesu *ad perfectionem,* uti sancta Evangelia referunt: « *Si vis perfectus esse...* » (*Mt.* 19, 21); et iterum: « *Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est* » (*Mt.* 5, 48).

Quomodo haec *perfectio* cum caritate connectitur, satis etiam Sacrae Litterae ostendunt, aut ore ipsiusmet Christi Domini cum asserit supremum mandatum, « ex quo pendent Lex et Prophetae », caritatem esse (cf. *Mt.* 22, 40), ipsamque *mandatum novum* (cf. *Io.* 13, 34) adpellat et ipsum urget adimplendum ad exemplum eius: « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum et ego feci, ita et vos faciatis »; aut ore apostolorum, praesertim S. Ioannis in suis epistolis, qui mira de hac caritate seu amore christianorum *distinctivo* edixit, et S. Pauli qui omnes nos instruit de primatu caritatis in vita christiana (cf. *Rom.* 13, 8-10; *1 Cor.* 12, 1 s.), quae urgere nos debet (*2 Cor.* 5, 14), quia est *vinculum perfectionis* (*Col.* 3, 14).

Sancti et magistri spirituales simul exemplum tradunt de possibilitate assimilandi hanc Christi urgentem caritatem et doctrinam de eius diversis gradibus, a caritate incipienti, ut ait divus Augustinus usque ad caritatem perfectam.

Conclusio. Pressius natura huius sanctitatis, ad quam omnes christiani vocantur, sub lumine *perfectionis* et *perfectae caritatis,* definiatur.

Circa secundam, duo notare iuvat.

1. *Vita religiosa non parvipendenda.* Valde laudandum est ut natura, munus et dignitas episcoporum et laicorum in clariori luce ponantur et cotidie magis magisque in Ecclesia existimentur. Tamen valde etiam dolendum si religiosi in hoc Concilio in minori pretio habeantur ita ut vultus Eccle-

siae sanctae in hac parte aliquo modo obscuretur, vel ansam ad hoc textus schematis praebeat.

Hoc, abs dubio, grave damnum Ecclesiae ipsae inferret, quod certissime a nullo Patre intenditur nec desideratur.

Ad huiusmodi damnum e radice tollendum vel vitandum ordinatio logica schematis *de Ecclesia* ita aptari debet ut etiam, sicut pro episcopis et pro laicis actum est, capitulum disiunctum destinetur. Si vero de religiosis pauca et quasi per transennam in aliquo capite generali de sanctitate dicuntur, nonnullis videretur quod a Concilio in minori existimatione habentur.

Conclusio: Unde de illis agendum est: vel in capite proprio ad hoc; vel, si hoc non placet, saltem intitulatio huius capitis sit, ut proposuit exc.mus Charue, « De sanctitate universali et speciatim de religiosis ».

2. *Melius natura et valor vitae religiosae determinetur.* Quae de hoc vitae genere indicare velim ex ipsa definitione vitae religiosae, a sancto Thoma proposita, sumuntur.

« Religiosus, ait sanctus Thomas, antonomastice dicitur qui totaliter divino servitio mancipatur, quasi holocaustum offerens » (cf. *Summa Theol.* II-II, 81, 5; 186, 1 corp. et ad 2). En ergo essentia vitae religiosae: totalis consecratio servitio divino.

Ad hoc enim assequendum ordinantur et requiruntur tria vota quibus religiosus, vi virtutis religionis, seipsum suaque bona — bona animae, bona corporis, bona exteriora — Deo offert (cf. *ibid.* q. 88, aa. 5-6). In hac totali mancipatione seu consecratione tota vitae religiosae essentia consistit, mediantibus votis expressa, quae aliunde actus sunt virtutis religionis, quae imperat actus aliarum virtutum moralium ipsaque imperata a caritate (q. 81, a. 5 ad 1), cuius perfectio et finis vitae huiusmodi exstat (cf. q. 186, a. 1).

Haec si prae oculis theologicae notiones habeantur omnes difficultates et aequivocationes auferuntur, cum ex illa doctrina promanet consequentiarum ingens cumulus.

Duas hic praecipuas indicare liceat:

1. Nulla datur incompatibilitas sacerdotium inter et vitam religiosam, sed nec etiam nexus necessarius. Licet sacerdotalis dignitas in se excellentissima, nihil religioso ut tali addit. Essentia vitae religiosae remanet in mancipatione totali divino servitio vi votorum facta.

2. Nonnulli Patres in aula Concilii locuti sunt de momento « missionis » et « apostolatus » in Ecclesia Christi. Sed si haec verba haud recte usurpentur, quaedam aequivocationes aut etiam errores oriri possunt, ut saepe accidit ex verbis confuse prolatis. Unde bene sensum in quo illa verba adhibentur determinare opus est:

a) « Missio » dicitur ipsa Verbi Incarnatio, et descensus Spiritus Sancti in discipulos in die Pentecostes, et mandatum quod apostoli successoresque ipsorum acceperunt evangelizandi universum mundum, et inhabitatio Sancti Spiritus in animabus iustis, et etiam quodlibet gratiae augmentum.

In hoc sensu accepta, « missio » est quid ad essentiam Ecclesiae viatorum pertinens, necnon includitur in natura ipsiusmet christianae vitae.

Unde, si sub hac acceptione sumitur, quilibet christianus et, a fortiori, quilibet religiosus, etsi illud vitae genus quod « vita contemplativa » audit, ducat, est terminus alicuius missionis, sive passivae sive activae.

b) Insuper, « missio » et « apostolatus » saepe adhibentur ad zelum animarum et actus qui ad regni Christi propagationem animarumque conversionem sese referunt, significandum.

Si ulterius hanc significationem consideramus, patet quod in duplici sensu adhuc accipi potest: aut *in sensu lato,* quatenus complectitur omnes actus ordinatus ad hanc finem, sive sint actus vitae contemplativae — ut oratio, « lectio divina », actiones liturgicae —, sive etiam actus vitae activae et mixtae, uti praedicare, infirmos visitare, hospites recipere, etc.

Sub hoc aspectu, « missio » et « apostolatus » sunt de essentia vitae christianae. Et consequenter etiam omnes christiani, ideoque et religiosi, ad quodcumque vitae genus pertineant, possunt et debent esse missionarii et apostoli. Immo, « missio » et « apostolatus » eorum qui vitam pure contemplativam ducunt, non sunt minoris momenti in Ecclesia quam « missio » et « apostolatus » eorum qui in aliquo ministerio activo adlaborant. Quod quidem constat ex praxi ipsius Ecclesiae, quae S. Theresiam a Iesu Infante una cum S. Francisco Xaverio Missionum Patronam declaravit atque instituit.

Manifeste igitur haec Ecclesiae declaratio nos docet apostolatum vitae contemplativae non esse minoris momenti quam sit vitae activae et ministerialis apostolatus.

c) Denique, si « missio » et « apostolatus » sumuntur, et hoc communius, pro ministerio activo magisterii in sensu stricto, tunc patet quod « missio » et « apostolatus » non pertinent ad essentiam vitae religiosae, ideoque nec omnes sanctimoniales nec illi qui vitam contemplativam profitentur sunt *missionarii* vel *apostoli.*

Tamen, ex hoc non sequitur quod nullo modo operam navant regni Dei propagationi et animarum saluti. Eorum equidem vita haud minus pretiosa et necessaria in Ecclesia dicenda ad illos fines assequendos.

Quam ob rem, minime iis qui vitam contemplativam ducunt exspectare vel iniungere aliquod ministerium activum licet, sed potius sunt adiuvandi ut cotidie perfectius in suo vitae genere se gerant, utque ad Ecclesiae sanctitatem necnon propagationem sua intima cum Deo prece adlaborent.

Conclusio. Patres aliqui locuti sunt in aula Concilii de « missione » Ecclesiae et de « apostolatu » ut de re ad essentiam Ecclesiae spectanti. Sine dubio, in sensu ab illis intento, vera et optima dixerunt, ipsisque quam perlibenter adhaereo. Tamen, si diversae horum verborum acceptiones non bene perpendantur explicenturque, oriri possunt, ex indistincto aut obscuro modo loquendi, plurimi gravesque errores vel saltem aequivocationes. Sicut de facto iam evenit. Sed revera non opus est hic amplius immorari, quia ex dictis satis patent.

Unum denique verbum addere liceat. Sincere fatemur nos religiosos quandoque a sanctitate vocationis nostrae declinavisse. Coram Deo et Patribus Conciliaribus humiliter peccata nostra confitemur necnon veniam petimus, simulque auxilium ut cotidie digniores altissimae vocationis nostrae efficiamur.

Placet tamen ad omnium consolationem in memoriam verba quae Sancta Theresia a Domino audivisse testatur revocare: « Licet religiones in suo pristino fervore non invenirentur, nihilominus haud parvum fructum Ecclesia ex bonis operibus ipsarum carpere valebat », adiungens: « quid esset de mundo sine religiosis? ».[1]

47

Exc.mus P. D. CAROLUS ALBERTUS FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Facultatem postulo verba aliqua faciendi in aula conciliari *super caput IV* schematis *de Ecclesia.* En *summa* dissertationis meae:

a) Quidquid sit de insertione schematis *de B. M. V. Matre Ecclesiae* in schemate *de Ecclesia,* vel non, enixe exoro, sicuti iam dixi quando locutus sum de toto schemate *de Ecclesia,* ut etiam in cap. IV (de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia) sicut in cap. I (de Ecclesiae mysterio) et III (de populo Dei et speciatim de laicis) ampla et frequens sit mentio Deiparae eiusdemque singularium munerum in universa Ecclesia Dei. Beatissima Deipara, enim, omnium virtutum et gratiae plenitudinis Mater et Magistra est!

b) Cap. IV loquitur de vocatione ad sanctitatem, quasi sanctitas esset tantummodo illa quam, amplectendo evangelica consilia, obtinemus. Atqui, prima sanctitas, immo essentialis et a qua omnia bona spiritualia fluunt, est status amicitiae erga Deum, idest status animae quae gratia Christi gaudet: propterea, fideles primaevae aetatis christianae indiscriminatim « sancti » appellabantur. Ergo: prima, fundamentalis vocatio ad sanctitatem est conversio a peccato ad Deum eiusque caritatem, ita ut, prima amplissima vocatio universalis fidelium ad sanctitatem, est vocatio ad peccata relinquenda, ea detestando et promissionem faciendo eadem non amplius committendi. Cap. IV, e contra, videtur considerare, quasi exclusive « sanctitas » e qua fluit virtutum heroicitas, ita ut « beati », immo « sancti », aliqui fideles

---

[1] « Habiendo un día comulgado, mandóme mucho su Majestad lo procurase con todas mis fuerzas (la fundación del monasterio de san José), haciéndome grandes promesas de que no se dejaría de hacer el monasterio y que se serviría mucho en él y que se llamase de San José, y que la una puerta nos guardaría Él y nuestra Señora la otra y que Cristo andaría con nosotras; y que sería una estrella que diese de sí grande resplendor, y que, aunque las religiones estaban relajadas, que no pensase se servía poco en ellas, que qué sería del mundo sino fuese por los religiosos ». *Vida,* 32, 11.

possint sollemniter in Ecclesia declarari. Quod si ita interpretaretur cap. IV, ingens multitudo fidelium, qui in statu peccati degunt, posset opinari nullam peccatoribus adesse vocationem ad sanctitatem et forsitan desperationem, vel saltem intimam tristitiam immutabilem, in cordibus suis, usque ad finem vitae, dolorosissime alendam. Reformetur ergo cap. IV, ita ut locutio Concilii sit, ante omnia, ad peccatores omnes eosdemque instruat de fiducia filiali, de fraternitate tenerrima erga Christum redemptorem, qui « vult omnes homines salvos fieri » et qui etiam peccatoribus, quos ad quaerendos et ad salvandos venit, offert divinas vocationes « Venite ad me omnes »... « Manete in dilectione mea »... « Estote perfecti »... « Videant opera vestra bona »! Velint cogitare Patres mirabile ver spirituale quod exurgere potest de sollemni amorosissima declaratione Concilii ad peccatores omnes ut surgant et ad Patrem redeant, haec Augustini commemorando « Si isti et istae, cur non ego? ».

48

EXC.MUS P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Ante omnia volumus ut loquatur caput de sanctitate Ecclesiae ut est societas visibilis, corpus mysticum Christi, populus Dei.

Sanctitas enim Iesu Christi non est solummodo pro personis in particulari sed etiam pro societate integra, Ecclesia etiam ut societas debet splendescere in mundo hodierno tamquam regnum sanctitatis.

Et haec Ecclesia debet ostendere in vita sociali characteristicas virtutes Iesu Christi ita ut de ea dici possit esse vere fermentum totius societatis et ita obmutescere faciemus detractores Ecclesiae.

Hac ratione debet in pietate, in veritate, in iustitia tam commutativa quam legali, quam etiam et forte hodie peculiariter in iustitia sociali ita ut omnes christiani scire et sentire debeant tamquam obligationem solidariam mutationes sociales quae meliorem divitiarum distributionem procurent. Item iustitiam in muneribus et officiis adimplendis. Dein in caritate, ita ut vere noviter dicatur: videte quomodo se amant; caritate erga omnes afflictos, derelictos, pauperes... ut sit vere Ecclesia pauperum et de ea dici possit esse sicut Magister qui miseretur super turbas; in abnegatione suiipsius et generosa deditione ut in omni bono fructificent, in se vere ostendendo esse filiam lucis in omni bonitate et iustitia et bonitate.

Attamen societas illa non erit sancta nisi sancti sint omnes fideles et omnes qui in ea munus exercent, et quidem eo gradu et elevatione qua gaudet in vita ipsius Ecclesiae.

Ita ergo summa sanctitate Romanus Pontifex splendere debet; Sanctae Ecclesiae cardinales qui sunt velut cardines Ecclesiae et quorum purpura eos admonet debere sanctitatem, amorem erga Ecclesiam, fidelitatem per-

fectam debere ostendere etiam cum effusione sanguinis. Et lamentor quod de tam gravi munere nihil dictum sit in tota tractatione de Ecclesia, cum iuxta canones constituant Senatum Romani Pontificis, eique in regenda Ecclesia praecipui sint consiliarii et adiutores sint et eligantur ex toto terrarum orbe, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes. Dein sunt patriarchae, primates, episcopi, sacerdotes et alii gradus hierarchiae, incipientes a clericis, pro quibus iam Ius Canonicum exigit vitam sanctiorem, sc. maiorem declarat obligationem in sanctitate quam in aliis, titulo sc. maiori.

Qui titulus, hodie universalis esse videtur participatio sacerdotii Christi. Totum enim bonum a Christo in mundum derivatur ex eius Sacerdotio: Glorificatio Dei et elevatio mundi. Esse enim Sacerdotem dat ut offerat Deo pro hominibus hostias et victimas quibus et Deus accipit satisfactionem et gloriam et hominum redemptionem.

Hoc vero modo, considerantes secundum Sancti Thomae doctrinam totam participationem potestatis Christi quasi partes sui Sacerdotii.

Iam vero participatio in sacerdotio importat semper participationem in ratione victimae et in ratione oblationis et quidem per incorporationem et similitudinem cum Christo, cum sc. sumus alter *Christus*.

Christus autem est *sanctus, innocens, impollutus,* ... ergo et omnes christiani sancti esse debent, sanctitate christologica, quia praedestinavit nos conformes fieri imagini Filii eius.

Hoc autem fit primo quidem per characterem baptismi quo homo configuratur indelebili modo cum Christo, et Christus ipsi se donat ut possit suum proprium corpus offerre, quia se dedit illi, christianus autem se donat Deo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizatus; sacerdos vero cum consecrat et transsubstantiat panem et vinum, cum hostias Deo offert, cum peccata dimittit nomine ipsius Christi, cuius profitetur identitatem: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus... et sua sacramenta conficit nomine ipsius Christi...

Ideo imitatio perfecta Christi in omnibus gradibus hierarchiae sanctitatem Christi ostendere debemus.

Vere tunc mundus videbit opera nostra bona et glorificabit Patrem nostrum qui in caelis est, tunc apparebit Ecclesia in tota sua mirabili morali magnificentia et tunc omnes erimus sal terrae et lumen mundi.

In hac autem causa vocatio ad sanctitatem est generalis, immo de se ab omnibus exigit eamdem sanctitatem, unusquisque enim perfectus esse debet; sunt tamen modi diversi, sed omnes ad perfectionem vocamur, perfectio autem esse non potest nisi una, quia secus aliquid deficeret...

Illi perfecti esse debent in Summo Pontificatu, hic in suo episcopatu, alter in suo munere publico, talis in matrimonio, alter in alia professione, sed omnes perfecti. Hoc est Christi desiderium, hoc exigit nostra cum Christo operatio, hoc habemus ex nostro sacerdotio vero, a Christo participato et ratione unionis ad sacerdotium.

Animadversiones additae:

Caput hoc de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, venerabiles Patres et dilectissimi fratres, magis christocentricum et sacerdotale fieri oportet, meo iudicio et plurium aliorum episcoporum.

Cum enim actum sit de Ecclesia ut populo, regali Christi sacerdotio in lucem claram venit rationem participationis sacerdotii Christi esse rationem exigitivam, quasi supremam sanctitatis et perfectionis tam in Ecclesia collective sumpta, quam in omnibus eius membris, immo in omnibus hominibus qui baptizati, charactere Christi in aeternum signati sunt.

Omnia enim in Ecclesia sacerdotio Christi pervaduntur et ab hoc Christi sacerdotio vitalitatem glorificativam et redemptivam accipiunt. Cum vero Christi sacerdotium, licet principaliter consistat in oblatione victimali in cruce peracta, ab ipsa tamen Incarnatione incipit et pervadit totam Christi vitam, omnes eius actiones cuiuscumque generis, quae omnia quasi in patena ineffabili et calice immenso in ara Crucis colligit et offert pro nostra et totius mundi salute, ita pro omnibus est causa et forma participandi sacerdotium Christi in tota vita, et in singulis suis rebus, donec fiamus holocaustum perfectum sanctitatis.

Age vero: nobis dictum est clare et perspicue: Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula (*Hebr.* 13, 8); non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum, in quo oporteat nos salvos fieri (*Act.* 4, 12). Sine me nihil potestis facere. Qui manet in me et ego in eo hic fert fructum multum (*Io.* 15, 5). Vivit vero in me Christus (*Gal.* 2, 20). Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20).

Permanentiam autem Christi in Ecclesia duplex est; alia socialis, alia personalis, semper autem cum exigentia sanctitatis, sicut ipse sanctus est, innocens, impollutus. Ita etiam societas ab eo fundata. Corpus eius mysticum, populus acquisitionis, quem acquisivit sanguine suo, Ecclesia, quam dilexit et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huius modi, sed ut sit sancta et immaculata (*Eph.* 5, 27). Debet apparere socialiter sancta, ut societas, coram omnibus hominibus.

Hoc autem fit doctrina et proposito, hortatione perenni et sociali nisu, quo omnes impellamur et trahamur ad Christi sanctitatem active procurandam.

Haec sanctitas externa Ecclesiae, hic splendor virtutum debemus omnes proclamare tamquam officium supremum collectivum. Hoc enim est, ut aiebat Ioannes XXIII unum ex praecipuis Concilii finibus ut possit venire Ecclesiae renovatio: Opus Concilii Oecumenici totum est in procurando splendore supra faciem Ecclesiae Iesu Christi in suis purioribus delineamentis, ut appareat et praesentetur hominibus sicut Christus eam fecit.

Ad hoc autem oportet ut doctrina sua morali iam in hoc capite appareat tamquam vera lux mundi, super candelabrum posita, in illis virtutibus quae Christi characteristica sunt et pro mundo hodierno tanti etiam momenti.

Pietatem erga Deum quod est culmen praeceptorum Iesu Christi, primum et magnum mandatum; secundum autem caritatem erga omnes homines, praesertim erga pauperes, derelictos, in afflictione positos, ut omnia in pauperes erogemus et nitamur eorum difficultatibus subvenire, non verbo, neque lingua sed opere et veritate: ut famem a mundo auferamus, ut domos aedificemus pro illis qui tecto carent, ita ut generositas ad egentes appareat ut factum sociale in omni-

bus christianis et speciatim in omnibus qui in Ecclesia potestatem habent, qui non habent quasi propositum accumulandi bona, sed erogandi in pauperes. Dein splendor veritatis: Christus est veritas. Ipse venit in mundum lux mundi. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam (*Io.* 18, 37). De Ecclesia et de omnibus christifidelibus dicatur non esse fermentum malitiae et nequitiae sed azyma sinceritatis et veritatis, sicut Christus qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Ecclesiam oportet proclamare veritatem esse aliquid consubstantiale pro ea et constituere quasi cultum in ea ut in verbo sacerdotis, in verbo hominis christiani iuramentum, affirmatio sit res immobilis, quibus impossibile est mentiri Deum (*Hebr.* 6, 18).

Iustitia proclamanda etiam est, iustitia sincera, non hypocrita illa scribarum aut pharisaeorum, sed vera et ex corde: Iustitia tam commutativa, quam legalis, quam ea quae nostro tempore tantopere inculcanda est: iustitia quae dicitur socialis, professionalis ut simul optimi cooperatores novi ordinis, ad novum mundum efformandum in omni bonitate, et iustitia et veritate.

Dein vero in generositate, qua aemulatores Christi et apostoli impendimur et superimpendimur pro toto mundo in spiritu sacrificii et crucis, pro nostra et totius mundi salute, imitantes Iesum et hunc crucifixum, ut et vita Iesu manifestetur in Corpore eius, quod est Ecclesia.

Ita sancta Mater Ecclesia apparebit sancta et immaculata quando seipsam, socialiter et collective ut populus Dei se immolat pro bono totius generis humani.

Cum vero tota Ecclesiae compago in sua constitutione qua « ex multis et alternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur » debeat esse perfecta et sancta etiam in suis membris. Et ita quidem ut quo maior sit in Ecclesia gradus eo maior sanctitas. Datur enim in ea gratia secundum mensuram donationis Christi... in aedificationem Corporis Christi.

Omnis enim vocatio in Ecclesia est ad configurationem et unitatem cum Christo, conformes fieri imagini Filii eius. Haec autem conformatio pervenit usque ad substitutionem et plenam identificationem cum Christo, per participationem eius potestatis sive sit iurisdictionis, sive sacri ordinis. Nam soli Christo data est omnis potestas in caelo et in terra. Tota ergo Ecclesiae compago, tota eius structura, omnes in ea gradus a summo Pontificatu ad ultimum laicum, immo quodammodo ab omnibus baptizatis sunt quasi divisio aliqua illius potestatis universae Christi, quae multifariam multisque modis participatur sive per ordinem, sive per iurisdictionem et in omni gradu fit ex hac participatione exigentia sanctitatis.

Fundantur enim omnia in Ecclesia, in nostra identificatione cum Christo, iuxta veritatem a Paulo nobis transmissam: vivit vero in me Christus, iuxta mensuram donationis eius, differenter, ita ut statuta sit relatio quaedam identitatis qua ipsa facit nos suos esse substitutos, qui nomine suo loqui et agere possint. Ita ut « qui vos audit, me audit »; et cum consecrationem peragitis dicere vere possitis: hoc est enim corpus meum, et in genere quando hoc fecistis uni ex istis mihi fecistis.

Hoc autem identificatione cum Christo in agendo cum Christo sacerdote in tota sua potestate, cum ipse sit sanctus innocens, impollutus, et nos debeamus esse conformes illi, sequitur omnes in Ecclesia illum debere in sua dignitate proportionaliter exhibere et specialiter in sua peculiari significatione.

Ita Romanus Pontifex in summa dignitate constitutus summa sanctitate fulgere debet.

Ita S. Romanae Ecclesiae cardinales, qui sunt cardines Ecclesiae, qui senatum

Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores existunt, qui ex toto terrarum orbe eliguntur, qui collegium etiam in Ecclesia constituunt cui praeest cardinalis decanus, quique purpura induti profitentur ipsos pro Ecclesia et Pontifice sanguinem effundere debere; de quibus tamen in Ecclesiae hierarchia ne verbum dictum est, ac si in Ecclesiae vita nihil repraesentarent.

Ita patriarchae in suo vitali et efficacissimo gubernandi munere alios omnes praecedere in sanctitate debere.

Episcopos deinde iuxta qualitates, missionem potestatem et alios omnes gradus hierarchiae, quorum nescio qua ratione praetermittantur, cum iam a prima tonsura, clerici sanctiorem prae laicis vitam ducere debere et in omni virtute excellere.

Ius Canonicum affirmet et statuat.

Hoc autem totum cum ex ratione identificationis cum Christo procedat et in eius participatione sacerdotii, paulo fusius de sacerdotio ministeriali exigentiae radicalis ostendere volumus simul ac de laicis.

Ipse etenim Christus est unicus Sacerdos Novi Foederis, a Deo in aeternum constitutus secundum ordinem Melchisedech, ut nomine totius populi electi sacrificium publicum Deo offerat.

Ipse caput Corporis Ecclesiae, in omnibus primatum tenens *Col.* 1.

Est etiam et unica Victima in patibulo Crucis oblata ex quo omnia pendent sive quae in terris sunt sive quae in caelo... Quia in novo populo Dei a Christi instituto nullum datur sacrificium publicum, nisi sacrificium Crucis eiusque incruenta renovatio in sacrificio eucharistico, ita nullum datur in N. T. sacerdotium stricte dictum, cum iure ad sacrificium nomine totius Ecclesiae litandum nisi sacerdotium Christi.

Ipse enim est caput corporis ecclesiae, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus et ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris sive quae in caelis est. Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. Ut gaudeamus in passionibus, adimplentes ea quae desunt passioni Christi, in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia. Christus eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.

Et ita incorporati cum Christo offerimus hostias: pro nostra et totius mundi salute sive hostiam eucharisticam, quae nostra ipsa fit, immo et nos... cum dicamus: hoc est enim corpus meum: Attamen Christus manet semper principaliter offerens, ipse est qui litat, ipse hostia quae aeternaliter permanet, qui omnibus aliis hostiis substituit...

Cum vero sacerdotes omnes, omnis qui offert debet quod suum est offerre, per consecrationem panis et vini super altare ponit divinam victimam, quae hac ratione sua fit; et cum haec victima totam vitam Christi amplectatur, totus Christus fit sacerdotis et totus sacerdos Christi fit, totaliter ergo transformatus per sacrificium Missae totaliter sanctus et oblatus esse debet, ut vere sit alter Christus.

Christifideles etiam sacerdotes fiunt pari aliqua ratione.

Ipsi in baptismo Christo incorporantur et ad coofferendam victimam vocantur; per baptismum enim charactere baptismali omnes christifideles ita copulat

Christus sibimetipso, ut cum eo una persona moralis seu unum corpus sociale constituamur; et de suas qua possessiones ac divitias nobiscum condividit et nobis tradit.

Nos iam sumus ipsius et ipse noster est. Comproprietarii igitur facti eius humanitatis omnes christiani, iam idcirco coofferentes, seu capaces facti quoque sumus eam Deo coofferendi i. e. eam offerendi una cum Christo, eiusque ministro.

Hoc igitur condominium suae humanitatis quod omnibus baptizatis a Christo conceditur et vi cuius habiles reddimur ad eam Deo coofferendam videtur esse ratio proxima cur oblatio nostra Eucharistica vera participatio sit oblationis seu sacerdotii Christi.

Et ratio cur omnes aliae oblationes suipsim, rerum spiritualium et rerum materialium in tota vita nostra sacerdotaliter offerre possimus.

Hoc autem fit per character quod numquam amittitur, non per gratiam quae potest a nobis exulare. Hac ratione etiam in fratribus separatis remanet radicale sacerdotium et sanctitatis exigentia.

Hac ratione magis oecumenice possumus illis uniri et participare gratia hac sacerdotali Christi qua simus cum Eo glorificatores et amatores Dei, hominum omnium salvatores et pastores et per totam vitam nostram, in omnibus actibus nostris, in labore et aerumna, una cum Christo, Christo confixi cruci, portantes stigmata Domini Iesu in corpore nostro, victimae paschales et sacerdotes.

49

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Nota 1. Pag. 18, linn. 4 ss. Textus conciliaris « Filius ... universos ad plenam perfectamque adoptionem filiorum elevat eosque benedictionibus caelestibus replet, ut sint sancti et immaculati in conspectu Dei, in laudem gloriae gratiae suae (cf. *Eph.* 1, 3-6).

Textus biblicus: habetur, Deus Pater et non Filius ut subiectum propositionum: « Benedictus Deus et Pater D. n. I. C., qui benedixit nos in omni *benedictione* spirituali in *caelestibus... ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius...* qui praedestinavit nos in *adoptionem filiorum* per Iesum Christum in ipsum (διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτόν ...), *in laudem gloriae gratiae suae* » (Eph. 1, 3-6).

Nota 2. Pag. 18, linn. 14 ss. Textus conciliaris ... Dominus Iesus Christus sanctitatem vitae ... omnibus et singulis hominibus cuiusque condicionis praedicavit dicens: « Esto ... perfectus est » (*Mt.* 5, 48).

Critica: sed secundum contextum biblicum sermo montanus ad discipulos sed non ad « omnes et singulos homines cuiusque condicionis » prolatus est: « Videns autem Iesus turbas ascendit in montem et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et aperiens os suum *docebat eos* dicens (*Mt.* 5, 1) et locus parallelus: « Et ipse, elevatis oculis in discipulos " Estote ergo vos perfecti... " » (*Mt.* 5, 48).

Iudicium: exegetae omnes textus biblicos in schemate *de Ecclesia* debent reexaminare utrum in sensu stricto vel in sensu ascetico seu accommodato applicentur.

50

EXC.MUS P. D. CLAUDIUS CONSTANS M. FLUSIN
Episcopus S. Claudii

Duo vota hic proponuntur.

Primum votum, ad sanctitatem episcoporum et presbyterorum pertinens.

In isto n. 30 (de multiformi unius sanctitatis exercitio), optandum mihi videtur ut clarius proponatur doctrina quae respondere possit tam naturae rerum quam votis in aula pluries expressis circa sanctitatem ad quam vocantur episcopi et presbyteri.

1. *Quoad episcopos et presbyteros et etiam alios ministros in sacris ordinibus constitutos, in genere.* Pro his omnibus, prosecutio sanctitatis innititur super quatuor genera elementorum:

a) Gratiae sacramentorum omnibus christifidelibus communium, scilicet baptismi, chrismatis et eucharistiae, et etiam, quando necesse est, poenitentiae et unctionis infirmorum.

b) Super istas gratias innixa, praxis virtutum theologicarum et moralium, tam in oboedientia praeceptorum quam in prudentia consiliorum evangelicorum. Evidens est enim quod indecens esset episcopos aliosque ministros Ecclesiae, qui homines ad sanctitatem exhortent, ad istam sanctitatem in vita sua personali non tendere.

c) Gratia sacramenti ordinis, sive in plenitudine in episcopis, sive per participationem in presbyteris et aliis ministris in ordinibus sacris constitutis.

d) Super istam gratiam innixum, exercitium sacri ministerii ab Ecclesia et pro Ecclesia unicuique ministro consecrato concrediti. In primis, pro episcopis ista obligatio sanctitatem adipiscendi in exercitio ministerii sui eo magis importat, reiecto omni fermento pharisaeorum quod est hypocrisis (cf. *Lc.* 12, 1), quod, per consecrationem suam episcopalem, in perfectione, non personali quidem sed ministerii sacerdotalis, constituuntur.

2. *Quoad presbyteros, in particulari.* Cum ex una parte soli episcopi plenitudinem habeant apostolici sacerdotii, et ex altera parte non possint ipsi soli ministerium suum perfecte adimplere, ad sacros ordines vocant presbyteros ut in vinea Domini secum laborent.

Presbyteri autem cum episcopis suis aliquod collegium cooperatorum ab ordinatione sua constituunt, et istud collegium seu, ut aiunt, presbyterium est fortiter tam in sacramento ordinis quam in ministeriorum exercitio adunatum.

Sic ergo presbyteri vocantur ad sanctitatem et eam efficacissime possunt attingere non tantum per media communia antea enumerata, vel adhuc per gratiam suam propriam sacerdotalem, in speciali cum episcopis suis com-

munioni eos constituentem et etiam per exercitium ministerii eis et aliis presbyteris eiusdem presbyterii ab episcopis concrediti.

Conclusio primi voti. In cap. II huius constitutionis dogmaticae, additiones plures propositae sunt ut ministerium et missio apostolica presbyterorum in Ecclesia clariore in luce manifestentur. Opportunum est ergo pariter ut, in connexione cum additionibus istis, sanctitas etiam ab episcopis et presbyteris titulo proprio sacerdotii sui requisita clarius elucescat in hoc capite IV.

Secundum votum, ad relationem pertinens inter sanctitatem christifidelium et sanctitatem ministerialem episcoporum, presbyterorum aliorumque ministrorum in ordinibus constitutorum. Pag. 19, lin. 14, non recte textus loquitur de participatione gratiae episcopalis per laicos in sacris ordinibus non constitutos. Christifideles in ordinibus istis non constituti egent certe ministeriis episcoporum, sive personaliter, sive per presbyteros aliosque ministros exercitis. Sed pro tanto non proprie participant gratiam sacramenti ordinis, sicut eam participant episcopi et alii ministri consecrati. Non est enim possibile gratiam alicuius sacramenti accipere sine receptione, re vel voto, huius sacramenti.

Melius esset ergo, et verius, membrum phrasis inter duo commata in hac lin. 14 delere.

51

EXC.MUS P. D. MARION FRANCISCUS FORST

Episcopus Dodgepolitanus

Par. 31, pag. 20, lin. 7 et alia. De verbo « paupertas ». Vox seu verbum « paupertas » hodie non intelligitur a laicis et praesertim ab acatholicis.

« Paupertas » in mundo hodierno significat « destitutionem » vel « inopiam extremam ».

Praxis consilii paupertatis evangelicae e contra liberat a servitudine rerum materialium et docet usum rectum bonorum huius mundi.

Ergo recommendo ut commissio in loco vocis « paupertas » altera expressio invenitur: e. g. « moderatio », « temperantia », « detachment », « einfache Lebenshaltung ».

I believe it would be a help to the Church as well as to religious vocations, if it were possible to find a descriptive substitute for the word " poverty " as it is applied both to the evangelical counsel as well as to the vow. Because no one but religious actually knows what it means, that it has lost its value to the Church and requires a change.

52

Exc.mus P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

In capite, de omnium fidelium vocatione ad sanctitatem atque de statibus perfectionis loquitur: at in eorum tractatione inaequalitas apparet. Omnibus enim fidelibus, qui in Ecclesia sunt maxima pars, in tractatione nostra minima pars reservatur, sacerdotibus atque religiosis, qui evidenter sunt parva pars, in tractatione magna pars datur. Quae inaequalitas in iam sat diffusum errorem inducere vel corroborare potest: sanctitatem nempe esse quasi privilegium eorum qui status perfectionis ingrediuntur: quod est falsum.

Propono igitur ut inter schematis nostri singulas partes aequalitas instituatur, augeatur quae de fidelibus omnibus, minuatur altera de sacerdotibus et religiosis. Afferamus duo exempla:

1. De parentibus atque de sponsis: nostrum schema sat bene de illis dicit in n. 30; at non esset melius si nos omnes sponsis, qui in nostra aetate magno cum sacrificio bonas et numerosas familias edunt et formant, gratulemur? Quae familiae christianae revera sanctitatis palaestra sunt, atque ita a Deo benedicuntur, ut hodie in Ecclesia vocationum ad sacerdotium et ad religionem et ad apostolatum laicorum fons et origo sint.

2. De iuvenibus: nihil de illis in schemate dicitur: et nos omnes pastores scimus quantum sacrificii et amoris in Deum utriusque sexus iuvenes exercere debeant, ad se servandos in gratia sanctificante, quae est vera sanctitas. Recolamus tantum tentationes quae quotidie iuvenes nostros in opificibus, in scholis, in ludis ubique attendunt!

Permittantur mihi adhuc duae observationes:

1. Nonne sanctitas est gratia sanctificans? cur de ea in schemate nihil dicitur? in catechismo et praedicatione semper de « gratia sanctificante », cur non in schemate conciliari?

2. Nostris diebus, praesertim iuvenibus, multa dicuntur de sic dictae « personalitatis » affirmatione: ne obliviscamur tamen quod in doctrina Christi de « abnegatione » non pauca dicuntur; quae abnegatio affirmationi contradicitur. Schema nostrum dicat igitur, sine ullo timore, ad sanctitatem abnegationem necessariam esse.

53

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ
Archiepiscopus tit. Parianus, coad. c.i.s. Ovetensis

1. Vere dignum ac peropportunum quod Concilium Vaticanum II de vocatione omnium christifidelium ad sanctitatem vitae christianae loquatur. Haec etenim doctrina — quae in recentioribus manualibus theologiae spiritualis ut thesis communis apparet — valde cum Sacra Scriptura, cum tradi-

tione, cum sanctis Patribus necnon Ecclesiae doctoribus consona exstat; insuper quodammodo ab Ecclesiae magisterio sancita ut patet ex litteris encyclicis *Rerum omnium* Pii Papae XI (cf. *A.A.S.*, 15, 1923, pag. 50).

Quin obstet: 1. quod nonnulli, quando haec veritas propter rationes aliquas historicas obnubilata nonnihil fuit, ipsam impugnarunt, sicut quidam, aliunde magnus theologus, obiurgans Ludovicum Granatensem eo quod proponeret omnibus fidelibus viam perfectionis; 2. quod diversimode iudicetur obligatio tendendi in perfectionem iuxta diversas theologorum sententias.

Sed, quoad substantiam, remanet conclusio: omnes christiani sunt vocati ad perfectionem vitae suae spiritualis. Et hoc est quod in cap. IV expresse asseritur.

Tamen, praeter istam laudatam affirmationem vocationis omnium christianorum ad sanctitatem vitae, sunt in hoc capite aliqua quae minus placent. At imprimis:

2. Non hic erat locus tractandi de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia. Uti in capite tertio, etiam hic non servatur ordo logicus in expositione doctrinae catholicae. Ecclesia est *sancta,* Ecclesia est populus Dei. Quaestiones, iuxta logicam, prius sunt considerandae in generali, deinde in speciali. Iam vero: in schemate proposito unus et alius modus miscetur, ordo logicus pervertitur, confusio gignitur, gaudium veritatis iugulatur.

Melius ergo si ad cap. I constitutionis *de Ecclesia* haec doctrina de vocatione omnium christianorum ad sanctitatem retrotrahitur. Sed praesertim displicet:

3. Modus et medulla ipsa expositionis. Quae omnia mihi perspicienti satis in textu proposito apparent:

a) In prooemio dicitur: « In mysterio Ecclesiae, quod a Sancta Synodo sollemniter mundo annuntiatur, omnes, sive ad hierarchiam pertineant, sive ab ea pascantur, ad sanctitatem vocantur ». Confusio adest, quia Ecclesia dicitur *mysterium* quod *sollemniter mundo annuntiatur,* quasi si intelligi deberet « revelatur », ita ut non amplius sit *mysterium.*

Sufficeret dicere: « In Ecclesia Christi omnes ad sanctitatem vocantur »: est propositio magis clara, in qua substrahuntur et redundantia verborum et saepe iteratum munus hierarchicum.

b) Deinde, potius quam de *sanctitate* oporteret loqui *de perfectione caritatis,* quia est magis clara, magis evangelica, magis etiam theologica notio caritatis quam notio sanctitatis. Etenim:

1) Sanctitas, si ad aetymon intendimus, in lingua syriaca et hebraica derivatur a verbo « qadasch », *separare, segregare,* unde « qodesch », *separatus, segregatus* (cf. F. Zorell, *Lexicon hebraicum*... V. T., Romae 1950, pag. 708); in lingua graeca, a « a-gios », *sine terra*; in latina vero, a « Sancitus », lege munitum, firmum (cf. II-II, q. 81, a. 8).

Sanctitas, si ad rem per nomen significatam attenditur, in Veteri Testamento, praesertim in Libro Levitici, ubi sic dictum « Codex sanctitatis » continetur, sumitur in triplici sensu, et tribuitur Deo seu Iahve absolute et

populo eius per participationem — seu relative — et, in genere, omnibus rebus quae aliquem ordinem dicunt ad Deum, uti Ierusalem (*Is.* 48, 2), Arca (*2 Par.* 35, 3), altare (*Exod.* 29, 37), sabbatum (*Ier.* 12, 16), sacerdotes (*Lev.* 21, 7).

In Novo vero Testamento, ubi inveniuntur, « sanctificatio », « sanctificare », « sanctimonia », « sanctitas », « sanctus », plus minusve eadem significatio servatur, et sic dicitur de Deo et de eius nomine, de Christo, qui est « sanctus Dei » (cf. *Mc.* 1, 24; *Lc.* 1, 35; 4, 34) et de personis in Christo regeneratis (cf. *Mt.* 27, 52; *Eph.* 19), sed insuper de altare, etc. necnon de ipsamet Ecclesia (*Eph.* 5, 27). Praesertim conceptus perficitur et quodammodo impletur gratia Christi in epistola ad Ephesios, quae, in hoc sensu, veterem codicem sanctitatis leviticae sustollit ad astra nova.

Conceptus theologicus sanctitatis includit vitam christianam iam perfectam, quatenus in hac vita perfecta esse potest, quando nempe virtutes ad summos gradus perveniunt. Et hic item sensus in praxi canonizationis servatur, in quo primum quaeritur de heroicitate virtutum.

2) Valde notandum est, ad rem quod attinet, in Evangelio, ex quo veritates haurire debemus, semel tantum, ni fallor, in ore Christi adhibetur verbum hoc, ibi: « Pater, sanctifica eos in veritate » (*Io.* 17, 17), quae locutio sensum purificativum habet; nihilominus, aperte Christus loquitur *de perfectione*: « Si vis perfectus esse... » (*Mt.* 19, 21); « Estote ergo... perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48).

3) In quo revera consistat perfectio christianae vitae seu vitae novae in Christo, satis constat ex ipso Evangelio, ubi de mandato magno et de mandato novo (cf. *Mt.* 22, 40; *Io.* 13, 34) et ex doctrina apostolorum, praesertim S. Ioannis et S. Pauli. S. Paulus enim nos instruit de primatu caritatis in vita christiana (cf. *Rom.* 13, 8-10; *1 Cor.* 12, 1 s.), ipsamque appellat « vinculum perfectionis » (*Col.* 3, 14).

Et quare et quomodo haec caritas perficiatur, luculenter explanant divus Augustinus et divus Thomas.

Age iam: in textu proposito insufficienter inordinatimque haec habentur. Miror sane quod Concilium vel saltem commissio sub cuius cura textus exaratus est, ita confuse doctrinam hanc de vocatione omnium christianorum ad perfectam caritatem exponat. Immo etiam, et de ipsa caritate nimis confuse textus propositus loquitur, ut patet hic et inde; videte quod in nota 8 asseritur quod « primum et principale medium ad sanctitatem est amor Dei et proximi », seu caritas, et immediate subiungitur: « qui amor est simul forma et finis sanctitatis ». Medium? Finis? Quis hoc intelliget?

Audeo igitur, qua par est reverentia, Patrum consessui proponere ut ab imo textus reficiatur, clariusque procedat, rationes theologicas adhibeat, verbaque Sacrae Scripturae in sua pura veritate interpretetur. Et potius « de universali ad perfectionem caritatis vocatione » et de « multiformi unius caritatis exercitio » quam « de universali ad sanctitatem vocatione » et « de multiformi unius sanctitatis exercitio » loquatur, in suo equidem loco logico.

Et praesertim quod textus doctrinam sanam, traditionalem, catholicam magna cum claritate exponat.

4. De ceteris, videlicet de iis qui consilia evangelica profitentur, inde ab exordio haud parva confusione textus procedit. Immo, et veritas clara Evangelii obnubilatur. Evangelium sic ait: « *Si vis perfectus esse* »..., nullo modo « *Si vis testimonium et exemplum ferre...* ». Deinde, doctrina de vita Deo per religionem dicatam non *theologice*, prouti schematis naturae convenit, non *clare,* non *exacte* proponitur. Unde tota haec materia, quae capitulum speciale schematis constituere debet, iterum de novo exaretur. In nova vero redactione, opus est — quod quidem Concilio proprium consentaneumque erit — ut Doctorem Communem Ecclesiae, qui hac de re perspicue disseruit, adire.

Haec mihi digna animadversione in subiecto capite visa sunt. Quae, uti spero, aliquid conferre possunt ut vota Concilio a Ioanne Papa XXIII auspicata re attingantur, ut nimirum « unitas mentium in veritate et unitas cordium in caritate » in facie Ecclesiae eniteant.

54

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

De « vita religiosa » in Ecclesia quaedam animadvertere liceat.

Non ut schemati nostro quid novum addatur, sed ut in redactione quam intimissime quae sequuntur praesentia teneamus, et opportune hinc et inde accentus apponamus.

Occasio enim offertur, *quasdam pretiosissimas inter « divitias Christi »* in facie Ecclesiae ostendere, quas ex una parte vita religiosa mirabiliter exhibet, dum, ex altera parte, mundum hodiernum paulatim fugiunt.

1. Et imprimis quidem notio « *Gloriae Dei* ». In mysterio Christi et Ecclesiae omnia sunt « in laudem gloriae gratiae Dei ». Atqui hodie, et inter christianos, huiusmodi bonum « gloria Dei » sensim deficere et evanescere constat. Gloria Dei, finis ultimus omnium, finibus humanis habitualiter et quieta conscientia postponitur, et illis quasi superaddi videtur, et tandem aliquando inutiliter.

Vita autem religiosa, consilia profitens, apprime et essentialiter ad gloriam Dei est. Omnia alia, etiam utilitas eius socialis, ei superveniunt et « adiiciuntur », utpote quae Regnum Dei ex se quaerit: « ex se » non est ad homines, sed ad Deum, et ideo etiam multimode et generose hominibus prodest.

2. Deinde principium « *gratuitatis Doni Dei* ». Deus omnino in suis donis liber est, nec cuiquam nostrum ab eo reddenda est ratio: « *dona sua dividit singulis prout vult* ». Ipsa vocatio christiana, et ipsa imprimis, ab electione omnino gratuita procedit, ut tam vehementer Sanctus Paulus in-

culcat. Atqui, et inter christianos, hodie hoc essentiale iam non percipitur, immo nec conceditur, cum nec quis sit Deus nec quis sit in eo Amor vere agnoscatur.

Vocatio autem religiosa hanc gratuitatem amoris divini in maxima luce manifestat, dum inter electos ipsos amor Dei quosdam eligendi ius sibi vindicat. Et hoc: quia ei placet, nec ultra quaerendum est. Etsi inde apud nonnullos ex hoc scandalum exsurgat, ad salutem fidei necessarium est ut in mundo luceat.

3. Tandem de « *plena Dei sufficientia* ». Hodie omnia paulatim ad materiam reducuntur, quasi ipsa sola realitas esset, nec quidquam extra materiam daretur, nisi ex illusione paulatim devicienda.

Iustus autem ex fide vivit. Vita religiosa, integre et audacter fide innititur. Ex seipsa probationem affert contra mundum, Deum sufficere posse ad vivendum, et hominem, ex ipso solo, sine divitiis nec etiam auxiliis ordinariis vitae, et feliciter et humane conversari valere. Quae probatio « ex facto » materialismum et atheismum magis quam ullum argumentum repellere potest. Paupertas, castitas et oboedientia « ex amore Dei » sunt ex se, ante et supra omnimodam activitatem, operi apostolico Ecclesiae maximi ponderis. Firmare possunt enim ipsum fundamentum, iam in periculo positum, ipsius « religionis ».

Quibus dictis, optare liceat:

1) Ut dicatur, uno vel alio modo in schemate, *Ecclesiam vix concipi* et *vix efficaciter agere posse sine vita religiosa,* in qua relucere debent quae iam in primis verbis « Pater noster » sensum Ecclesiae exprimuntur: « Sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum... ».

2) Ut saltem in hoc schemate, in quo prima vice de vita religiosa locutio fit, omnia illa *seponantur* et *removeantur* quae, ut contentioni obnoxia (qualis est exemptio) vel determinationibus canonicis intricata et onerata, quocumque modo *adumbrare possent* illam lucem, hominibus necessariam, quae ex intimo Ecclesiae in vita religiosa splendescit, ipsis religionis viam ostendit, et nosmetipsos ad recte aggrediendum schema proprium de statibus perfectionis apte disponit.

55

EXC.MUS P. D. IOSEPH GORI
Episcopus Nepesinus et Sutrinus

In cap. IV, de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, et praecipue de par. 31 « de mediis ad sanctitatem », audeo humiliter adiungere. Mihi videtur non esse omittenda doctrina de inhabitatione Dei in nobis. Admodum Rev.mus D. Hulst scripsit: « Quot animae olim clamorem tollent detegentes thesaurum, quod intus ferebant et quod nesciebant! ».

In Ev. S. Ioann. 14, 23 habemus: « Si quis, ait Iesus, diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ».

Hoc est mysterium de inhabitatione Dei in anima absque peccato mortali.

In *Mystici Corporis* habemus: « Le Persone Divine si dicono inabitare, poichè sono presenti, in un modo imperscrutabile, nelle creature dotate di intelligenza e da queste possono essere raggiunte mediante la conoscenza e l'amore, ma in un modo che trascende ogni natura creata ed è tutto intimo e singolare ».

Cardinalis Mercier de Malines, loquens ad suos sacerdotes, aiebat: « Est veritas Deum vivere in nobis. Multi baptizati ignorant hoc mysterium profundum et per totam vitam. Sacerdotes, qui missionem receperunt praedicandi hoc mysterium mundo, ab eo se distrahunt, nihil de eo cogitant. Quaerunt Deum extra seipsos, dum Deus eos vocat et expectat ».

S. Bernardus in sermone XV in passionem et resurrectionem Domini ait, loquendo de Maria Magdalena ad sepulcrum Christi: « Mulier, quid ploras? quem quaeris? Habes quem quaeris, ignoras? Habes intus, quem foris inquiris. Vere stas ad monumentum foris plorans? Mens tua monumentum meum est. Ibi non mortuus, sed in aeternum requiens vivens. Mens tua, hortus meus est. Bene existimasti, quia hortulanus sum... Habes me intra te et nescis, ideo foras quaeris... Ecce et foras apparebo ut te intus reducam et invenias intus quem foris quaeris... Non longe a te sum. Quid propinquius homini quam cor suum? Illic intus invenior a quibuscumque invenior ».

Haec doctrina de inhabitatione Dei in anima iusti est dogma de fide: Iesus Christus pluries affirmat: apostolus Petrus explicat et S. Paulus argumentum praecipuum de suis epistolis facit. Doctores Ecclesiae continenter de hac doctrina loquuntur; Liturgia laudibus multifariam effert; Sancti de hoc mysterio vivunt.

Censeo humiliter meditationem et praedicationem huius mysterii esse medium maxime profuturum ad omnium sanctitatem.

56

Exc.mus P. D. IOANNES VILLELMUS GRAN

Episcopus tit. Raphiensis, coad. c.i.s. Osloensis

In schemate *de Ecclesia,* cap. IV, pag. 20, linn. 14-16 legitur: « Denique totalis subiectio Deo divinaeque ordinationi in oboedientia erga praepositum, nomine Christi animas dirigentem ».

Et lector remittitur ad notam 12, ubi mentio fit de oboedientia Christi.

Liceat nobis duas obiectiones facere textui proposito:

1. In eadem pag. 20, vota paupertatis et castitatis textibus S. Scripturae fulciuntur. E contra pro voto oboedientiae, quod traditio semper ut votum excellentissimum habuit, nullo modo ad S. Scripturam alluditur. Sola nota 12 aliquam mentionem huius voti facit.

2. Textus propositus evidenter insinuare videtur fundamentum oboedien-

tiae religiosae necessitatem esse alicuius directionis, ita ut maximum momentum voti oboedientiae in clara luce non ponatur. Fundamentum oboedientiae melius adumbratur in textu S. Pauli ad Romanos: « Sicut per inoboedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius oboeditionem iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

Hic textus, in nota 12 omissus, et alii plures qui ibidem citantur, egregie probant actum per antonomasiam redemptionis Christi eius oboedientiam fuisse.

Iamvero religiosi, quorum studium est vestigia Christi premere, suam oboedientiam ut continuationem et quasi consummationem oboedientiae Christi considerant.

Pro religiosis oboedientia ante omnia actus humilitatis est, quia oboedientia Christi actus humilitatis fuit: « Humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem ».

In hoc lumine oboedientia religiosi veram suam excellentiam et pulchritudinem obtinet.

Quapropter *hanc mutationem* in textu proponimus: « Denique totalis subiectio Deo divinaeque ordinationi in oboedientia erga praepositum, qua religiosus oboedientia usque ad mortem Christo configuratur eiusque redemptionis operi speciali modo cooperatur ».

Addatur ad notam 12: *Rom.* 5, 19.

[*Subsignavit etiam*] Gabriel Sortais, abb. gen. Cisterc. S. O.

57

Exc.mus P. D. GORDON IOSEPH GRAY
Archiepiscopus S. Andreae et Edimburgensis

Cap. IV huius schematis « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » non mihi omnino placet. Cum Dominus noster dicebat: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est », loquebatur *omnibus* hominibus. Sensus et universalitas horum verborum bene exponuntur in par. 29-30. Sed paragraphi qui sequuntur tractant fere exclusive de sanctitate acquirenda ab illis qui votis religiosis constringuntur.

Mihi videtur quod melius esset si hoc capite offerretur clara vocatio et exhortatio ad sanctitatem *omnibus* hominibus et praesertim laicis, potiusquam descriptio mediorum sanctificationis quae peculiaria sunt illis qui vocantur ad vitam religiosam. Oportet proclamare clare et fortissime sanctitatem esse finem ad quem omnes — sive clerici sive laici, sive religiosi sive saeculares — contendere debeant, medium autem praecipuum quo sanctitas attingi possit esse fidelitatem uniuscuiusque in adimplendis officiis proprii status. Expositio vocationis ad sanctitatem quae hoc capite praebetur nimis limitatur vocationi religiosae, et facile posset falsam propagare interpretationem scil. sanctitatem esse propriam religiosorum.

In schemate tractandum est de sanctitate totius populi Dei. Sed longe maior pars populi Dei sunt laici. Clerici et religiosi a directoribus spiritus et libris asceticis iam instruuntur de modo quo sanctitatem acquirere deberent secundum suas vocationes. In hoc capite laici etiam invenire deberent adiutorium et impulsum ad sanctitatem attingendam secundum modum qui magis convenit statui saeculari laicorum.

Propterea propono has emendationes: In pag. 20 pars quae invenitur linn. 20-27 omitti debet. Et par. 33 ad finem adaequate tractantur in schema *de statibus perfectionis acquirendae.* Pro his duobus paragraphis substitui debet aliquid huiusmodi: « Quamvis pauci tantum de populo Dei sese ligare possint votis paupertatis, castitatis et oboedientiae, omnes christiani has virtutes exercere debent vita sua quotidiana. Paupertatem exercere debent per continentiam in usu mundanarum rerum, quarum non sunt domini absoluti sed tantum administri. Castitatem exercere debent puritate morum in statu coniugali vel in statu caelibatus. Oboedientiam manifestare debent submissione legibus Dei et Ecclesiae et praeceptis legitimis praepositorum.

« Novimus in societate hodierna materialistica plurimos laicos divina Providentia vocari ad has virtutes exercendas modo heroico et cum fortitudine quae nonnumquam maior est quam quae postulatur a religiosis. Novimus plures ex fidelibus laicis paupertatem sustinere quae non est mera dependentia a superiore religioso, sed est vera paupertas destitutionis et famis. Novimus illos castitatem animo forti servare non obstantibus impugnationibus societatis perversae. Novimus illos sese libenter submittere oboedientiae et subiectioni quae necessario adest in familia christiana, in qua vir et mulier, parentes et filii, voluntatem propriam pro bono communi constanter sacrificare debent.

« Vitam catholicam agere ferventem et castam in hoc mundo materialistico valde difficile est. Tamen pro maiori numero christianorum hoc est medium ordinarium quo sanctitas attingi debet. Ad adiuvandum illos Deus praebet magna et efficacia auxilia quibus gratia divina illis infunditur — Sacrificium Missae, Sacramenta praesertim Confessionis et Sanctissimae Eucharistiae, orationem publicam et privatam, quibus adiutoriis unio cum Deo in qua sanctitas consistit conservari potest ».

Quaedam huiusmodi schemati addenda sunt. Memorandus etiam esset valor resignationis voluntati divinae ut medii attingendi sanctitatem praesertim pro valetudine infirmis et pro senibus. Nec praetermittendus esset coetus ingens martyrum et fidei confessorum huius saeculi, quorum passionibus quidam ex vobis, venerabiles fratres, coram aderant et testati sunt. Per acceptionem heroicam doloris et privationis, exilii et carceris, hi electi sese sanctificaverunt. Nobis omnibus exemplum eminenter praebent et in hoc schemate citari deberent ad ceteros animandos.

Num silentio praetermittendae sunt virtutes heroicae huius multitudinis clericorum, religiosorum et laicorum, qui persecutionem passi sunt pro Christo et sic sanctitatem attigerunt — num silentio negligendae sunt ut locum

detur tractationi de modo sanctificationis qui convenit religiosis tantum vel qui vix exerceri potest in terris ubi Ecclesia persecutionem patitur?

Tandem, mihi videtur quod in hoc capite nimis pauca dicuntur de actione Spiritus Sancti in sanctificatione animarum. Ut tota veritas exprimatur, et non mere pro motivis oecumenicis, affirmandum esset Spiritum Sanctum spirare ubi velit et propterea sanctitatem inveniri etiam apud quosdam qui sunt extra Ecclesiam visibilem. Confiteri debemus plures ex fratribus separatis, aliquando etiam sine adiutorio Sacrificii Missae et Sacramentorum, sed illuminatos verbo divino inspirato, et gratia Dei directe firmatos et attractos, ad sanctitatem pervenire. His dictis, vellem proponere quae sequuntur:

1. Quae dicta sunt in schemate de praxi consiliorum evangelicorum in statu religioso contrahi debent vel omitti quia in schemate *de statibus perfectionis adquirendae* plene tractentur.

2. Plus dici debet de mediis sanctificationis pro laicis, qui constituunt maximam partem populi Dei.

3. Hoc caput concludi debet adhortatione clara et forti, qua omnia membra Ecclesiae incitantur ad sanctitatem consulto et serio assequendum. Talis adhortatio laicos praesertim appellare debet, nam procul dubio copia vocationum sacerdotalium et religiosarum, et ergo expansio regni Dei in terris ab illis prae aliis pendet.

Ioannes XXIII v. m. affirmavit renovationem Ecclesiae, quam ab hoc Concilio Vaticano II sperabat, patefacturam esse Ecclesiam, sponsam Christi, in tota sua pulchritudine sine macula vel ruga. Haec pulchritudo videri non poterit si sanctitas augetur in clericis et religiosis tantum. Tunc tantum videbitur cum totus populus Dei, conscii vocationis suae in filios Dei, ad illam sanctitatem vitae contendant de qua locutus est Dominus cum dixit: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est ».

58

Exc.mus P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Loqui velim de par. 33 schematis, cui est titulus: « De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia ».

Iamvero, in commentario ad hanc paragraphum affirmatur: status perfectionis acquirendae *imprimis valorem signi* habere (Commentarius ad par. 33, pag. 30). Et revera, considerationibus magis essentialibus fere neglectis, textus schematis cum extraordinaria emphasi insistit in hoc conceptu signi et testimonii. Sic affirmatur: quod abnegatio quae in horum consiliorum evangelicorum professione consistit... novam vitam redemptione Christi acquisitam manifestius per proprium statum *significat* et resurrectionem et gloriam regni caelestis clarius *praenuntiat*; quod « consiliorum professio est Ecclesiae sanctitatis peculiare *testimonium* »; quod « consiliorum professio illos

quos Deus vocavit, praecelse adiuvat ut... vitam Salvatoris... in se clarius *exprimant* ».

Aequalis emphasis in conceptu signi et testimonii in reliquis quoque paragraphis huius capitis notatur, ubicumque de statu religioso est sermo.

Nos utique non intendimus negare statum religiosum valorem signi et testimonii in Ecclesia habere, immo libenter admittimus hunc status religiosi valorem iam in antiquissima traditione ecclesiastica extolli, solidis argumentis theologicis probari et mentalitati hominum modernorum bene correspondere. Sed haud probare possumus unilateralem et prorsus excessivam emphasim qua hic valor signi et testimonii in schemate extollitur.

Aliquid enim non ideo valorem habet, quia signum est, sed ideo signum est quia valorem habet.

Nec recte dici potest finem status religiosi ultimatim et principaliter in eo esse, ut signum et testimonium sit: Quis nostrum affirmare auderet finem vitae et operositatis Christi Domini ultimatim et principaliter in eo esse, ut signum sit? Et quis similia vel de Ecclesia, Iesu Christi mystico Corpore affirmare praesumeret? Ne ergo hic similia de illo statu dicamus qui ex tota indole et natura sua sodales suos ad illam formam vitae pauperis, virginalis et oboedientis conducit, qua ipse Christus vivere et per quam redimere nos voluit.

Status religiosi valor in eo ergo imprimis est, quod per integram indivisae caritatis donationem Christo et Deo factam, sodales suos Christo et Deo arctius coniungit, eos Corpori eius quod est Ecclesia profundius inserit et modo magis intimiore participes eos facit operis redemptivi, quod in Ecclesia et pro Ecclesia divinitus continuatur.

Qua in re apprime considerandum est hanc sui ipsius effectivam donationem Christo et Deo factam requirere caritatem specifice perfectiorem et exhinc praecise profluere quod status religiosus, qua est status virginalis, melior ac beatior est quam status coniugalis sicut Concilium Tridentinum in can. 10 sessione XXIV solemniter definivit (cf. Denz. 980). Sed etiam traditio millennaria a supremo magisterio Ecclesiae toties enuntiata et a communi et technico consensu theologorum semper affirmata clarissime docet statum religiosum aliis statibus ideo meliorem ac superiorem esse, quia sodales eius hac donatione specifice nova et perfectiore Christo integros sese donant ac servitio Ecclesiae indivisim sese dedicant.

Nescimus curnam redactores schematis has conceptiones dogmaticas et theologicas, a Concilio Tridentino et multis Summis Pontificibus dudum sancitas penitus e textu schematis omiserint et in earum locum substituerint doctrinam: statum religiosum in Ecclesia imprimis valorem signi et testimonii habere. Cum autem evidens sit huiusmodi categorias et expositiones theologiam vitae religiosae nonnisi satis indirecte tangere, necessarium utique est, ut omnia quae hac de re in schemate dicuntur, funditus retractentur et textus noviter conscribatur.

Qua in re optandum quoque est, ut notio « signi » theologice clarius

elaboretur et enucleetur. Omnes enim norunt hanc notionem « signi » in moderna theologia aliter ab aliis intelligi et multa in hoc contextu proferri quae confusa potius sunt et certo certius immatura pro solemni Conciliari definitione.

Nomina eorum qui interventui meo plene assentiunt sunt: Mgr. V. Sartre; Mgr. R. L. Hodapp; Mgr. L. Manresa Formosa; Mgr. S. Martinez Aguirre; Mgr. A. Lefebvre; Mgr. P. Bouckaert.

59

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Iudicium generale. Cap. IV optime exponit doctrinam traditionalem, relate ad universalitatem praecepti divini « De sanctificatione omnium membrorum Ecclesiae » nempe: hierarchiae et laicorum, notando statum perfectionis distinctum a statu generali fidelium.

Salvo criterio meliori, qui subscribit proponit par. 30 et incisum sequens: « ad imaginem ordinis episcoporum, qui in conditione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituuntur, et cum quibus presbyteri omnes in uno eucharistico sacrificio coniunguntur » supprimenda esse. Nam actualis redactio videtur sacerdotibus, ministris inferioribus et laicis exercitium ipsius sanctitatis episcoporum proponere, quod non logicum consideratur, quatenus illis non tribuendus est status perfectionis, proprius episcoporum.

In omni casu oporteret includere religiosos laicos, religiosas et membra institutorum saecularium in enumeratione exhaustiva quae fit in n. 30.

His praenotatis, nihil aliud addendum putamus ut schema correctum et clarum sit.

De exemptione religiosorum. In pag. 22, linn. 8-12 cap. IV, dicitur de exemptione religiosorum quae *theologice* iustificatur ex eo quod « ... Romanus Pontifex, *ratione sui... primatus... sibi soli subiicere* atque ab Ordinarii loci iurisdictione *eximere* potest ».

Haec quaestio theologica simplex non est. Etenim diversas alias quaestiones theologicas includit, nempe, utrum quis in Ecclesia esse possit quin *alicui episcopo ut episcopo* subiici debeat, seu aliis verbis utrum possibile sit quod aliquis fidelis *nullo episcopo ut tali subiectus sit, aut saltem collegio episcoporum,* de quo in cap. II dictum est gaudere suprema potestate et quidem universali. Ad rem distinguendum esset:

1. Romanus Pontifex « ratione sui primatus » *eximere* aliquem potest ab Ordinariis *locorum* libenter concedi debet.

Quod tamen *et collegium episcoporum potest.*

2. Romanus Pontifex « ratione sui primatus » alicui alio episcopo, non praecise Ordinario alicuius loci, *adscribere* seu subiicere potest etiam liben-

ter conceditur: v. g. adscribere vel subiicere potest alicui Ordinario personarum, non loci.

Quod etiam et collegium episcoporum posset.

3. Unde « sibi » adscribere seu subiicere aliquos fideles posse, quatenus et Papa *est etiam Ordinarius* in aliqua Ecclesia particulari, i. e. *Romae,* libenter etiam concedi debet. Sicut et potest alio alicui Ordinario adscribere.

Adscribere seu subiicere aliquos alicui Ordinario est Papae, (et episcoporum collegii) « ratione sui primatus ».

4. Quod autem aliqui fideles (religiosi) sint « sub Romano Pontifice » et tantum sub ipso (« ipsi soli subiicere »), et quidem « ratione sui primatus », non videtur exactum et verum esse.

Etenim aliqui in Ecclesia esse qui nulli episcopo, nec quidem collegio episcoporum, subiecti essent, videtur esse contra constitutionem divinam Ecclesiae, etenim *esset praescindere ab episcopatu* Ecclesiae.

Episcopatus autem est iuris divini in Ecclesia; ideoque videtur ab ipso praescindere omnino non posse.

Unde redactio huius paragraphi corrigatur ad normam doctrinae de episcopatu. Ita v. g.: « ... Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, vel collegium episcoporum, ratione suae in Ecclesiam supremam potestatem, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singulos, intuitu utilitatis communis, ab Ordinarii loci iurisdictione eximere potest, et alicui Ordinario personarum subiicere, qui etiam et ipse Romanus Pontifex ut episcopus Ecclesiae particularis Romae vel religiosorum esse potest ».

Si autem obiiciatur quod Romanus Pontifex, iuxta Vaticanum I gaudere potestate *universali immediata* in omnes et singulos fideles et pastores, ideoque et sub hac potestate religiosos subiectos habere, respondendum esset omnes fideles et pastores certe *iam esse* subiectos huic potestati vi primatus Romani Pontificis; et quaestio praecise est in hoc, scil. utrum quis in Ecclesia esse possit subiectus *tantummodo* potestati primatiali Papae. Secus enim potestas collegii non est *suprema et universalis* prout ex doctrina collegii episcoporum constat. Et alia ex parte — insto — illa exemptio esset *praescindere omnino ab episcopatu,* quod absonum sonat.

Haec valeant informationis causa dicta.

Animadversiones additae:

De episcoporum munere sanctificandi (n. 20).

1. Hic n. 20, principalis cum sit ex eo quod agat de munere sanctificationis, ad quam omnia munera in Ecclesia ordinantur, et ex eo quod finis Ecclesiae sit « sanctificatio animarum nostrarum », agit tamen de hac re, principaliori omnium, brevius ac numeri *et* de munere magisterii (n. 19) *et* de munere regendi (n. 21) agunt.

2. Adhuc et aliqua silet, quae saltem concise exprimenda essent. Ita:

a) *Silet* de concatenatione et connexione logica et intrinseca *cum doctrina de collegialitate,* in nn. 12-13 et 16-17 exposita.

b) *Silet de distinctione* inter ea quae episcopo, *ut membrum* collegii, pertinent, et ea quae episcopo, *ut capiti Ecclesiae sibi commissae* correspondent. De qua distinctione tamen actum est in aliis numeris, ut in n. 16 (pag. 28, linn. 5, 11-14, 17-27, 33-34), n. 18 (pag. 29, linn. 12-19), n. 19 (pag. 29, linn. 23-26).

c) *Silet de subordinatione* ministerii verbi et ministerii regiminis ministerio sanctificationis. Quod tamen magni momenti est ut hierarchia ministeriorum appareat clara luce absque confusione, et pro Oecumenismo praecipue, ne Ecclesia catholica « iuridicismo » accusetur.

d) *Silet ergo de ordinatione* totius vitae (activae et passivae) hierarchicae ad receptionem sacramentorum, et de ordinatione horum ad Eucharistiam.

e) *Silet* etiam consequenter quod vita hierarchica tota *aedificat « communionem sanctorum », scil. sacramentorum,* per quam aedificatur « *communio sanctorum* » *i. e. fidelium seu Ecclesia.*

f) *Silet etiam* quod tota vita socialis Ecclesiae, sive magisterialis, sive regiminis (ad sanctificationem subordinatae), sive sacramentalis et *significat et efficit Ecclesiam seu* « communionem sanctorum » i. e. fidelium in Christo; unde silet Ecclesiam visibilem, in tota vita sua hierarchico-sociali, *esse Sacramentum Magnum,* de quo tamen alibi (n. 1, pag. 7, lin. 6; n. 7, pag. 11, lin. 25) locutum fuit, quin tamen sufficiens explicatio locutionis data fuerit, ut iam aliqui Patres in aula conciliari dixerunt et postulaverunt. *Hic ergo offertur optima occasio,* ex rei natura, ad illam explicationem, brevem sed sufficientem.

His praelibatis liceat mihi *sequentem textum indicativum offerre,* quocum n. 20 *perfectius* redigi posset. Textu n. 20 in quantum possibile attento, tantummodo ea quae necessaria mihi videbantur eiipsi adiunguntur. Ita igitur sonat: (*adiuncta sublineantur* ut clarius appareat): 20. (De episcoporum munere sanctificandi). Episcopus, summus sacerdos, « *minister Christi et dispensator mysteriorum Dei* » (*1 Cor.* 4, 1) et « oeconomus gratiae supremi sacerdotii » (56), *ut membrum collegii seu successor apostolorum per consecrationem episcopalem, potitur missione sanctificatrice collegii apostolici a Christo huicipso concredita* (cf. *Mt.* 28, 19; *Io.* 20, 23; *Lc.* 22, 19; *Mt.* 18, 18). *Ipse per sacramenta,* praesertim *per* Eucharistiam, quam offert vel offerre facit, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia (57), « *aedificat Ecclesiam* » (cf. S. Augustinus, *Civ. Dei*, 22, 17 - *PL* 41, 779 — iam in nota 57, pag. 43, linn. 10-11 citatus); « ... *sacramenta profluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur* »; S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 64, a. 2, ad 3: « *per sacramenta dicitur esse fabricata Ecclesia* ». *Ipse missionem Ecclesiae salvificam « usque ad consummationem saeculi »* (*Mt.* 28, 20) *per sacram ordinationem facit unicuique tempori praesentem. Ipse etiam, ut minister ordinarius confirmationis, fideles Septiformi Spiritu consecrat* (cf. *Act.* 8, 14-17).

Ut Capiti Ecclesiae sibi commissae, episcopo officium competit cultum christianae religionis Divinae Maiestati celebrandi et administrandi secundum praecepta Domini et generales Ecclesiae leges, *eius* particulari iudicio ulterius legitime determinatas; popul*um* su*um*, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio, partes suas fide et reverentia impl*endi*, exhort*andi* et instru*endi*; e*i*, praeter sanctificans ministerium verbi, *quod in receptionem « sacramentorum fidei »* (cf. S. Augustinus *passim,* cf. Gaillard Jean, OSB, *Les sacrements de la foi,* « *Revue thomiste* » (1959, 5-31, 270-309, et *S. Augustin et les sacrements de la foi, ibid.* 1959, 664-703; S. Thomas, *etiam loquitur de « fidei sacramentis », v. g. Summa Theol.,* III, q. 64, a. 2, ad 3), *ordinatur et terminatur, per se vel per « coopera-*

tores Ordinis episcopalis » ipsi commissos, sacramenta praebendi, quorum omnium distributionem regularem et fructuosam sua auctoritate ordinant et confirmant (58).

Sicut autem ministerium verbi ad sacramenta et omnia alia sacramenta ad Eucharistiam, centrum, fontem et culmen totius vitae christianae, ordinantur (cf. S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 65, n. 3; Pius XII, *Mediator Dei*), *ita etiam ministerium regendi ad « communionem sanctorum » sacramentorum et praecipue ad Eucharistiam ordinatur ut per illam communionem « communio sanctorum »* [1] *seu fidelium in Christo obtineatur. Tota igitur vita socialis et hierarchica Ecclesiae, a Christo instituta et in exercitio et receptione ministeriorum verbi, sanctificationis et regiminis comprehensa, Corpus Christi mysticum seu Ecclesiam et aedificat et significat: unde Ecclesia « Sacramentum Magnum » vocatur.*

Ita informationis causa scripta.

60

Rev.mus P. D. ATHANASIUS HAGE

Superior generalis Ordinis Basiliani S. Ioannis B.

Cap. IV « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » doctrinam in Scriptura traditioneque fundatam nobis tradit, nonnulla elementa positiva continet sive in sectione « de universa ad sanctitatem vocatione » sive in sectione speciali « de statibus perfectionis ».

Notanda est etiam illa pulchra progressio dynamica in sanctitatem consequendam et procurandam sive a clericis in exercitio ministerii pastoralis, sive a laicis in officiis temporalibus et operibus apostolicis adimplendis, sive ab illis qui in statibus perfectionis vel in mundo consilia evangelica observant, ita ut omnes ad regnum Dei extendendum concurrere invitentur.

Optime etiam vita statuum perfectionis in suo aspectu ecclesiali ostenditur scil. ut institutio cuius sodales, qualiscumque sit vita eorum, contemplativa vel activa, in servitio Ecclesiae habentur. Sic removetur illa conceptio individualistica et egoistica quam nonnulli habere possunt, ac si religiosus unice perfectionem personalem et salutem propriam prosequitur.

Tandem locus amplus in schemate statibus perfectionis reservatur: velint honoratissimi auctores schematis gratitudinem nostram accipere.

Attamen hoc tam locuples cap. IV aliquibus sub aspectibus emendari et compleri potest et debet.

Etenim schema, de hierarchia et de laicis in duobus distinctis capitibus

---

[1] In Symbolo « communio sanctorum » profitetur, quae tam in cathechismis saec. XIV-XVI, quam in Scholastica etiamque in tempore priori intellecta est sensu genitivo plurali, i. e. de « communione sacramentorum » ubi exurgit sensum socialem; etiamque intelligitur de « communione fidelium » ubi exprimitur vita Ecclesiae. Bene ergo ut hic duplex sensus exprimatur, qui multum confert ad expurgandam accusationem « iuridicismi » contra Ecclesiam prolatam. Cf. Arnold Franz Xaver, *Glaubensverkündigung und Glaubensgemeinschaft* (Düsseldorf, Patmos-Verlag 1955) 103.

tractavit et optime fecit. De religiosis tamen in obliquo et quasi obiter in capite « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » locutum est. In praedicto capite de una sanctitate in Ecclesia ab omnibus consequenda loquitur, necnon de consiliis evangelicis in mundo et in statibus perfectionis exaratis, necnon de clericis laicisque et religiosis ad sanctitatem et perfectionem vocatis, et hoc quin clare et firmiter loquatur de distinctione fundamentali inter laicos et religiosos, inter sanctitatem communem status laicorum et sanctitatem statuum perfectionis. Insuper desideratur ut in paragrapho speciali solidum fundamentum theologicum vitae religiosae stabiliatur et praeeminentia virginitatis Deo dedicatae relate ad vitam matrimonialem sine ambiguitate affirmetur. Haec omnia urgenda videntur pro variis rationibus.

I. *Ratio theologica*: Distinctio ordinis seu classis illorum qui consilia evangelica colunt ab ordine sacerdotali hierarchico et praesertim a laicis, in Scriptura et specialiter in traditione fundatur:

a) *In Scriptura.* Christus de virginitate propter regnum caelorum adsumpta, discipulis affirmat illam esse donum quibusdam a Patre datum: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui ab hominibus, et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat » (*Mt.* 19, 11 s.).

Agitur de charismate omnino singulari quod illos quibus a Patre datum est, in categoriam omnino speciali constituit; hoc enim valde innuitur ex antithesi a Christo adhibita inter eunuchos involuntarios et eunuchos qui tales sunt ex propria optione propter finem supernaturalem. Haec veritas in sequenti colloquio Christi cum adulescenti divite bene enucleatur: adulescenti qui affirmabat se omnia mandata custodire ad vitam aeternam merendam, Christus respondit: « si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus... et veni, sequere me » (*Mt.* 19, 16 s.). De consilio non de praecepto agitur « si vis » et directe de consilio paupertatis, sed indirecte etiam de consilio castitatis siquidem nihil possidere et Christum sequi necessario supponit renuntiationem ad familiam et vitam coniugalem. Et hoc genus vitae novum perfectio vocatur quae hominem ex categoria habituali hominum praecepta rite observantium subtrahit et in categoriam omnino eminentem collocat.

Quis non videat in verbis Christi illam duplicem distinctionem fundamentalem inter illos qui praecepta observant et illos qui consilia evangelica colunt, interque sanctitatem praeceptorum et sanctitatem consiliorum.

S. Paulus clarissimo modo affirmat virginitatem Deo dicatam esse consilium non praeceptum, donum aliquibus privilegiatis datum, bonum omnino praecellens: « volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic... De virginibus autem praeceptum Domini non habeo; consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis » (*1 Cor.* 7, 7, 25 s.). Ex

quibus verbis etiam vera distinctio eruitur inter illos qui hoc donum a Deo acceperunt et illos qui non acceperunt.

b) *In traditione.* In traditione sive orientali sive occidentali, distinctio inter ordinem virginum et duos ordines clericorum et laicorum clare apparet.

Virgines et continentes aliquam quasi aristocratiam in sinu communitatis christianae efformabant; locus specialis illis in ecclesia reservabatur; mentionem specialem in liturgiam post hierarchiam clericorum et ante laicos habebant, quod nobis refert oratio fidelium in liturgia romana feriae sextae hebdomadis sanctae in qua dicitur: « Oremus et pro omnibus episcopis... ostiariis, confessoribus, virginibus, viduis et pro omni populo Dei » (cf. Duchesne, *Origines des cultes,* Paris 1903, pag. 421).

Origenes (in *hom. XI in Matth.,* PG, t. XII, col. 591) loquitur de virginibus, continentibus, omnibusque qui in professione religiosa ordinem sanctitatis constituentibus ab ordine sacerdotali et ab ordine laicorum distinctum: « Putasne qui sacerdotio fungantur, et in sacerdotali ordine gloriantur, secundum ordinem suum incedunt...? Quid autem de virginibus dicam, aut de continentibus, vel omnibus qui in professionem religiosam videntur?... Agnoscat igitur unusquisque ordinem suum, et quid dignum sit eo ordine quem suscepit intelligat ».

c) *Ex natura vocationis et mediis adhibitis.* Inter sanctitatem communem laicorum et sanctitatem perfectam statuum perfectionis est distinctio fundamentalis:

Certum est, sicut affirmatur in schemate, unam esse in Ecclesia sanctitatem, quae est caritas sive perfecta sive imperfecta, sed illa sanctitas habere potest gradus et media specifice diversa. Etenim sanctitas laicorum in usu bonorum terrestrium et vitae matrimonialis secundum praecepta obtinetur, dum e contra sanctitas in statibus perfectionis renunciatione ipsis bonis terrenis vitaeque matrimoniali secundum consilia evangelica consequitur.

Denique sanctitas virginitatis Deo dicatae omnino superest sanctitatem vitae matrimonialis, quod omnino eruitur ex verbis Christi et S. Pauli et sollemniter a Patribus et documentis ecclesiasticis affirmatur:

Audiamus S. Ioannem Chrysostomum (*De Virginitate,* c. X, PG, t. XLIII, col. 540): « Bonum est virginitas, et ego consentio; ac matrimonio etiam melior... Et si placet, quanto etiam melior sit addam: quanto caelum terra, quanto hominibus angeli; immo etiam magis ».

Ex his praemissis quid eruitur? quod ordo seu classis statuum perfectionis partem constitutivam in structura Ecclesiae efformare dicitur? Nullatenus; sed dici potest pars integrans et omnino necessaria ad plenitudinem Ecclesiae.

Sanctitas est nota essentialis Ecclesiae, sanctitas non solum communis sed etiam sanctitas perfecta immo heroica, et non modo transitorio sed per statum habitualem qui normaliter in statibus perfectionis verificari potest.

II. *Ratio psychologica.* Si illa duplex distinctio inter laicos et religiosos siletur, aliqua aequivocatio apud laicos oriri potest: tunc vita religiosa illis

appareret non ut sanctitas omnino praecellens sed ut aliquid mere institutionale et iuridicum in Ecclesia institutum, et proinde rationem sufficientem ad illam vitam amplectendam non viderent.

Altera ex parte, si vita religiosa in schemate bene distinguitur et in luce ponitur, eiusque eminentia extollitur, quam magna esset confortatio duorum circiter millionum religiosorum in toto mundo sparsorum et quam magnum incitamentum ut zelum apostolicum magis ac magis augerent.

III. *Ratio oecumenica.* Nostri fratres orthodoxi vitam monasticam valde aestimant et monachos a laicis et clericis omnino distinguunt. Insuper, fervorem vitae monasticae in Ecclesia catholica mirantes, nova monasteria ad imaginem monasteriorum nostrorum in aliquibus regionibus fundare incipiunt, in quibus vita contemplativa omnino genuina colitur. Similiter fratres occidentales non catholici iam momentum vitae monasticae sive ad plenitudinem sanctitatis Ecclesiae, sive ad unionem christianorum fovendam agnoscunt, et illam colere incipiunt. Perutile est ad unionis dialogum favendum ut statibus perfectionis locus honoris in schemate de Ecclesia concedatur.

Etenim eo magis vita religiosa in Ecclesia catholica commendatur et in lucem ponitur, paralleliter illa magis ac magis in aliis ecclesiis christianis in honorem habetur et consequenter eo magis sanctitas et caritas in his ecclesiis crescerent ita ut via reconciliationis et christianorum unionis satis aperta esset, secundum verba S. Em. card. Suenens: « On se rapproche les uns des autres, dans la mesure même où chacun se laisse envahir par la vie et la charité du Christ... Tout effort d'union, par là même qu'il est acte de charité a de soi valeur unitive » (ex allocutione card. Suenens in ceremonia commemorativa Ioannis XXIII, 29 octobris 1963).

IV. *Ratio charismatica et pastoralis.* Vita perfectionis religiosae in Ecclesia charisma omnino eminens habetur et testimonium constituit praeclarissimum spiritus abnegationis et caritatis erga Deum et proximum in mundo hodierno egoismo materialismoque atheistico et hedonismo imbuto. Propterea Concilium vitam religiosam clariore modo in conspectu mundi hodierni ponere debet ut christifideles non solum interius sed exteriore quoque vitae ratione vitae Christi adhaereant.

Conclusio: His dictis sequentia humiliter propono:

I. In cap. IV, prima pars quae amplectitur nn. 28, 29, 30 et 31 ad caput « de populo Dei » transferantur, ita ut totum cap. IV statibus perfectionis reservetur, sicut factum est pro laicis, in quo capite, mutatis mutandis, ceteri numeri conservari possunt. Si tamen illa transpositio non admittitur, proponitur tunc ut cap. IV in duos articulos dividatur ita ut in priore de universa ad sanctitatem vocatione tractetur, in altero de statibus perfectionis, sed cum aliquo prooemio doctrinali introducendo.

II. Distinctio traditionalis in populo Dei inter tres ordines vel classes: hierarchia, religiosi et laici conservetur.

III. Praecellentia vitae castitatis consecratae relate ad vitam matrimonialem clare et firmiter evocetur.

IV. Fundamentum theologicum et traditionale vitae religiosae amplius et profundius demonstretur et explicetur.

Observationes particulares:

a) In pag. 12, linn. 2 et 3 dicitur « Omnes sive ad hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur ». In hoc loco nulla est ratio ut christifideles in forma passiva et receptiva designentur quod sapit paternalitatem super illos et quod saepe repetitur. Laici revera illam subiectionem erga hierarchiam libenter agnoscunt sed alium modum loquendi audire praeferunt. Ideoque textus sic sonare potest: « Omnes sive ad hierarchiam pertinent sive non, ad sanctitatem vocantur ».

b) In pag. 18, n. 29, lin. 28, legitur: « sanctitas quae in fide et baptismate inchoata... ». Perutile est hic addere verba sequentia: « aliisque sacramentis praesertim eucharistia corroborata... ».

c) Insuper hic convenit insistere apud christifideles quod seipsos exercitio officiorum temporalium sanctificent et quod non tantum actus spirituales ad sanctitatem adiuvant sed etiam quidcumque faciamus ad sanctificationem concurrunt secundum verba S. Pauli: « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti » (*Rom.* 8, 28) et, « sive manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite » (*1 Cor.* 10, 31; cf. etiam *Col.* 3, 17).

d) In pag. 19, n. 30, linn. 2-3: Sacra Synodus imprimis utriusque cleri sacerdotes enixe et peramanter hortatur ut sancte ministerium suum adimpleant etc. Attamen nullum verbum exhortativum ad episcopos fit. Nonne opportunum est ut prius episcopis exhortatio dirigatur ut clericis fidelibusque sanctitatem Christi referre valeant.

e) In eadem pag. 19, n. 31: prima paragraphus quae de mediis ad sanctitatem consequendam loquitur, inutilis ideoque supprimenda videtur siquidem in n. 29 continetur.

f) In eodem n. 31, pag. 20, linn. 4-5, de consiliis evangelicis dicitur « quae etsi perfectionem non constituunt, ad caritatis tamen fervorem maxime conferunt ». Forsan melius esset supprimere clausulam « quae etsi perfectionem non constituunt » ut inutilem, siquidem de mediis ad perfectionem et non de natura eius agitur. Praeterea tota haec affirmatio brevius profundiusque cum S. Thoma exprimi potest paucis his verbis: « Quae ad perfectionem caritatis ordinantur » (*S. Theol.,* II-II, q. 44, a. 41, ad 3).

g) In pag. 22, in n. 34, lin. 8 ubi de exemptione agitur: Exemptio religionum sodaliumque ostendi debet et considerari potest non ut limitatio potestatis episcopi et ad eius detrimentum in favorem Summi Pontificis vel patriarchae imposita, quod esset aliquid forsan odiosi, sed potius ut medium necessarium ad melius providendum totius Ecclesiae necessitatibus et proinde ut requisitum illius sollicitudinis quam collegium episcopale de bono totius Ecclesiae procurando assumere debet et quam S. Pontifex ut caput col-

legii et Ecclesiae universalis optime assicurare potest mediantibus institutis religiosis quos sibi subiicit.

Nunc quoad textum ipsum quo exemptio formulatur; videtur illum in hac materia disciplinam orientalem negligere: Etenim in hoc iure hodierno, duae species exemptionis habentur pontificalis scil. et patriarchalis: in prima eximitur a quacumque iurisdictione inferiori in favorem S. Pontificis, in altera vero sive stavropegia sive exemptio ordinum religiosorum a sola iurisdictione hierarchae loci in favorem patriarchae eximunt. Data hac duplici exemptione in iure orientali textus schematis qui sic sonat: « Romanus Pontifex ... quodcumque perfectionis institutum ac sodales ... sibi soli subiicere atque ab ordinarii loci iurisdictione eximere potest » enuntiari potest hoc modo: « Romanus Pontifex ... sibi subicere atque a quacumque iurisdictione inferiori eximere potest ».

h) Aliqua mutatio in dispositione trium nn. 32, 33, 34 consideranda videtur. Etenim in n. 32 de praxi consiliorum loquitur. In n. 33 de momento consiliorum. In n. 34 de praxi consiliorum sub auctoritate Ecclesiae.

Magis logicum est, secundum meam humilem sententiam, prius loqui de momento consiliorum, quod affirmatur in n. 33, postea de praxi consiliorum, quod dicitur in n. 32 et tandem de praxi consiliorum sub auctoritate Ecclesiae.

i) Tandem in n. 35 fervida exhortatio ad christifideles desideratur ut enixe et generose vocationes religiosas in suis familiis suscitare et fovere conentur.

[*Subscripserunt etiam*] Archim. Hilarion Capucci, sup. gén. des Aleppins Basil.; Agostino Farah, VR Tripoli Melch. in Libano; Archim. Saba Youakim, sup. gen. Ord. Bas. Ss. Salvatoris; P. Athanasius Welykyj, protoarchim. Ord. Basiliani S. Iosaphat; Basilio Cristea, vesc. tit. di Lebedo.

61

Rev.mus P. D. BARTHOLOMAEUS HANRION
Praefectus apostolicus Dapangoënsis

Sanctitas in schemate sic praesentatur ut christifidelium in mentibus esse possit sanctitatem reservari quibusdam egregiis hominibus quos Ecclesia canonizat. Hoc autem attrahere posset ad negationem spiritualis conatus atque satisfactionem in mediocritate.

Non satis dicitur sanctitatem fontem habere rationemque crescendi invenire in tribus theologalibus virtutibus in baptismate infusis; non satis dicitur Christum, in nobis viventem, auctorem esse principalem sanctitatis nostrae. Fides, lucida et personalis, in Christum sic efficit ut sanctitas optetur et fidelis anima tota adhaerere possit Christo Salvatori qui solus potest hominem e peccato ad altissimam sanctitatem trahere.

Spes in Christo indesinenter renovata animae tantam fortitudinem dat ut bona transitoria sacrificet ad « quae sursum sunt » quaerenda.

Caritas Christi in anima fideli capacitatem dat sibi totaliter renuntiandi pro amore Dei et proximi.

In hoc capitulo « de sanctitate ... », in memoria maxime revocanda est Christi sententia « Sine me nihil potestis facere ». Per exemplum boni latronis opportune ostenditur sanctitatem essentialiter consistere in contactu cum Christo per fidem, spem in bonitate eius, caritatemque erga eum.

Semper etiam christifidelibus dicendum est voluntatem Dei esse sanctificationem eorum (*1 Thess.* 4, 3) ita ut Deus velit plus quam ipsi eos sanctos fieri. Deum insuper in eis fontem volendi et faciendi (*Phil.* 2, 13); in omnibus animae conaminibus ad sanctitatem, Deum esse qui incipit (*Phil.* 1, 6) et ipsum solum incrementum dare (*1 Cor.* 3, 6). Christifidelis igitur, ut ad sanctitatem progrediatur, in speciebus progressum aut mensurabilium gradorum remanere non debet sed secundum S. Pauli perspectivas prospicere. « (Pater) det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem; *Christum habitare per fidem in cordibus vestris,* in caritate radicati et fundati ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, *secundum virtutem quae operatur in nobis,* ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen ».

Haec — gratia Dei adiuvante — christifidelem ponunt in statu confidentiae ad arduam perfectionis prosecutionem necessariae.

Propono igitur ut initio par. 31, addantur haec verba aut similia: « Sanctitas quae ut germen in baptismate nobis datur, in christifidelis anima crescit una cum tribus theologicis virtutibus quae, ex origine sicut in progressu earum, gratuita Dei dona sunt. Fide viva, animae infunditur lumen Christi quod voluntatem Dei erga eam revelat et per quod Christo soli salvatori adhaeret. Spe, Christi fortitudinem accipit ut per asceseos viam se purificet et Christi praecepta sequatur. Caritate, ei datur amor Christi quo Deo et proximo indesinenter ut hostiam se offerre possit ».

62

Exc.mus P. D. IOSEPH HASLER
Episcopus S. Galli

Helvetiorum episcoporum nomine loquor, venerabiles Patres, primo de sanctitate Ecclesiae, secundo de religiosis in ambitu sanctae Ecclesiae.

De sanctitate non nisi relate ad hierarchiam et ad eos qui ab ea pascuntur, cap. IV tractat. Hoc sufficere non videtur, quia Ecclesia non est, ut aiunt, societas clausa, sed societas aperta, quae respicit omnes oves dispersas quae ad agnitionem veritatis veniunt (*1 Tim.* 2, 4). Etenim « non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam,

acceptus est illi » (*Act.* 10, 34). Ideo sanctitas iam plusminusve invenitur et recognosci debet non solum in christianis confessionibus sed etiam in omnibus religionibus. Nemo in Ecclesiam intrat qui non iam aliquo modo in Ecclesia vivit.

Ubicumque sancti sunt homines quia Deus qui sanctus est, eos sanctificat. Unus est omnium Deus et sancti sunt in omnibus gentibus et nationibus qui eius vocem audiunt et iam constituunt ei regnum sacerdotale et gentem sanctam, id est mysterium populi cuius Deus Dominus est et quem misit, Iesus Christus. Eo autem sanctiores sunt homines quo intimius per Spiritum Sanctum in sancta Ecclesia Iesu Christo coniunguntur de cuius plenitudine nos omnes accepimus, qui seipsum sanctificavit ut simus et ipsi sanctificati in veritate.

Si Vaticanum II ita de sanctitate loqueretur, magnam admirationem in universo mundo suscitaret. Illa visio vere biblica de Deo qui vult omnes homines salvos facere, id est sanctos facere, qui nemini gratiam denegat, maximi momenti est pro missionibus, pro oecumenismo et pro manifestatione sanctae Matris Ecclesiae.

2. Optime fit quaestio de religiosis in ambitu totius Ecclesiae sanctae, sed melius ostendendum esset quo modo religiosi Ecclesiae mysterium illustrant. Nullam in Ecclesia aristocratiam religiosi constituunt, nec ullo modo aequalitati omnium christifidelium oppugnant. Nec renuntiando matrimonio, divitiis huius mundi et liberae suiipsius dispositioni, bona temporalia despiciunt, sed e contra horum bonorum significationem melius notificant. Nam religiosi mundum relinquunt ut mundus salvetur, nuptiis renuntiant quia maxime diligunt quod nuptiis praenotatur, libertatem amittere videntur ut libertate filiorum Dei gaudeant. Religiosi prout vocationem propriam sequuntur, divisionem removere nituntur, quae est inter ea quae Christi sunt et ea quae mundi sunt ut sic se totum et totaliter Christo, Ecclesiae et generi humano devoveant.

Licet tamen aliqua officia, munera, ordines et status aliis alia meliora sint, quia maioris boni, numquam comparatio inter personas fieri potest. Illi soli evidenter eminent qui sanguinem suum pro Christo et pro fratribus effundunt, scil. martyres. Etenim, « maiorem hac dilectionem nemo habet qui animam suam ponat pro amicis suis » (*Io.* 15, 13). Quinimmo probant martyres sanctitatem in omnibus circumstantibus possibilem esse. Nullus enim christifidelis in Ecclesia invenitur qui aliquo medio necessario ad sanctitatem carere dici potest. Sed nihilominus asserendum est tales esse conditiones temporales pro pluribus ut ex parte naturae humanae valde difficilis reddatur vita christiana. Unde omnes christifideles et tota Ecclesia ad conditiones hominum dignas parandas obligantur. Sed minime dicatur quod abnegatio illa quam religiosi vovent, naturae et personae humanae aliquid detrahit. E contrario, consiliorum professio genus humanum spirituali vigore roborat, et Ecclesiam eo sanctiorem reddit.

Secundum has notationes emendationes secretario committimus.

Emendationes propositae.

N. 28: loco linn. 1-3: « *In Ecclesia cuius mysterium Sancta Synodus sollemniter annuntiat,* omnes *homines* sive ad hierarchiam, sive ab ea pascuntur, pertinent, *sive sint oves dispersae quae ad agnitionem veritatis veniunt* (*1 Tim.* 2, 4) ad sanctitatem *vocantur. Deus enim vult omnes homines salvos fieri* (*1 Tim.* 2, 4) *i. e. sanctos facere. " Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi "* (*Act.* 10, 35). *Novissimis autem diebus, " Verbum misit Deus filiis Israel adnuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus "* (*Act.* 10, 36). Hic est Filius qui ... ».

N. 29: ante lin. 13 dicatur: « *Unus est omnium Deus et sancti sunt homines quos Deus qui sanctus est, sanctificat* (*Lev.* 21). *In omnibus nationibus sancti sunt qui vocem eius audiunt et qui ei constituunt regnum sacerdotale et gentem sanctam, id est mysterium populi cuius Deus Dominus est* (*Ex.* 19, 5-6; *Deut.* 7, 6) *et quem misit, Iesus Christus. Eo autem sunt sanctiores homines quo intimius per Spiritum Sanctum in sancta Ecclesia Iesu Christo coniunguntur de cuius plenitudine nos omnes accepimus* (*Io.* 1, 16). *Ipse pro nobis seipsum sanctificavit ut simus et ipsi sanctificati in veritate* (*Io.* 17, 19) ».

N. 29, lin. 34, addatur: « *inter quos maxime martyres eminent, quia maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Io.* 17, 19) ».

N. 30, lin. 2, post « una sancta excolitur » addatur: « *et licet aliqua officia, munera, ordines et status aliis alia meliora sint, quia maioris boni, nunquam tamen comparatio inter personas fieri potest nec ullus in Ecclesia aliquo medio necessario ad sanctitatem carere dici potest. Nihilominus tamen conditiones temporales tales esse possunt ut ex parte naturae humanae vita christiana valde difficilis reddatur. Unde omnes christifideles et tota Ecclesia ad conditiones hominum dignas parandas, obligantur* ».

N. 33: post lin. 17 addatur: « *quin illa abnegatio naturae et personae humanae aliquid detrahat, cum homo sit ad imaginem Dei creatus. Quinimmo consiliorum professio genus humanum spirituali vigore roborat, et Ecclesiam Dei se sanctiorem reddit* ».

N. 33, lin. 25, post « speciali modo coniungant », addatur: « *quod nuptiis praenotatur* » (Pius XII, *De Sacra Virginitate*).

N. 33, lin. 27, post « actuosa opera », addatur: « *praesertim opera misericordiae tam spiritualis quam materialis* ».

63

REV.MUS P. D. CORNELIUS HEILIGERS

Superior generalis S.M.M.

1. Professio consiliorum evangelicorum responsum constituit invitationi Domini nostri atque eius formae vitae necnon missionis tamquam « religiosi Patris » in Ecclesia et pro Ecclesia continuatio et praerogatio censetur, et totalem necnon continuam traditionem sui, ipsi Ecclesiae, ex plenitudine amoris factum, continet.

2. Ecclesia « Sponsi Christi » ex hac professione ornata ac ditata apparet personis per quas divitias a Christo Sponso ipsi traditas ostendere et missionem, ipsi collatam, explere optime valet.

3. Ecclesia per profitentes consilia evangelica speciali modo Christo, eius Sponso, perfecta dilectione respondens, sese tradit eiusque mysterium clarius in se exprimit.

4. Quae in religiosa professione emittuntur vota Ecclesia sua facit (can. 1308 § 1) atque voventem speciali titulo sibi devincit eidemque propriamque missionem participat ut mysterii Christi in ipsa incessanter extantis et operantis, signum, testimonium, efficax instrumentum et veluti sacramentum efficiatur.

5. Quamobrem religiosi aliique profitentes consilia evangelica, exclusive et plene Ecclesiae servitio dicuntur ac munere sociali ac publico donantur, quibus illorum vita et actio funditus pervaduntur et veluti absorbentur, ita ut nullomodo sibi vivere valeant sed pro Christi mystico Corpore veluti in holocaustum consumentur.

Pius XII, in Allocutione diei 11 aprilis 1958, hanc vitam tamquam quoddam voluntarium martyrium in substitutionem martyrii sanguinis temporum persecutionum, indicabat (*A.A.S.*, 50, 1958, pag. 252).

6. Mysterium Christi in Ecclesia et ab Ecclesia expressum et, quodammodo prorogatum et ad perfectionem perductum, totam religiosorum vitam actionemque informet et unumquodque elementum atque momentum afficit; nempe: vota, alias obligationes, spiritualitatem, cultum, exercitia pietatis necnon virtutum exercitium, ascesim, varias occupationes, modum in communi vivendi, disciplina, etc. illisque contentum seu munus sociale et apostolicum confert in cuius expletione ipsa personalis sanctitas ipsius obtinetur.

7. Haec omnia momentum statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia extendunt ac comprobant et, licet exclusiva non sint hunc statum profitentibus, speciali titulo ac mensura ab Ecclesia eiusdem tribuuntur, uti asserebat Pius XII in allocutione diei 9 decembris 1957 (*A.A.S.*, 50, 1957, pag. 34).

Ideoque, in descriptione vultus Ecclesiae clara in luce ponenda erunt, ne ab ipsis consilia evangelica profitentibus oblivioni mandentur et ne status

perfectionis acquirendae exclusive vel praevalenter ut purum iuridicum institutum vel in Ecclesia quid secundarium appareat.

8. Perpulchra, sub hoc respectu, in schematis praesenti textu habentur, quae tamen compleri et clariore ordine logico exponi deberent.

9. N. 31, pag. 20, linn. 6-16. Consilia evangelica paupertatis, perfectae castitatis et oboedientiae exponi deberent fusius enucleando illorum divitias, momentum et vim, prae oculis habito munere sociali et apostolico in Ecclesia, praeterquam intentum personale, illorum fere vicies centenae millium personarum (circa duo miliones) quae ea emittunt.

Cum status perfectionis acquirendae in Ecclesia theologice super haec tria consilia fundetur et ex illis rationem et vires hauriat, summi momenti apparet in constitutione dogmatica has fontes illustrare.

In varietate statuum perfectionis formarum hoc fundamentum et haec radix consiliorum evangelicorum semper immutata manent et manere debent, intelligi et in praxim deduci, tamen, oportet, modo unicuique formae respondenti.

Ideo, quaedam omittendo aliaque addendo, textus ita redigi posset.

« Inter sanctificationis media praeclara extant tria illa consilia evangelica quae ad fervorem caritatis, in qua perfectio consistit, maxime conferunt. Paupertas scil., quae a bonis terrenis re et spiritu separat, in signum praestantiae bonorum regni caelestis et actuosum fraternitatis christianae testimonium, in filiorum Dei libertate adsumitur, et vitam atque actionem ad imitationem apostolorum, qui " relictis omnibus secuti sunt eum " (cf. *Lc.* 5, 11) maxima efficacitate fovet ».

Post verba circa castitatem et oboedientiam in lin. 16 adderem « dirigentem et ad prosecutionem missionis apostolis collatae, iuxta cuiusque personae et Instituti vocationem, mittentem ».

N. 31, pag. 20, lin. 17. Post verba « ad sanctificationem » adderem: « et ad apostolatum ».

10. N. 32, pag. 21, lin. 22. Ut in luce ponatur vocatio seu munus religiosorum in Ecclesia, quod essentialiter consistit in exprimenda sanctitate Christi in Ecclesia indesinenter operantis, enuntiandi essent varii adspectus sanctitatis Christi, ab Ecclesia, per sodales statuum perfectionis, manifestandi: v. g. oratio et cultus, ascesis, exercitium variarum virtutum, apostolatus genericus et specificus, plena adhaesio Patris caelestis voluntati per fidelem eius mandatorum impletionem (cf. *Is.* 8, 29) uti in Enc. *Mystici Corporis* exprimitur *A.A.S.,* 35, 1943, pp. 214-215: « Ipsa per multiplicia variaque instituta, quibus veluti monilibus ornatur, Christum quodammodo commonstrat, vel in monte contemplantem, vel concionantem ad populos, vel sanantem aegros et saucios, ac peccatores ad frugem bonam convertentem, vel denique bene facientem omnibus ».

11. N. 33, pag. 21, linn. 24-29. Bene in luce ponendus esset character socialis status perfectionis acquirendae et etiam character apostolicus.

Favor et constans actio Ecclesiae in ordinando status perfectionis, fun-

damentum habet in munere et in ministerio publico seu sociali status perfectionis eiusque sodalium; quod munus consistit in exprimenda ipsa sanctitate Ecclesiae.

Haec est ratio characteris publici votorum iuxta tenorem can. 1309 § 1. Ecclesia propria facit vota quae publica dicuntur, quasi se ipsa Ecclesia per illos sodales vota emitteret.

Periodus ita redigenda esset ut in luce ponatur: « 1. Religiosus et quilibet sodalis status perfectionis, certus esse debet in servitium Ecclesiae constitutum esse, quod servitium per sanctitatem et in opere Ecclesiae cooperationem exprimendum est ».

12. Censemus peculiaris momenti esse insistere in contento apostolico status professionis consiliorum evangelicorum et in servitio apostolico quod in munere sociali continetur, quo servitio praeditus status non tantum constituitur signum et testimonium, sed etiam Ecclesiae instrumentum pro apostolatu efficitur.

Hac de causa periodus n. 33, pag. 21, linn. 30-34, transferenda esset post lin. 22, in eoque munus apostolicum connecti debet cum dilectione Dei, sicuti pro omnibus, sed etiam cum charactere ecclesiali status perfectionis, qui necessario, sicuti ipsa Ecclesia, missionalis esse debet.

Quaelibet forma vitae consecrationis necessario ex intrinseca ratione apostolica est, uti asseritur a Pio XII in constitutione *Sponsa Christi* pro vita contemplativa. Cum vero maior pars momenti est hunc apostolatum ad ipsam radicem et notionem consecrationis reducere. Ita ut appareat fusio inter sanctitatem et apostolatum ex qua tantae divitiae pro Ecclesia ortae sunt. Teste Pio XII, cum asserit in constitutione *Provida Mater*: « Quam arcte atque intrinsece, historia sanctitatis Ecclesiae et apostolatus catholici, cum historia fastisque vitae religiosae canonicae, Spiritus Sancti iugiter vivificantis gratiae, mira varietate in dies succrescentis et nova magis magisque altiore atque firmiore unitate roboratae, coniuncta sit in comperto apud omnes est » (*A.A.S.*, 39, 1947, pp. 115-116).

Animadversiones additae:

N. 28, pag. 18, lin. 1. Titulus capitis, si non habetur novum caput unice « de statibus perfectionis » agens, deberet esse: « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et speciatim de iis qui evangelica consilia profitentur » vel « et speciatim de statu professionis consiliorum evangelicorum ».

N. 28, pag. 18, lin. 10. Post verba « sancitum » adderem « et ordinatum ». Ecclesia non tantum sanctionem confert proposito alicuius Fundatoris vel alicuius coetus personarum; sed, ut postea dicitur in n. 34, Ecclesia definire valet et de facto definit contentum huius status et ipsum ordinat et propriae actioni associat. *Textus ita redigi posset*: « per statum vitae, huius universalis... et exemplum; quem statum vitae Ecclesia ordinat et confirmat atque ad conditionem status iuridici et etiam canonici seu fundamentalis (can. 107) in Ecclesia elevat ». *Vel* « ut per statum vitae ab Ecclesia ordinatum et approbatum atque ad conditionem status iuridici et etiam canonici elevatum, huius universalis vocationis ad regnum

caelorum nomine Ecclesiae praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum necnon sanctitatis prosecutionis in Ecclesia sit efficax instrumentum ».

N. 29, pag. 18, lin. 27. Adderem quod hoc testimonium et exemplum fertur pro ipsa Ecclesia seu quodammodo nomine ipsius Ecclesiae.

N. 29, pag. 18, lin. 27. Hic adhibetur vox « religio », quae definitur in canone 488, 1°; credo quod etiam aliis in locis aliquando adhiberi posset vox « religiosi » sensu theologico, prouti habetur in *Provida Mater,* v. g. in n. 32, pag. 21, lin. 1.

N. 29, pag. 18, linn. 33-34. Pressius commemoretur pro clericis et saltem pro religiosis obligatio exercendi caritatem, sese devolvendo servitio proximi, secundum propriam vocationem in Ecclesia.

N. 31, pag. 20, linn. 2-20. Conveniens esset primo et in recto agere de consiliis evangelicis pro illis qui, ratione status, perfectionem per illa consilia prosequuntur.

Pro illis praesertim exhiberi deberet respectus seu functio individualis et socialis consiliorum.

Cum consilia evangelica elementum essentiale et characteristicum constituant status perfectionis, prout ab Ecclesia ordinatus fuit, momentosum est de illis plenius agere.

N. 31, pag. 20, linn. 2-19. Magis essent explicandi sensus et vis consiliorum. « Inter... consueverunt, quae ad caritatis tamen fervorem maxime conferunt tria consilia in Ecclesia doctrina et usu peculiariter extolluntur: paupertas, Deo dicata perfecta castitas et oboedientia.

Tria haec Consilia in verbis et in vita Christi radicem habent (fundantur), unde plenam rationem necnon in opere salutis et sanctificationis efficaciam hauriuntur.

Qui ergo ad pleniorem Christi pauperis, virginis et oboedientis sequelam vocantur, paupertatem assumant in signum Crucis etc. ».

N. 31, pag. 20, lin. 20. Non apparet nexus logicus praesuppositus a voce « Quamobrem »; melius videretur, transferre ad finem capitis IV totam periodum linearum 20-35.

N. 32, pag. 21, lin. 3. Danda esset, videtur, ratio theologica huius varietatis et multiplicitatis. Quae ratio desumitur a plenitudine sanctitatis Christi ab Ecclesia per varia Instituta exprimendae diversis sub respectibus; desumitur etiam ex varietate munerum seu servitiorum et ministeriorum quae in Ecclesia et nomine Ecclesiae explenda sunt. Ideo, ad meliorem intelligentiam unitatis et varietatis formarum vitae perfectae in genere, exprimenda esset illa ratio theologica quae desumitur ex mysterio Christi, sive ratione eius perfectionis, sive ratione eiusdem apostolicae actionis.

Tunc appareret etiam ratio et notio vitae religiosae et apostolicae quae fundamentum theologicum in mysterio Christi praedicantis habet.

N. 32, pag. 21, linn. 24-29. Satisfaciendum esse videtur voto religiosorum qui petierunt statum religiosum non esse coarctandum solo fini individuali, sed in luce ponendum esse etiam eius finem socialem, qui finis ita exprimi posset: « ... manifestare ac perficere finem salvificum Ecclesiae, eique directe et propria vocatione inservire ».

N. 33, pag. 21, linn. 23-29. In describendo momento status perfectionis servitium Ecclesiae prae oculis poni deberet non tantum sodalibus sed etiam Institutis et variis communitatibus qua talibus.

N. 33. pag. 21, lin. 34. Profitentes consilia evangelica in statu ab Ecclesia sancito peculiari titulo tenentur cooperari ad aedificationem Corporis Christi.

N. 34, pag. 22, lin. 14. Non tantum sodales sed Instituta ipsa reverentiam et dependentiam erga Ecclesiam, erga episcopos praestare tenentur, praesertim in labore apostolico explendo.

N. 33, pag. 22, linn. 27-32. Ut via aperta pateat ulterioribus formis vitae perfectionis, bonum esset commemorari quod praxis consiliorum evangelicorum varietatem graduum intensitatis et extensionis admittit, sive quoad characterem officialem seu publicum, sive quoad effectus, sive quoad stabilitatem etc.

64

Exc.mus P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Liceat mihi offerre aliquas animadversiones de cap. IV schematis *de Ecclesia.*

1. In certamine perenni cum proclivitatibus ad errorem « Pelagianismi » seu « Activismi » ante omnia hodie requiritur declaratio clara de natura sanctitatis. Ne sanctitas cum adsequendo excellentiam moralem (more « Stoico ») confundatur, doctrina tam breviter enucleata in par. 28 et 29, mihi videtur amplificetur. Sanctitas imprimis ostendetur esse donum Dei libere effusum, nempe, communicatio Vitae Trinitatis creaturis donata a Patre per Filium in Spiritu Sancto. In fide et baptismate, sicut bene scriptum est in hoc capite, sanctitas christiana inchoatur. Sed quid de Confirmatione, sigillo Spiritus Sancti, et quid de celebrando Eucharistiam, mysterium fidei? Novus homo, insitus in mysterio paschali, regeneratus et impletus Spiritu Sancto, per Christum, cum Christo, et in Christo incipit et per vitam sacramentalem et sanctam continuat peregrinationem ad Patrem. In schemate *de sacra Liturgia* vidimus Liturgiam non mere esse complexum caerimoniarum sed esse exercitium sacerdotii aeterni Christi atque culmen et principium totius vitae christianae. Omissio attentionis assiduae ad Liturgiam et praesertim ad mysterium Eucharistiae videtur defectus egregius. Simul cum exc.mo D. Ioseph Martin, ep. Nicoletano in Canada, mihi faveat rogare hoc textum coordinari cum schemate *de sacra Liturgia.*

2. In par. 30 mentio de statu perfectionis proprio ordini episcopali invenitur, et simul adhortatio ad sacerdotes utriusque cleri, qui participant in ministerio episcoporum, extenditur. Talis adhortatio, liceat mihi subiicere, debet imprimis dari episcopis. Patres Concilii Tridentini (cf. Sess. XXV Decr. de Ref. gen., cap. I) se admonere non haesitaverunt, et nos, venerabiles Fratres, priusquam vocamus presbyteros et christifideles ad sanctitatem, admoneamus nosmetipsos respondere vocationi nostrae, scil., exercitio caritatis perfectae. Ante oculos nostros et in cordibus nostris habeamus verba S. Pauli, inspirata Spiritus Sancti, ad *Phil.* 3, 10-15.

3. Valde gratum est invenire in hoc capite expressio doctrinae vocatio-

nis universalis, i. e., omnium christifidelium, ad sanctitatem. Valor et momentum vitae religiosae in statu ab Ecclesia sancito bene et satis enucleantur. In aliquibus casis, etiam, laici, nos fauste legimus, vocantur ad praxim consiliorum evangelicorum per professionem votorum privatim et extra statum ab Ecclesia sancitum. In hoc capite, attamen, explicita et clarior expressio requiritur de vocatione laicorum ad sanctitatem et perfectionem adsequendam per labores quotidianos. In adimplendo munera propria variis suis statibus vitae laici, impleti Spiritu Sancto et in unione cum Christo, cotidie crescunt in sanctitate, i. e. vivunt semper perfectius vita Dei. Hi laici ita participant in missione Christi consecrandi mundum ad Deum Patrem. Omnes christifideles vocantur ad missionem regalem, propheticam et sacerdotalem Filii Dei et non sanctificentur nisi respondeant voci Dei et suscipiant servitium in Ecclesia. In pascendo gregem, venerabiles Fratres, attendamus hanc doctrinam. Populus Dei recipit vitam a Deo sed obligatur respondere active in adimplendo missionem Christi. Non sufficit nobis offerre ministrationes sanctificantes, sed episcopi in sanctificando fideles debent invitare et elicere participationem laicorum in operibus apostolatus.

65

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Veritas centralis hoc Concilio proclamanda est Ecclesia. Liceat mihi — et quidem etiam nomine 79 episcoporum ex regionibus linguae Germanicae et Scandinaviae — sub hoc aspectu ecclesiologico eis, quae a quibusdam Patribus ad n. 31 laudabiliter iam dicta sunt, quasdam adhuc animadversiones addere.

1. Consilia evangelica non solummodo essentialiter connexa sunt cum statu *religiosorum,* sed constitutive pertinent ad ipsam Ecclesiam. Ipsa enim Ecclesia *virginali* foedere Christo coniuncta est, et in hoc eius mysterio participant omnes fideles. Ipsa Ecclesia *pauper* est in Spiritu; et in mysterio paupertatis eius participant omnes fideles. Ipsa Ecclesia *oboediens* est capiti suo et Domino, qui, formam servi accipiens, oboediens factus est usque ad mortem; et omnes fideles vocantur ad participationem huius oboedientiae. Necessarium est hanc veritatem in clara luce ponere, ne erronee iudicent fideles, consilia evangelica, inter quae virginitas, oboedientia et paupertas quasi summa omnium apparent, tantum ad religiosos spectare.

2. *Religiosi* tamen vocantur, ut speciali ratione et statu vitae suae, Deo plene dicatae, praestans aliquod exemplum sint et testimonium dent, et quidem *in* Ecclesia et *pro* Ecclesia tota. Hic aspectus ecclesiologicus consiliorum evangelicorum in doctrina traditionali non quidem ignoratur, sed non ita attenditur, sicut meretur et praesertim meretur in aliquo schemate de Ecclesia. Si haec veritas clarius elucescit, et fideles omnes et ipsi religiosi lo-

cum status religiosi specificum in Ecclesia et praestantiam eius melius agnoscunt. Ita vitatur falsa eorum isolatio in Ecclesia. Sua speciali condicione non tantum *distinguuntur* religiosi ab aliis fidelibus, sed simul eis etiam *coniunguntur*. Quod magni momenti etiam est ad solvendam quaestionem de vocationibus promovendis ad statum religiosum.

3. Hoc testimonium et exemplum maximi momenti est etiam *pro laicis*. Mira existit aliqua correspondentia inter illa bona, quibus religiosi suis votis renuntiant, et ea, quorum sanctificatione laici proprium in Ecclesia munus exercent: bona scilicet *coniugii et familiae*, bona *temporalis possessionis*, bona *libertatis socialis*. Vocantur, his bonis ita uti, ut simul appareat in hoc usu valor omnia transcendens *regni Dei*. Modus concretus huius testimonii non idem est in devotis et in laicis, idem autem Spiritus. Quapropter paupertatem, castitatem, oboedientiam, statui suo propriam, religiosi ita vivere debent, ut *lux* sint eis, qui possessione, coniugio, libertate sociali utuntur, et cum eis coniuncti lux sint *omnibus hominibus*, pauperibus et divitibus, coniugatis et solutis, liberis et ligatis.

4. Hoc testimonium est simul testimonium *libertatis spiritualis* eximium. Haec libertas enim aliquando desideratur apud religiosos et religiosas. Genuinus spiritus libertatis, qui consiliis evangelicis inest, eos iuvare potest et debet in superando omni formalismo et legalismo quoad observantiam regularum.

Quapropter propono:

1. Retineatur coniunctio, in hoc capite servata, inter sanctitatem omnium et religiosorum.

2. Evolvatur magis adhuc sensus ecclesiologicus consiliorum evangelicorum et ipsius status religiosi.

3. Omnia ita dicantur in hoc capite, ut si, quod nescimus, in hoc Concilio ad speciale schema de statu religioso non perveniemus, tunc saltem in hoc capite omnia elementa habeantur, quae necessaria sunt ad internam renovationem statuum religiosorum, qualem postulant tempora nostra.

Nomina Patrum conciliarium linguae Germanicae, qui interfuerunt Conventui die 14 m. octobris 1963 habito.

Exc.mi DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Aufderbeck, ep. aux. Fulden.; Baaken, ep. aux. Monasterien.; Archiep. Bengsch, ep. Berolinen.; van Bekkum, vic. ap. Rutengen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fulden.; Buchholz, praef. ap. Shihtsienen.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; card. Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Emanuel, ep. Spiren.; card. Frings, arch. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Gargitter, ep. Brixien.; Graber, ep. Ratisbonen.; Gran, ep. coad. Osloen.; Grimm, ep. Zinceuven.; Haene, ep. Guelen.; Hengsbach, ep. Essendien.; Hoeck, abb. praes. Congr. Bavaricae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Hofmann, ep. coad. Passavien.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Jäger, arch. Paderbornen.;

Janssen, ep. Hildesheien.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; card. König, arch. Vindobonen.; König, praef. ap. Shaovuen.; Kelleter, ep. Bethlehemn.; Kempf, ep. Limburgen.; Kemerer, ep. Posaden.; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Köstner, ep. Gurcen.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Leiprecht, ep. Rottenburgen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Mangers, ep. Osloen.; Nordhues, ep. aux. Paderbornen.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Przyklenk, ep. Januarien.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. Moguntia; Riha, abb. praes. Congr. Austriacae O.S.B.; Rohracher, arch. Salisburgen.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rusch, adm. ap. Oenipontanus; Rüth, vic. ap. Norvegiae Centralis; Schaffran, ep. aux. Vratislavien.; Schäufele, arch. Friburgen.; Schick, ep. aux. Fulden.; Schmidt, ep. aux. Treviren.; Schneider, arch. Bambergen.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schröffer, ep. Eystetten.; Sedlmeier, ep. aux. Rottenburgen.; Simons, ep. Indoren.; Splett, ep. Gedanen.; Spülbeck, ep. Missnen.; Schu, ep. Ienceuven.; Stangl, ep. Herbipolen.; Stein, ep. aux. Treviren.; von Streng, ep. Basileen. et Luganen.; Taylor, ep. Holmiae; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Weber, ep. Iceuven.; Wehr, ep. Treviren.; Weigl, ep. Ikelaën.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Wittler, ep. Osnabrugen.; Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zimmermann, ep aux. Augustan. Vindel.

66

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Cap. IV constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* sub titulo: *De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia,* placet mihi *iuxta modum.*

I. *Caput hoc placet quia*:

1. Clare et solemniter proclamat omnes et singulos christifideles, cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentes, vocatos esse ad christianam sanctitatem, quae in fide et in baptismate inchoata, gratuita excitante et adiuvante Dei gratia, in abundantes fructus excrescit, sicut Ecclesiae historia et vita sanctorum luculenter demonstrant (n. 29, linn. 26-31).

2. In hoc capite Sacrosancta Synodus enixe hortatur episcopos, sacerdotes utriusque cleri, inferioris ordinis ministros, coniuges, parentes et in genere omnes fideles ut in hoc arduo sanctitatis itinere magno animo progrediantur (n. 30).

3. Caput hoc placet quia multiforme istius sanctitatis christianae exercitium distinguit et media quaedam necessaria ad illam assequendam indicat (n. 31).

II. *Attamen, in capite hoc* inveniuntur defectus quidam, omissiones et exaggerationes propter quod caput hoc emendari, compleri et rectificari debet. Et ita quidem:

1. *Nimia datur disproportio* inter tractationem de mediis ad sanctificationem pro omnibus et tractationem de mediis ad sanctificationem pro religiosis, seu de consiliis evangelicis. In primo casu nempe tota expositio comprehendit 9 lineas, dum in secundo, ubi agitur de consiliis evangelicis, expositio horum mediorum sanctificationis christianae comprehendit fere 4 paginas.

Haec disproportio videtur eo minus iustificata, quod:

a) existit speciale schema *de statibus perfectionis acquirendae,* seu de consiliis evangelicis sequendis, constans ex 9 capitibus, sese extendens super 37 paginas.

b) Omnes Ordines religiosi, Congregationes, Societates et Instituta iam habent suas Regulas, Constitutiones et consuetudines, ubi omnia usque ad minimum determinata sunt ad practicam viam in perfectione christiana acquirenda sequendam.

c) Insuper, ut omnes scimus, existunt pro religiosis innumerae spirituales tractationes, meditationes, exercitia spiritualia, methodi pro examine conscientiae, practica consilia pro vita christiana quotidiana, ubi religiosi, viri et mulieres, simul cum luce et practica directione, stimulum vivum et excitamentum pro perfectione vitae suae christianae assequendae facile inveniunt.

Cum econtra, proh dolor!, cum confusione quadam debemus confiteri fere nihil huiusmodi haberi in Ecclesia pro sanctitate laicorum, istius maximae partis Corporis mystici Christi, seu pro viris, mulieribus et iuventute, ex omni ordine et conditione, ubi sanctitas christiana pro eis clare praesentaretur, concrete et practice illustraretur, debitis monitis et consiliis muniretur et ut forma vitae quotidianae pro illis instauraretur. Ubi, nempe tam operarius in excavationibus subterraneis pro carbonio extrahendo quam specialista physicus in laboratorio pro atomo desintegrando, tam mulier paupera per totum diem fructus in locis publicis nostrarum civitatum vendens quam mater familiae per diem et noctem de bono prolis suae cogitans, tam iuvenis qui passionibus devoratur quam puella quae a mundo derelicta sola in hoc saeculo vivit, possent invenire clarum lumen suae verae supernaturalis destinationis, media practica ad destinationem illam assequendam et exhortationem maternam Ecclesiae ad perfectionem suam christianam attingendam...

Unde, in lectione huius capitis, oritur firma impressio, quod *practice* sanctitas est pro clero et, speciali modo, pro religiosis, dum omnes alii christifideles possunt esse contenti quacumque forma vitae christianae, secundum principium hoc a rustico quodam prolato: Ego do pecuniam pro Ecclesia, et sacerdotes debent orare... Quam longe convictio haec tacita esset a verbo Domini: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48)? Et quam contraria convictio ista clericalis esset doctrinae S. Pauli, qui non cessat vocare omnes suos fideles ad sanctitatem, scribens e. g. christianis Ephesi, quod Dominus noster Iesus Christus « universos ad plenam perfectamque adoptionem filiorum elevat eosque benedictionibus

caelestibus replet, ut sint sancti et immaculati in conspectu Dei, in laudem gloriae gratiae suae (1, 3-6).

2. Caput hoc non placet eo, quod etiam illa media ad sanctitatem christifidelium, quae in n. 31, linn. 34 s. indicantur, nempe caritas Dei super omnia et operosa dilectio proximi, exprimuntur modo tam generali et forma tam abstracta ut practice fere nihil dicitur de hac viva et concreta sanctitate laicorum, virorum et mulierum, quae deberet renovare faciem terrae. S. Franciscus Salesius, e. g., una sententia, in libro suo: « Introduction à la vie dévote » (L. 1, c. 3) ubi scribit: « Ce serait une hérésie de vouloir banir la vie dévote de la compagnie des soldats, de la boutique des artisans, de la cour des princes, du ménage des gens mariés », multo magis de hac re dicit quam totum hoc caput.

3. Tandem caput hoc non placet et eo, quod viam sanctitatis christianae describit non modo scripturistico, seu per modum continuae orationis et vigilantiae, sicut saepe exhortabat ipse Dominus, dicendo: « Videte, vigilate et orate: nescitis enim quando tempus sit » (*Mc.* 13, 33-34; *Mt.* 24, 36; 25, 14), in expectatione hic in terris sacramentalis adventus Domini in sacra communione et ultimi eius adventus tempore parusiae, sed modo nimis scholastico, nempe per modum quasi separatorum actuum virtutum.

Ideo, quae cum ita sint, humiliter proponere auderem sequentia:

1. Post n. 30, pag. 19, inseratur tota nova paragraphus sub titulo: *De mediis ad sanctitatem pro omnibus christifidelibus extra statum consiliorum evangelicorum,* ubi clare, distincte et modo accommodato mentalitati hominis hodierni describeretur imago viva et concreta sanctitatis christianae pro laicis in mundo viventibus, in lumine Scripturae Sacrae, traditionis, vitae sanctorum, cum applicatione practica pro societate hodierna.

2. In paragrapho quadam sequenti, *enixe hortari deberent theologi, scriptores spirituales, institutiones editrices christianae, ut elaborent, conscribant* et publicent tractatus particulares de sanctitate laicorum, lectiones spirituales et meditationes asceticas pro variis statibus et professionibus, vitas sanctorum, praesertim laicorum, cum conclusionibus practicis et possibilitatibus realibus eiusdem sanctitatis pro omnibus christianis.

3. *In tertia* quadam paragrapho, *clare indicari deberet obligatio pro pastoribus animarum, praedicatoribus verbi divini, magistris scholarum,* omnibus christianis, proprio tempore et accommodato modo, incessanter in mentem revocare eos omnes et singulos, hic et nunc in suo statu actuali viventes, vocatos esse, ex singulari Dei amore et infinito eius beneplacito ad sanctitatem et caelestem dignitatem filiorum Dei...

67

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Hoc Concilium *finem pastoralem* habet. His verbis *significatur* studium applicandi immutabiles thesauros revelationis, variis necessitatibus cuiuscumque temporis. Non nova, sed noviter: hoc est secretum quo Ecclesia continuo iuvenescit. Hanc continuam renovationem placuit nostris temporibus significari verbo *adaptationis;* quod verbum ultimi Summi Pontifices libenter acceperunt et eius legitimum sensum explanaverunt.

Schema quod in cap. IV commissio conciliaris laudabiliter elaboravit, et quod Patres omni studio perficere conamur, nihil aliud intendit nisi, *modo adaptato* exigentiis huius temporis, doctrinam ab Ecclesia receptam *de universali vocatione ad sanctitatem* exponere.

Sed re vera *cap. IV,* quod tanta certe continet omni laude digna, aliqua tamen omittit, quae, nostro quidem iudicio, valde utilia essent. Nonne enim aliquid *amplius quam doctrinam generalem* de vocatione ad sanctitatem mundus hodiernus a Concilio desiderat? Nonne oporteret etiam *investigare modum* quo haec doctrina hominibus efficacius adaptari posset?

Modus, mea quidem sententia, hic esset: ut *totum sanctitatis aedificium* (scil., vita christiana) *exstruatur et surgat super lapidem angularem a Deo positum,* hoc est, *super attrahentem et incitantem personam Christi.*

Ita sanctitas (seu vita christiana « authentica », ut dicitur) non exhiberetur hominibus tamquam « *aliquid* », sed tamquam « *Aliquis* » non ut ens abstractum, sed concretum, id est Christus, Homo verus et verus Deus, qui sine haesitatione affirmavit: « Omnia traham ad me ipsum » (*Io.* 12, 32); et de quo etiam S. Paulus dixit nos praedestinatos esse « conformes fieri imagini eius (*Rom.* 8, 29), qui est imago Dei invisibilis » (*Col.* 1, 15).

Sic sanctitas exhiberetur fundamentaliter ut conceptus seu notio *positiva* (Christum cognoscere, sequi, imitari: « Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te... et quem misisti Iesum Christum »: *Io.* 17, 3); exhiberetur item non ut aliquid pessimisticum, sed *optimisticum* (etiam in laboribus, tentationibus et persecutionibus) nam in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, et omnia possumus in eo qui nos confortat. Erit denique conceptus vere *oecumenicus,* quia omnes bene perspicerent Ecclesiam nihil aliud esse quam Christus praesens et vivens in christianis et in visibili societate ab ipso, propter amorem hominum, fundata.

Animadvertere debeo me doctrinam expositam in Encyclica *Mystici Corporis* de pietate « christocentrica » et de sic dicto « moralismo » agnoscere, eique toto corde adhaerere.

1. Summus Pontifex *Paulus VI* hanc *viam indicavit* in Allocutione ad inchoandam secundam sessionem Concilii. Interrogans enim quodnam esset

itineris nostri initium, quaenam via, quinam Concilii fines, hanc unam responsionem dabat: *Christum*; Christum scilicet initium, Christum ducem, Christum denique spem nostram, nostrumque finem. Et prosequebatur: « Utinam hoc Concilium Oecumenicum vinculum illud plane perspectum habeat... quo nos cum Iesu Christo coniungimur; quo haec vivens et sancta Ecclesia... copulatur cum Christo... Non alio lumine hic consessus noster fulgeat, nisi Christo, qui est lux mundi ».

2. Quod Paulus VI optabat in textu allato, id solide *innititur in divina revelatione*. Etenim, si Scripturam consulimus, *christianum esse* (i. e. sanctum) nihil aliud est nisi Christo incorporari et vitam Christi vivere, nam ipse Christus vivit in nobis (*Gal.* 2, 20), et est vita nostra (*Col.* 3, 4). *Perfectio et sanctificatio* (certe per sacramenta, observantiam mandatorum et exercitium virtutis) est « crescere in Christo » (*Eph.* 4, 15; *1 Pt.* 2, 2) et communicari Christi passionibus, eius morti et resurrectioni (*Rom.* 6, 5-6; *Col.* 3, 1; etc.); *vita sacramentalis* actionem Christi usque ad nos continuat per Ecclesiam; *caritas* erga Deum primario est unio cum Christo et fervens adhaesio ad Personam Christi Mediatoris et Salvatoris; *apostolatus* denique nihil aliud est nisi labor indefessus pro regno Christi, ut ipse cognoscatur, ametur et ab hominibus quaeratur.

Sic *S. Paulus* vehementer cupit ut formetur Christus in nobis, et induamur Iesum Christum (*Gal.* 4, 19; *Rom.* 13, 14), et sublimem vitae christianae apicem his verbis exprimit « Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

3. Quod Summus Pontifex optabat, quod revelatio divina nos docet, hoc ipsum mirabiliter *conformatur hodiernis scientiis psychologicis* et optimis *experientiis pastoralibus*.

a) Illae quae vocantur *philosophia et paedagogia « valorum »*, valorem supremum, perfectum et absolutum solummodo in persona Christi invenerunt.

b) *Theologia hodierna,* quae non vult tantum esse theologia mentis, sed etiam cordis, maiores de die in diem thesauros invenit, cum investigat doctrinam de Corpore mystico et de mysterio Christi; et ita theologia facile fit vita, manifestatio vitae et norma vivendi.

c) Idem dicendum de *theologia ascetica,* quae fovet vehemens desiderium tot animarum, quae hodie cupiunt pietatem et vitam interiorem firmissimo veritatis dogmaticae fundamento stabilito, post diuturnam et foecundam experientiam, eo devenit, ut agnoscat principalem veritatem et fulcimentum validissimum omnis pietatis nihil aliud esse quam se cum Christo coniungi, ita ut Christus sit norma et principium et finis totius ascetici laboris. « Viam mandatorum cucurri cum dilatasti cor meum » (*Ps.* 118, 32).

d) *Theologia pastoralis,* personam Christi et mysterium Christi quasi nucleum doctrinae primarium sumens, conceptus seu notiones Ecclesiae, hierarchiae, sacramentorum, moralitatis et sacrificii sub nova luce positiva exhibet.

e) Liceat hic mihi humiliter addere: non loquor, venerabiles Patres, de idealistico somnio, sed de his quae non solum scientia sed potius *experientia pastoralis* docet. Multi ex vobis experti estis, sicut et ego, efficacitatem cuiusdam methodi apostolatus laicalis, quae hispanice « Cursillos de Cristiandad » vocatur. Multi alii non pauca audierunt, et interrogant ubi reponendum sit secretum huius efficacitatis, qua talia patrat. Secretum certe principale seu ratio fundamentalis haec est: praedicatio christologica, qua oculis hominum, novo modo, Christus lucide proponitur. Hinc in primis evenit ut millia et millia virorum et mulierum Christo adhaerere cupiant, eum alacriter sectentur atque intimius cognoscere exoptent, et amore Christi compulsi, societatem in qua vivunt instaurare in Christo satagant.

Haec *experientia pastoralis optime illustrari potest* his verbis, a scientifico quodam scriptis, postquam ope huius praedicationis, Christum feliciter agnoverit: « Postquam optimos annos vitae meae consumpserim..., quaerens hominem quem sequerer ducem, quin invenerim; quaerens saltem humanum vitae exemplar, cui admirans adhaererem: sive monachum buddhistam sive stoicum romanum, sive urbanum " gentlemen " anglicum sive cultissimum rationalistam germanicum, sive artium gustatorem sive philanthropum; post tot calcatas vias, imago Christi tanto lumine splendet, tanta vi consurgit, ut non possim non clamare: eureka! ».

4. Haec tandem erat via, quam *primaevi christiani* sequebantur. Conscii enim erant Deum nobis dedisse Unigenitum Filium suum Iesum Christum, ut esset nostra sapientia, nostra sanctificatio, nostra redemptio (cf. *1 Cor.* 1, 30); noverant etiam mysterium absconditum a saeculis: Deum scil. in Christo nobis dedisse plenitudinem gratiae, ut omnia in eo haberemus. Ex hac doctrina vitam hauriebant. Hac de causa, eorum vita christiana erat pariter tam simplex et tam foecunda.

5. Inter dissertissima *Patrum testimonia,* unus audiatur S. Cyprianus, qui sic alloquebatur christianis: « Christum comitamur, Christum sequimur, Christum habemus itineris ducem... Ubi est Christus, erimus christiani, si Christum fuerimus imitati » (*De idol. vanitate,* c. 15).

Votum ergo sic humiliter propono: *a*) In principio cap. IV, describere oportet sanctitatem *sensu christocentrico* supradicto; *b*) modo convenienti proponatur *vita Christi* ut *vera vita* et *sanctitudo* Ecclesiae et membrorum eius, nam Deus elegit nos in Christo ut essemus sancti (cf. *Eph.* 1, 4).

68

EXC.MUS P. D. ROBERTUS HODAPP
Episcopus Belizensis

Sermo est de christianorum vocatione ad sanctitatem. In schemate factum huius vocationis ex verbis Christi « Estote perfecti... » (*Mt.* 5, 48) et ex mandato caritatis probatur. Exhinc, sine ullo quovis ulterioris elucidatio-

nis conamine statim « concluditur » *unam* « proinde » esse christianam sanctitatem; quo statuto statim adiunguntur longiores exhortationes ad activitatem apostolicam exercendam et fovendam.

Crisis. Ad haec sequentia dicenda occurrunt:

a) Nullo pacto apparet nexus quidam intrinsecus inter has formulationes haud probatas conclusiones et exhortationes ab una parte et generalem doctrinam dogmaticam de Ecclesia ab altera, dum tamen — uti obvium est — quaestio de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia funditus cum doctrina de Ecclesia, quae est Iesu Christi mysticum Corpus, cohaeret.

b) Nullo modo sanctitas christiana in schemate definitur et ne quidem modo descriptivo adumbratur.

c) Nullo pacto indicatur radix ultima ex qua tum unitas tum diversificationes sanctitatis christianae profluunt.

d) Nec ullum conamen fit indicandi fundamenta ultima caritatis christianae, qua scil. per Christum et cum Christo et in Christo Deum diligamus, proximos vero nostros inquantum sunt Christi et Dei.

e) Tandem non specificatur quonam sensu omnes christiani ad perfectionem vocentur.

Propositum. Ut ergo hisce defectibus remedium apponatur, recedendum est a conceptionibus extrinsecisticis et moralizantibus, et tota doctrina de vocatione ad sanctitatem exponenda est in luce doctrinae de Iesu Christi mystico Corpore, in quo *ontologice* ad Personam Christi unimur, hoc est sanctificamur, ut exhinc — eius Spiritu vivificati et membra eius viva effecti —, secundum mensuram gratiae et vocationem unicuique in Corpore mystico propriam, ad aedificationem huius venerandi Corporis concurramus et in Christo etiam ad invicem caritate christiana aduniamur.

Si vocatio nostra ad sanctitatem, hoc est ad unionem cum Christo et Deo, explicatur mediante fundamentali doctrina de Iesu Christi mystico Corpore, non tantum hoc capitulum harmonice inseri poterit in totam doctrinam conciliarem de Ecclesia, sed insimul tota quaestio sanctitatis christianae in luce omnium principiorum theologicorum exponi poterit: exprimi poterit sanctitatem consistere in unione ad Christum; quae, dum in terris versamur, conditionibus huius aevi subiecta est, donec perveniamus ad patriam ad plenitudinem vitae cum Christo et in Christo; quae fundamentaliter una est pro omnibus membris Christi et tamen unicuique personalis et individualis secundum locum et vocationem propriam in Corpore mystico; quae intrinseca est sed simul in mundo vivitur; quae personalis est et simul socialis; quae charismatica est et simul auctoritati et curae pastorali competentis auctoritatis Ecclesiae subiecta, etc. etc..

Breviter: si ita proceditur, expositio profunda, unitaria, systematica praeberi poterit loco illius collectionis propositionum saepe parum profundarum et vix inter se connexarum quibus schema in actuali sua forma componitur.

Huic interventui meo plene assentiunt eique subscribunt sequentes Patres conciliares: Mons. Henricus Véniat, Paulus Dalmais, Salvator Martinez Aguirre, Richardus Guilly, Ludovicus Manresa Formosa.

69

Rev.mus P. D. PAULUS IOSEPH HOFFER

Superior generalis S.M. (Marianistarum)

Variae definitiones vitae religiosae ultimis diebus nobis propositae sunt. Liceat et mihi alteram proponere quae, meo humili iudicio, in linea ontologica magis insita est et cum doctrina de sacerdotio regali fidelium et cum eius munere consecrandi mundum melius concordat. Mihi videtur talem definitionem vitae religiosae, sub angulo sacerdotii fidelium et consecrationis mundi elaboratam, fundamentalem differentiam inter vitam religiosorum et simplicium christianorum in clariorem lucem ponere.

Christianorum sanctum et regale sacerdotium, de quo tam fusius loquitur sanctus Petrus (*1 Pt.* 2, 5) in eo consistit ut gloriam Dei decantent omnes christiani « in offerendo spirituales hostias » mediante propria et totius mundi sanctificatione sicut et per usum facultatum propriarum bonorumque temporalium in conformitate cum Dei voluntate et secundum illud S. Pauli: « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite » (*1 Cor.,* 10, 31). Est enim obiectum regalis sacerdotii tota vita et activitas christiana in quantum constituit sacrificium spirituale, id est in quantum ordinatur ad Dei reverentiam (II-II, q. 81, a. 4 ad 1). Immo ipsa creatio recto usu sanctificatur et ad Deum convertitur. Nonne sanctus Paulus, verbis paulisper insolitis, asseruit quod si nunc tota creatio ingemiscit quia captiva est et subiecta vanitati propter peccatum, spem attamen habet reverti ad libertatem gloriae filiorum Dei? (*Rom.* 8, 19-22).

Attamen, modus duplex est sacrificandi Deo bona fundamentalia creationis, id est matrimonium, divitias et libertatem: usus scil. et renuntiatio. Primus est modus simplicium fidelium qui decantant gloriam Dei et sacrificium ei reddunt per rectum usum istorum trium bonorum. Utuntur etenim istis bonis non tamquam si fuissent finis in se, sed tamquam medium ad sanctitatem, dummodo eis utatur in spiritu abnegationis. « Qui utuntur hoc mundo, dicit Apostolus, tamquam non utantur » (*1 Cor.,* 7, 31). Christiani semper prompti esse deberent renuntiandi istis bonis quandocumque periculum fiunt caritati. Sic agendo, christiani sal terrae, sicut dixit magister, in hoc mundo fiunt.

Sed est et alia via consecrandi mundum et Deo offerendi tria ista bona, et haec est via religiosorum, nempe via liberae renuntiationis. Talis renuntiatio verum est holocaustum in odorem suavitatis. Haec erat significatio Veteris Testamenti sacrificiorum. Religiosi in perpetuo renuntiant usui libero fundamentalium bonorum huius mundi, matrimonii scilicet, propriorum bo-

norum fortunae, personalisque libertatis. Sic faciendo, certe non intendunt exemplum mere asceticum antiquorum stoicorum sequi, neque manifestare quemdam contemptum buddhisticum erga bona creationis, quod vanum esset et non absque periculo; sed hanc viam eligunt, ut suasit ipse Christus, « propter regnum caelorum ». Immolando Creatori meliora bona ab eo ipso recepta, significare amorem suum intendunt. Quapropter non errant qui verum holocaustum vocant ipsa vota religiosorum. Holocaustum est, dixit sanctus Gregorius, « cum aliquis totum quod habet offert Deo » (cf. II, II, 186, 7*c*). Talis oblatio et renuntiatio eminenter proclamat valorem istorum bonorum et immensam bonitatem Dei qui illa nobis donavit. Religiosus qui bona ista Deo vovit, illa digna esse iudicat ut offerantur Deo cui tantum meliora quaeque dicari possunt.

Recte ergo dicitur, vitam religiosam profundam transmutationem operare, quia trahit religiosum ex normalibus conditionibus vitae humanae in sphaeram superiorem. Dum simplex christianus Deum glorificat in recto usu matrimonii, libertatis et divitiarum, religiosus renunciando istis valoribus Deo gratias agit, eius gloriam cantat et promptior fit ad laborem apostolatus persequendum. Vota quibus oblatio sua sancitur, stabilitatem et solemnitatem quamdam proposito suo addunt.

Praeterea, hac triplici renunciatione votorum, religiosus omnibus hominibus manifestat propriam fidem, spem et caritatem erga Deum, ut unum necessarium qui possit repleri superabundanter quidquid homini deesse videtur propter istam renuntiationem. Vita igitur religiosorum, quasi super candelabrum erecta, constans est proclamatio divinae transcendentiae et anticipationis cuiusdam, ut dictum est in nostro schemate, vitae aeternae in caelo, ubi sancti vivunt sicut angeli, ubi « neque nubent, neque nubentur » (*Mt.* 22, 30), ubi divitiae inutiles factae sunt quia Deus fit sufficientia nostra et ubi omnibus erit suprema libertas amandi Deum.

Vita religiosa, si authentice vivitur, omnibus christianis in mundo degentibus, in testimonium datur, testimonium certe magni momenti cum ista renuntiatio sit omnibus christianis necessaria in certis circumstantiis ad servandam caritatem aut amicitiam cum Deo. Haud raro enim, fidelibus christianis, variis rationibus, imponitur continentia periodica in matrimonio, aut aliqua libertatis restrictio, aut adversa fortuna in qua acceptatio paupertatis et spes in Providentia unicum fiunt remedium.

Quapropter proponere auderem ut in fine articuli trigesimi primi quarti capituli, ubi asseritur quod religiosi, sicut et simplices christiani, ad eamdem tendere debent caritatis perfectionem, canendo tamen, modo sibi cuique proprio, Dei gloriam, addatur quod illa duo genera fidelium populi Dei mundi consecrationem promovere debent, simplices quidem christiani in usu fundamentalium valorum huius mundi, matrimonii scilicet, divitiarum et propriae libertatis secundum intentionem quam Deus creando habuit, religiosi autem renuntiando his omnibus « propter regnum caelorum » et Creatori sua sponte sacrificando meliora eorum omnium quae creavit.

70

REV.MUS P. D. ROLANDUS HUOT
Superior generalis S.S.S.

Opportunum, immo omnino necessarium videtur tractare de consiliis evangelicis in constitutione *de Ecclesia.* Sicuti omnia quae in Evangelio continentur, haec consilia intime iunguntur cum vocatione ad sanctitatem. Quae particularis connexio cum sanctitate iam ab initio Ecclesiae, et semper in decursu saeculorum, inventa est in tribus consiliis paupertatis, perfectae castitatis et oboedientiae. Propter suam naturam et efficaciam, haec consilia semper agnita sunt fundamentum et germen status perfectionis acquirendae.

Aliquas animadversiones censemus faciendas esse circa modum de consiliis agendi in schemate.

Multo melius esset, ut mihi videtur, *primo, in recto* et etiam fusius agere de istis tribus consiliis evangelicis pro illis qui, ratione status, perfectionem per ipsa adipisci conantur. Consilia paupertatis, castitatis et oboedientiae proponi et explicari debent eo praeciso modo quo a religiosis et ab Ecclesia intellecta sunt et in praxim deducta; nempe non tantum ut media quaedam sanctificationis quae ab omnibus adhiberi possunt; sed potius tamquam elementa essentialia quae inveniuntur in forma speciali vitae perfectionis in Ecclesia.

Praefata consilia propter universalem extensionem in obiecto intento et consequentem efficaciam in opere sanctificationis, quamdam consecrationem personae continent, vel melius, ipsam baptismalem consecrationem magis extendunt seu perficiunt, et ita ad vitae christianae perfectionem maximum auxilium praestant.

Haec consecratio et adhaesio mysterio Christi, quae votis innituntur, ita ordinantur ab Ecclesia, quae a Christo mater et magistra sanctitatis constituta est, ut praeter personalem, etiam socialem sanctitatem exprimant et servitium ad aedificationem Ecclesiae praestent. Quod fit et per singulos religiosos et per ipsam communitatem cui sodales adscribuntur, prout plenitudo imitationis Christi mysterii suggerere videtur. Haec omnia cum contento trium consiliorum de quibus agitur nexum habent.

Ideo, cum agitur de hac stabili forma vivendi consilia evangelica, quae status perfectionis acquirendae vocatur, sub lumine theologiae ponenda sunt in lucem etiam alia elementa quibus exprimitur totalis adhaesio mysterio Christi in sua Ecclesia perenniter extanti et operanti. Commorandum est in specialem vim et characterem quae consilia evangelica suppeditant.

Deinde, quasi in obliquo, agi posset de illis qui modo privato haec tria consilia vel aliqua ex illis profitentur.

71

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S. I.

Nomine rev.mi P. Ioannis B. Janssens, praepositi generalis Societatis Iesu infirmitate oculorum impediti, textum ab ipso paratum legam, plene eidem assentiens, simul cum 48 episcopis et 7 generalibus Ordinum et Congregationum qui in Concilio partem habent.

In cap. IV schematis *de Ecclesia* recte et laudabiliter dicitur omnes christianos ad sanctitatem vocari.

Emphatica autem assertio omnes christianos ad *unam* sanctitatem vocari ulteriore explicatione necessario indiget.

Utique sanctitas christiana *una* est, inquantum nempe consistit in unius eiusdemque vitae Christi participatione; non tamen quod omnes fideles ad numerice vel specifice eandem participationem in vita Christi vocarentur. Unusquisque enim secundum mensuram donationis Christi ad sanctitatem in Ecclesia vocatur.

Status enim religiosus, qua status, sodales suos ad sanctitatem conducit specifice novam et perfectiorem, quae ex effectiva et plena consiliorum evangelicorum observantia profluit prout, verbis Christi et Apostolorum innixa, millennaria Ecclesiae traditio, unanimis Doctorum theologorum consensio et magisterium supremum clarissime docent.

Haud ergo insinuare licet statuum differentiam, quod ad sanctitatem et sanctificationis efficaciam attinet, nonnisi in mediorum sanctificationis diversitate consistere.

Cuius doctrinae authenticae radix theologica in eo est quod status religiosi sodales vocantur ut Christo et Deo amore indiviso adhaereant eique in Ecclesia se totos dedicent. Esto ergo quod omnes christiani paupertatem, castitatem et oboedientiam in praxim reducere debent: verum tamen manet totalem inconditionatam, votis firmatam donationem sui Christo in Ecclesia factam ad stabilem et intimiorem unionem cum Christo paupere, virginali et oboediente conducere, et homines arctiore modo adsociare ad opus redemptoris qui per paupertatem, virginitatem et oboedientiam usque ad crucem redimere nos et sanctificare voluit.

Haec autem sui ipsius consecratio Christo facta in Ecclesia fit et pro Ecclesia, ut nempe in ipsa et pro ipsa adimpleantur ea quae adhuc desunt passionibus Christi.

Qua in re tria adhuc in specie animadvertere liceat:

1. Quod status religiosi *momentum ecclesiologicum* haud adaequate describitur si ad Religiosorum apostolatum externum fere unice attenditur. Omnibus autem qui oculis fidei humanitatis historiam contemplari valent apprime notum est, quam magnos et vitales impulsus illi viri et mulieres

suscitaverint et suscitent qui in abscondito vitae orationis et paenitentiae vacant. Nec minus liquet opera Benedicti, Dominici, Francisci, Theresiae et Ignatii, ut aliquos tantum nominem, ab eorundem vita religiosa separari haud posse, sed e contra ex eadem unice provenisse.

2. Status religiosi *valor ecclesiologicus* in schemate ex eo etiam deprimitur quod asseratur *imprimis* esse valor signi (*Commentarius,* ad 33, pag. 30). Utique, status religiosus etiam valorem signi et testimonii habet, tamen hic valor haudquaquam principalis vel unicus est. Nam status religiosus non ideo valorem habet, quia signum est, sed ideo signum est, quia valorem habet, valorem nempe sanctificativum et redemptivum.

3. Tandem status religiosi *locus in Ecclesia* inepto modo in schemate describitur. Ubi enim de variis statibus in Ecclesia est sermo, modo nimium exclusivistico ad solam structuram hierarchicam Ecclesiae attenditur, ex qua nempe divisio in status hierarchiae et laicorum resultat. Sed structura Ecclesiae hierarchica non est unica quae ex Divini Fundatoris voluntate in Ecclesia habetur. Utique in Sacris Litteris non disertis verbis de statu religioso eo sensu agitur quo eum canonice ordinatum hodie novimus. Sed ea quae in Sacris Litteris circa consilia evangelica proferuntur, profectu non casu fortuito et absque Divinae Providentiae dispositione ad actualem vitae religiosae formam pervenerunt, sicut ceteroquin etiam de quibusdam formis gubernii hierarchici dicendum est.

Iamvero, omnium harum considerationum essentialium neglectus et variarum quaestionum inordinata permixtio schema valde incompletum et deficiens reddit. Propterea fundamentales mutationes tum quoad compositionem tum quoad doctrinae expositionem postulamus. Etenim:

1. Haec dogmatica constitutio *de Ecclesia* plenam ac integram fidei veritatem et totam Ecclesiae pulchritudinem et fertilitatem mundo manifestare debet.

2. Recte in schemate extollitur momentum hierarchiae et laicatus; ne autem impressio detur Ecclesiam hodiernam vitam religiosam non iam magni facere. Hoc enim non tantum mille millibus religiosis gravamen esset, sed etiam vocationes futuras in serium discrimen adduceret, cum ingenti damno Ecclesiae universalis ac tot missionum et dioecesium quae iuvamen religiosorum tam insistenter hodie plus umquam antea sollicitant.

3. Videmus hodie in variis fratrum separatorum coetibus communitates religiosas fundari ac magni fieri. Illis quoque causa mirationis esset, si in hoc documento conciliari vitae religiosae essentia ac valor inepte describerentur.

4. In hac constitutione dogmatica iaciuntur fundamenta pro futuris decretis disciplinaribus in quibus de rationibus inter episcopos et religiosos erit sermo. Si haec fundamenta incompleta remanebunt, pleni fructus ex his futuris Concilii laboribus sperari vix poterunt.

In specie autem ex prorsus unilaterali emphasi in religiosorum apostolatu exteriore praevidendum est serium periculum exoriturum esse, ne illa

vitae religiosae integritas servari possit quae tamen omnis apostolatus exterioris est anima, radix ac fundamentum.

Nos utique quam maxime parati sumus ad collaborationem cum episcopis et ad debitam sub ipsis subordinationem.

Persuasum autem nobis est hac in re rationem habendam esse magnorum beneficiorum quae pro tot operibus Ecclesiae, missionum in primis, ex sana religiosorum disponibilitate ad nutum Romani Pontificis promanaverunt, tum etiam absolutae necessitatis ut superiores religiosi, ad maius totius Ecclesiae bonum, subditos suos secundum Constitutiones et spiritualitatem Instituti proprii dirigere ac unitatem vitae interioris et apostolatus exterioris tutari ac promovere valeant.

[*Subscripserunt*:] *arch.* Pius Kerketta, Jean Pierre Léonard, Ferdinand Perier, Xavier Thoyer, Victor Sartre, Adam Kozłowiecki, Paul Dalmais, Luis Del Rosario, Adrian Djajasepoetra, William Markall, Gilbert Ramanantoanina, Federico Melendro, Abel Antezana; *epp.* Thomas R. Agniswami, Aldo M. Patroni, Edwin Pinto, Oscar Sevrin, Leo Tigga, Lawrence T. Picachy, Bernardo Arango, Richard L. Guilly, Robert L. Hodapp, Angel M. Ocampo, Pierre Bouckaert, André Lefebvre, Léopold Brellinger, Alfons Verwimp, Benigno Chiriboga, Alonso Silveira de Mello, Antonio de Hornedo, James Corboy, Philippe Côté, Nicola M. Laudadio, Eugène Fahy, Vincent Kennally, Henry Véniat, Francis Gleeson, Ignace Glennie, Ioseph Guffens, Luis Manresa Formosa, Salvador Martinez Aguirre, John J. McEleney, Augustinus F. Wildermuth, Georges Xenopulos, Arturo Tabera Araoz, Pedro Grau y Arola, Jesus Serrano Pastor, Francisco Gobez Marijuan; *Sup. gen.* P. Anastasio del Ss.mo Rosario, O.C.D., P. Cornelius Heiligers, Montfortanus, P. Petrus Schweiger, Claretianus, P. Omer Degrijse, Miss. Scheut., P. Rolandus Huot, Sac. Ss.mi Sacramenti, P. Guilelmus van Hees, O.S.Cr., P. Vilfridus Dufault, A.A.

72

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

In pag. 22, n. 34, dedicantur 14 lineae *exemptioni* religiosorum. Sane, conveniens videtur ut de hac quaestione *aliquid* dicatur, quando sermo fit de statibus perfectionis, qui non tantum *in* Ecclesia existunt, sed etiam *ipsi* Ecclesiae pertinent.

Attamen *modus* adhibitus non videtur probandus. Rationes sunt sequentes: *a*) verba schematis sensum *iuridicum* fere exclusive continent; *b*) reverentia et oboedientia erga episcopum dioecesanum exhibentur debitae ad modum simplicis exhortationis; *c*) desunt rationes theologicae, quae lucem necessariam afferre valeant pro consectariis iuridicis, quae inde deducuntur et in alio schemate discutienda proponentur.

Iamvero, natura theologica huius constitutionis dogmaticae necnon doc-

trina quae in prioribus capitibus explicatur, clare postulant ut illa principia theologica exponantur in schemate, quae exemptionem religiosorum illuminant.

Principia autem sunt haec, *attenta constitutione dogmatica Ecclesiae.*

Primum principium. Status perfectionis mysterium sanctitatis et catholicitatis Ecclesiae manifestant.

Hoc constat: *a*) *ex ipsa vocatione religiosa*: haec enim nonnisi in Ecclesia perficitur; immo et oblatio definitiva, religiosorum propria, rationem adaequatam invenit in fidelitate Dei, quae in mysterio Ecclesiae revelatur.

b) *Ex fine*: proposita enim, quae in contemplatione et actione vitae religiosae assequi debent, sunt — iuxta verba Pii XII — « christiana perfectio et humani generis comparanda salus » (Alloc. 8 dec. 1950, *A.A.S.*, 43, 1951, pp. 26-36).

c) *Ex facto existentiae religionum in Ecclesia,* Spiritus Sancti ductu: huiusmodi pluralitas ac varietas pertinent ad perfectionem, ad dignitatem et ad pulchritudinem Ecclesiae universalis.

Consequenter: *a*) quodlibet institutum religiosum *universalitatem* habet *in se,* vel de facto, vel saltem *radicaliter*; quia de activa catholicitate Ecclesiae participat et eius membra absoluta disponibilitate ad totius mundi comparandam salutem destinantur.

b) *Definitiva* hierarchica approbatio quae, etsi non antecedat, utique tamen sequi debet momentum charismaticum fundationis, procedere debet a suprema auctoritate magisteriali in Ecclesia. Immo et huiusmodi approbatio definitiva constituit *factum dogmaticum,* quod secumfert exercitium *infallibilitatis* et quidem — iuxta verba Suarezii, referentis doctrinam certam atque tenendam — « quoad iudicium de honestate et sufficientia talis modi vivendi ut sit status perfectionis acquirendae ».

Hac de causa, Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia* asserit arctam et intrinsecam relationem existere « inter historiam sanctitatis Ecclesiae et apostolatus catholici », ex una parte, et « historiam fastaque vitae religiosae canonicae », ex altera.

Ergo, prima conclusio: *Religiosorum est mysterium Ecclesiae universalis maxima perfectione vivere.*

Secundum principium. Statuum perfectionis communitates seu centra, nonnisi in Ecclesia particulari fines perfectionis et apostolatus de facto prosequuntur.

Hoc constat: *a*) *ex ipsa historia institutorum religiosorum*: prima enim vocatio, primi vitae perfectionis passus, prima approbatio hierarchica, limites et activitatem ecclesiae particularis non transcendunt, ita ut religio veluti eius florem praeclarissimam constituat.

b) *Ex facto existentiae communitatum in loco determinato,* in quo munera propria, sanctificationis scil. et apostolatus, religiosi consequi conantur: in hoc autem loco adsunt et populus Dei in concreto, et episcopus qui illum, iure divino, pascit et regit.

c) Ex ipsa natura ecclesiae particularis, quae praesentiam Ecclesiae universalis in loco determinato quoad populum determinatum significat: hoc sane modo Ecclesia particularis verum mysterium constituit quod, peculiari quadam ratione, Ecclesiam Christi in loco concreto reddit visibilem, filios Dei congregans in circuitu mensae eucharisticae, praesente ac ducente episcopo.

Hac de causa, S. Ignatius M. scribebat: « rogans vos, ut instetis uni fidei, uni praedicationi, una gratiarum actione utentes. Una est enim caro Domini Iesu et unus eius sanguis, qui pro nobis effusus est, unus etiam panis pro omnibus confractus et unus calix totius Ecclesiae et unus episcopus simul cum omni presbyterio et diaconis conservis meis » (*Ad Philad.* 4, 1).

Ergo, secunda conclusio: *Religiosi, praecise quia mysterium Ecclesiae universalis vivunt, etiam mysterium ecclesiae particularis, eadem perfectione, penetrare debent.*

Iamvero, sub hac luce, ponderanda sunt sequentia verba Pii XII: « haud dubie, ad iuris divini praescriptum, sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut episcopo auxiliator adsit et subsit » (*alloc. cit.*); « sacris utriusque cleri administris potissimum esto, itemque religiosis utriusque sexus sodalibus, studiosam, sollertem, concordem atque invicem adiutricem operam navare, ita quidem ut quae praecipiuntur ab episcopo, ea omnia, iuvante Deo, ad effectum feliciter deducere enitantur » (Ep. ad card. Valeri, 20 sept. 1956, *A.A.S.*, 48, 1956, pp. 662-665).

Tertium principium. Religiosorum exemptio, quae in certis materiis necessaria est, quaestionem constituit iuridicam et adiectivam.

Revera: *a*) exemptio, *natura sua,* exercitium potestatis supremae in Ecclesia exigit. Ratio est quia, vi exemptionis, religiosae familiae, in certis materiis a iure determinatis, ab episcoporum potestate exeunt.

b) exemptio requiritur ab institutorum religiosorum *universalitate,* propter ea quae ipsum statum perfectionis sese referunt. Sane, Leo XIII privilegium hoc vindicavit propter sequentes rationes: ut « melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa »; ut « sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur » et denique ut « esset incremento et perfectioni religiosae conversationis » (Const. Ap. *Romanos Pontifices* 8 maii 1881: *Acta Leonis XIII,* v. 2, pp. 234 ss.).

c) exemptio supponit et *includit pro religiosis peculiarem integrationem in ecclesia particulari*; quia, iuxta verba Leonis XIII, sic « exemptionis temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati, sive ordinariae sive delegatae » (*l. c.*).

Ergo, ultima conclusio: *Textus schematis n. 34 cap. IV ita componatur, ut exemptionis affirmatio sub luce appareat principii theologici quod, sive ex mysterio Ecclesiae universalis, sive ex mysterio ecclesiae particularis, derivatur. Ulteriores autem determinationes — utpote iuridicae — ad alium locum remittantur.*

73

REV.MUS P. D. SIGHARDUS KLEINER
Abbas generalis S. Ord. Cist.

Non intendimus denegare valorem argumentis prolatis circa utilitatem tractandi sub uno titulo de vocatione ad sanctitatem et clericorum et laicorum et religiosorum. Sed quaestio, meo iudicio, non est, utrum de vocatione ad sanctitatem religiosorum agendum sit insimul cum vocatione ad sanctitatem omnium aliorum, quaestio potius est, utrum de religiosis agendum sit sub titulo de vocatione ad sanctitatem, et utrum hoc fieri possit apte in capitulo quod ereptum ex suo loco naturali, quem exc.mus D. Compagnone egregie monstravit, in loco nunc ei assignato praebet potius aspectum tractatus theologiae asceticae, per modum appendicis.

In sequentibus probare optamus duo:

1. Modus praesentandi quaestionem de consiliis evangelicis in hoc capite omnino insufficiens est et nimis restrictivus.

2. De statu religioso in nostro schemate aptius, modo magis concreto et proprie agendum est.

Ad 1. Functio in Ecclesia divinitus assignata consiliis evangelicis in cap. IV modo incompleto describitur. Quod elucet ex sequenti ratione:

a) Dominus noster Iesus Christus continentiam virginalem commendavit « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12). Simile quid potest dici de consilio paupertatis. Iamvero verba « propter regnum caelorum » designant *totam* latitudinem missionis Ecclesiae, dum sanctitas unam tantum dimensionem comprehendit. Continentia virginalis suscipitur non tantum ad sanctitatem securius adipiscendam et in Ecclesia significandam, sed ut homo possit esse indivisus et cogitare quae Domini sunt. Nihil quod ad regnum caelorum in terris promovendum inservit, alienum est ab eo, qui consilia evangelica sectatur. Quod elucet abunde religiosorum operibus quae tendunt ad id, ut regnum Dei in terris sit unum, catholicum, salutiferum, caritatem operans etc.

Unde consilia apparere debent non tantum ut media ad sanctitatem, sed ut media ad regnum caelorum quocumque modo promovendum. Ex eadem ratione elucet quaestionem de consiliis evangelicis non posse subsumi sub titulo restrictivo de vocatione ad sanctitatem.

b) Christus Dominus per sua verba et exempla ad vitam consiliorum, praecipue ad continentiam virginalem invitans, verum et stabilem *statum vitae,* in sensu saltem individuali, innuit, monstravit et fundavit.

Hic status Ecclesiae datus est « propter regnum caelorum » ab ipso suo Conditore.

Unde de hoc statu qua tali sermo esse debet in schemate de Ecclesia, non obstante facto quod status consiliorum non est eiusdem rationis ac status hierarchicus, vel laicus, nec contra eos dividitur. Agitur enim de vero statu in Ecclesia.

Hinc necessarium apparet, ut in schemate habeatur caput distinctum de hoc statu Ecclesiae agens, et quidem secundum totam suam dimensionem.

Ad 2. De statu religioso in schemate modo magis concreto et proprio agendum est. Quod e variis considerationibus patet:

a) Ecclesia in schemate, iuxta verba Summi Pontificis feliciter regnantis nuper prolata, optat tandem de se ipsa dare notionem plenam. Iamvero status religiosus est phaenomenon quod saltem partim intrat constitutionem theologicam Ecclesiae. Status quidem religiosus in sua forma canonica non est de iure divino, sed tamen in sua substantia spirituali originem ducit ex afflatu divino. In eo elementa divinitus data, scilicet consilia evangelica, cum aliis ex institutione ecclesiastica provenientibus ita coalescunt, ut existentialiter et vitaliter inter se intime cohaerent. Etsi consilia evangelica theologice possunt considerari in seipsis, seiunctim a statu religioso, concrete tamen in statu religioso, ut statu sociali sumpto, plerumque actuantur. Unde et status religiosus in concreta sua actuatione non potest dici phaenomenon mere ecclesiasticum.

b) Nobis videtur urgere, ut de religiosis modo proprio et exhaustivo, etsi theologice, in hoc schemate agatur. Quamvis quae de eis in praesenti capite dicta sunt, perpulchra sunt, tamen ex fontibus veritatis alia magis concreta eis addi possunt et debent. Non tantum populus fidelis exspectat a Concilio verba vitae quae iuxta modum loquendi S. Scripturae cor hominis inflammant, sed etiam religiosorum multitudo a quorum fervore practico salus animarum magnopere dependet. Utique quae mere disciplinaria sunt, id est ad ordinem exsecutionis pertinent, hic locum invenire non possunt. Sed quaecumque aspectum theologicum praebent, hic dicantur, ne religiosi quasi ex toto in schema separatum relegati e nexu suo ecclesiologico nimis divellantur, et eorum quae ibi dicenda erunt, profundae radices theologicae et ecclesiologicae hic appareant.

c) Fundatores ex infinitis thesauris quos Dominus noster Ecclesiae suae concredidit, suum quisque receperunt speciale donum vel charisma quod in sua familia religiosa institutionalem obtinuit formam et hoc modo perseverat. Ecclesiae munera, adorandi divinam Maiestatem, praedicandi veritatem, praeliandi praelia Domini, evangelizandi pauperes, poenitentiae opera agendi ceteraque in singulis Institutis expressionem suam peculiarem, typicam et fortem, etsi non exclusivam, invenerunt, ita ut Ecclesiae facies in diversis Institutis religiosis diversimode fulget. Instituta sunt ipsa Ecclesia in eis iuxta particulare quoddam donum operans.

Quod Ecclesia palam agnovit et agnoscit. Haec alma Basilica Vaticana, quae est veluti imago Ecclesiae universalis, super Petrum aedificata est, et in fundamentis portat signa apostolorum. In suis columnis autem effigies apparent prophetarum et fundatorum. Nonne hoc modo locus fundatorum eorumque Institutorum in Ecclesia, gestu muto et tamen eloquentissimo illustratur. Idem explicat praesentiam in hac aula eorum qui, quantumvis indigni tanto honore, successores eorum statuti sunt.

d) Sed non tantum Ecclesiae vultus illucescit in diversitate Institutorum sicuti in spectro, sed Instituta religiosa eodem prorsus modo eodemque titulo sunt manifestationes vultus Salvatoris nostri qui in eis sua opera salvifica continuat, diversa in diversis. Quod in schemate optime dicitur, sed sine sufficienti applicatione ad Instituta ipsa.

Liceat mihi tria vota proferre, omissis tamen, propter angustiam temporis, argumentationibus, quas secretariae generali tradidi.

1 votum: Ut cap. IV, immo tota quaestio de modo praesentandi materiam capitis quarti, committatur, ad tenorem Ordinis Concilii, commissioni mixtae ex membris commissionum de fide et de religiosis compositae, et ita evitentur varia incongrua.

2 votum: Ut in schemate de Ecclesia agatur modo adaequato de religiosis. Neminem in hac alma aula latet momentum vitae religiosae et status religiosi, qui suas radices habet in verbis et exemplis Domini Nostri. Istud sal in Ecclesia evanescere non debet. Pertinet autem ad hanc sacram Synodum, ut verba vitae habeat pro religiosis necnon pro omnibus qui consilia evangelica sequuntur. Quae de eis in cap. IV, ut Concilio subiacet, dicuntur, perpulchra sunt, sed passim nimis generalia. Oportet, ut munus religiosorum in Ecclesia, eorum functio ecclesiologica secundum totam suam latitudinem, non tantum sub aspectu vocationis ad sanctitatem, appareat, et quidem in hoc schemate de Ecclesia. Ne religiosi sint relegati simpliciter in schema particulare et ita e suo nexu ecclesiologico avulsi. Necesse est, ut disciplinaria quae in illo schemate dicenda erunt, in schemate de Ecclesia habeant suas radices theologicas et ecclesiologicas. Renovatio Institutorum religiosorum non debet praebere aspectum mere disciplinarem, sine valido fundamento theologico, cum scopum suum plene non attingeret. Oportet ergo, ut hoc Concilium curet de religiosis modo adaequato et proprio. Religiosi non postulant, ut eorum lucerna ponatur super candelabrum, sed ut pure lucere possit, in humilitate et libertate, secundum spiritum Fundatoris.

Reservetur ergo caput integrum iis qui consilia evangelica sectantur, habita ratione omnium qui quocumque modo ad hanc viam vocati sunt. De vocatione universali ad sanctitatem fiat sermo in capite de populo Dei.

3 votum: Fundatores suum quisque donum vel charisma a Domino accepit quod in suo Instituto institutionalem obtinuit formam, et quo unum Institutum distinguitur ab alio. Hinc vox « religiosus », saltem sub aspectu existentiali, non est vox univoca. Confundere diversas religiosorum species in detrimentum vergit eorum, et in ultima analysi ipsius Ecclesiae. Radices harum varietatum quibus circumdata est Sponsa Christi, inveniuntur in mirabili thesauro quem Dominus Ecclesiae suae concredidit. Hoc innuatur oportet in capite, utpote tractante de fundamento theologico status consiliorum evangelicorum.

74

EXC.MUS P. D. ALEXANDER KOVÁCS

Episcopus Sabariensis

Concilii Oecumenici Vaticani II finem primarium pastoralem esse debere Summi Pontifices Ioannes XXIII f. rec. et Paulus VI feliciter regnans sollemniter affirmarunt. Hic finis et character pastoralis renovationem totius Ecclesiae intendit, nam — ut verbis Pii Papae XII occasione indictionis Anni Sancti dictis utar — « si umquam alias, hodie potissimum necesse est Evangelii veritate virtuteque reformare omnia » (*A.A.S.*, 41, 1949, pag. 258).

Unde haec Sacrosancta Synodus veritates evangelicas vitam regentes et transformantes homini hodierno ita annuntiet oportet, ut christifideles inter conditiones, relate ad alia tempora, prorsus novas existentes eas intelligere et in praxim deducere queant.

Sub hoc aspectu de cap. IV schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* debeo affirmare inibi rationem et respectum permagnae multitudini fidelium necnon conditionum, in quibus fere omnes eorum versantur, non sufficienter haberi.

In n. 29 schematis vocatio universalis ad sanctitatem nimis breviter et valde celeriter affirmatur, quae multo profundius et clarius tractari deberet. Non sufficit enim quaestionem absolvere cum unica citatione evangelica: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). Factum ipsum talis vocationis magis enucleandum et explicandum esset.

Dilucidandum esset dein fundamentum ontologicum sanctitatis, unio nempe stabilis animae cum Christo Iesu per gratiam sanctificantem, dum sermo explicite solum de gratia excitante et adiuvante fit. Experientiis enim pastoralibus multorum edoctus affirmo maiorem partem fidelium ignorare characterem in sacramentis baptismi et confirmationis obtentum vitam in statu gratiae sanctificantis ductam postulare, et quidem modo permanenti et non solummodo in quibusdam raris occasionibus.

In numero sequenti (30) deinde, in exhortatione, diversa genera vitae enumerantur quidem, tamen factum quod schema extollit episcopos ut in statu perfectionis acquisitae existentes et deinde praeprimis clerum alloquitur, fideles ad errorem ducere posset sanctitatem paucis privilegiatis reservatam esse, praesertim cum in parte de omnibus christifidelibus agente aspectus arduus sanctitatis statim satis inculcetur (lin. 25).

In n. 31 enumeratio mediorum ad sanctitatem consequendam prorsus insufficiens est.

Nam non sufficit in capite de mediis affirmare formam et finem sanctificationis esse amorem Dei et proximi, caritatem nempe « sacris et sacramentalibus actionibus et sedula... mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatione » auctam et deinde statim ad consilia evangelica transire. Minime

ignoro S. Thomam docere consilia pertinere ad *bene esse* virtutis perfectae (*Summa Theol.,* I-II, q. 100, a. 2), tamen affirmo prius de mediis omnibus communibus et accessibilibus loquendum esse et deinde (potius in numero separato, ut omnis confusio evitetur) de consiliis evangelicis.

In enumeratione mediorum universitas fidelium ante oculos habenda est. S. Paulus in litteris suis fere semper ita fecit. Raro enim alloquebatur singulos coetus, e. g. virgines, viduas vel sacrorum administros, dum saepissime omnes fideles ad sanctitatem adhortatus est, uti e. g. in epistula ad Ephesios: « Obsecro itaque vos... ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi » (*Eph.* 4, 1-7).

Inter media communia praeprimis insistendum erit in singulis virtutibus theologicis, sed et in moralibus et quidem tali modo, ut homo modernus intelligere possit solum hac via eum felicitatem terrenam et caelestem obtinere posse, usque dum perveniet ad « mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13).

Praeterea loquendum esset de aliis mediis, uti sunt oratio in diversis suis formis, ascesis, vita sacramentalis, etc., ut clare appareat omnes christifideles « mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu » (*Rom.* 6, 11).

Inter haec media modo speciali vellem insistere in momento cognitionis et assiduae lectionis Scripturae Sacrae. Praxis enim maxime salutaris communionis frequentis et saepe quotidianae non gradiebatur pari passu in Ecclesia cum lectione meditativa verbi Dei et forsan ibi erit quaerenda causa cur motus communionis frequentis non omnes fructus, quos sancta Mater Ecclesia sibi sperare potuit, protulerit.

Non debemus oblivisci Verbum Dei, Sacram Scripturam, gratiam nobis communicare posse. « Vivus est enim sermo Dei et efficax » dicit epistula ad Hebraeos (4, 12) et alibi ita scribit apostolus gentium: « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei qui *operatur* in vobis, qui credidistis » (*1 Thess.* 2, 13), vel uti ipse Dominus dicit: « Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt » (*Io.* 6, 63).

Verbum Dei ergo, etiam in Sacra Scriptura consignatum, utique modo suo proprio, operatur nostram salutem, est enim « verbum salutis » (*Act.* 13, 26). Non enim casu applicatur Sacrae Scripturae terminus « Verbum Dei », nomen quo secundam Personam Sanctissimae Trinitatis vocamus. Item non casu auctores antiqui relationem intimam inter Sacram Scripturam et Eucharistiam existentem extollebant, dum recentiores lectioni Sacrae Scripturae characterem et effectum quasi-sacramentalem adscribunt. Item non est obliviscenda

doctrina S. Hieronymi: « Qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam: ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est » (*In Isaiam Prologus,* PL 24, col. 18).

Sacram Scripturam esse medium sanctificationis praeclare docent etiam Summi Pontifices recentiores. Leo Papa XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus* haec habet: « Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae in sacris Litteris praesto sunt adiumenta... iis tamen qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis » (*Enchiridion Biblicum,* ed. 3, n. 89).

Benedictus Papa XV in Litteris Encyclicis *Spiritus Paraclitus* easdem ideas adhuc fortius exprimit: « Quem vero lateat, ex pia Sacrorum Librorum lectione quantum utilitatis ac suavitatis in animos rite compositos defluat? Ad Biblia enim quisquis pia mente, firma fide, humili animo et cum proficiendi voluntate accesserit, is eum ibi inveniet et comedet panem, *qui de caelo descendit...,* cum haec verbi divini mensa sit vere " continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta Sanctorum, perducens " (*Imit. Christi,* IV, 11, 4). Quod autem in nobis est, venerabiles Fratres, — ita prosequitur Benedictus XV — christifideles omnes auctore Hieronymo cohortari numquam desinemus, ut sacrosancta praesertim Domini Nostri Evangelia, itemque Acta Apostolorum et Epistolas quotidiana lectione pervolutare et in succum et sanguinem convertere studeant. ... Primum in iis paginis cibus quaerendus est, unde vita spiritus ad perfectionem alatur: quam ob causam Hieronymus in lege Domini meditari die ac nocte et in Sacris Scripturis panem de caelo et manna caeleste, omnes in se delicias habens, consuevit comedere... » (*Enchiridion Biblicum,* ed. 3, nn. 476, 477, 482).

Denique iuxta doctrinam Pii Papae XII Sacra Scriptura est « fons vitae spiritualis purus atque perennis » (*Enchiridion Biblicum,* n. 567).

His auctoritatibus innixus enixe peto, ut inter media sanctificationis, quae certe magis enucleari debent, etiam lectio assidua Sacrae Scripturae, praesertim Novi Testamenti, locum debitum obtineat.

Opportune insuper fideles adhortarentur ad lectionem divinam latiori sensu sumptam, nempe ad lectionem auctorum spiritualium. Qua in re dicendum est tamen praeter venerandos libros aliorum tempore necessario adhuc conscribi debere libros spirituales, qui conditiones modernas nostri temporis ante oculos habebunt et viam monstrabunt quomodo fideles opera unicuique vocationi propria adimplentes se cum Christo unire et ad sanctitatem pervenire poterunt. In hac re adhuc utilis est liber S. Francisci Salesii « Introduction à la vie dévote » (*Philothea*) qui tamen novis condicionibus aptandus et pro homine hodierno iterum componendus esset.

Utile esset item affirmare omnia mysteria vitae Christi nobis gratiam communicare, si fide firma, spiritu adorationis et caritatis ad ea accedimus. In hac linea insistendum esset omnino etiam in hoc schemate in fonte unionis maximae animae cum Christo, nempe in actuosa participatione sacrificii Mis-

sae et in communione frequenti. Nam solum ita poterunt fideles vires et gratias ad propriae vocationis adimpletionem et ad sanctitatem consequendam necessarias haurire.

In lucem ponatur oportet etiam doctrina S. Pauli hisce verbis expressa: « Gratia autem Dei sum id quod sum » (*1 Cor.* 15, 10). In capite IV Constitutionis *de Ecclesia* quando Sacrosancta Synodus omnes baptizatos ad sanctitatem vocat, utile in lucem poneretur sanctificationem nostram non nostra virtute, sed gratia Christi effici. Secus enim fideles, uti experientia pastoralis docet, putant se sanctitatem vitae attingere non posse.

De aliis partibus cap. IV nolo fusius loqui. Maxima veneratione prosequor omnes qui in via consiliorum evangelicorum sanctitatem quaesierunt et quaerunt. Inter illos non pauci in mundo remanent et consilia aliquando sine votis observant. Isti intellexerunt « libertatem filiorum Dei » (cf. *Rom.* 8, 21) et etiam societati humanae maxime utiles sunt. Multi tamen non intelligunt consilium evangelicum paupertatis, quod etiam in schemate non sufficienter explicatur et illustratur, unde quosdam fideles etiam in errorem ducere posset.

Nemo enim negare poterit, etsi numerus omnino exactus ob diversa criteria applicata non habeatur, permagnam partem humanitatis esurire et fame laborare et multos in condicionibus oeconomicis vivere, quae prorsus indignae sunt personae humanae. Unde alte proclamando consilium paupertatis sine prudenti explicatione et eam plus minusve omnibus fidelibus proponendo, constitutio ansam dare poterit impugnationibus et detractationibus. Non possumus enim negare doctrinam Ecclesiae de paupertate non fuisse saepe bene intellectam a parte illorum qui effective et contra eorum voluntatem pauperes sunt et saepe etiam propterea a diversis acriter impugnatam esse ad magnum damnum Ecclesiae. Sacrosancta Synodus deberet enim etiam in hoc schemate affirmare consilium evangelicum paupertatis minime impedire conatus hominum, ut bona naturalia multiplicentur, et quidem tali modo, ut adsint omnibus omnino ea quibus indiget homo, ut modo vere humano vivere possit, immo tales conatus officium et obligationem christiani constituere, sequendo Ecclesiae exemplum, quae inde a saeculis adiuvat pauperes et sublevat infelices omnis generis. Schema enim nimis premere videtur in sanctitate aspectum « fugae mundi », multo minus necessitatem transformationis mundi a christifidelibus operandam.

Propter rationes hucusque expositas reverenter peto rev.mos Patres conciliares, ut cap. IV schematis *de Ecclesia* reddant commissioni theologicae, ut totum caput, secundum necessitates veras maximae partis christifidelium et secundum conditiones temporis nostri reelaborari possit.

75

Exc.mus P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI

Episcopus Culmensis

Schematis *de Ecclesia* cap. IV: « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » abundat principiis et exhortationibus, quae in pluribus valde placent. Attamen nonnulla, humili nostro iudicio, addenda videntur, ut schema completum evadat et spiritu S. Evangelii imbutum, unici Magistri, nempe Christi Domini doctrinam contineat.

I. 1. Primo videtur nobis quod vocatio ad sanctitatem in Ecclesia minime abstrahere potest nec omittere verba, quibus Salvator ipse et eius praecursor annuntiaverunt Evangelium: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum Dei » (*Mt.* 3, 2; 4, 17). Doctrina apostolorum hanc vocationem illustrat. Cum primi christiani tum hodierni temporis membra Ecclesiae audiunt haec verba S. Pauli: « Consepulti estis cum Christo in mortem... Relinquite vetus fermentum, ut sitis nova conspersio » (*Rom.* 6, 4; *1 Cor.* 5, 7).

Quae mors cum Christo, indispensabile initium omnis ad sanctitatem in Ecclesia vocationis non est status mere passivus, sed activa participatio in Christi salutifera Cruce et quidem per poenitentiam. Praxis poenitentiae unicam viam salutis pro omnibus hominibus constituit quia peccatum Adae via innocentiae nobis clausit.

2. Secundum Newman per poenitentiam in forma cotidiani laboris christiani omnes participant munus regale Christi. In forma spiritualium donorum doloris et afflictionis omnis Christi discipulus partem habet in munere sacerdotali Redemptoris. In forma denique multiplicis apostolatus veritatis revelatae haec poenitentia participationem muneris prophetici Christi constituit.

3. Speciali mentione dignum esse videtur quod status perfectionis acquirendae a Doctore Angelico passim « status poenitentiae » appellatur. Ideo poenitentia non solum uti « metanoia » necessaria est ad conversionem, sed etiam indispensabilis evadit ad proficiendum in sanctitate altissimis quoque eius gradibus minime exceptis.

II. 1. Unicus Magister sanctitatis, Iesus Christus vocationem suam his exprimebat verbis: « Veni, sequere me »! Elementa essentialia imitationis Christi in schemate adumbrata cognoscuntur ex Christi Domini intrepida omnino paedagogia, quando « multi abierunt » auditis verbis: « Ego sum panis qui de caelo descendit... Qui manducat meam carnem in me manet et ego in illo » (*Io.* 6, 51; 57).

Ideo humili meo iudicio, locum centralem assignare debet schema « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » Sanctissimo Altaris Sacramento, in quo Salvator noster « fontem omnis sanctitatis constituit » (cf. *Secreta* in Festo S. Ignatii Loyola).

2. Iam in Baptismatis charactere includitur ordinatio membri Ecclesiae

et ad divinum cultum active exercendum et ad Sanctissimam Eucharistiam frequenter, immo cotidie — ut panem nostrum cotidianum — recipiendum.

3. Quae frequens et digna S. Synaxis receptio per quam « haurimus aquas ex fontibus Salvatoris » immensum progressum sanctitatis importat non solummodo pro ipso christiano mensam caelestem participanti sed etiam pro tota Ecclesia, cuius sanctitas per dignam membrorum communionem in dies magis magisque augetur ipsisque christianis « pignus futurae gloriae datur ».

4. In schemate clarius apparere deberet, ut sicut omnia sacramenta Ecclesiae circa Ss.mum Altaris Sacramentum coronam faciunt, ita etiam vita uniuscumque ad sanctitatem vocati christiani ordinetur oporteat ad omnis sanctitatis fontem nempe ad Sanctam Eucharistiam uti sacramentum et uti sacrificium. Sic in sensu pleno verificatur in membris Ecclesiae hoc verbum S. Pauli « concrucifixus cum Christo ».

5. Nec in hoc capite mentio omittatur de B.ma Virgine Maria quia ipsa e Cruce Christi, Magistri sanctitatis, historice et sacramentaliter, nobis ut Mater data, vera mater extitit et vocationis et provectionis omnium christifidelium ad sanctitatem.

III. 1. Tertium elementum essentiale cognoscere possumus ex mandato Christi, magistri caritatis, cuius plenitudo ipsam medullam sanctitatis constituit. Ideo ad verba quae amorem Dei et proximi uti finem vocationis ad sanctitatem declarant, addendum puto expressis verbis id in quo praecise ipsa novitas mandati Christi consistit, nempe amorem erga inimicos.

2. Ipse Iesus Christus sermonem in monte pronuncians in hac « Magna Charta » vocationis ad sanctitatem mandato a doctoribus Veteris Testamenti interpretato et ab illius temporis publicanis in praxim reducto « amabis proximum (nempe amicum) et odio habebis inimicum tuum » contraposuit formaliter Suum mandatum « diligite inimicos vestros » (*Mt.* 5, 44) et quidem ut criterium amoris vere christiani.

3. Quae dilectio inimicorum de qua S. Paulus affirmat quod « Carbones ignitos super caput inimici congerit » essentialiter vocationi ad sanctitatem inhaeret, et ideo pro omnibus christianis necessaria est ad perfectionem caritatis assequendam. Licet rarissime in realitate vitae hodiernae inveniatur, nihilominus expressis verbis in schemate est affirmanda ne sanctitas christianorum medulla sua orbata deviet in inanes vias hodierni temporis pseudoprophetarum et inimicorum Crucis Christi.

Per amorem erga inimicos Ecclesia attingit culmen vocationis suae, ad quod Beatissimus Pater Paulus VI eam conducere intendit.

Ideo humiliter peto, ut ad textum de vocatione ad sanctitatem addatur primo: exhortatio ad poenitentiam, deinde centralis valor Ss.mae Eucharistiae enucleetur, denique expressis verbis mentio fiat de amore inimicorum cum uniusquisque christiani tum totius Matris Ecclesiae.

76

EXC.MUS P. D. ADAM KOZŁOWIECKI

Archiepiscopus Lusakensis

Caput « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » in genere placet. Ob rationes pastorales praesertim placet et valde opportunum mihi esse videtur idea fundamentalis huius capitis, scil. quod unumquodque membrum Corporis mystici, et non tantum aliqui electi et quasi privilegiati ad sanctitatem in Ecclesia vocantur:

Omnes enim homines ad aeternam salutem destinantur. A. Qui ad aeternam salutem destinantur, ad sanctitatem vocantur. E. Omnes homines ad sanctitatem vocantur.

Et iterum: Omnes qui vocantur ut Christo incorporati de eius vita vivant, ad sanctitatem vocantur. A. Omnes homines vocantur ut Christo incorporati de eius vita vivant. E. Omnes homines ad sanctitatem vocantur.

Tamen dixerim hanc doctrinam maiore adhuc claritate indigere: Necessario enim distinguenda videtur *sanctitas* illa ontologica et fundamentalis quam in sacramento incorporationis nostrae in Christum recipimus et ob quam S. Paulus omnes christianos sanctos vocat, ab illa sanctitate quae super hoc fundamentum superaedificatur. Et haec sanctitas rursus sedulo distinguenda est: Datur enim sanctitas ad quam omnes homines baptizati vocantur et datur sanctitas ad quam nonnisi pauci electi divinitus invitantur secundum mensuram donationis Christi, sicuti in schemate dicitur (pag. 18, lin. 32).

Utique omnibus hominibus Christus dixit: « Si diligitis me, mandata mea servate » et hac via omnes homines sanctitatem prosequi *iubentur* et ad hanc sanctitatem, etiam heroicam, assequendam omnes homines capaces sunt. Quod in schemate magna cum emphasi certo dicendum est.

Attamen, maxime cavendum simul est, ne huius sanctitatis pulchritudo ita exhibeatur ut illa bona, quae a Christo Domino « meliora » dicantur praesententur tamquam « aequaliter bona ». Utique sanctitas matrimonii extollenda videtur — sed ne oblivioni detur S. Pauli verbum, quo renuntiationem matrimonii et virginitatem *meliorem* esse affirmat.

Utique sanctitas vitae apostolicae tum clero tum laicis proponenda est, simul tamen celanda non sunt Salvatoris verba: « Mariam *meliorem partem* elegisse: Martha, Martha thorubadei perì pollà ... Mariam taen agathaen merìda exelexato: Martha, Martha, turbaris erga plurima ... Maria optimam partem elegit ».

Per illam « turbationem erga plurima » Martha sanctitatem assecuta est —, nihilominus Maria (vitae contemplativae imago) *meliorem* partem elegit et sic sanctitatem assecuta est. Inter has duas formas vitae ergo differentia perfectionis existit, quamvis nemo asserere audeat eo ipso Mariam altiorem sanctitatem coram Deo acquisivisse. Talia enim iudicia de aeterna sorte hominum individuorum ad nos non pertinent.

Iesus Christus omnibus dixit: « Si diligitis me, mandata mea servate »; sed idem Iesus Christus etiam dixit: « *Si vis perfectus esse,* vade, vende omnia quae habes et da pauperibus, et *veni,* sequere me ».

Patet ergo etiam hunc terminum *perfectionis* variis distinctionibus indigere. Verum est, Unum esse ter Sanctum, scil. Deum ipsum; verum est Iesum Christum omnibus indistinctim praecepisse: Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est (*Mt.* 5, 48); verum est: « Unus est bonus, Deus »; tamen homo, ob limitationem humanae naturae insitam sequi potest *bona, meliora* et *optima.* Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum: Ex eo autem quod claritas lunae et immo ipsa claritas solis persaepe nubibus obscuraretur, ne concludamus stellas clarissimas esse.

Iam in prima, deinde vero etiam in praesenti sessione, et quidem occasione cap. III huius schematis, observavi notionem caritatis per tautologiam explicari. Iterum et quidem nunc *ultima vice* hac de re loqui velim. Persuasum enim est mihi Concilium Vaticanum II hac in re deficientiis theologiae tum dogmaticae tum moralis remedium afferre *ét* posse *ét* debere.

Deficientia enim haec respicit elementum fundamentale doctrinae Christi necnon ipsam basim doctrinae nostrae circa Iesu Christi mysticum Corpus. Simul haec deficientia est radix confusarum et immo periculosarum conceptionum circa caritatem, quae, proh dolor, persaepe concipitur tamquam nebulosa quaedam bonitas, sentimentalis philanthropismus, vel immo tamquam debilitas solidis principiis carens. Maxime placent verba schematis: « Sanctificationis forma et finis est amor Dei super omnia et operosa proximi dilectio. Unde mandatum dilectionis Dei et proximi ab ipso Domino pro omnibus proclamatur ut *primum, maximum* et *necessarium,* in cuius cotidiano opere perfectio usque ad plenitudinem exseritur » (pag. 19, linn. 34-38).

Illud mandatum permulti catholici, a-catholici, et etiam a-christiani recognoscunt, a magisterio tamen Ecclesiae instrui desiderant circa *naturam* amoris Dei et proximi, et circa *modum* quo mandatum illud explere valeant.

Haec explicatio in hoc praecise capite danda est, quippe in quo in memoriam omnium revocemus eos ad sanctitatem vocatos esse, et in quo asserimus sanctificationis formam et finem esse amorem Dei super omnia et operosam proximi dilectionem.

Iamvero, sub hoc respectu, praesens caput homines parum iuvabit. Non enim sufficit ut termini *caritas, amor, dilectio* in schema introducantur et multiplicentur. Quod praesertim de praesenti schemate valet, in quo ex professo de sanctitate est sermo. Iamvero, in hoc brevi capite de caritate, amore, dilectione 32 vicibus est sermo. Terminus enim « caritas » 16 vicibus, terminus « amor » cum suis derivationibus 8 vicibus, terminus « dilectio » cum suis derivationibus item 8 vicibus occurrit. Nullo in loco tamen natura et functio *caritatis* modo revera theologico explicantur.

Propono ergo, ut a commissione theologica saltem unus articulus huic

capiti inseratur in quo natura et functio caritatis explicentur. Locum proprium huius articuli censeo esse immediate post rigam 38 pag. 19.

Iudico hanc doctrinam fundari debere in philosophica expositione S. Thomae, qualis v. g. in Prima Parte Summae Theologicae, quaestione 60 invenitur, quae tamen, utpote doctrina philosophica, in notis tantum proponatur. Ibidem S. Thomas inter alia describit distinctionem quae existit inter *amorem, caritatem* et *dilectionem.*

Dum fusiorem explanationem in notis scriptis secretariatui Concilii consignabo, hic saltem principaliores S. Thomae doctrinas enumerare liceat:

Caritas est — ait Doctor Angelicus — mater omnium virtutum et radix, in quantum est omnis virtutis forma (I-II, q. 62, a. 4).

Quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsas (II-II, q. 23, a. 8).

Caritas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad Ipsum, quae quidem super amorem addit *redamationem* cum quadam *mutua communicatione* (I-II, q. 65, ad 1).

Maximi vero momenti pro nostro scopo pastorali sequens textus videtur esse: « Est autem triplex effectus amoris: primus quidem est quod movet amantem ad aliquam operationem; secundus effectus est, quod convertit opera amantis per intentionem in amatum; tertius effectus est, quod omnis amor est manifestativus sui per signa et affectus amoris, et per hoc quaerit, ut non solum amet, sed etiam ametur » (*De Nominibus Divinis,* 4, 11).

Ita explicari debet, cur et quomodo Deum amare debeamus:

Cur? Quia Deus prior amavit nos, et hoc redamationem ex parte nostra postulet. Amor ergo quasi movet Deum ut bona sua nobiscum communicet, immo ad seipsum nobiscum communicandum: Deus nos creavit — ipsam existentiam nobiscum communicando; Deus nos ad statum supernaturalem elevat — communicando nobiscum « Divinae naturae consortium »; cum in peccatum misere lapsi simus: Deus seipsum nobis dedit et homo factus est ut se pro nobis faceret hostiam et propitiationem; Deus seipsum nobiscum communicare et personaliter dare vult ut obiectum summae nostrae ac aeternae beatitudinis.

Ecce pauca tantum sed fundamentalia « opera » divini amoris erga nos. Quid ergo nobis faciendum? Respondemus cum S. Thoma: « Quaerit amans, ut non solum amet, sed etiam ametur » (*De Divinis Nominibus,* 4, 11). Ergo Deum redamare cogemur et volumus.

Quomodo? Respondendum iterum cum S. Thoma: Primus effectus amoris est « quod movet amantem et operationem ». Et docet S. Thomas caritatem addere super amorem *redamationem* cum quadam *mutua communicatione.*

Fortasse haec omnia lingua simplici et captui hominum accommodato continentur in duobus notis S. Ignatii: 1. amor non consistit in verbis sed in actibus, et 2. amor consistit in mutua communicatione inter amantem et amatum.

Ex consideratione incomprehensibilis illius amoris quo Deus hominem praevenit, homo prorumpit in mutuum amorem: « Sume Domine et suscipe... quidquid habeo vel possideo... tua sunt ».

Ex hac fundamentali caritate erga Deum sequitur caritas erga proximum — multis enim hominibus difficile apparet Deum « mutua dilectione » directe amare: sed adiutorio nobis venit Christus dicens: « Quidquid uni ex illis minimis fecistis, mihi fecistis ».

Ergo debitum amoris erga Deum solvere nobis indirecte fas est — scil. illud filiis eius, proximis nostris solvendo.

Nota adiecta. Excerpta quaedam ex doctrina S. Thomae circa caritatem, dilectionem, amorem ordine logico et synthetico digesta.

Perfectio communis habetur per solam observantiam praeceptorum. Perfectio completa per susceptionem obligationis servandi etiam consilia evangelica, quae est solis religiosis propria.

Finis religionis est acquisitio perfectionis christianae quae habetur ex omnium virtutum cumulo coalescente, attamen in unius caritatis perfectione solidatur: II-II, q. 184, a. 1.

Caritas addit supra amorem perfectionem quandam amoris in quantum id quod amatur magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat: I-II, q. 26, a. 3.

Sic caritas est mater omnium virtutum et radix, in quantum est omnium virtutum forma: I-II, q. 62, a. 4. Quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsas: II-II, q. 23, a. 8 ad 3; cf. *Quaest. Disp. De Virt.,* 2, 3.

Caritas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quae quidem supra amorem addit mutuam redamationem cum quadam mutua communicatione: I-II, q. 65, a. 5.

Caritas non est qualiscumque amor Dei, sed amor Dei quo diligitur ut beatitudinis obiectum, ad quod ordinamur per fidem et spem: I-II, q. 65, a. 5, ad 1.

Caritas potest accipi per modum habitus ac per modum actus: I-II, q. 26, a. 3.

Dilectio praesupponit electionem: I, q. 23, a. 4. Omnis actus appetitivae virtutis ex amore seu dilectione derivatur: I, q. 60.

Distinguitur dilectio, amor, caritas: Amor et dilectio significantur per modum actus vel passionis, caritas autem utroque modo accipi potest. Differenter tamen significatur actus per ista tria: nam amor communius est inter ea, omnis enim dilectio vel caritas est amor, sed non e converso. Addit enim dilectio supra amorem electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat. Unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum et in sola rationali natura. Caritas autem addit supra amorem perfectionem quandam amoris, in quantum id quod amatur magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat: II-II, q. 26, a. 3.

Hinc: obiectum amoris est communius quam obiectum dilectionis: quia ad plura se extendit amor quam dilectio: *ibid.* ad 2.

Amor importat quandam passionem praecipue secundum quod est in appetitu sensitivo; dilectio autem praesupponit iudicium rationis. Magis autem homo in Deum tendere potest per amorem, passive quodammodo ab ipso attractus quam ad hoc eum propria ratio ducere possit, quod pertinet ad rationem dilectionis, *ibid.* ad 4.

Amor qui est passio concupiscibilis plurimos inclinat ad malum, similiter etiam dilectio potest ferri in malum, unde non differunt per respectum ad malum et bonum: cf. ad 3.

Amor: primus enim motus voluntatis et cuiuslibet appetitivae virtutis est amor... amor autem respicit bonum in communi, sive sit habitus sive non habitus; unde naturaliter amor est primus actus voluntatis et appetitus; et propter hoc omnes alii motus appetitivi praesupponunt amorem quasi primam radicem; nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum; neque aliquis gaudet nisi de bono amato; ... (unde) manifestum est in amorem referri sicut in primum principium. Unde in quocumque est voluntas vel appetitus, oportet esse amorem... amor igitur et gaudium et delectatio, secundum quod significant actus appetitus sensitivi, passiones sunt; non autem secundum quod significant actus appetitus intellectivi... actus amoris semper tendit in duo, scil. in bonum quod quis vult alicui, et in eum cui vult bonum: I, q. 37, a. 1. Est autem amor prima et communis radix omnium appetivarum passionum: *De Divinis Nominibus,* 4, 9.

Est autem triplex affectus amoris. Primus quidem est quod movet amantem ad aliquam operationem; secundus effectus est, quod convertit opera amantis per intentionem; tertius effectus est, quod omnis amor est manifestativus sui ipsius per signa et affectus amoris, et per hoc quaerit amans, ut non solum amet sed etiam ametur: *De Divinis Nominibus,* 4, 11.

77

Rev.mus P. D. GERMANUS M. LALANDE
Superior generalis C.S.C.

I. *In genere.*

1. Factum quod, in cap. IV schematis *de Ecclesia,* agatur primum de sanctitate in genere, deinde de sanctitate in hierarchia et apud laicos, et demum de statibus perfectionis, aliquam quoad totum schema gignit confusionem. Etenim duo capita praecedentia tractant modo speciali de duobus ordinibus in Ecclesia: de hierarchia scilicet et de laicatu. Deinde in hoc cap. IV, schema denuo aggreditur quaestionem aliquam generalem: de sanctitate in genere. Videretur praeferendum quod: *a*) agatur de sanctitate in genere quoad populum Dei; *b*) agatur de sanctitate clericali et laicali in respectivis capitibus hisce ordinibus consecratis; *c*) caput quartum reservetur praxi consiliorum evangelicorum in tota eorum amplitudine, sive sub forma

vitae Deo consecratae in mundo, sive sub forma vitae religiosae proprie dictae. *Ratio.* Tota enim traditio, inde primis saeculis, non secus ac ipsa doctrina Ecclesiae, testatur vitam consecratam praebere aspectum particularem Ecclesiae, simul cum hierarchia et laicatu. Ipsa enim tutatur in Ecclesia praesentiam specialem donorum charismaticorum.

2. Plurimis nonobstantibus meritis, textus nobis propositus deficiens videtur in suo modo tractandi de vita consecrata. Hoc vero sub triplici aspectu:

a) Doctrina proposita in capite quarto de consiliis evangelicis non affert validum fundamentum ex Sacra Scriptura et traditione, etsi huiusmodi fundamentum revera existat. Oporteret demonstrare quomodo consecratio virginum *explicite fundetur in Novo Testamento,* non solum in verbis ipsius Christi Domini, verum etiam in clara doctrina B. Pauli et in exemplo eorundem. Deinde deberet ostendi quomodo alia duo consilia evangelica sint authentica interpretatio, *traditione formulata,* vocationis generalis populi christiani ad spiritum paupertatis et oboedientiae.

b) Praesens caput non satis in luce collocat modum quo vita religiosa sit revera essentialis ad plenam manifestationem mysterii Ecclesiae. Vita religiosa semper fuit eiusdem Ecclesiae elementum adeo constitutivum ut Ecclesia sine religiosis aliud non esset nisi Ecclesia mutilata. Uti optime ait exc.mus D. Weber, vita religiosa pertinet ad integritatem Ecclesiae. Opus esset etiam melius definire scopum professionis consiliorum evangelicorum in Ecclesia, et bene demonstrare quod huiusmodi professio imponit veri nominis servitium, non vero simplex privilegium, sive quoad Ecclesiam universalem, sive quoad aliquam Ecclesiam dioecesanam. Hoc modo igitur clarius testimonium perhibebitur de vero valore evangelico illorum consiliorum.

c) Hoc caput denique non satis firmiter distinguit duas vias diversas quae ducunt ad unam eandemque sanctitatem, viam scilicet laicorum, quae est in recto et sancto usu bonorum terrestrium, et viam religiosorum, quae est in eorumdem bonorum renuntiatione. Textus consequenter incurrit in periculum tradendi conceptum non genuinum spiritualitatis tum laicatus tum religiosorum. Nullibi insuper expliciter affirmatur superioritas vitae religiosae, quae tamen est communis Ecclesiae doctrina. Observari posset in fine nullum fieri in textu sermonem explicitum de valore eschatologico vitae religiosae.

II. *In specie.*

Propter omnes istas rationes:

1. Emendationibus adhaereo ab em.mo card. Suenens propositis de dividendo scil. schemate *de Ecclesia* in quinque capitibus, et hoc ob rationes tam egregie ab ipso necnon et a numerosis aliis Patribus in hac aula explicatas.

2. Uti ab exc.mo D. Ménager, ep. Meldensi, nomine auditorum, suggerebatur, mihi videretur melius: *a*) transferre ad caput « de populo Dei » ea omnia quae in praesenti capite quarto respiciunt vocationem generalem

ad sanctitatem, quae vocatio tangit *totum* populum Dei; *b*) transferre ad caput « de laicis » ea omnia quae tangunt doctrinam sanctitatis laicorum ut talium, uti petitum fuit ab exc.mo D. Tabera, necnon pluribus aliis Patribus.

3. Ad quamcumque praeveniendam confusionem, melius etiam mihi videretur si cap. V novae divisionis propositae a card. Suenens, iis totaliter dedicaretur qui in Ecclesia *professionem faciunt consiliorum evangelicorum.* Titulus talis capitis posset sic legi: « De eis qui professionem consiliorum evangelicorum emittunt » — aut quicumque alius titulus conveniens.

In initio cap. IV, uti iacet, sermo fit, breviter omnino, de sanctitate in genere et de sanctitate laicorum in specie. Plures dein articuli de iis agunt qui consilia evangelica profitentur. Talis disproportio non potest non gignere aequivocum illud infaustum, secundum quod saepe repetitur: sanctitas, negotium est religiosorum! Intentio certo non est huius Sanctae Synodi tali aequivoco favere. Quare, humili meo iudicio, textus praesentis capituli ita emendari deberet ut unice de eis qui professionem faciunt consiliorum evangelicorum tractet.

Quod si cap. IV in sua actuali structura manere debeat, mihi videtur primam partem quae ad sanctitatem in genere attinet amplius monstrandam esse, ita ut fundamenta dogmatica sanctitatis laicorum clarius appareant (cf. cardd. Silva Henriquez, Léger, Döpfner, Bea et ep. Charue etc.).

Quo in casu, meo humili iudicio, ad actualem titulum adiungere non oporteret: « *praesertim de religiosis* » sicut a quibusdam Patribus propositum fuit. Forsan, post unum evolutum prooemium, duae subdivisiones fieri possent quarum tituli utrasque partes capitis manifeste ostenderent.

Denique optarem ut optimus textus « De eis qui faciunt professionem consiliorum evangelicorum », — in nn. scil. 32-36 huius cap. IV —, servetur, ratione tamen habita variarum emendationum quae supra ad vestrum prudens iudicium proponere ausus sum.

Emendatio proposita loco textus n. 31 in cap. IV schematis *de Ecclesia.*

31. Universis vocatio ad sanctitatem una eademque est pro omnibus, quippe quae habeat unicum fontem in vita gloriosa Christi per sacramenta communicata et unicum finem in imitatione Christi et unione cum eo per perfectam vitam evangelicam. Sed iam a primis temporibus Ecclesiae, ut ex Patribus apostolicis et antiquioribus ecclesiasticis scriptoribus facile comprobari potest in diversis ecclesiis specialis forma vitae exstitit, quae donum quoddam a Spiritu Sancto constituit et media tutiora et expeditiora suppeditat ad perfectionem acquirendam.

Huius peculiaris status vitae praecipua et primaeva determinatio est sacra virginitas vel castitas Deo stabili modo dicata. Quae status iam a Christo Domino ut mysterium quoddam tantum ab aliquibus intellecta (*Mt.* 19, 12), a Paulo Apostolo ut consilium sensu proprio commendata (*1 Cor.,* 7, 25), per totam traditionem antiquam a sanctis Patribus extollitur. Quae castitas Deo dicata semper in Ecclesia floruit et hodie mirabiliter viget, praesertim inter

mulieres. Iam ab origine caelibatus consecratus etiam in clero exstitit et decursu temporis generalis factus est, saltem in Ecclesia occidentali. Vitae virginali apud multos adiunctae sunt paupertas effectiva et erga praepositum oboedientia, ut media ad perfectionem evangelicam efficacius assequendam.

Qui status vitae, sive generali modo per castitatem Deo dicatam, sive sub forma institutorum canonica sancitorum, ad structuram Ecclesiae visibilis pertinet. Etenim si ecclesia potest existere in aliqua regione quin habeat virgines et monachos, certum est vita Deo per castitatem et alia consilia dicata pertinere ad integritatem et plenitudinem Ecclesiae, ita ut dici possit ecclesia particularis quae non habeat in se haec charismata aliquo elemento essentiali ad vitam propriam manifestandam carere. Ecclesia vivida germinat virgines. Non sufficit ad sanctitatem cuiusdam Ecclesiae ministros et laicos sanctos habere quin sanctitas visibiliter manifestetur in ea per status perfectionis evangelicae.

78

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

I. Laudandum est, de relatione inter episcopos et religiosos iam hic, in parte doctrinali *de Ecclesia,* tractari. Scimus, ex hac relatione non raro difficultates ortas esse, quas etiam pro labore pastorali saepe cum consectariis malis coniunctas fuere. Quod satis apparet e votis multorum episcoporum pro Concilio praeparando, quibus simul et tractationem huius materiae occasione Concilii petierunt.

II. Quibus praemissis liceat mihi sequentia proponere:

1. Ut loco sententiae « Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis etc. » (pag. 22, linn. 8 ss.) ponatur sententia sequens: « Quo autem necessitatibus totius gregis Christi provideatur, Romanus Pontifex pro quibusdam consiliorum evangelicorum Institutis, intuitu utilitatis apostolatus eorum specialis pro bono communi, superiores proprios constituere solet, quibus directio immediata Institutorum ipsorum eorumve operum incumbit, quae auctoritas tamen cum apostolatu singulorum episcoporum dioecesium apte componi oportet ». Rationes pro hac mea propositione sunt sequentes:

a) Ad sanctitatem, ut iam saepe dictum est, omnes, certe varia via, vocati sunt; ergo melius est loqui de consiliorum evangelicorum Institutis quam de perfectionis Institutis.

b) Secundum meam sententiam textus praeiacens non exprimere vult, quod Romanus Pontifex iure divino in hac re potest, quod a nemine in dubium ponitur, sed fortius, quod iure ecclesiastico facere solet. Huic autem sensui textus praeiacens non satisfacit. Praeterea Concilium non possit proclamare « Romanus Pontifex etc. eximere potest », quia tunc ita sonaret, ac si hanc potestatem a Concilio recepisset.

c) Quod textu exprimitur, nec praxi Ecclesiae nec Iuri canonico correspondet, quia Romanus Pontifex Religiosos orientales non sibi, sed patriarchis subicere solet, et etiam sic dicti exempti sub aliqua iurisdictione episcopi remanent.

d) Textus uti est praeterea facile sic interpretari possit, ac si clerus regularis immediate Papae et consequenter clerus dioecesanus immediate episcopo subiectus esset. Uterque autem propriis Ordinariis, et aeque immediate Papae subiectus est.

Quibus ex rationibus novus textus propositus est.

Sed regimen Ecclesiae hierarchicum-episcopale propterea nullatenus vult absolutum seu totalitarium esse. Quod satis ex his principiis patet:

a) Munus proprium hierarchiae episcopalis consistit in illis apostolatus operibus, quae ex ipsa constitutione divina Ecclesiae hierarchiae sunt ordinata, scil. celebratio divinorum mysteriorum, praedicatio auctoritativa Evangelii, exercitium potestatis iurisdictionis, legislativae, iudiciariae, correctivae. Quae opera ab aliis tantum ex missione canonica hierarchiae obiri possint.

b) Reliqua omnia religionis et caritatis opera possunt *aut* ab ipsis episcopis suscipi, sive per se ipsos exercenda, sive per clerum dioecesanum, sive etiam per religiosos, qui se ad hoc libere episcopis subiecerunt, *aut* ab aliis, sive a singulis, sive a pluribus sociatis, etiam vinculo consiliorum evangelicorum adstrictis.

Quod directionem horum operum attinet, in primo casu tum iurisdictio tum operum immediatum moderamen ad episcopos spectat, dum e contra in secundo casu manente iurisdictione episcoporum pro omnium vita religiosa moderamen ipsorum institutorum eorumque operum apud eos manet, qui vitam et opera susceperunt, quosve ipsi sibi superiores constituerunt.

c) Omnia Instituta, ut singuli fideles, tali autonomia gaudent ad proprios fines libere sibi statutos prosequendos. Haec etiam nihil denuit auctoritatis episcopis propriae, sed est iuris naturalis in omni societate, unde vel fortius in societate Ecclesiae.

d) Quae autonomia nullo modo dici potest exemptio nec cum ea confundenda est. Quae in eo consistit, quod in quibusdam institutis, quae limites dioecesium omnino excedunt et organa non territorialia constituunt, Romani Pontifices quasi-hierarchiam a dioecesana distinctam instituerunt, conferendo ipsis superioribus maioribus saltem potestatem iurisdictionis quasi-episcopalis ad institutum eiusque vitam ac opera regenda.

2. *Propositio.* Propono praeterea, ut in altera sententia huius partis, quae incipit verbis « Quod attinet etc. » (lin. 12) omittantur: *a*) verba « iuxta canonicas leges » quae explanari deberent, qui aliter nihil aut parum dicunt; *b*) verbum « pastoralem » (lin. 16) ne videatur hanc auctoritatem non esse vere auctoritatem iurisdictionis.

3. Item omittatur ultima sententia huius partis, a verbis « Exemplis autem etc. » (linn. 20 ss.), quia aliquo modo iam in anteriore sententia contenta est.

Animadversiones additae:

Caput in genere placet, perprimis, quia de omnium sanctitate saltem tractari intendit. Eo magis dolendum est, de sanctitate ita dictae « massae », i. e. christifidelium in Ecclesia, quae maioritatem in ea habet, fere nihil aut nimis parum asseri. In toto de hac materia circa 20 linn. tractant, omnia alia ad sanctitatem in genere (nn. 29 et 30) et ad consilia evangelica (nn. 31 ss.) se referunt.

Ii, nempe episcopi, sacerdotes et religiosi, qui iam saepe ad hanc quaestionem responsionem receperunt, iterum talem recipiunt. Qui autem hanc responsionem iam ardenter exspectant, sine aut saltem sine convenienti responsione manent. Ista autem magna « massa » hominum prospicit in Concilium et viam convenientem inter difficultates hodiernae vitae sibi exspectat. Eo magis, quia, proh dolor, etiam in capite de populo Dei, speciatim de laicis huic exspectationi non satisfactum fuit. Propono ergo:

1. Ut titulus huius capitis modificetur et ita aut similiter sonet « De Sanctitate in Ecclesia, speciatim de consiliis evangelicis ».

2. Ut prima pars huius capitis fusius de sanctitate laicorum, i. e. christifidelium, non sacerdotum et non religiosorum, tractet. Talis responsio ab iis magna cum gratitudine recipietur. Verum est, hanc non facile esse dandam. Nihilominus ab hominibus hodierni temporis iure exspectatur, eorum condicionibus et difficultatibus prae oculis habitis. Quae responsio praeterea etiam ita exprimatur, ut ab hodiernis hominibus facile intelligatur.

3. Secunda pars capitis, nempe de consiliis evangelicis, observationibus in aula non neglectis, ea omnia contineat, quae in textu praeiacenti habentur.

79

Exc.mus P. D. IULIANUS LE COUËDIC

Episcopus Trecensis

Valde mihi placet textus huius capitis, in quo agitur de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia. Optimum enim erat, de sanctitate, omnibus proposita tractare. Ita respondere possumus tum iis, qui nos impugnant, quasi unice characterem iuridicum Ecclesiae extolleremus; tum iis qui putant sanctitatem reservatam esse hominibus qui specialem vocationem, sacerdotalem vel religiosam, susceperunt.

Pariter mihi omnino placet modus quo sanctitas nobis praesentatur. Filius enim Dei in terram venit, inter homines degens, « ut vitam habeant et abundantius habeant ». Ita enim manifestatur quis sit fons sanctitatis, scil. Dominus noster Iesus Christus, et in quo *consistit ipsa sanctitas,* scil. in vita divina quae nobis communicatur; quomodo tandem progressive augeatur in nobis, omnes activitates nostras invadendo.

Attamen mihi videretur hoc caput gravi defectu laborare si nihil aut quasi nihil in eo de Sanctissima Eucharistia inveniretur. Dixit enim Christus: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis » (*Io.* 6, 54).

Vellem ergo aliquas animadversiones praebere, quibus ostenderetur necessitas statuendi Eucharistiam quasi in centro huius vocationis ad sanctitatem; in scriptis vero emendationem meam exc.mo D. secretario tradam.

Sane plene concordes sumus iis quae dicta sunt de mandato omnibus proposito a Christo Domino, scil. de dilectione Dei et proximi; sed omnes in nobis experimur infirmitatem nostram et omnes cum Paulo dicere possumus: « Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non invenio » (*Rom.* 7, 18). Unde vocatio ad sanctitatem quasi inanis et vacua esset, nisi ipse Deus illam actuaret mediante fide qua ei coniungimur, et mediante Eucharistia, qua ipse in nobis sanctitatem operatur.

Certum est enim quod sanctissima Eucharistia duplicem effectum: amorem Dei scil. et proximi, in quo consistit sanctitas, plene et perfecte obtinet.

1. Quia in hoc sacramento unusquisque ex nobis Christo unitur modo visibili et stabili, ita ut ad felicem finem adducitur motus ille imperiosissimus, sub aspectu humano nunquam satisfactus, et in corde nostro alte radicatus, quo ad unionem totalem cum amato tendimus, secundum illud: « Mihi vivere Christus est ».

2. Quia in eadem actione, et, ut ita dicam, in eodem motu fratribus nostris unimur per illam aequalitatem quae, iuxta sapientiam antiquorum, ipsa radix est amicitiae, et per participationem eidem pani et eidem gratiae unionis, sicut dicitur in Sacra Scriptura: « Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » (*1 Cor.* 10, 26).

Certe omnes nos vocat Christus ad sanctitatem, sed etiam nos vocat ad mensem suam: « Accipite et comedite: hoc est enim corpus meum » (*Mt.* 26, 26). Caro enim eius vere est cibus et sanguis eius vere est potus. Unde quando ei unimur manducando eius carnem et bibendo eius sanguinem, tota vita eius nobis inest. Tunc omnia possumus in eo qui nos confortat (cf. *Phil.* 4, 13).

Talis fuit certe cogitatio et inspiratio sancti Pontificis Pii X, qui omnia in Christo instaurare et mundum materialismo deditum quasi invitum salvare intendebat, et propterea nobis illam doctrinam de Eucharistia tradidit, quae et ipsos pueros docebit sanctitatem, et adultis sensum illum inspirabit, sine quo et ipsa consilia evangelica, quamvis in votis inclusa, nequaquam adimpleri possent, quia divino fermento indigerent: « Si carnem meam non manducaveritis et sanguinem non biberitis, non habebitis vitam in vobis ».

Revera in nostro textu agitur de gratia Dei excitante et adiuvante necnon de viribus quas accepimus secundum mensuram donationis Christi (cf. linn. 24-34), sed dolendum est quod quasi furtim nominetur sanctissima Eucharistia per quam vita Dei nobis modo speciali communicatur. Recolatis enim verba Christi dicentis: « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me » (*Io.* 6, 58).

Huic praecipuae rationi aliqua vellem addere:

1. Nonne in Eucharistia speciali modo actuatur unio nostra cum Christo

cum ipse dicat: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo » (*Io.* 6, 57). In hac autem unione sanctitas tota consistit; nam adhaerendo Christo unum cum ipso efficimur, plurimum fructum afferre possumus, accessum tandem ad Patrem invenimus.

2. In Eucharistia speciali modo actuatur ingressus noster in mysterium paschale. Quinimmo nunc possumus dicere Eucharistiam, aliquomodo unum cum mysterio paschali constituere, dicente Paulo: « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat » (*1 Cor.* 11, 26).

Ex his et aliis quae brevitatis causa omittere debemus, evidens nobis apparet necessitas introducendi in schema nostrum saltem aliquid de sanctissima Eucharistia.

Conclusio mea brevis erit: ut vocationi ad sanctitatem homines vere respondeant, exhortetur illos Sacrosancta Synodus, ut sanctissimam Eucharistiam frequenter et in veritate recipiant.

Emendatio proposita. Paragraphus nova addatur n. 29, et inseratur post lin. 34: « Cum in sanctissima Eucharistia Christus ipse instituerit quasi fontem permanentem sanctitatis, hortatur Sacrosancta Synodus ut omnes fideles frequenter et in veritate illam suscipiant. In ea enim speciali modo invenient ipsam virtutem Christi quae omnem infirmitatem suam longe superat; per ipsam tandem participes fiunt mysterio paschali, et ita paulatim in ipsam plenitudinem Dei intrabunt ».

80

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

In hoc capite quaestio est de *vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.* Vi verborum ergo tractatio debet esse de sanctitate, seu de flore et fructu, ut ita dicam, totius vitae christianae. Sed de facto multo maior pars tractationis est de statu religioso tantum. Tractare tam ample in hoc contextu de statu religioso mihi videtur esse aliquid et theologice non omnino approbatum et, sub respectu pastorali, fortasse positive nocivum. Quapropter propono ut omnia de statu religioso a verbo « diffunditur » in par. 32 usque ad verba « quoniam vero » in par. 36 deleantur. Quod propono non ad statum religiosum parvipendendum, quod absit, sed potius ad debitum momentum status saecularis in luce ponendum; qui status saecularis fuit, est, et erit semper sors multo maximae partis christifidelium.

Primae capitis paragraphi docent — et merito — omnes christifideles, sive in saeculo sive in religione degentes, ad sanctitatem et quidem ad unam eamdemque sanctitatem vocari. Supponitur insuper quod omnes, sive in saeculo sive in religione, nullo excepto, hanc sanctitatem revera assequi possunt. Quaestioni « Quibusnam modis agendi sanctitatem assequi possumus? », respondet textus noster: « sacris et sacramentalibus actionibus, et

sedula, iuxta uniuscuiusque statum, mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatione ». Sic et nihil amplius! In hac unica enuntiatione expletur tota expositio nostra conciliaris viae sanctificationis pro multitudine christifidelium. Misereamini, oro, super turbam, et panem Evangelii ulterius eis frangamus.

Totaliter aliter tamen textus nobis propositus quoad vitam religiosam! Dicit, et recte, « inter media sanctificationis praeclara exstant consilia quae evangelica... appellari consueverunt »; et deinde, minus sapienter ut censeo, theologiam status religiosi fuse et quidem magnifice elaborat. Elaboratio huiusmodi iustificari posset, si sed solummodo si, status religiosus, vel iure divino pars essentialis structurae Ecclesiae esset; vel servitio seu munere essentiali in Ecclesia fungeretur; vel reapse medium essentiale sanctificationis in Ecclesia esset; vel denique status communis potiusquam status perpaucorum in Ecclesia esset.

Insuper nequit esse secus ac nocivum, sub respectu pastorali, tractare de *sanctitate christiana* acsi sanctitas generatim praxi consiliorum evangelicorum acquirenda esset, ideoque ut res a multitudine, saecularibus negotiis occupata, neque appetenda neque unquam adipiscenda. Christus Dominus omnes fideles, et non solum eos statui religioso nomina dantes, ad sanctitatem vocat. Missio sanctificans Ecclesiae Christi est primario et principaliter ad multitudinem, non ad paucos specialiter segregatos. Nec est missio vana et infructuosa. Nos omnes ex experientia nostra pastorali bene scimus quot in mundo viventes ad summam sanctitatem attingant. Quot ex gregibus nostris — expertus loquor — in partibus ruralibus, quot in officinis, quot in sorditiis et miseria habitantes, quot matresfamilias, quot iuvenes, quot denique aegroti et corpore fracti, qui, quamvis ad statum canonicum perfectionis non pertineant, vere tamen perfecti sunt. Certo certius talium est regnum Dei et per tales mundus actuose sanctificatur. Et si, proh dolor, nullus vel vix ullus ex hac turba magna, hisce temporibus, ad altare elevatur, ratio non est quia deest heroica vitae sanctitas sed quia desunt qui causam eorum propagent.

Deus omnes homines vult salvos fieri et ad sanctitatem pervenire. Quapropter misit Filium suum in mundum, cuius Evangelii nos testes et praedicatores esse debemus. Sed quid est alpha et omega huius evangelii? « Coepit Iesus », secundum Matthaeum, « praedicare et dicere: Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum » (4, 17); et inter eius ultima verba, ut narrat S. Lucas, erant haec: « Oportet praedicare... poenitentiam et remissionem peccatorum » (24, 46). In textu nobis proposito, tamen, verbum « poenitentia » nec nominatur, ne semel quidem.

Propono ergo ut capitulum ita reformetur ut multo brevius media extraordinaria sanctificationis tractentur et multo fusius media ordinaria pro ordinario populo Dei exponantur. In specie, oro ut incipiamus loquendo de poenitentia in remissionem peccatorum. Deinde media praeclara quae clero et laicis nostris praesto sunt commendamus. Hoc facientes, et gaudium magnum vocationis omnium et singulorum christifidelium ad sanctitatem plene

christianam annuntiabimus, et Ecclesiam *qua Sanctam* et vere delineabimus et pastoraliter aedificabimus.

[*Subscripserunt etiam*] Vincentius Hanley, ep. Elphinensis; Gulielmus Philbin, VR Down et Connor; P. O'Boyle, ep. Killala; Ioseph Rodgers, ep. Laoniensis; John Ahern, ep. Cloynensis.

81

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK
Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Multa valde placent in hoc capite, praesertim clara et expressa integratio vocationum particularium, et vitae religiosae in una atque universali vocatione omnium christianorum ad sanctitatem in una et sancta Ecclesia. Sic universalis vocatio ad sanctitatem non solum non minuitur per celsitudinem vocationis eorum qui consilia evangelica profitentur, sed potius illustratur et adiuvatur. Insuper ipsa vocatio ad consilia evangelica sequenda vel publice profitenda verius et magis pastoraliter apparet tamquam testimonium et servitium charismaticum « in aedificationem Corporis Christi ».

Cum schema sit bonum in pluribus, tamen adhuc perfici potest atque debet: Nempe:

1. In hoc quod vocatio christianorum ad sanctitatem magis explicite in luce ipsius missionis Christi eiusque sacerdotii proponi deberet;
2. Ut sic sanctitas christianorum omnimodo consideretur in luce actionis sanctificatricis Dei et Christi per Spiritum Sanctum;
3. Etiam expressius tractetur de sanctitate Ecclesiae, atque sensus dynamicus vocationis S. Ecclesiae ita explicetur, ut omnibus membris Ecclesiae sit stimulus continuae conversionis in humilitate et magnanimitate.

A. *Sanctitas Ecclesiae et christianorum in luce Christi eiusque sacerdotii proponatur.*

In hoc schemate idea christocentrica magis quidem apparet quam in schemate primo « de ordine morali ». Et magnus progressus versus talem visionem christocentricam omnino laudandus est. Sed adhuc maior progressus in hanc directionem exoptandus esset, ut textus conciliaris Summum Pontificem Paulum VI cum liturgia plene sequatur: « Te Christum solum novimus ».

Doctrina de sacerdotio Christi deberet totum schema de Ecclesia pervadere, et praesertim hoc caput de sanctitate in Ecclesia. Ecclesia etenim non est sancta nisi per sacerdotium Christi. Ipse Christus, summus sacerdos, unctus per Spiritum sanctitatis, seipsum sanctificavit tamquam hostiam immaculatam et holocaustum pro discipulis, pro apostolis primum, et in intuitu omnium discipulorum, « ut sint et ipsi sanctificati in veritate » (*Io.* 17, 19).

Evangelium S. Ioannis connectit mysterium Summi Sacerdotis Christi ad sanctificandos discipulos cum mysterio unitatis et caritatis. Sic etiam schema

praesens, vestigia S. Ioannis premendo, demonstrare posset omnibus fidelibus, et praeprimis discipulis praedilectionis: et quidem in linea constitutionis *de Liturgia,* quomodo sanctitatis vocatio in Ecclesia intime cohaereat cum revelatione mysterii unitatis et cum mandato caritatis. Patrem suum alloquitur summus Sacerdos Christus: « Pater *Sancte!* », et petit: Ut sint unum, sicut et nos (*Io.* 17, 11). Deinde demonstrat finalitatem suae actionis sacerdotalis, qua discipulos sanctificat: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint » (*Io.* 17, 21), « ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum » (*Io.* 17, 22 s.).

Christiani vivunt ex sanctificatione recepta, si sunt per participationem et fidelitatem « perfecti » (consummati — in textu graeco « teteleiomenos ») quoad illam caritatem et unitatem, quae est testimonium pro mysterio unitatis. Omnes qui sanctificantur per sacerdotium Christi — mediante sacerdotii Ecclesiae et non sine testimonio praeclaro eorum qui toto corde sese dedicant sanctitati — ad hoc sanctificantur, ut unum fiant in Christo, ut cum ipso, per ipsum et in ipso « unanimes uno ore honorificent Deum, et Patrem Domini nostri Iesu Christi » (*Rom.* 15, 6).

Christus, unctus, sanctificatus substantialiter per unionem hypostaticam et per Spiritum Sanctum, ad hoc missus est, ut tamquam Summus Sacerdos et hostia perfecta in nomine totius generis humani et ad Redemptionem omnium sese offerat in ineffabili « solidaritate » et unitate cum hominibus reducendis ad fontem sanctitatis et unitatis.

Christus resuscitatus, victima a Patre manifeste acceptata « dextera Dei igitur exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc » (*Actus Ap.,* 2, 33). Per Spiritum Sanctum Christus effundit caritatem in cordibus fidelium. Per eundem Spiritum eos sanctificat, ut et ipsi simili modo ac ipse, sanctificati sint, et congregati in admirabilem unitatem, caritatem, solidaritatem Redemptionis.

Tali modo in schemate *organice uniantur* quae in eo iam bene de sanctitate in caritate dicuntur, cum clariore orientatione christocentrica totius constitutionis *de Ecclesia.* Caritas non mere iuxtaponatur, sed potius intime integretur veritati de sacerdotio Christi eiusque multiformi participatione per discipulos.

B. *Magis explicite in lucem ponatur actio sanctificatrix Dei.*

Solus Christus est sanctus in gloria Dei Patris cum S. Spiritu. Sanctitas Dei inaccessibilis revelatur in Christo, qui non quaerit gloriam suam, sed gloriam eius qui misit eum. Ministerium sacerdotale Christi respondet Patri, qui unxit naturam eius humanam per Spiritum Sanctitatis in unione hypostatica huius naturae humanae cum Verbo Aeterno. Huic unctioni respondet totaliter Messias-Christus tamquam sacerdos et hostia: « Corpus aptasti mihi... ecce venio » (*Hebr.* 10, 5). Ipse Iesus Christus considerat opus suum quo glorificat Patrem, in splendore gloriae Patris: « Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi et iterum clarificabo » (*Io.* 12,

27 s.). « Et nunc clarifica me, tu Pater, apud teipsum claritate quam habui prius quam mundus esset apud te » (*Io.* 17, 5). Sic mysteria Verbi Incarnati, praeprimis mysterium paschale, sunt revelationes mysterii sanctitatis Dei; et per virtutem horum mysteriorum etiam discipuli transformantur et sanctificantur.

Sicut Christus testificat de se: « Quem Pater sanctificavit et misit in mundum » (*Io.* 10, 36), ita christiani ante omnia debent considerare, quod « sunt sanctificati in Christo, et vocati sancti » (*1 Cor.* 1, 2). Ideo *omnes energiae* ad vitam sanctam oriuntur ex fide de actione sanctificante a parte Dei. Dum christiani debent et possunt vitare omne peccatum et quod profanum est, quia Deus eos sanctificavit et in eis continuat suam actionem sanctificantem per gratiam Spiritus Sancti. « Et haec quidem fuistis, peccatores, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri » (*1 Cor.* 6, 11). Antequam epistula ad Hebraeos loquatur de admirabili nota Novae Legis sanctitatis « dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas » (*Hebr.* 10, 16) —, valde in lucem ponit veritatem, quod in Christo Iesu, et in voluntate Patris, quam Christus implevit seipsum immolando « sanctificati sumus » (*Hebr.* 10, 10), « Una enim oblatione consummavit (teteleioken) in sempiternum sanctificatos » (*Hebr.* 10, 15).

Ergo constitutio *de Ecclesia,* et speciatim caput de sanctitate in Ecclesia *demonstret cohaesionem cum constitutione de S. Liturgia* clarius indicando quomodo sacrificium eucharisticum et sacramenta christianos efforment atque edoceant de sanctitate vitae.

Sic, integritas morum in religione christiana novam et altiorem significationem praebebit. Non enim agitur de mera perfectione humana, sed de illa sanctitate, quae a Deo venit, et hominem ab intrinseco impellit ut omnia referat ad laudem gloriae gratiae eius. Et hoc modo etiam efficacius vincitur parum sanus minimalismus et moralismus nimis profanus.

C. *Hoc caput expressius referatur ad notam sanctitatis Ecclesiae.*

Cum hic agatur de capite constitutionis *de Ecclesia,* logice et ex natura rei *primum consideranda esset* in hoc capite vocatio totius Ecclesiae ad sanctitatem. Etenim, Ecclesia, i. e. « convocatio » etymologice, tota electa et sanctificata est in sanguine Christi. Pro Ecclesia Christus « sese tradidit, ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 26 s.).

Nota sanctitatis Ecclesiae evocat dilectionem a parte Christi, actionem suam redemptricem et sanctificantem, et exinde obligationem ad collaborandum in participatione sacerdotio Christi, et praesertim in hoc quod est finis, nempe, quod sanctificationi obiectivae respondere debet fidelitas Ecclesiae. Ecclesia apparebit totaliter sancta nonnisi in fine suae peregrinationis. Sic nota sanctitatis Ecclesiae ipsam obligat, ipsam impellit atque iudicat, non tamen deprimit. Sanctitas Ecclesiae omnia bona ad Dei gloriam refert, ipsam

autem Ecclesiam continuo ad humilitatem et paenitentiam invitat. Nihil magis sanctitati in Ecclesia contradicit quam sufficientia quaedam « pharisaica » eorum qui sanctitatem reponunt tantum in fideli observatione praescriptionum externarum religionis. In hoc tempore intermedio Ecclesia S. suam excellentem vocationem, suum originem suumque finem comparare debet cum statu reali: Ita maxime conversio omnibus praedicetur in Ecclesia, et quidem *continua conversio.* Plenitudo eschatologica et spes directa in Ecclesiam caelestem, praesertim imago Beatissimae Virginis, prototypi Ecclesiae, humilis et exaltatae, Ecclesiam non sinunt requiescere et desidem fieri. « Qui iustus est, iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc » (*Apoc.* 22, 11).

Sic vocatio ad sanctitatem omnium consideranda est in pugna eschatologica. Una ex parte imago « mulieris » exaltatae, propter fidem et humilitatem; ex altera parte imago draconis superbi (*Apoc.* 12), demonstrant vocationem altissimam totius Ecclesiae, sed etiam periculum pro iis qui huic vocationi non plene respondere intendunt.

Animadversiones additae:

1. Ad n. 30: Inter diversos status vitae spiritualis praeter statum hieraticum (sacerdotalem) et laicum (matrimonialem), fiat necessario mentio specialis de istis permultis qui nec ad statum hieraticum, nec matrimonialem, nec religiosum, attamen ad sanctitatem sunt vocati: i. e. *infantes* (*impuberes*), *caelibes, senes, aegrotantes...*

2. Ad n. 31: Sanctitas describenda est non solum per perfectionem amoris (caritatis), sed etiam ope aliarum virtutum praesertim theologicarum, inter quas *fides viva et operosa* constituit in nostris temporibus miserrimae defectionis a fide et religione, principium veri progressus sanctitatis...

3. Ad n. 36: Meminerint christifideles ut non solum per suam sanctitatem Ecclesiam et Christum magis in dies mundo irradiare faciunt, *sed etiam, proh dolor, per defectum et absentiam sanctitatis Ecclesiam et Christum misere offuscant.* Quod necessario addendum est in hunc numerum cap. IV ad respondendum illis omnibus qui condemnant christianos nostri temporis, eorum mediocritatem et « hypocrisim » secundum dictum Nietzschei « Illi, nempe christiani, deberent cantare nobis cantus meliores, ut possimus credere Deo eorum. Discipuli Christi deberent exhibere faciem magis salvatricem... » (Zaratustra).

82

EXC.MUS P. D. ALOISIUS MANRESA FORMOSA
Episcopus Altensis

Quamvis cap. IV huius schematis plura elementa bona contineat, tamen in describenda natura, valore et momento statuum perfectionis evangelicae acquirendae, proh dolor, deficit ideoque hac in re funditus retractandum esse videtur.

Elementa autem essentialia quae in nova redactione prae oculis habenda sunt, imprimis sequentia esse censeo:

Status perfectionis evangelicae acquirendae ex tota indole sua tendunt ad unionem et conformitatem cum Christo omnino specialem et typicam, quae ut talis nec in laicis nec in aliis statibus ut sic invenitur.

Haec specialis et typica unio et conformitas cum Christo, ad quam religiosi vocantur consistit in totali ac integra ac votis perpetuis firmanda sequela ac imitatione ipsius Christi pauperis, virginalis et oboedientis.

Praecise ratione huius totalis abnegationis sui ad quam religiosi *vi status sui* tenentur, aspectum quendam maxime fundamentalem vitae terrestris Verbi Incarnati ac Domini nostri Iesu Christi actuose exhibent, qui nempe propter nos et propter nostram salutem vitam perfectae paupertatis, virginitatis et oboedientiae elegit.

Valor et momentum statuum perfectionis evangelicae acquirendae pariter ergo in eo sunt, ut concreta forma vitae ipsius Domini nostri in mystico eius Corpore continuetur ac perpetuetur, et quidem non tantum tamquam signum seu testimonium vel adhortatio externa sed etiam tamquam signum operosum et efficax mirabundae illius fertilitatis quae ex abnegatione revera christiana profluit et quae in gloria caelesti terminatur.

Sicut enim paupertas, virginitas et oboedientia Christi praeclarum valorem et eximium momentum pro tota nostra salute possident, ita etiam paupertas, virginitas et oboedientia qualia per gratiam Dei in statibus perfectionis vivuntur, sine dubio ad totius mystici Corporis salutem, sanitatem et fertilitatem summopere conferunt.

Ut autem hae veritates fundamentales, quae in perenni traditione Ecclesiae radicantur, non tantum contra vigentia pericula exteriorismi et activismi defendantur sed etiam pulchritudo interior Ecclesiae efficacius demonstretur, summopere profecto conveniens esset, ut doctrina Tridentina de maiore perfectione huius status iteraretur et explicaretur, essentialis functio specifica et propria huius status clariore in luce poneretur, et tandem organice in doctrinam Concilii de Corpore Iesu Christi mystico insereretur.

Sine ullo autem dubio necessarium erit ut illi sectioni quae in actuali schemate *de statibus perfectionis acquirendae* agit alia substituatur quae Concilium Oecumenicum et theologiam hodiernam decet. Ad quem scopum permulta utilia iam inveniuntur in capitulo quinto primi schematis *de Ecclesia* quod hac in re praesens schema toto caelo superat.

83

Exc.mus P. D. IOANNES MAZUR

Episcopus tit. Bladiensis, aux. Lublinensis

Humiliter propono in schemate *de Ecclesia* cap. IV, « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », n. 30, pag. 19, linn. 16-19, post verba: « ... christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant », sequentem explicationem: « proprio exemplo serviendi Deo et servandi eius praecepta et praesertim

docendo orationem a primordiis vitae rationalis infantium et loquendo de Deo methodo aetati eorum aptissimo praecipue occasione mysteriorum Domini in sacra Liturgia occurrentium ». Et hanc assertionem ita proferre: « Libenter etiam coniuges parentesque alloquitur Sacra Synodus, ut amore fideli se invicem in vita gratiae sustineant, et prolem amanter a Deo acceptam christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant proprio exemplo serviendi Deo atque servandi eius praecepta et praesertim docendo orationem a primordiis vitae rationalis infantium et loquendo de Deo methodo aetati eorum aptissimo, praecipue occasione mysteriorum Domini in sacra Liturgia occurrentium ». Nam:

1. Experientia constat, maior pars parentum in hac obligatione nostris temporibus deficere. Nonnulli hoc officium non animadvertunt, alii ambo laborantes inde excusationem et causam se dispensandi ab eo exhauriunt.

2. Instructio religiosa in scholis etiam catholicis quamvis perutilis non sufficit, nam paedagogia et psychologia infantium docent, aetatem ad 6-7 annos ad certas practicas imbuendas et fundamenta religionis ponenda maxime idoneam esse.

3. Attamen experientia constat, quod permulti puerorum aetatis 6-7 annorum innumerabiles fere versus memoria tenent et non paucos libros pueriles cognoscunt, ex parte autem religionis solummodo cruce se signare possunt.

4. Sacrum Concilium coaevam vitam christianam restaurare desiderans a principiis, id est, a familia et prole incipere debeat. Propterea conscientiam omnium parentum, praesertim negligentium, concutere et viam monstrare debet.

5. Ad hoc locus iste optime respondere videtur.

6. Praeterea in nonnullis regionibus parentes unici magistri doctrinae christianae esse possunt et sollicitudo erga instructionem religiosam puerorum optima praeparatio ad talem tristem necessitudinem est.

7. Educatio religiosa est ante omnia actio personalis, in qua, exemplum magistri, in hoc casu parentum, maxime valet, nam « verba docent et exempla trahunt » dicitur.

84

Exc.mus P. D. FRANCISCUS CONSTANTINUS MAZZIERI
Episcopus Ndolaensis

Cap. IV schematis, i. e. « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » est sine dubio maximi momenti; sanctificatio enim nostra est ultimus finis Incarnationis et Redemptionis Domini nostri Iesu Christi; ad sanctificationem nostram possunt referri illa verba quae Salvator noster dixit Marthae: « Porro unum est necessarium ».

In hoc capite multa perbelle dicuntur de sanctitate quae fundatur in caritate erga Deum et proximum nostrum; sed, quamvis in fasciculo dicatur « schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* » mihi videtur nonnullas con-

siderationes huic schemati addenda esse, ad augendam ipsius schematis pastoralem naturam.

1. Legi et perlegi textum schematis sed non inveni in eo, saltem aperte declaratum et assertum hoc essentiale principium: Vita interior, seu personalis sanctificatio est fundamentum et corona totius apostolatus; et vita interior alitur meditatione, quotidiano examine conscientiae, pia, digna ac devota Divini Officii recitatione et aliis pietatis operibus: haec est « conditio sine qua non » ad aliquos apostolatus fructus colligendos. Cuique incumbit munus extendendi Regnum Christi in mundo: S. Paulus dicit: « Vae mihi si non evangelizavero ». Apostolus dare debet ceteris « spiritum Christi »; sed hunc finem attingere nequit si ipse non est spiritu Christi repletus. Quomodo potest communicare ceteris « aquam vivam », scaturientem de fontibus Salvatoris si ipse in misera spirituali siccitate versatur? S. Gregorius dicit: « Qui caritatem non habet praedicationis officium suscipere nullatenus debet »; et nos dicere possumus: « Qui sanctitatem non possidet et quidem abundanter, non est aptus ad apostolatum exercendum quia " nemo dat quod non habet " ». De hac necessitate mentio fieri potest circa finem par. 29.

2. In schemate bene dictum est « sanctitatem in amore Dei et proximi consistere »; sed natura pastoralis huius schematis melius assequeretur si hic, non tantum in abstracto, verum et in concreto adderetur quod regula proxima ad amorem nostrum erga Deum ostendendum est humilis et perfecta conformitas voluntati divinae; non tantum in rebus prosperis sed etiam, et super omnia, in rebus adversis. Sine dubio, est signum sublimae sanctitatis quando quis in omnibus huius vitae aerumnis, dicere valet cum Salvatore nostro: « Domine, fiat voluntas tua ». Haec sanctitatis via, nempe conformitas voluntati divinae qua homo paratus est acceptare, animo volenti, omnes vitae dolores de manu Dei, est maxime practica et censeo inserendam esse aliquo modo in par. 31 huius capitis.

Venerabiles Patres, pensate: nostris praesertim diebus est quam maxime commune illud inexorabile morbum quod in lingua anglica " cancer " et in lingua italica « cancro » vocatur. Saepe saepius nulla spes adest sanitatem recuperandi in illis qui tali morbo affecti sunt. Ad illos ab abysso desperationis eripiendos necesse est thesaurum infinitae Dei misericordiae adaperire: per crucem Deus vult eos elevare ad lucem; per huius vitae dolores eos facit participes sanctitatis coronae in gloria caelesti, si se humiliter submittunt voluntati, vel permissioni divinae, ad exemplum Salvatoris nostri qui in Gethsemani ad Patrem oravit: « Pater, si possibile est transeat a me calix iste; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat ».

Sub hac luce nos intelligere possumus S. Theresiam exclamantem: « Aut pati, aut mori »; et S. Franciscum Assisiensem qui dicebat: « Tanto è grande il ben ch'io aspetto - ch'ogni pena m'è diletto »; et etiam « Laudato sii, mio Signore - per nostra corporal sorella morte ».

85

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Cap. IV — de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia — in genere placet. Liceat tamen mihi haec pauca — humili sensu — addere.

1. Capitis titulus inscribitur: de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, i. e., in tota Ecclesia. Attamen, exacto cap. III, in quo, per quantum tempus, laicorum munera dotesque laudavimus, schema nostrum, mentione obiter facta, coniugum, parentum, christifidelium, statim pergit quam luculentissime disserere de sanctitate eorum tantum qui status perfectionis amplexi sunt. Et legimus in par. 33, lin. 18, hoc pulchre enuntiatum: « *consiliorum* professio est in Ecclesia Spiritus Sancti fructus pretiosus, eiusque sanctitatis peculiare testimonium ».

Quid autem dicendum sit de illa *praeceptorum* Dei et Ecclesiae professione, quam exhibet multitudo christifidelium innumerabilis, inter quos certe censendi sunt patres, matres, familiae omnium nostrum hac in aula praesentium, populus Dei fidelissimus?

Nonne et haec fidelium sanctitas aeque est in Ecclesia « Spiritus Sancti fructus pretiosus eiusque sanctitatis peculiare testimonium »?

2. et ultimo. In ultima paragrapho, caput nostrum iterum dat aspectum fugitivum versus fideles ut ad sanctitatem prosequendam incitentur.

At, nullibi in capite invenitur talis sanctitatis definitio qualis in multis Sanctae Sedis documentis promitur.

Satis sit in memoriam revocare doctrinam clarissimam illius sancti Pontificis Benedicti XV, in decretis de heroicitate virtutum Servorum Dei, praesertim Ioannis B. de Burgundia et Ioannis Nepomuceni Neumann — ipsa verba Summi Pontificis cito: « heroicitas — in una dumtaxat sita sit oportet, fideli, iugi et constanti proprii status munerum et officiorum perfunctione ».

Nonne vehementer incitari possent simplices christifideles, ad sanctitatem consequendam, si clarius intelligerent eam solam iuxta mentem Apostolicae Sedis esse genuinam sanctitatem, quae est Dei voluntatis pro statu nostro munerisque circumstantiis adimpletio, quotidiana, constans, supernaturalis.

Quare, concludendo, humili animo proponere vellem, ut in capite quarto, hoc Sacrosanctum Concilium suam faceret hanc de fidelium genuina sanctitate authenticam Sanctae Sedis Romanae doctrinam.

86

EXC.MUS P. D. FRIDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Ad schema *de Ecclesia,* cap. IV, n. 31. *De mediis ad sanctitatem.*

Laicis, qui longe maiorem populi Dei partem constituunt, nullum in hoc numero proponitur medium ad sanctitatem acquirendam. Ut videtur, iuxta titulum, in hoc loco essent commendanda media, quibus si laici utantur, sanctitatis vitam secure degere valerent. Aliter caritatis perfectae erga Deum et proximum praeceptum revera non observabunt, etsi ut aliquoties accidit, exterius boni appareant.

Censeo proponenda eis esse sanctitatis media, quae sequuntur:

a) Cognitio et dilectio Domini nostri Iesu Christi, lectione et meditatione verbi revelati comparata, necnon imitatio virtutum eius, qui est omnium christifidelium necessarium ad salutem exemplar, cum Deus Pater disposuerit, debere omnes nos « conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus » (*Rom.* 8, 29).

b) Frequens usus sacramentorum illorum quae maxime ad sanctitatem obtinendam, augendam vel perficiendam ordinantur, prout sunt Paenitentia et sanctissima Eucharistia.

c) Assidua oratio, fidei, spei et caritatis exercitatio, quae valde conferunt ad unionem cum Deo et ad hominem renovandum « secundum imaginem eius qui creavit illum » (*Col.* 3, 10).

d) Cultus erga Spiritum Sanctum, ut « caritas Dei diffundatur in cordibus hominum per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5), necnon erga SS. Cor Iesu, quo tam enixe commendatur et exercetur perfecta caritas, atque erga B. Virginem Mariam, quae mater pietatis merito appellatur.

e) Abnegatio necessaria omnibus qui velint sequi Christum, iuxta illud « si quis vult venire post me, abneget semetipsum » (*Mt.* 16, 24), et oboedientia humilis ad imitationem illius qui pro nobis « factus est oboediens usque ad mortem crucis » (*Phil.* 2, 8).

f) Operosus et ardens animarum zelus.

g) Denique praxis concreta « exercitiorum spiritualium », quotannis si fieri possit peragendorum, iuxta enixas Summorum Pontificum commendationes.

87

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Licet ex professo, in hoc cap. IV, de sanctitate agatur, vix in textu advertitur in Ecclesia distingui *triplex genus* sanctitatis, et quidem ex ipsis verbis Novi Testamenti, *ad unum* autem tantum ex illis sanctitatis generibus pertinere proprie dictam in Ecclesia vocationem.

Invenitur quippe in Ecclesia, primo, *fundamentalis* aliqua sanctitas ieratica,[1] seu liturgica,[2] quae, ut verbis utar S. Thomae, « nihil aliud est quam *participatio* illa *sacerdotii Christi* »,[3] quae et singulis characteribus sacramentalibus proportionatur. Siquidem fidelis, per characterem *baptismatis* idoneus redditur ut partem sumere valeat sacris illis Ecclesiae *ritibus,* in quibus conficitur sacrificium Christi. Per characterem vero *confirmationis,* idoneus redditur ut authenticum Christi testimonium proferre valeat in sacro opere evangelico.[4] Per characterem denique *ordinis,* idoneus redditur ut *sacram Dei plebem* vice ipsius Christi Domini subordinare cooptareque valeat in totius mundi salutem.[5]

Luce autem clarius est ad propriam quisque indelebilem immobilemque ieraticam sanctitatem vocari neminem posse, quippe qui in eadem definitive fundatus invenitur.

Praeterea invenitur in Ecclesia *formalis* alia sanctitas caritativa[6] seu filialis: vitae nempe caelestis *deiformitas,* quae mensurae *gratiae* habitualis proportionatur, et cum ipsa tuenda augendaque singulis proponitur — lege quidem primaria —, ita ut ad perfectionem caritatis assequendam non *vocati,* sed proprie *obligati* dicendi sunt fideles. Res tamen non ita intelligenda est, quod remissio quaelibet sancti cursus in Christum ut transgressio legis habenda sit: largissime enim a divina clementia *liberalitati* fidelium committuntur opera meliora; ideoque « divinae legis admonitiones » uti monet S. Thomas, *non* dicuntur *praecepta,* « in quantum suadetur homini, propter meliora minus bona praetermittat ».[7] Importabile nefas est fieri Christi onus.[8]

---

1 ἱερωσύνη
2 *Rom.* 15, 16; *Heb.* 10, 11; *Apoc.* 1, 6; 20, 6.
3 *Summa Theol.,* 3 a, 63, 3.
4 *2 Cor.* 5, 20; *Phil.* 2, 17.
5 ...ἐν μιᾷ ὑποταγῇ κατηρτισμένοι... (S. Ign. Antioch., *Eph.* I, 1. 2).
6 ἁγιωσύνη
7 *Contra Gentes,* 3, c. 130.
8 *Mt.* 11, 29 s.; 23, 4.

Invenitur tandem in Ecclesia sanctitas « religiosa » seu « spiritualis »,[9] quae « vitae sanctimonia », vel « vita devota » nuncupari solet, — cuique alludit apostolus, dum Galatas hortatur ut « spiritu ambulent »,[10] et Romanos, ut « corpora sua viventem hostiam Deo exhibeant, et nolentes conformari huic saeculo intime reformentur ad assequendum divinum beneplacitum ».[11]

Haec tertia sanctitas non iam intrinsece theologica, sed *humana* est; siquidem, teste iterum S. Thoma, « optimum hominis est ut mente Deo adhaereat et rebus divinis »; [12] nec fundamentalis quidem, nec formalis est, sed proprie *dispositiva,* prioribusque subordinata. *Ad ipsam,* proprie loquendo « *vocamur* in Ecclesia », dum exhortamur omnes ut « parati » inveniamur; [13] et ad illam specifice ordinatur *disciplina* evangelica.

Iamvero fatendum est permixte confuseque proponi in schemate triplex istud genus sanctitatis, exindeque non modo inepte nonnunquam proferri Scripturas Sanctas,[14] sed et indefinitam inexactamque in pluribus proponi doctrinam.

2. His autem de sanctitate praemissis, de ipsa *vocatione evangelica* notandum venit, quod a primordiis Ecclesiae, prout in Novo Testamento consignantur, usque ad sancita nuper Instituta perfectionis saecularia, constanter agnitam invenire est distinctionem inter *fideles* Christi [15] et *discipulos* Christi: [16] inter illos nempe qui evangelicae doctrinae eatenus adhaerent, ut quod satis est operentur ad vitam aeternam, mandatis servatis, utcumque consequendam,[17] et illos qui in eadem doctrina evangelica toto pectore, dataque opera, excolere sese satagant ad uberiorem caritatis fructum, exindeque Christum *sequi* proprie dicendi sunt, contendentes Regnum ipsum eius ex nunc ingredi.[18]

Iamvero manifestum est eamdem omnino non esse utriusque categoriae vocationem: *generalis* scil. seu omnium est vocatio fidelium, *specialis* vero, id est non omnium, vocatio discipulorum,[19] ita ut discipuli non mere *vocari* dicendi sunt ad vitae sanctimoniam, sed *eligi*: altior enim in illis est ordo gratiarum disponentium ad vitam aeternam.

Dolendum igitur est in schemate ignorari ut plurimum hanc summi mo-

---

[9] ὁσιότης; *Lc.* 1, 75; *Eph.* 4, 24; *1 Thess.* 2, 10; *1 Tim.* 2, 8; *Tit.* 1, 2; *Heb.* 7, 26.

[10] *Gal.* 5, 16.

[11] *Rom.* 12, 1-2.

[12] *Contra Gentes,* 3, c. 130.

[13] *Mt.* 24, 44.

[14] *Io.* 10, 10; *Eph.* 1, 3-6 (n. 28, pag. 19, linn. 5 s. du texte).

[15] οἱ πεπιστευκότες (*Act.* 15, 5 etc.).

[16] οἱ μαθηταί.

[17] *Mt.* 19, 17.

[18] *Mt.* 19, 21.

[19] *Lc.* 14, 26-27.

menti distinctionem, ita ut *sequela* Christi pro *observantia mandatorum* habeatur,[20] et *invitatio,* seu vocatio, in *obligationem* convertatur.[21]

3. Consultum autem in primis habet doctrina evangelica, ut ad removendam inordinationem affectuum, qua regnum impeditur caritatis, *fruitio* ipsa bonorum temporalium generose reducatur, et pro posse abdicetur. Extenuata enim, per spirituale ieiunium, triplici concupiscentia, facilius reformatur cor ad integritatem affectus caritatis, et ad illam libertatem qua « habentes... tanquam non habentes sint ».[22]

Iamvero iterum schema legenti constat essentialem hanc *asceticam* rationem consiliorum evangelicorum in effusa licet eorum definitione praetermitti penitus (incidenter tantum occurrit in ultimo capituli corollario).[23]

Non vacat singula de iisdem consiliis dicta ad crisim revocare: taceri vero nequit de evangelica orationis disciplina altum in capitulo pendere silentium, etiam ubi de excitando caritatis fervore agitur,[24] aut de consequenda pastorali caritatis perfectione; [25] ac si Dominus nullibi admonuisset petentibus Patrem dari bonum spiritum! [26]

4. Ad tractandum tandem de *religiosis,* in expositione doctrinali et pastorali, procedere non oportebat ex notione ipsius *status* religiosi,[27] et desumpta quidem a definitione quae proponitur in Codice Iuris Canonici,[28] (in quo quidem iure attenduntur in religiosis consilia *ex voto* servanda, propter vim iuridicam in votis contentam). In Codice enim de iuribus determinandis directe sancteque agitur. Nec sufficiebat loqui de « professione consiliorum »,[29] quippe quae et in Institutis saecularibus ab Ecclesia sancitur. Non enim primo ex consiliis evangelicis, seu ex *organis* suis, dispositivis, determinatur essentia vitae religiosae, sed ex *forma* sua specifica in proprio *proposito* determinata.

Ex notione igitur « religiosi » procedendum erat, et quidem prout determinatur in doctrina sanctorum. Non enim in Concilio solum agitur observantia illa *externa* religiosa, quae, teste S. Paulo, etiam apud Pharisaeos vigebat,[30] sed de *pietate interna* religiosa [31] tuenda et promovenda, in qua sanctimonia ecclesiastica *verticem* attingit. Religiosum enim se definit simul-

---

[20] N. 29, pag. 18, linn. 18-23 du texte.

[21] N. 31, pag. 20, linn. 38 s. « ... ad affectuum humanarum purificationem et spiritualem libertatem conferunt... ».

[22] *1 Cor.* 7, 29.

[23] N. 35.

[24] N. 35, pag. 22, linn. 39 s.

[25] N. 30, pag. 19, linn. 1-8.

[26] *Lc.* 11, 13.

[27] N. 32, pag. 20, linn. 36-40.

[28] Can. 487.

[29] N. 33, pag. 21, linn. 14-18.

[30] θρησκεία *Act.* 26, 5; *Iac.* 1, 26 s.

[31] εὐσεβεία

que profitetur Christus Dominus, dum B. Matri respondet: « In his quae Patris mei sunt oportet me esse ».[32] Siquidem religiosi, teste S. Thoma, specialiter dicuntur « qui totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis abstrahentes »,[33] « quasi holocaustum Deo offerentes »,[34] ut in « perfectione caritatis se exerceant ».[35]

Professio autem religiosa, seu aperta declaratio propositi religiosi facta coram Deo et hominibus, licet ipsa votum non sit, intrinsecum spirituale vinculum absolutissimae perfectionis religiosae, seu sanctimoniae, idque ex honore christiano, efficacissimum atque strictissimum; et si fideliter asservatur *altiorem fidei protestationem* constituit, soli martyrio secunda, necnon (ultima probatione religiosa), disciplinae Christi *consummationem*.

Si igitur dicto modo attendatur quid sit, in conspectu Dei, religiosus, et quod religio est « status spiritualis perfectionis »,[36] intelligitur intrinseca *ecclesialitas* religionum, et quod « ut pupillam oculi » custodiendae sunt, vigilando ne « sal infatuetur », ne « spiritus exstinguatur », ne « inficiat fermentum pharisaeorum »; intelligitur pertinentia cuiusque religionis ad *opus evangelicum,* et consequens *oecumenicitas* et signata *apostolicitas,* iisque proinde sancte abstinendum a saecularibus negotiis, utcumque coloratis, immobiliterque insistendum illi parti operis evangelici sibi a Deo peculiariter propositae; absque litigiis tandem enodentur pendentes disputationes ad aequum tutumque earum regimen ecclesiasticum.

88

EXC.MUS P. D. CONRADUS MINGO
Archiepiscopus Montis Regalis

In argumento de vocatione ad sanctitatem, quae mihi videtur maximi momenti pro nobis, sacerdotibus et fidelibus, mihi liceat aliquid breviter dicere.

Affirmatur in schemate sanctitatem consistere in caritate, id est in amore erga Deum et proximum; haec enim est doctrina S. Thomae: « per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianae vitae in caritate, principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi »; sed alii aliter sentiunt, etiam magistri et doctores magni nominis: e. g. aliqui dicunt sanctitatem consistere in unione cum Deo, in imitatione Christi, etc.

Ego submissa voce dicerem opportunius esse non definire ea quae adhuc sunt in disputatione doctorum. Sed si volumus in hac materia sequi vestigia

[32] *Lc.* 2, 49.
[33] *Summa Theol.,* II-II, 81, 1, ad 5.
[34] *Summ. Theol.,* II-II, 186, 1. c.
[35] *Summ. Theol.*
[36] *Summ. Theol.,* II-II, 186, 1. c.

S. Thomae, Doctoris maximi, debemus aliquo modo enucleare ipsius sententiam; nam in statu naturae lapsae dilectio Dei et proximi non est possibilis sine sacrificio: amor qui requiritur est amor abnegationis, et praesertim conformitas divinae voluntatis. Christus Dominus incepit suam praedicationem dicens: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum » (*Mt.* 4, 17). In aliis Evangelii locis solemniter affirmatur: « non omnis qui dicit mihi " Domine, Domine " intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum » (*Mt.* 7, 21); in eodem capite loquitur etiam de angusta porta et de arcta via et addit: « contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt » (*Lc.* 13, 24); verus amor habetur si observantur praecepta divina: « qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me: qui non diligit me sermones meos non servat » (*Io.* 14, 21-24). Schema diffunditur, meo iudicio, in rebus superfluis; v. g. « Gaudet autem Ecclesia plures etc. » pag. 20, linn. 29-35; et in rebus quae mihi videntur necessariae silet. Aliquis suspicari potest quod Patres Concilii timeant expresse nominare « poenitentiam, humilitatem, oboedientiam » etc. quia istae virtutes parum acceptae sunt hominibus nostrae aetatis.

2. In pag. 18 et 19, ut iam in 6, dicitur eadem esse sanctitas pro omnibus. Cum iam ab aliquo Patre conciliari hoc observatum est, breviter dicam. Alia est sanctitas illorum qui sunt coniugati, alia religiosorum, sacerdotum etc. Unde necessarium est ut illa affirmatio bene explicetur, secus intelligi potest contra doctrinam communem Ecclesiae.

3. Pag. 19, linn. 40 ss., in eadem linea efficientiae ponuntur sacramenta et aliae actiones sacrae: sed mihi hoc non videtur perfectum; nam sacramenta sunt causae efficientes tum infusionis tum augmenti caritatis, dum aliae actiones humanae, etiam sub influxu gratiae positae, sunt solum dispositivae caritatis.

Venerabiles Patres, has observationes humiliter subicio vestro iudicio: vos iudicate an rectae sint vel non.

89

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus-episcopus Barcinonensis

Thema cap. IV « *de vocatione ad sanctitatem* » cum attingat ipsam essentiam missionis Christi et Ecclesiae in mundo, in omni aetate opportunum fuit, sed vix unquam opportunius quam nostris temporibus. Ideo caput omni laude dignum existimatur. Sed opinor aliqua addenda esse, et aliqua in melius emendanda. Ex his, nonnulla legam; cetera secretariatui scripto tradam.

1. Meo iudicio, desideratur in capite quarto declaratio circa « valorem » salvificum et sanctificatorem *laboris humani*. Quod de hac quaestione fere per transennam innuitur in capite III, n. 25, *c*, affirmandum esset verbis explicitis et disertis in paragrapho « de mediis ad sanctitatem » (cap. IV, n. 31).

Formula dynamica et universalis rationis qua homines in via perfectionis procedunt est, iuxta mentem et locutionem Novi Testamenti, « facere voluntatem Patris qui in caelis est » (*Mt.* 7, 21). Sed voluntas Patris caelestis, *pro maxima parte* filiorum eius, qui in terra sunt, in eo manifestatur quod panem quotidianum sibi procurare debent labore manuum suarum — aut etiam labore technico, seu exercitio facultatum animi. Immo, etiam illi qui « independentia » oeconomica gaudent, tenentur lege divina laboris.

Labor humanus, qui, sine Christo, non esset nisi poena peccati, per Christum et in Christo nobilitatur et evehitur ad ordinem consortii in opere salvifico redemptionis humani generis.

Ideo valde opportunum videtur quod christifideles explicite edoceantur opus suae sanctificationis et perfectionis validissime exercere posse in labore et per laborem quotidianum professionalem. Nam, si christifideles maximam partem sui « temporis » in terris laborando impendunt, saepe « cum sudore » « et fatigatione » hoc fit ex voluntate Dei. Quam voluntatem Patris, si corde, mente et animo filiali in hac sua concreta et practica manifestatione amplectuntur, revera in via sanctitatis et iustitiae incedunt, consortes effecti Christi redemptoris.

Haec omnia quae dixi, omnino respondent « spiritualitati » Ioannis XXIII, sanctae recordationis, et desumpta sunt praesertim ex Litteris Encyclicis *Mater et Magistra,* necnon ex textu concessionis Indulgentiae Plenariae quotidianae pro oblatione laboris humani Deo facta. Pro universo mundo hodierno hic laetus nuntius de « valore » supernaturali et salvifico laboris humani apprime respondet « mentalitati » populi. In mea dioecesi, e. g., lineamentum characteristicum physiognomiae collectivae in « spiritu laboris » consistit, et nemo fere est qui, non tantum ex necessitate verum etiam ex vocatione, labori professionali totis viribus non incumbat.

Propono igitur commissioni « redactionem » quandam, concinnatam verbis S. Pauli et Ioannis XXIII, quae, si placeat, inseri posset in cap. IV schematis *de Ecclesia.*

2. Deesse videtur etiam in cap. IV explicita mentio « orationis ». Omnes fere paginae divinae Scripturae et documenta sacrae traditionis « orationem » aut commendant aut continent. Criterium practicum vitae christianae, ut docent magistri spirituales, est oratio, qua homo vitam integram lumine « praesentiae divinae » collustrat, et ad ordinem religiosum, sacrum et « sanctum » elevat.

Pro homine hodierno, eo praecise quod labori et « actioni » totis viribus incumbere tenetur, sacrae actiones collectivae et externae sunt quidem necessariae, sed non sufficiunt, immo nec « authenticae » erunt sine personali « spiritu orationis ». Haec oratio sponte in illum sensum quodammodo habitualem « Dei praesentis » efflorescit, quo homo « coram Deo ambulat », i. e., in conscientia religiosa habituali vivit et operatur.

Necessarium igitur censeo aliqua de oratione explicite tradere in capite de vocatione ad sanctitatem, quatenus oratio est medium necessarium, non

modo ut homines salutem assequantur, sed etiam ut ad summam perfectionem conscendant.

3. De gratia habituali, seu sanctificante, in toto cap. IV schema tantum in obliquo loquitur. Ne conceptum catholicum « sanctitatis » obscure et modo loquendi Novo Testamento non congruo praebeatur, clare apparere deberet quod sanctitas ontologica et fundamentalis, sive iustitia, verum Dei donum est, quo homo entitative et obiective « sanctus », i. e. « divinae consors naturae » (cf. *2 Pt.* 1, 4), efficitur.

De auxilio divino, quod « gratia actualis » in theologia hodierna nominatur, idem fere dicendum: tantum in obliquo apparet, nec unquam de eius necessitate et momento ex professo fit sermo.

In oecumenica ratione loquendi, quae adeo nostris temporibus commendatur, hae adnotationes non praetermittendae videntur si rectam doctrinae catholicae expositionem tradere intendimus. E contrario quis accusare posset mentem catholicam quasi ipsa tantum sollicita esset de sanctitate seu iustitia ex operibus, cum reapse Ecclesia catholica tanquam fundamentum sanctificationis personalis eiusque progressus semper consideraverit Iustitiam Dei salvificam, « non qua Ipse iustus est, sed qua nos iustos facit » (Denzinger-Schönmetzer 1529 [799]).

Plura alia scripsi de ascetica christiana, de officio sanctitatis sacerdotalis, de sanctitate familiari, de convenientia dividendi cap. IV, de terminologia circa notionem « Ecclesia », de parvis quibusdam correctionibus, quae in redactione fieri deberent.

Sed, cum tempus ad legendum non sufficiat, ea omnia scripto trado secretariatui, ut respectivae commissionis studio et iudicio submittantur.

a) *De ascetica christiana.* De mortificatione, de abnegatione et, in genere, de « Theologia Crucis » schema in hoc cap. IV fere non loquitur. Ascesis christiana ne quidem nominatur. Tantum in n. 33, *agendo de religiosis,* apparet verbum « abnegatio ». Postulatur igitur explicita et sufficiens tractatio de hac, adeo traditionali in Ecclesia, doctrina ad mentem et in spiritu Litterarum Encyclicarum Ioannis XXIII *Paenitentiam agere* (1 iulii 1962: *A.A.S.,* 54, 1962, pp. 481-491).

b) *De officio sanctitatis sacerdotalis.* Officium sanctitatis quo episcopi adstringuntur non debet « supponi », sed explicite, verbis directis et cum emphasi affirmari et urgeri. Caritas pastoralis innititur in principio evangelico, quod ita fere compendio exprimi posset: « Si diligis... pasce » (cf. *Io.* 21, 15 ss.).

Officium sanctitatis in presbyteris, potius quam in motivo coniunctionis cuiusdam cum ordine episcoporum, in motivo christocentrico fulciri deberet. Sunt et ipsi vere participes sacerdotii Christi.

Motivum quod innuitur pro ministris inferioribus, immo et pro laicis (cap. IV, n. 30, linn. 12-15), vix conscientiae christianae respondet, saltem quatenus agitur de vocatione ad sanctitatem.

c) *De sanctitate familiari.* Paragraphus circa « coniuges parentesque »

(cap. IV, n. 30, linn. 16 ss.) ad totum ambitum *familiae* extendenda esset, « filiis » non omissis. Familia, utpote quaedam « Ecclesia domestica » (cap. III, n. 24, lin. 40), est prima schola sanctitatis. Sanctificatio mundi, *maxima ex parte,* ex sanctificatione familiarum pendet. Utinam perfectio christiana, serena moderante « paedagogia religiosa familiari », ex animo « filiorum » adhuc infantium germinans germinaret...! Pro hodierna athmosphaera indisciplinae, opportunum esset mentionem facere de « valore formativo » sanctificatricis oboedientiae, necnon de officio quo parentes tenentur ad exercendam suam auctoritatem non ad libitum, sed ex clara conscientia fungendi munere instrumentorum « voluntatis Patris qui in caelis est ».

d) *De convenientia dividendi cap. IV in duo capita distincta.*

Ex eo quod per modum unius agitur in schemate « de vocatione ad sanctitatem in genere » et « de religiosis in specie », plures difficultates exsurgunt. Conclusio cap. IV, e. g., undecim lineas de religiosis et quinque tantum de episcopis, presbyteris, ministris, coniugibus aliisque omnibus christifidelibus comprehendit. Videtur evidens disproportio. Melius esset separatim agere « de religiosis » et « de vocatione ad sanctitatem in genere », ne unum thema aliud obscuret. Religiosi, ex quorum praesentia et actione multa bona Ecclesiae dilargita sunt omni eius historico decursu, caput separatum evidenter merentur.

e) *De terminologia circa « Ecclesiam ».* Nomen « Ecclesia » in toto fere capite supponit tantum pro Ecclesia hierarchica, cum in capitibus praecedentibus schema ita alte loquatur de Ecclesia comprehendente hierarchiam et fideles. Accuratior desideraretur terminologia theologica.

f) *Correctiones quaedam proponuntur.*

1. In prooemio cap. IV (n. 28) factum « adoptionis » renatorum in filios Dei tribuitur Secundae Personae Trinitatis, scil. Filio. In Scriptura autem tribuitur semper Patri.

2. Minus placent verba « plena perfectaque adoptio ». Videntur redundantia innecessaria.

3. In n. 29 dicitur: « gratuita excitante et adiuvante gratia ». Qualificativum « gratuita » redundat.

4. In toto schemate fit una tantum allusio ad sacramenta ut sanctificationis media (n. 31), et quidem quasi per transennam. Sacramenta vero maius momentum habent in sanctificatione christiana.

5. In n. 32 negative dicitur quod status religiosus non est intermedium quid inter clericalem et laicalem statum. Quid est ergo positive? et cur est status specialis in Ecclesia? Declarandum esset.

Textus, qui inserendus schemati proponitur. Inter sanctificationis media, summis laudibus a Sancta Synodo prosequitur eorum christifidelium praxis, qui, « in labore et in fatigatione operantes » (cf. *2 Thess.* 3, 8; 3, 10. 12; *1 Thess.* 4, 11), sive animi sive manuum suarum labores Deo iugiter offerunt (cf. *Decretum S. Poenit. Apost.,* 25 nov. 1961: *A.A.S.,* 53, 1961, pag. 827), et hac ratione cum Deo « in Christo Iesu » adeo mente et corde

coniunguntur, ut et per ipsos Sanctissimi Redemptoris labor quodammodo continuetur, et humanum opus, nobilitate decoratum, superna virtute polleat ad sanctificationem perfectionemque homines, qui ipsum exercent, perducendos, itemque ad impertiendos et propagandos fructus christianae Redemptionis (cf. Litt. Encycl. Ioannis XXIII, 15 maii 1961, *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53, 1961, pp. 460-462).

90

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZALES
Archiepiscopus Caesaraugustanus

28. (*Prooemium*). Mysterium Ecclesiae, quod a Sancta Synodo sollemniter annuntiatur, quam maxime mundo universo praefulget in sanctitate quam ipsi, ut dilectae sponsae, acquisivit et donat Christus Dominus seipsum tradens pro ea, mundans lavacro aquae in verbo vitae (cf. *Eph.* 5, 25-26).

Ideoque Ecclesia non modo gens sancta, populus acquisitionis est (cf. *1 Pt.* 2, 9), verum etiam sacramentum sanctificationis pro omnibus, his in terris est constituta, ita ut sanctitas ex divina institutione et ipsius vitam intimam et missionem essentialem constituat.

Electi namque ante mundi constitutionem ut essent sancti et immaculati, praedestinati in adoptionem filiorum per Iesum Christum (cf. *Eph.* 1, 3-5), per Ecclesiam et in Ecclesia vocationem suam multiformiter attingunt ut testimonium sanctitatis eius numquam deficiat; quosdam autem inter illos benigne eligit Deus; ut per statum vitae ab Ecclesia sancitum, huius universalis vocationis ad Regnum caelorum praeclarum in mundo ferant exemplum et testimonium.

29. (*De universali ad sanctitatem vocatione*). Deus, solus bonus, iustus, misericors (cf. *2 Mac.* 1, 24-25), omnisque sanctitatis fons, populo suo electo sanctus esse voluit, ut et filii populi Deo suo sancti essent (*Lev.* 20, 26). Quod autem inchoate in V. T. populo israelitico evenit, Christus Iesus, Pontifex Sanctus (cf. *Heb.* 7, 26), Sanctus Dei (*Lc.* 4, 34) plene ac perfecte in novi foederis per oblationem proprii corporis (*Heb.* 10, 10), adimplevit, consummans in aeternum sanctificatos (*Heb.* 10, 14). Vita enim quam venit hominibus dare, immo abundantius dare (cf. *Io.* 10, 10) in filiis redemptionis peccatum destruit (cf. *Rom.* 6, 6) et « divinae consortes naturae » (*2 Pt.* 1, 4) effecti, filii Dei et nominantur et sunt (cf. *1 Io.* 3, 1).

Christianus mortuus peccato (*Rom.* 6, 10), cum Christo consepultus (*Rom.* 6, 4; *Col.* 2, 12) conresuscitatus et convivificatus (cf. *Eph.* 2, 5-6) per operam sanctificantis Ecclesiae, vivens Deo (*Rom.* 6, 10), induere debet D. N. Iesum Christum (*Rom.* 13, 14) mores paganorum relinquere (*1 Thess.* 4, 2-8) et non iam secundum carnem (*Rom.* 8, 1) neque in vanitate sensus sui (*Eph.* 4, 17) sed in Christo (*Col.* 2, 6) ut filius lucis (*Eph.* 5, 8) digne Deo per omnia placens ambulare (cf. *Col.* 1, 10).

Caritas enim quae a Spiritu Sancto una cum Patre et Filio inhabitante

in cordibus nostris diffunditur (cf. *Rom.* 5, 5; *Io.* 14, 23) augeri et in dies crescere potest et debet sedula cooperatione hominis, excitante et adiuvante gratia tum in usu mediorum sanctificationis quibus Ecclesiam suam ditavit, tum in servitio Deo fratribusque praestando caritate, quae est vinculum perfectionis (*Col.* 3, 14).

Proinde pro omnibus et singulis, cuiuscumque status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, una est christiana sanctitas, baptismatis gratia sanctificante constituta, caritate principaliter perficienda, ad cuius plenitudinem Dominus cunctos vocat, ad quam igitur omnes iuxta vires secundum mensuram donationis Christi (cf. *Eph.* 4, 7) acceptas, toto animo tendere debent.

30. (*De mediis ad sanctitatem*). Quoniam autem Omnipotens Deus nos sine nobis sanctificare nollit, cooperatio humana actioni salutiferae Christi et Ecclesiae omnino requiritur. Quae omnium prima est plena acceptatio propositi necnon sacramenti voluntatis Dei nostri (cf. *Eph.* 1, 7-9), seu fidei. Fide personae ipsi operique salvificae Christi, omnibusque mediis ab ipso in Ecclesia institutis, sacramentis scilicet, christifidelis inhaeret; fide in fructuoso usu illorum mediorum sese recte disponit; fide in lectione verbi revelati necnon in oratione liturgica et privata cum Deo, fonte sanctitatis, se unit.

Opera vero sine quibus fides mortua manet (*Iac.* 2, 20) sunt opera caritatis seu primi, maximi et necessarii mandati, iuxta Domini promulgationem (*Mt.* 22, 38); caritas nempe supernaturalis qua christianus Deum super omnia, et fratres ut seipsum propter Deum amat. Et si quis Deum Dominum diligit, sermones eius servat (*Io.* 14, 23), abnegat semetipsum, tollit crucem suam eumque sequitur (*Mt.* 16, 24) per viam cum mandatorum tum etiam consiliorum omnibus patentem.

31. (*Consilia evangelica*). Ineffabilis Christi Salvatoris sollicitudo erga salutem hominis redempti, quo facilius iter ad sanctitatem praeberet, ei non tantum voluntatem suam manifestavit in praeceptis, sed etiam in pluribus quae sub multiformi consilio in nuntio evangelico prostant. Legem et iter et conditiones sanctitatis universis temporibus et hominibus Dominus promulgat dum spiritum beatitudinum in sermone montano asseclis suis inculcat.

Tria imprimis praeclara exstant illa consilia quae evangelica inde ab antiquis temporibus appellari consueverunt, paupertatis scilicet, castitatis et oboedientiae, quae etsi perfectionem non constituunt, ad eam assequendam maxime conferunt.

Huiusmodi etenim consiliorum ope, ea facilius removentur, per quae impediri posset ne totaliter affectus hominis tendat in Deum: triplex videlicet concupiscentia illa, carnis, oculorum et inordinatae voluntatis quae, iuxta S. Ioannem ex mundo est (cf. *1 Io.* 2, 16). Moderatur insuper vel quietatur consiliorum auxilio, humanus animus a nimia sollicitudine in dispensatione exteriorum rerum, in familiae necessitudinibus, in dispositione propriorum actuum, ex quo liberius Christi discipulus Deo diligendo eique serviendo vacare potest (cf. *1 Cor.* 8, 32; *Lc.* 18, 22). Consiliorum denique voluntaria

ac religiosa obligatione, potest homo se suaque perfectius offerre Deo, quasi in spirituale sacrificium, immo et holocaustum, si voto permanente, etiam privato, ad consilia astringatur (cf. S. Thomam, II-II, q. 186, a. 7).

Praxi itaque consiliorum, christiani, ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt. Atque exinde fidelis, vitae moribus consiliorum spiritu informatis, signum et testimonium evadit conspicuum novae vitae evangelicae, immo et beatae vitae, christianae fidelitati promissae. Paupertas namque, in filiorum Dei libertate amplexa, signum erit praestantiae bonorum regni caelestis et actuosum christianae fraternitatis testimonium. Virginitas quoque, seu Deo dicata castitas, Deo dante promissa eoque adiuvante servata, signum erit totalis deditionis Deo, propter seipsum dilectum, ac simul principium omnibus patens spiritualis fecunditatis in mundo. Oboedientia denique erga praepositos, Christi vices gerentes, veram imitationem ostendit sacrificalis oboedientiae Christi, oboedientis usque ad mortem, mortem autem crucis (cf. *Phil.* 2, 8).

Tria igitur praedicta consilia evangelica, propter eorum ad sanctitatem efficaciam indeque provenientem sanctitatis exemplaritatem, Ecclesiae enixe commendat.

Haec autem consilia eorumque, uti sanctitatis causa et signum, praestantissimam efficaciam, nullus reservata existimet solis illis qui ea absolute in religiosae vitae institutis amplectuntur. Licet enim, non omnes Christi discipuli ad plenam consiliorum praxim vocentur, omnes tamen secundum proprium donum a Deo acceptum et secundum supernaturalis prudentiae normas, ad illa pro posse servanda invitantur. Cum enim cuncti ad sanctitatem vitae procurandam vocati sint et obligati, ita, consiliorum spiritu, proprios affectus in usu ac fruitione quarumcumque rerum moderare debent, ut a caritate perfecta prosequenda minime impediantur, prae oculis habita monitione apostoli: « Tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur ... » (*1 Cor.* 7, 29, 31).

Gaudet autem Ecclesia plures in sinu suo inde ab antiquitate extitisse ab ea laudatos anachoretas, continentes, virgines ac viduas. Plures enim fuerunt et adhuc sunt viri et mulieres qui haec consilia, vel quaedam vel omnia, excitante Dei gratia privatim observant, etiam aliquando voto obstricti, sese toto corde Deo summe dilecto consecrantes et servitio diffusionis amoris dedicantes, sive contemplatione, sive apostolicis laboribus susceptis, sive spiritualibus exhortationibus sparsis.

Omnibus ergo iter patet ad perfectionem caritatis prosequendam, sicut et omnes ad illam vocantur in unitate Corporis mystici. Nec tamen omnes uno eodemque modo illud percurrunt nec iisdem mediis ea ipsa plenitudine utuntur, sed mensura qua unicuique Dei vocatione datum est (cf. *1 Cor.* 7, 7) et mensura fidelitatis et operositatis quibus illi divinae vocationi respondetur. Dum enim aliqui ad praxim consiliorum evangelicorum in statu per-

manenti vitae ab Ecclesia publice sancito vocantur, alii sive coniugati sive extra matrimonium in mundo viventes, et spiritum et praxim, iuxta conditiones proprias, consiliorum sequi conantur.

32. (*De multiformi unius sanctitatis exercitio*). In variis igitur vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur quae constans constituit in Ecclesia et multiplex exercitium et praeclarum multiforme testimonium, non quod iam Ecclesia perfecta sit, tot ac tantis naturae humanae suorum membrorum viatorum foedata miseriis, sequitur autem si quo modo unumquodque membrum comprehendat in quo et comprehensum est a Christo Iesu (cf. *Phil.* 3, 12).

« Sancti » etenim christifideles iure sicut in primaevis Ecclesiae exordiis retinentur (*Rom.* 16, 2; *2 Cor.* 1, 1; 13, 12) et ideo signum sunt sanctitatis Ecclesiae, dum gratia sanctificante donisque comitantibus ditati, Deo inserviunt in propria sua vocatione et peculiari statu vitae, ac praesertim cum fidem suam et nomen christianum heroico aliquoties animo profitentur. Sanctiores tamen sint oportet similiter omnes et ad perfectionem sui status tendere tum ex voluntate Christi vehementer invitantis tum ad hoc quod Ecclesia missionem suam plenius adimpleat.

Sacra Synodus imprimis episcopos et presbyteros, qui vi sacramenti Ordinis ad totius populi Dei sanctificationem consecrantur, enixe et peramanter hortatur ut, ad imaginem Christi novi testamenti sacerdotis, ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant, aemuli illorum Pontificum et sacerdotum qui, saeculorum decursu, in humili saepe et abscondito servitio, praeclaram sanctitatis propaginem reliquerunt. Ordo enim episcoporum in conditione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituitur. Presbyteri autem omnes et de eorum sollicitudine pastorali communicant et in eodem eucharistico sacrificio offerendo episcopis coniunguntur ad supremum cultum Deo Patri praestandum.

Coniuges parentesque libenter alloquitur S. Synodus ut, gratia et impulsu ex matrimonii sacramento promanantibus, in vita coniugali et familiali iter specificae suae sanctitatis adinveniant, amore fideli se invicem in vita gratiae sustineant et prolem amanter a Deo acceptam christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant. Ita namque exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant et fecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores existunt, in signum illius dilectionis qua Christus sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit (cf. *Eph.* 5, 25).

Denique pro omnibus christifidelibus supremas vires a Deo adprecatur ut iidem in ardua sanctitatis via, magno animo, nec praxi consiliorum neglecta, indefesse progrediantur.

33. (*De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito*). Nil mirum si praedicta consilia evangelica, in verbis et exemplis Domini fundata, in vita Sacratissimae Virginis Mariae, Christo filio suo simillimae, collucentia, et ab apostolis, a sanctis Patribus et ab Ecclesiae Doctoribus, praxi quoque et doctrina commendata, complures christiani specialiter vocati, amplectan-

tur, atque ad ea perfectius servanda, votorum vinculo, in consociata et regulari vita, voluntarie obligentur. Huiusmodi autem eorum stabilis vitae forma, ab Ecclesia recognita atque sancita, atque status acquirendae perfectionis vocata, velut arbor ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini crescit et ramis diffunditur.

Status iste, ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid inter clericalem et laicalem conditionem, sed ex utraque parte christifideles quidam a Deo vocantur, ut in Ecclesiae mysterio peculiari dono fruantur et servitio mancipentur.

34. (*De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia*). Cum multiformis Dei gratia hominibus collata, in aedificationem totius Corporis Christi a Deo dispensetur, pretiosum professionis consiliorum donum, sedula fidelitate a religiosis est administrandum, ut praeclarum evadat testimonium indeficientis Ecclesiae sanctitatis. Plenior equidem illa abnegatio, quae in horum consiliorum professione continetur, dum Christi exinanitionem et crucem pressius imitatur, novam vitam redemptione Christi acquisitam manifestius significat et resurrectionem et gloriam regni caelestis clarius praenuntiat.

Ideo cum evangelica consilia suos asseclas, per caritatem ad quam ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis eorum vita bono totius Ecclesiae devoveatur oportet. Cum enim a dilectione Dei defluat ipse proximi amor, a professione Deum perfecte diligendi, derivat officium, cum ea intime connexum, pro viribus scilicet prece actuosaque opera, laborandi ad regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum.

35. (*Sub auctoritate Ecclesiae*). Cum ecclesiasticae auctoritatis munus sit populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cf. *Ez.* 34, 14), ad ipsam pertinet evangelica consilia, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, fideliter explicare, eorumque publicam professionem legibus suis sapienter moderari, sicut inde ab antiquitate pro coenobiis et monasteriis provide fecit. Quare Ecclesia, Spiritus Sancti impulsus docilis sequens, Regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas cum laude recepit, et ulterius ordinatas authentice adprobavit; necnon Institutis ad perfectionem prosequendam passim erectis, ut omni modo crescant atque floreant, auctoritate sua invigilante et protegente, semper et ubique adfuit.

Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singulos, intuitu utilitatis communis, sibi soli subiicere atque ab Ordinarii loci iurisdictione eximere potest. Quod attinet ad ipsos sodales, iidem in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam, iuxta canonicas leges, praestare debent episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam. Peculiari enim vocatione sua constituti sunt validi et propinqui sacrae hierar-

chiae ac ministrorum cooperatores necnon fidelium adiutores in regno Christi provehendo et stabiliendo.

36. (*Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum*). Magni ergo faciant christifideles professionem consiliorum evangelicorum, quae eo pluris per se aestimanda est, quo intimior atque firmior fit Deo consecratio. In singulis autem huius consecrationis meritum a caritate qua imperatur maxime pendet. Professio vero publica, in suis elementis constitutivis coram Deo et Ecclesia considerata, melior est cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo suscepta. Dispari enim illa firmitate diverso etiam gradu quis vivendi formam Christi et Sanctae Ecclesiae, cum Sponso suo indissolubiliter unitae, in oboedientia, paupertate et sacra virginitate imitatur.

Omnes tandem christifideles perspectum habeant, consiliorum evangelicorum praxim, quamvis renuntiationem secum ferat quorumdam bonorum certo laudabilium, vero profectui personae humanae tamen non obstare sed summopere prodesse. Consilia enim, in caritate et secundum cuiusque personalem vocationem suscepta, ad affectuum humanorum purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant, variis modis humanae societati promovendae prosunt, et praesertim ad vitae genus, quod pro se elegit Christus Dominus, quodque Mater eius virgo subsecuta est, hominem christianum magis conformant.

37. (*Conclusio*). Idcirco Sacra Synodus in nomine Domini confirmat ac laudat innumeros viros ac mulieres, fratres ac sorores, qui fideli et humili praxi praedictae consecrationis Sponsam Christi condecorant omnibusque hominibus generosa atque diversissima servitia praestant.

Meminerint ergo omnes peculiariter vocati, suum esse commune officium, ut, fideles suae professionis executores effecti, per ipsos Ecclesia revera Christum in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel ad turbas concionantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, vel denique omnibus benefacientem.

Quoniam vero omnes fideles ad sanctitatem spiritu evangelico prosequendam tenentur, unusquisque sedulo curet, ut in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad maiorem gloriam Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar, et ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem.

[*Subsignavit etiam*] Franciscus O. P., ep. Salmantinus.

91

EXC.MUS P. D. SANCTUS MORO BRIZ
Episcopus Abulensis

Cap. hoc IV « De vocatione ad sanctitatem », humili meo iudicio, valde opportunum est et, — licet perfectibile —, usque retinendum.

Liceat tamen simplicem quandam animadversionem *indolis pastoralis* innuere. Optarem profecto nn. 28-30 (pag. 18-19) aptius congruere, sive in-

timius « syntonizare » (sit venia verbo) menti Summi nostri Pontificis feliciter regnantis.

Ad instar demonstrationis, iuverit haec summatim praenotare:

a) Summus Pontifex, — in allocutione vere « programmatica » diei 29 septembris, toties iam laudata — quatuor fines principaliores Concilio isti Oecumenico assignans, aiebat: « Argumentum princeps quod in hac altera sessione Concilii proponitur est intimam Ecclesiae naturam indagare...; eius *definitionem* exhibere (ut vera et primaria constitutio Ecclesiae ediscatur eiusque missio...) declarare *quid de seipsa Ecclesia sentiat...* ». Deinde, tanquam *aliam primariam* causam indicti Concilii (italice, forte pressius, « un altro *principalissimo* scopo... ») enumerat Ecclesiae *renovationem*: « Posita enim — ait Summus Pontifex — intima necessitudine Ecclesiae cum Christo, Ecclesia vult, mediante hoc Concilio, imaginem suam in Christo inquirere » (italice, iterum in versione authentica, dicitur « rispecchiarsi »: in Cristo, quasi in speculo, imaginem suam conspicere). « Si quid umbrae, si quid vitii post hanc contemplationem in vultu suo... animadvertat..., opus est ut Ecclesia se *renovet*, se *corrigat...* ».

Igitur, ex quatuor Concilii finibus, hos in praesenti retineamus, scilicet: veram *Ecclesiae faciem* mundo exhibere, necnon Ecclesiae *renovationem.*

b) (Praenotamen secundum). Inter ceteras Ecclesiae notas et proprietates, dinumeranda utique *sanctitas*: *ontologica,* ut aiunt: sanctissimus enim Ecclesiae Auctor et Caput, Christus; similiter eius quasi-anima, Spiritus Sanctus; sancta eius doctrina fidei et morum, leges et praecepta, sacrificium et sacramenta, eiusdem fructus (gratia, virtutes, charismata). Sanctitas quoque *moralis* seu membrorum, in tribus solitis gradibus (aliqua membra, sanctitate heroica; plura, sanctitate perfecta; plurima, sanctitate ordinaria, — absentia peccati mortalis —).

Nota vero sanctitatis non implicat profecto *omnium* membrorum sanctitatem (inter quae erunt semper peccatores).

c) At nostris diebus « quanta malignatus est inimicus in sancto »!... — non modo inter paganos, sed in sinu Ecclesiae —, numerus hominum peccatorum est vere tam ingens ut omnem excedat mensuram. Est factum luctuosissimum; et nimis notorium ut celari possit. (Cogitate quot sint christifideles qui — non iam Ecclesiae praecepta, uti de sacro audiendo, de communione paschali... —, sed divinam ipsam legem graviter transgrediuntur. Exempli causa, septimum decalogi praeceptum, et sextum praesertim...).

Hodie veluti novi fontes peccati continuo scaturiunt: ex infanda prolis limitatione, e feminarum inhonesto vestiendi more, ex cinematographaei et televisionis abusu, ex oblectamentis ad publicas piscinas, ad littora maris... etc.

Quod longe deterius est, habetur sic dicta « organizatio peccati », immo vel « ipsa notio peccati quasi iam amissa » diceretur (recolere iuvat Pii XI et Pii XII notissima documenta...). Quasi, intra sic dictos *christifideles,* regnum Satanae benedictum Christi imperium supplantasset!

Praeter gravissimas Dei offensas et S. Matris Ecclesiae dedecus, nemo non videt quantum obstet (haec morum corruptio tot numero catholicorum) et paganorum conversioni et unioni cum Ecclesia fratrum christianorum separatorum.

d) Hisce praelibatis, perpendamus breviter tenorem huius capitis « De vocatione ad sanctitatem ». In eo bis apparet — appendicis instar —, vehemens utique adhortatio ad sanctitatem; sed quis diceret adhortationem hanc quasi *abstracte* fieri, non quidem hominibus catholicis nostri temporis, sed legioni cuidam caelitum sive iustorum — quasi hi unice Ecclesiam integrarent —, qui ulterius invitantur ad sanctitatem augendam. Conferantur n. 29 linn. 18 et 31; n. 30 lin. 26. « Omnes ergo christifideles ad caritatem perfectam vires *extendant...* ». « Sacra Synodus pro omnibus christifidelibus a Deo adprecatur ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo *progrediantur* ».

Conclusio. Salvo meliore iudicio, quo duplex ille primarius Concilii finis efficacius attingatur, nimirum veram *Ecclesiae faciem* mundo ostendere, et Ecclesiam *renovare...,* praestaret ut, in hoc capite « De vocatione ad sanctitatem »..., invitentur quidem christifideles ad sanctitatem, attamen optabile esset praeterea ut Sacrosancta Synodus breviter saltem, immo vel duabus lineis — si ita placeat —, at simul vehementer, Dei nomine, *doleat* de tristissimo *statu peccati,* in quo tot Ecclesiae filii misere pereunt, eosque paterna gravissimaque hortatione *urgeat* ut in beatissima Dei gratia et amicitia iugiter vivere satagant!

92

EXC.MUS P. D. VILLELMUS MOTOLESE
Archiepiscopus Tarentinus

1. Cap. IV schema in universum consideratum, meo humili iudicio, mancum videtur, cum in luce ponantur extraordinaria tantummodo adiumenta ad sanctimoniam comparandam; dum ne verbum quidem fit de illis auxiliis, quibus christifideles, ordinariis rerum adiunctis, sanctitatem attingere possunt ac debent. Quinimmo, in exponendis rebus ratio proponitur quae cum generali christianorum vivendi modo minime congruit. Sanctitudo enim comparatur et divinis praeceptis obtemperando et, peculiaribus quidem rerum adiunctis, evangelica quae dicuntur consilia sectando.

2. Praeterea in schemate exhibeatur Christus hisce Leonis XIII verbis: « Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero, haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem heri et hodie et in saecula. Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde »; nulloque non tempore Christus se nobis exhibet factum oboedientem usque ad mortem (*Phil.* 2, 8) valetque quavis aetate Apostoli sententia: « Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt

cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24) (Leo XIII, ex ep. ad card. Gibbons 22-1-1899).

3. Opportunum quoque videtur in mentem revocare liturgicam vivendi rationem plena tamen significatione sumptam, quo clarius demonstretur eandem pretiosum exstare subsidium ad caritatis in proximos praeceptum altius fovendum augendumque.

Magis igitur definite haec explanentur: *a*) Sacrarum Litterarum lectio ut verbum Dei ad homines; *b*) liturgicum mysterium tamquam potissimum adiumentum quo divina verba ad rem deducuntur in Ecclesia, quae novus populi Dei coetus exstat.

4. Ex hoc spiritualis vitae aspectu ad unitatem quandam redacto laicorum actuosa dimanat navitas, secundum translaticium dicendi morem; quae aptum ad sanctitudinem instrumentum declaranda est. Laicorum navitas, qui terrenis negotiis vacant, tamquam consecratio mundi existimanda est. Laici enim quippe in Christo baptizati, a Spiritu Sancto confirmationis sacramento impulsi, sacrosancti Eucharistiae sacramenti participes (et, si uxorati nova sacramenti gratia muniti, si vero castitatis voto astricti gloriae quae nos manet testes) id genus navitatem exercent quae Incarnationis mysterium quodammodo continuatio sit existimanda, et germana « consecratio mundi ».

5. Tandem utilissimum est eis qui, nostra aetate, christiano nomine gloriantur, bina sanctimoniae subsidia inculcare: laborem nempe et aerumnas.

Altius igitur investigetur quaenam vis in labore insit (vulgo: il valore intrinseco) ne opifices oeconomicis tantum curis distineantur de corporalibus iuribus vindicandis unice solliciti. Addiscant potius iidem sua diuturna opera fieri posse ut animus magis magisque in dies ad altiora feratur atque praesentis rerum status gaudium experiatur et sentiat.

Item ad eorum solatium qui aerumnis opprimuntur ad eosque stimulandos qui crucem quotidie tollere nolint (uti v. g. illa mater quae proli gignendae renuntiat, ne sui muneris proprias aerumnas ferat) clare ostendendum est vitae dolores vel sponte susceptos vel patienter toleratos proficuum fore apostolatus instrumentum.

Quae cum ita sint, in cap. IV clare breviterque omnia indicentur auxilia quibus praediti illam sanctimoniam nobis comparare licet, cuius Ecclesia mater est et fautrix.

93

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

1. Imprimis humiliter propono sequentem i. e. tertium modum tractandi *de B.ma Virgine Maria, Matre Ecclesiae*:

Uniatur, quaeso, schema « De B. V. Maria Matre Ecclesiae » cum schemate « De Ecclesia Christi »: non autem uti simplex *caput,* sed tamquam *pars* aeque principalis; ita ut schematis uniti titulus fiat: « *De Ecclesia Christi*

et de B. V. Maria Matre Ecclesiae » (cap. I: *de Ecclesia Christi,* cap. II: *de B. V. Maria Matre Ecclesiae*).

2. Etiamsi in schemate nostro expresse de sanctitate et de apostolatu sermo fit, nihilominus *de sacramento confirmationis* uti de sacramento gratias ad apostolatum melius promovendum dante, fere nihil dicitur. Uberiorem affirmationem gratiarum ex sacramento confirmationis emanantium nullomodo impedire potest factum, quod in Ecclesia orientali hoc sacramentum una simul cum baptismate confertur. Nam etiam tunc agitur de duobus sacramentis inter se essentialiter distinctis. Invenitur in nostro schemate perpulchra definitio sacramenti confirmationis: « Sacramento confirmationis perficiuntur et roborantur ut fidem verbo et opere simul diffundant et defendant » (*de Ecclesia,* pars II, pag. 7).

3. Etiamsi in capitibus schematis nostri de sanctitate expresse tractetur, attamen quasi nullibi sermo fit *de gratia sanctificante,* de conatibus eam sibi procurandi, custodiendi et augendi. Itaque neque *de merito* nullibi sermo est, quasi propter timorem, ne dicatur nos propter mercedem Deo et proximo inservire. Sed: Dignus est operarius mercede sua! Et Deus ita vult: ut mereamur.

4. Propono humiliter ut *vox* « *laicus* » e nostro dictionario ecclesiastico penitus *expungatur,* quia illum « *laicismum* » *sapit,* qui laicismus inde a temporibus Pp. Leonis XIII notam antiecclesiasticam secumfert. Loco laicus propono vocem « Christi fidelis » quia primi christiani « Pistòi » se nominabant, vel: « vir respective femina saecularis », quia vox « saeculum » hodie « malum » iam non significat.

5. Propono ut novum caput tamquam ultimum in nostro schemate instituatur, cui praeficiatur titulus: « *De Ecclesia ut communione caritatis* », quia caritas nullatenus est quid accessorium aut accidentale in Ecclesia, sed ad essentiam vitae ecclesialis pertinet. Etenim:

a) Caritas est summa inter virtutes (*Mt.* 22, 36-40 et S. Paulus multis in locis).

b) Perfectio (sanctitas) christiana in caritate consistit (*Mt.* 5, 43-48). Caritas est mensura perfectionis (sanctitatis), sicuti perpulchre S. Augustinus dixit: « Caritas inchoata, inchoata iustitia est; caritas provecta, provecta iustitia est; caritas perfecta, perfecta iustitia est ».

c) Iudicium universale secundum verba Christi apud *Mt.* 25, 31-46 habebitur primarie circa adimpletionem caritatis.

d) Christus Dominus apud *Io.* 13, 35 caritatem posuit tamquam *signum distinctivum et cognoscitivum Ecclesiae,* et haec est ratio praecipua, cur in nostro schemate de Ecclesia *speciale caput caritati* deputandum est: etenim hoc Concilium id primarie et principaliter intendit, ut mundus hodiernus quam perfectius Ecclesiam Christi *cognoscat et amet.* Verum autem est, quod neque facies hominis placet hominibus, si nota dilectionis destituta sit!

In novo capite quod propono, Ecclesia dilectionem et caritatem suam sic ostendat:

a) describatur dilectio et amor *inter ipsa membra Ecclesiae,* inter praepositos et subditos: caritas est fundamentum ministerii potestativi et oboedientiae in Ecclesia;

b) exprimatur amor Ecclesiae (sicut Christi Domini) *erga peccatores*: membra aegrotantia, infirma, quorum positio etiam caritate regitur, quae caritas pro tenera matre Ecclesia non est sentimentalismus nec rigidus legalismus nec ecclesialis purismus sive catharismus, velut si soli « iusti » in Ecclesia locum haberent. Hortandi sunt peccatores ut quotidie contra peccata et tentationes sedulo luctentur ut salutem animae consequi mereantur;

c) dilectionem Ecclesia manifestet erga fratres nostros sine propria culpa *seiunctos,* propter circumstantias historicas. Ecclesia diligit — cum lacrimis — etiam illos, qui culpabiliter domum Dei deserunt et vias diversas quaerunt, dum una est sola via salutis: Christus;

d) amorem et dilectionem Ecclesia manifestet *erga homines* in terra universa, quia omnes sunt a Deo et pro Deo creati et Sanguine Filii Dei omnes redempti.

Ostendatur caritas et exhortatio fiat ad *opera* caritatis:

e) erga *aegrotos,* sicuti perpulchre locuti sunt: exc.mus D. arch. Paderbornensis (in sessione generali LI) et exc.mus D. ep. Gibraltarensis (in sessione LIV). Hac occasione humiliter propono, ut omnes Confraternitates *Apostolatus infirmorum* (Ultraiectensis, Romana etc.) in unum colligantur et pro tota Ecclesia haec institutio in novum Codicem Iuris Canonici inseratur;

f) erga *operarios* labore oppressos praeter signa caritatis ostendantur etiam conatus Ecclesiae circa aequam solutionem quaestionum socialium et exhortentur *potentes et divites* ad iustitiam et caritatem sectandas;

g) dirigamus verba consolationis ad illos qui propter iustitiam, i. e. propter fidem, *persecutiones patiuntur* et de quibus tam tenere locutus est in hac aula exc.mus D. arch. Posnaniensis (in sessione plenaria LVI). Modum aptissimum tractandi quaestionem hanc nobis ostendit Summus Pontifex noster Paulus VI die dominica 20 octobris h. a. de christifidelibus Reipublicae Sinensis loquens, ac etiam bonae memoriae Papa Ioannes XXIII in sermonibus suis non raro christianos qui libertate religiosa adhuc plene non gaudent, commemorabat. Optimum in hac paragrapho locum habebit laudatio ex parte Concilii expressa illius *Declarationis Nationum Unitarum* de iuribus omnium hominum.

Loquamur in hoc capite novo, a me proposito, de caritate et de operibus caritativi adiutorii etiam

h) erga *orphanos,* erga *viduas,* erga mulieres a viris *derelictas*;

i) erga *pauperes* universim, sicuti insistebat em.mus D. card. Bononiensis, exc.mus D. ep. Leodiensis (in sessione LIV) et alii multi.

k) Inserenda sint in novum caput « De Ecclesia ut communione caritatis » verba dilectionis et exhortationis etiam erga *senes,* quia senectus est periodus vitae sat longa et permultis difficultatibus naturae et spiritus obruta. Praesertim hodie, quando caritas inter membra familiae deperditur, senes

magis magisque superflui sentiuntur et corda eorum amaritudine non raro implentur. Scitote etiam, venerabiles Patres, existere terras ubi in xenochia et nosocomia, quia omnia parastatalia sunt, sacerdos intrare minime potest, nisi expresse vocatus a singulis. Quis autem senex aut graviter aegrotus talem nuntium sacerdoti dirigere audebit mediante persona quae ipsi in nosocomio vel xenodochio servitium praestat, quando scit talem personam religionem in odio habere! Quapropter permulti sine Viatico moriuntur. O, quanta consolatione tales senes et aegroti indigent!

Forsan bonum hic esset — ad consolationem senum et aegrotorum — paucis verbis exponere valorem doloris et laborum senectutis et status aegritudinis in connexione cum doctrina *de sacerdotio communi* fidelium, de hostiis spiritualibus offerendis. Senectus est tempus maturationis spiritualis, messis et manipulorum collectio, laeta expectatio parousiae Sponsi... Bene hic esset iuvenes ac membra familiae exhortare ad dilectionem quam affectivam tam effectivam erga senes et aegrotos, quo modo se agendi desiderium et praeceptum Domini adimpletur et praemia pro vita aeterna merentur. Venerationem et adiutoria praestare senibus ac aegrotis iam ipsa naturalis et non christiana educatio pro obiecto praecipuo habet!

l) Etiam *exulum* emigrantiumque omnium qui per mundum universum dispersi vagantur, Ecclesia in hoc capite mentionem faciat!

m) Exprimat Ecclesia mater sensus compassionis et amoris necnon solidaritatis (etiam adiutoriis materialibus adiuvando) occasione *tragaediarum civilium,* sicuti hoc perpulchre manifestatum est occasione terrae motus in Skoplje vel maximi infortunii Longarone in Italia.

Venerabiles Patres, sic vobis mentem meam aperui circa novum caput introducendum cui titulus sit: « De Ecclesia ut communione caritatis ».

Ponamus, Patres, hoc caput in nostram constitutionem *de Ecclesia,* quia procul dubio praevideri potest influxum eius in Ecclesia et in mundo hodierno magnum futurum esse. Omnibus nobis notum est, quam bonam susceptionem nactus est ille *nuntius ad omnes homines,* a Concilio nostro initio laborum sessionis primae emissus! Hoc caput a me propositum nihil aliud esset nisi codificatio Nuntii praelaudati.

Promulgamus igitur hunc nuntium *de Ecclesia* uti communione caritatis, universo mundo, ex hac basilica Petriana, ex hac Ecclesia Romana, quam iam in aurora christianitatis Sanctus Ignatius Antiochenus celebrabat tanquam *prokathemene tes agapes - quae praesidet caritati!*

Ratio theologica. Caritas Ecclesiae radicata est in mysterio Sanctissimae Trinitatis (*Io.* 17, 11-26), opus est Spiritus Sancti. « Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet » (*1 Io.* 4, 16). Ecclesia in Deo manet, quia Filius Dei caput eius est, ergo Ecclesia debet esse et revera est in caritate.

Caritas et dilectio, quam Ecclesia vivit, non sua quaerit... (ponatur hymnus s. Pauli ex epistula *1 ad Cor.* c. 13). Non consistit in quodam sentimento protectoratus hominum superiorum erga minorennos, sed in vera et sincera cura et sollicitudine, ut omnis persona humana debite revereatur et secundum

Deum iuste affirmetur. Ecclesia non expectat nec quaerit laudem et gloriam huius mundi, immo opprobria laeta suscipit, ipsa unice curare vult quominus oleum caritatis in lampadibus suis non deficiat (*Mt.* 25, 4) et confidenter expectat diem illum laetissimum parousiae Sponsi sui caelestis, qui iudicaturus est mundum et *glorificaturus Ecclesiam* iuxta illud principium fundamentale caritatis: « Quod minimo ex fratribus meis fecistis, mihi fecistis » (cf. *Mt.* 25, 40 et 45). Sic habebitur bona *conclusio eschatologica.*

94

Exc.mus P. D. IOANNES NUER

Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

In cap. IV *de Ecclesia* quaestio est de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia. Ad hanc sanctitatem acquirendam media pro religiosis vota sunt. Pro religiosis insimul et laicis haec in schemate proponuntur: « Sanctificationis forma et finis est amor Dei super omnia et operosa proximi dilectio ».

Venia mihi sit super operosam proximi operationem paululum immorari. Si aliquid amori erga proximum obstat, absque dubio hoc contra sanctitatem est. In mundo reapse paupertas ita hodierne instat, ut magna pars (2/3 circiter) humanitatis denutritione laboret. Hoc quidem, ut clara luce patet, nisi solvitur, contra operosam proximi dilectionem est, contra sanctitatem militat, immo totius humanitatis peccatum constituit. Actualis enim mundi situatio dignitatem minuit humanitatis. Homo revera qui exstat, haud ut homo vivit.

Christus autem, sicut aliquando misericordia motus panes multiplicavit, ita et nunc super homines miseretur et per ministros suos optat eis panem frangere. Nostrum proinde est hominum miseriae nomine redemptoris sublevamen praestare.

In praecedenti mea interventione, secretariatui Concilii delata, non autem in hac aula propter temporis carentiam perlecta, relate ad aequalitatem inter homines, in cap. III schematis perspectam, haec vobis patefaciebam: « Ne tamen proposita in qualicumque abstractionis condignatione maneant, necesse est ut practicas realesque conditiones et pro clero et pro laicis determinentur ». Hoc et nunc repeto principium: practicae normae a Concilio determinandae sunt ut turbae miserentis redemptoris panem multiplicatum manducent.

Indubitanter circa problema istud valde laudandae sunt perplures variis in regionibus existentes associationes pro pauperibus in terris missionum sublevandis. Sed ego ulterius proponerem *methodum adoptionis.* Hoc est: Ut unaquaeque in christiano orbe extans dioecesis ditior pauperiorem dioecesim adoptet et sublevet et adiuvet, ita et paroecia paroeciam, institutio intellectualis institutionem intellectualem.

Haec vero proposita ut facilius obtineantur, peroptandum teneo ut ad

Concilium selecta membra associationum operariorum militantium admittantur ita ut eorum propositionibus et nos adiuvari concrete possimus. Vel ad minus dicerem ut subcommissiones instituantur quae una cum iisdem operariis lineam agendi designent. Et ita, venerabiles Patres, caritas catholicitatem Ecclesiae sollicitat ad bonum unitatis eiusdem Ecclesiae ulterius efficiendam. Unitas fidei in unitate coenae.

95

EXC.MUS P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopus Valentinus

Votum circa cap. IV n. 31 (de consiliis evangelicis) melius redigendum.

Textus deliberationi conciliari submissus circa consilia evangelica, in II sectione cap. IV, laude dignus est eo praecipue quod consiliorum ad christianam perfectionem adquirendam efficaciam iterate proclamat, quod professionis eorum ecclesiale momentum declarat, quod demum consecrationis religiosae meritum exaltat.

Planum autem est cuique textum integre legenti ac consideranti, studium in eo praevaluisse extollendi, prae aliis consiliorum et votorum excellentiis, *valorem* sic dicti *signi et testimonii* quem possident: valorem videlicet manifestativum vitae evangelicae, ecclesialis, eschatologicae.

Mirum autem nobis est, laudatam expositionem, in capite fundamentali et primario deficere: in declaratione propriae et specificae virtutis consiliorum, quatenus media sunt et instrumenta sanctificationis, seu vitae christianae perficiendae.

Equidem, prout recte, communem resonans sententiam, textus memoratur, consilia perfectionem non constituunt, sed ad perfectionem caritatis maxime conferunt. Quanam autem de causa ad praefatam caritatis perfectionem conferant, quae ipsorum vera est essendi ratio et ex qua ceterae eorum virtutes et significationes proveniunt, in textu praetermittitur; cum tamen, ex natura ipsa rei, ex traditionali theologia consiliorum; atque ex cunctis religiosae vitae statutis, prae primis esset clare et perspicue proponenda et declaranda.

Quisnam — interrogare liceat — ex professione consiliorum, valor erit signi et testimonii, id est, imitationis Christi, coniunctionis Ecclesiae cum illo, celsitudinis futurae vitae vera manifestatio, nisi ex adepta et perspecta proveniat perfectione, observantiae consiliorum tribuenda.

Haec ergo ad perfectionem christianam acquirendam praestantia, propter quam consilia aestimanda sunt et amplectenda, ex qua obtenta valorem significativum et manifestativum evangelici spiritus habere queunt, compendiose utique sed diserte, est asserenda et confirmanda S. Synodi auctoritate.

Rationes autem quibus consiliorum professio et observatio, perfectionis christianae studium facilius reddunt, ex revelata et a Patribus tradita doctrina, ut solet, Angelicus Doctor, triplici consideratione ostendit, ex eo scil. quod consiliorum iuvamine facilius caritas perficitur; liberius et expeditius homo

Deo divinoque servitio dicatur; plenius se suaque omnia Deo consecrat, religioso holocausto.

Haec vera est consiliorum virtus propria et specifica, cuius causa perfectionis instrumenta dignoscuntur, ex qua signa eveniunt evangelicarum beatitudinum, qua si destituantur non amplius utilia manent et damnosa possent profitentibus evenire.

Quapropter proponere mihi liceat ut n. 31 a lin. 7 plus minusve ita redigatur, ut scriptis secretariae generali trado: « Inter multa quae in Evangelio proponuntur, tria in Ecclesiae doctrina et usu peculiariter, iure et merito, extolluntur, paupertas, scilicet, castitas et oboedientia. Huiusmodi etenim consiliorum ope, ea facilius removentur, per quae impediri posset ne totaliter affectus hominis tendat in Deum: triplex videlicet concupiscentia illa carnis, oculorum et inordinatae voluntatis quae, iuxta S. Ioannem, ex mundo est (*1 Io.* 2, 16). Quietatur insuper, consiliorum auxilio, humanus animus a saecularibus sollicitudinibus dispensationis exteriorum rerum, familiae et dispositionis propriorum actuum, ex quo securius Christi discipulus Deo diligendo vacare potest et ea quae Domini sunt, regnum nempe eius, liberius quaerere ac deservire (cf. *1 Cor.* 8, 32 et *Lc.* 18, 22). Consiliorum denique effectu, potest homo totaliter se et sua offerre Deo, quasi holocaustum efficiendo, nam prout S. aiebat Gregorius, " holocaustum est cum aliquis totum quod habet offert Deo " (*Super Ezech.* lib. II, *hom. 8* ML, 76, 1037; cf. S. Thom. *Summa Theol.* II-II, q. 186, a. 7).

Praxi itaque consiliorum christiani ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt. Atque exinde fidelis consiliorum observantia, signum et testimonium evadit conspicuum novae vitae evangelicae, immo et beatae vitae, christianae fidelitati promissae. Paupertas namque, in filiorum Dei libertate adsumpta, signum erit praestantiae bonorum regni caelestis et actuosum christianae fraternitatis testimonium. Virginitas quoque, seu Deo dicata castitas, Deo dante promissa eoque adiuvante servata, signum erit totalis deditionis Deo, propter ipsum solum dilectum, ac simul principium omnibus patens spiritualis fecunditatis in mundo. Oboedientia denique erga praepositos, nomine Christi ad Deum dirigentes, plenam imitationem ostendit sacrificalis oboedientiae Christi, oboedientis usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* 2, 8).

Tria igitur praedicta consilia evangelica, propter eorum ad sanctitatem efficaciam indeque provenientem sanctitatis exemplaritatem, Ecclesia enixe commendat ».

Paragrapho ita recomposita, praetermissa illa fundamentalia breviter suo loco includuntur, cunctaque alia iam in textu proposita, aptiore ordine et maiori vi disposita, conservantur.

96

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ONA DE ECHAVE
Episcopus Lucensis in Hispania

Infrascriptus hoc in voto intendit ut duae additiones fiant cap. IV schematis *de Ecclesia.*

1. Quae secum ferat radicem exigentiae — et proinde vocationis — sanctitatis in ipso sacerdotio universali existentem; seu, potius, in ipso sacerdotali charactere quo sacerdotium animae quasi vertitur.

Nam character sacramentalis est *analogice* in homine qui characterem recipit, quod in Christo est eius, incommunicabilis certe, unio hypostatica; i. e., signatio naturae humanae per personam divinam.

Et quoniam Christus, aeternus, non imprimit imaginem suam in sacramento *qua* aeternus, sed *qua* sacerdos, servata infinita distantia, dici potest quod signatio per characterem baptismi est veluti quaedam participatio illius consecrationis quam humana natura Christi in unione hypostatica recepit. Homo qui, ante baptismum, iam ut creatura ad Christum pertinebat et ab eo dependebat, nunc per characterem baptismalem qui participem illum reddit sacerdotii Christi, ideoque ad genus electum et regale sacerdotium aggregat, modo novo et quidem intensiore ad Christum pertinet atque a Christo dependet.

Haec elevatio hominis, haec altitudo, meo humili iudicio, est in seipsa maxima vocatio ad sanctitatem seu perfectionem.

Cum decreta seu constitutiones conciliares novitatem vitae christianae proxime producant, et cum in eis, ad aerem renovationis in spiritualitate, tam flagrans sit doctrina de sacerdotio universali praedicanda sicuti iacet in cap. III de Ecclesia, cur in cap. IV haec non recoluntur?

Recolatur etiam quod incorporatio haec a charactere sacramentali inchoata, ulterius perficitur a gratia sacramentali quae a charactere precise exigitur. Et tunc de novo surgit exigentia perfectionis quia, iuxta communem sententiam, ad gratiam retinendam et salvationem obtinendam, in praesenti oeconomia, necesse est in ambitu alicuius consilii seu perfectionis procedere.

Et ex alio capite: gratia secumfert caritas. Sed caritas nescit distinctionem inter Dei praeceptivam voluntatem et eius mere suasivam, sed eo ipso quod Deus aliquid, quocumque modo sit, vult, quem caritatem habet ligat ad illum praestandum.

Fortasse in redactione schematis praevaluit perfectionem servare statui religioso, sincere venerando et altiori modo locando; sed distinguenda est perfectio. Perfectio essentialis est cuilibet vitae christianae. Alia est modalitas a charactere baptismali deprompta; alia a sacramento matrimonii; alia a sacramento ordinis; et alia, et quidem sublimis, vitae religiosae a tribus votis cum vita communi deprompta.

2. Extraneum videtur quod, cum in schemate (n. 31) de mediis ad sancti-

tatem loquatur, praecipue, si non tantummodo, de triplici consilio evangelico agatur. Fortasse per influentiam ipsam antea notatam?

Auctores qui de mediis ad sanctitatem seu perfectionem pertractant, reducentes, decem praecipua media connotare solent.

Sed, per omnia, sanctissimum Eucharistiae sacramentum consignat.

Essentia perfectionis non est caritas? Adeamus, ergo, ad sacramentum caritatis. In ceteris sacramentis Christus apposuit characterem exigitivum gratiae. Gratiae quidem quasi mensuratae. Sed est sacramentum ubi non est character ad exigendam quandam gratiae mensuram, sed ipse auctor gratiae ad caritatem, ad perfectionem, ad sanctificationem, ut infinitus architectus, augendam. Quam optime dixit Sanctus Thomas (*Summa Theol.,* III, q. 63, art. 6) cur per sacramentum Sanctissimae Eucharistiae, quod inter sacramenta supremum est, nullus animae imprimatur character! Ideo quod Sacramentum S. Eucharistiae est inter sacramenta supremum, convenit ut in eo non mera figura Christi, sicut in charactere, contineatur, sed ipse Christus in quo est « tota sacerdotii plenitudo ».

Si res ita se habet, cur in schemate *de Ecclesia* quando loquitur sacerdotibus sacerdotii elementalis seu universalis de mediis perfectionis quam suum exigit sacerdotium, non illis loquitur de fonte ad sacerdotium implendum, qui est Eucharistia?

Amplificentur — quia verum et iustum, aequum et salutare maxime est — linn. 39-40, pag. 19, art. 31, cap. IV *de Ecclesia* ubi nescio quem timens! surde ac parcissime dicitur « diffunditur caritas sacris et sacramentalibus actionibus... »!

Venerabiles lectores, quicumque istarum litterarum sitis, sed certe totius et maxime meae considerationis: parcite quod hic consignem recordationem, quae nunc meam occupat mentem, verbi amarissimi Domini Nostri Iesu Christi: « Etiam vos vultis abire?! ».

In manibus et voluntate vestra est — non dico in mente quia ibi supereminenter — pondus inclusionis additionis istius in schemate, cum populo Dei in « aggiornamento » Ecclesiae, in proximo futuro, ardenter de sacerdotio universali loquamur.

« Si scirent donum Dei! » aiebat Christus.

97

Exc.mus P. D. Renatus Pailloux
Episcopus Arcis Rosebery

Ad prooemium, n. 28. Quae hoc loco dicuntur nobis videntur melius esse dicenda ea forma quae in emendatione 62 ab exc.mo Carli proponitur, sc. « Sacrosancta Synodus sollemniter affirmat id ad naturam missionemque Ecclesiae spectare quod omnes omnino christifideles, sive ad hierarchiam pertinent sive non, ad sanctitatem consequendam vocentur ».

Ad n. 29: *De universali ad sanctitatem vocatione.* Valde iuvaret si,

quando sermo est de baptismo, utpote fundamento huius universalis ad sanctitatem vocationis, melius in lucem ederetur munus quod omnibus omnino christifidelibus competit in quantum ad capitis sanctitatem participandam tenentur.

Ad n. 30: *De multiformi unius sanctitatis exercitio.*

a) Nostram facimus emendationem 69 a Patribus Concil. linguae germanicae et confer. episc. Scandin. factam, nempe de necessitate ut sanctitas in actibus virtutum fidei, spei et caritatis fundetur.

b) Emendatio 71 nobis necessaria videtur, nempe clara exhortatio de sanctitate ab ipsis episcopis consequenda in quantum « forma gregis ex animo » esse debent.

c) In indice eorum qui ad sanctitatem suo quoque gradu tendere debent, includendi essent ceteri omnes, qui corporis vel animi malis vexantur vel asperitatibus laboris et vitae premuntur. Ii enim omnes in ipsis suae vitae conditionibus apta media invenire possunt, et debent, quibus ad sanctitatem progredi possunt.

d) Emendatio 77 ad calcem numeri reponenda valde commendatur, sc. « recusatio conatus ad sanctitatem, Ecclesiam totam foedat et figuram Christi velat ».

Ad n. 31: *De sanctificationis mediis et de consiliis evangelicis*:

a) Ad *media ordinaria* sanctificationis quod attinet (pag. 19, lin. 34 ad pag. 20, lin. 1), clarius forsitan evaderet si, ad ordinariam sanctitatis praxim exponendam, de aliquibus mediis singulariter, brevi saltem sermone, ageretur, v. g. de oratione et spiritu orationis, de labore quotidiano exercendo, de malis in spiritu fidei tolerandis, de castitate in unoquoque statu praeservanda, de omnibus virtutibus, imprimis fidei, spei, caritatis, temperantiae et mortificationis, exercendis.

b) Ad *media extraordinaria* (ut ita dicam), sc. ad *consilia evangelica,* quod attinet, melior expositio huius numeri desideratur, ita ut clarius evadat professionem consiliorum evangelicorum (sive omnium sive saltem unius vel alterius) *in mundo* et ab eis qui *in mundo remanent* nec ullum perfectionis Institutum intrant, etiam sub vinculo voti privati, possibilem esse et actu crebro adesse in nostra aetate.

Haec quidem in praesenti numero inveniuntur, sed clarior explanatio placeret.

Ad n. 32: *De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito.* Si Concilium Oecumenicum in mentem habet a schemate *de statibus perfectionis adquirendae,* nuper proposito, desistere, desiderandum fore esset ut cap. I eiusdem schematis (sc. de status perfectionis speciebus et formis) ita refundatur ut locum obtineat in praesenti cap. IV *de Ecclesia,* et imprimis clara vox de Institutis saecularibus audiatur.

Ad n. 35: *Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum.* Nonne inutile, et forte invidiosum, sit, hoc numero, professionem publicam et perpetuam ante aliis formis consecrationis ponere, cum Ecclesia alias formas

consecrationis, decurrentibus saeculis et nostra prorsus aetate, aperte laudaverit et sanxerit, et valor consecrationis, tum ad personalem sanctitatem quod attinet et bonum totius Ecclesiae, ultima ratione in intimo fervore voventis ipsius reapse fundetur.

Animadversiones additae:

Ad numeros 32 ss. Mihi videtur ampliorem et clariorem locum in hoc schemate *statibus* perfectionis proprie dictis, sc. vitae religiosae, ut aiunt, tribuendum esse. Nemini enim dubium esse potest quod, dum universus populus Dei ad perfectionem caritatis per adimpletionem praeceptorum vocatus sit, nihilominus libera praxis consiliorum evangelicorum tum in religiosis Ordinibus et Congregationibus cum in approbatis Saecularibus Institutis « meliorem partem » in servitio Dei constituit, quippe quae non minime ad gloriam Ecclesiae confert.

Nonne periculum adesse posset ut, dum sic dicta aequalis pro omnibus ad sanctitatem vocatio proclamatur, vita religiosa proprie dicta in institutis ab Ecclesia sancitis minorem aestimationem in multorum mentibus obtineat, quod sane Ecclesiae detrimento facile evadere posset?

Omnes quidem in Ecclesia Dei ad sanctitatem vocantur, et certe fervens laicus excellentiorem gradum sanctitatis in saeculo attingere potest quam tepidus religiosus in religioso instituto. Nihilominus, omnibus perpensis, renuntiando ea quae de mundo sunt, religiosus viam sanctitatis libere seligit, quae, ex sua ipsa natura, difficilior est, et, si fideliter saltem consequatur, ad altiorem Dei et proximi amorem, necnon ad altius Ecclesiae incrementum, conducere potest.

Optandum ergo est ut aspectus vitae religiosae proprie dictae melius exponatur et aliqua saltem, quae in schemate *de statibus perfectionis adquirendae* proposita fuerunt, et in hoc cap. IV schematis *de Ecclesia* inserantur.

98

Exc.mus P. D. ALDUS PATRONI
Episcopus Calicutensis

1. Structura huius capitis non placet: duae enim quaestiones maiores hic tractantur, nempe quaestio de universali vocatione omnium christifidelium ad sanctitatem et quaestio de statibus evangelicae perfectionis acquirendae seu de particulari statu in Ecclesia.

Iamvero, cum quaestiones ad universalem Ecclesiam spectantes in capitibus indolis generalioris de mysterio Ecclesiae elaborentur, doctrina de universali vocatione omnium ad sanctitatem ibidem locum suum organicum habere deberet; quaestio autem de particulari statu religiosorum in capite speciali proponenda esse videretur, quod sic logice et cohaerenter cum aliis capitibus specialibus connecteretur eaque compleret; loquimur scil. de capitibus de sacra hierarchia et de laicis.

2. Omnino autem necessarium est ut notiones fundamentales sanctitatis et perfectionis enucleentur.

Multae confusiones, quibus actuale schema ansam praebet, evitari poterunt, si inde ab initio clare statuitur sanctitatem et perfectionem creaturarum

rationabilium in unione ad Deum consistere, sanctitatem vero et perfectionem *christianam* in plena unione et conformitate — tam ontologica quam morali — cum Christo in Ecclesia.

Conceptus sanctitatis et perfectionis ergo proponendi sunt in eorumdem sensu tum christologico, tum eschatologico, tum ecclesiastico.

Si notio sanctitatis sic elaboratur, patet ab una parte quidem modo universali et generali *omnes* ad sanctitatem et perfectionem vocari, sed simul ab altera parte clarescit in quanam re consistat illa specifica et particularis sanctitas seu unio cum Christo ad quam illi soli adspirant, qui divinitus ad statum perfectionis evangelicae adquirendae vocantur.

Haec autem sanctitas specifica et particularis in illa plena et totali unione ad Christum pauperem, virginalem et oboedientem consistit ad quam religiosi, unusquisque secundum Constitutiones proprii Instituti, vi votorum tenentur.

3. In luce huius conceptionis fundamentalis agendum dein est de momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia, quod in schemate actuali haud recte proponitur: nimis enim, ne dicam fere unice, in religiosorum obligatione ad apostolatum exteriorem insistitur.

Nemo profecto ignorat quantopere religiosi in historia Ecclesiae contribuerint et adhuc magis hodie in toto orbe terrarum contribuant ad apostolatum exteriorem Ecclesiae, praesertim quoad missiones, educationem, curam infirmorum, sacras scientias, sanam spiritualitatem propagandam, quoad apostolatum preli permultaque alia opera apostolatus. *Attamen* haec opera apostolatus exterioris — quamvis in se pretiosissima — nequaquam ultimam rationem essendi huius status in Ecclesia constituunt.

Ultimum momentum statuum perfectionis in Ecclesia in eo potius consistit, quod, praecise ob studium profundioris unionis et conformitatis cum Christo, operi salutifero Redemptoris profundius uniti sunt, ideoque non solum totum Corpus mysticum in sanctitate consolident corroborentque, sed etiam multiplices gratias mereantur sive pro illis qui iam Christi sunt, sive pro illis qui Christi adhuc fieri debent.

Praecise autem in quantum asseclas suos ad pleniorem imitationem Christi et ideo ad intimiorem participationem in opere eius salutifero conducunt, status perfectionis acquirendae insimul particulari quoque modo valorem signi in Ecclesia possident: hoc autem in primis in quantum vitam terrestrem Christi et Ecclesiae suae perfectius manifestant, deinde vero in quantum simul, ratione totalis abnegationis sui, modo eminenti Domini nostri crucifixi victoriam super mundum, triumphum super mortem, et gloriam caelestem exhibent et actuose repraesentant.

4. Qua de causa in hoc capite de statibus perfectionis acquirendae ante omnia curandum est, ut hi status in eorum puritate religiosa conserventur. Quod fieri nequit nisi sodales horum Institutorum prae ceteris incumbant vitae spirituali, hoc est vitae orationis, mortificationis et integralis observantiae propriarum Constitutionum. Quod si facient, primarium eorum opus

vitae crucifixae cum Christo, quae tantopere ad gloriam Dei et bonum totius Corporis mystici confert, secundum beneplacita Christi explebunt. Hac de re in schemate fere nihil invenitur; ideo ex hoc etiam capite multiplici completione indiget.

5. Quod ad apostolatum exteriorem attinet, necessarium utique est, ut singula Instituta religiosa cum episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, collaborent eisque debitam reverentiam et submissionem praestent. *Attamen* non minus necessarium est, et ex professo dicendum, religiosos in tantum apostolatui *exteriori* incumbere posse in quantum Constitutiones unicuique Instituto propriae sanciunt, et semper habita ratione primarii finis et spiritualitatis religiosae propriae.

Cum porro vita religiosa sit una ac indivisa, providendum est ut superiores religiosi debitam retineant libertatem quoad subditos dirigendos in omnibus necnon et in operibus apostolatus suscipiendis et exsequendis. Utique ergo collaboratio in apostolatu exteriori urgenda est, sed simul providendum ne status perfectionis acquirendae, contra perantiquam et sapientissimam praxim Ecclesiae necnon et contra suprema iura Summi Pontificis, ex indebita exaggeratione apostolatus *exterioris* et minus cauta relaxatione auctoritati Superiorum Religiosorum, cum detrimento vitae religiosae et totius Ecclesiae, damna patiantur.

6. Tandem clare dignoscatur et in tuto ponatur oportet nota characteristica illorum Institutorum religiosorum quae ad nutum ipsius Summi Pontificis sunt, cui cura est de universali Ecclesia, et qui instrumentis indiget ad hanc curam adaequate absolvendam.

Bene attendatur oportet ne per doctrinas hodie certo adhuc clarificandas, ideae introducantur vel conclusiones practicae deriventur quae in damnum cedant non modo auctoritatis et curae pastoralis Summi Pontificis, sed et Ecclesiae ipsius, quatenus scilicet bonum eius magis universale unice a Summo Pastore qua tali curari potest et debet.

[*Subsignaverunt etiam*] Thomas Rochus Agniswami S. I.; Ioseph B. Evangelisti, ep. Meerut; J. P. Leonard S. I., arch. Madura; Eduardus Caelestinus Daly O.P., ep. Desmoinen.; L. T. Picachy S. I.; L. Tigga, ep. Dumka; P. Kerketta S. I., arch. Ranchi; I. Rosario M.S.F.S., ep. Amravati; Horace Ferruccio C., ep. Kichow.

99

Exc.mus P. D. FRANCISCUS PERALTA Y BALLABRIGA

Episcopus Victoriensis

Mirum aliquod — simul et dolendum — observandum venit cuicumque legenti atque attente consideranti hoc cap. IV quod de sanctitate in Ecclesia agit.

Textus enim clare et iterato omnes vocatos esse ad sanctitatem affirmat. Cum autem de manifestatione aut *de testimonio* huius sanctitatis in mundo sermo est, unum tantum « praeclarum testimonium et exemplum » offertur,

illorum nempe qui ad sanctitatem tendere conantur per praxim consiliorum evangelicorum in statu vitae ab Ecclesia sancito. Elogia iuste cumulantur: « ... arbor ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini crescit et ramis diffunditur... »; « Spiritus Sancti fructus pretiosus eiusque sanctitatis peculiare testimonium »; « novam vitam manifestius significant (religiosi) et resurrectionem ac gloriam regni caelestis clarius annuntiant »; « Ecclesia Spiritus Sancti impulsus docilis sequens, regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas cum laude recepit..., adiuvavit..., semper adfuit ut omni modo crescant atque floreant... »; « Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungit » (vita religiosa); « ideo sancta Synodus confirmat et laudat universos viros et mulieres, fratres et sorores... qui Sponsam Christi condecorant... » etc.

Quibus omnibus iure meritoque dictis, ex corde concordes sumus, nec aliquid, ne minimum quidem ut deducatur innuimus.

Reliqua vero omnia membra Corporis Christi mystici quod attinet, ad sanctitatem vocata dicuntur, quamvis non omnes ad consiliorum evangelicorum praxim vocentur, ideoque, iterato etiam, « enixe et peramanter » exhortantur ut « vires acceptas ad caritatem perfectam extendant »; « sacerdotes ad imaginem ordinis episcoporum sancte, alacriter et fortiter ministerium suum adimpleant »; « libenter etiam coniuges, parentesque alloquitur... ut se invicem in vita gratiae sustineant »; « omnibus christifidelibus supremas vires adprecatur ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo progrediantur... » etc.

Conclusio vero, facilis et patens, seu potius impressio quae animo figitur ex hoc modo proponendi doctrinam de testimonio sanctitatis in Ecclesia, *nullum scil. testimonium sanctitatis in Ecclesia extra status perfectionis dari,* nec consonat cum doctrina de sanctitate in S. Scriptura et in dogmate catholico; nec realitati vitae Ecclesiae respondet et ideo minus iusta; neque intentioni ac conatui pastorali Concilii efficaciter iuvat.

1. *Non omnino consonat cum doctrina S. Scripturae et dogmatis de sanctitate.* Neque pro populo Veteris Testamenti neque Novi Foederis sanctitas numquam apparet ut aliquid specifice reservatum aliquibus consecratis cultui vitae religiosae seu moralis. Ad omnes fratres pertinet in bonum totius operis Christi. Dedit quidem Deus — ait Paulus — « quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores », omnes autem « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 11-12). Sancti vocantur quia sancti sunt, primum quidem fratres communitatis hierosolymitanae (*Act.* 9, 13; *1 Cor.* 16, 1; *Eph.* 3, 5), deinde fratres Iudeae (*Act.* 9, 31-41), denique vero omnes credentes et baptizati in nomine Iesu (*Rom.* 16, 2; *2 Cor.* 1, 1; 13, 12). Ipsi populum sanctum constituunt qui proinde exigit ab eis vitam sanctam.

Sanctitas tam sub aspectu culturali quam sub aspectu morali in duobus testamentis ad totum populum pertinet. Lex data est populo Israel ut

pignus amoris Dei sancti, ut et ipse populus sanctus esset: « custodite mandata mea et facite ea... Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel. Ego Dominus qui sanctifico vos... » (*Lev.* 22, 31 s.).

Filii Ecclesiae, novi Israel sanctitatem Dei in se recipiunt in amore et per amorem Christi: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (*Io.* 14, 23).

Quando autem populus a viis Domini praevaricatur « residuus in Ierusalem » sanctus vocatur (*Is.* 4, 3), illi, nempe, qui constanti animo pacto divino sub nova vel veteri lege fideles permanent.

Hoc, certum est, non impedit quoniam aliqui ad specialem sanctitatem et ideo ad praeclare testimonium sanctitatis vocentur.

2. *Non respondet realitati vitae Ecclesiae.* Quomodo potest ignorari existentia, aliquoties heroicae sanctitatis plurium humilium sacerdotum ruralium, humilium matrumfamiliae, coniugumque christianorum, piarum mulierum servitio Dei et proximi deditarum, infirmorum, operariorum, patronorum observantium mandatorum iustitiae socialis et caritatis; firmitatem in fide in pueris atque iuvenibus, in senioribus tempore persecutionis? Nonne et hoc est verum testimonium sanctitatis Ecclesiae pro mundo hodierno?

Sed amplius: quod testimonium hominibus nostri temporis facilius et saepius pervenit sanctitatis Ecclesiae non tantum sub persecutione sed etiam in media massa in fabrilibus officinis, in fodinis, in maximis urbibus, totaliter a praesentia et influxu Ecclesiae mancipata? nonne testimonium vitae christianae religiosae et moralis socii in labore, alicuius iuvenculae, matrisfamiliae, medici, infirmi qui fidem suam opere profitentur et Christo fideles omnibus et maximis non obstantibus difficultatibus oeconomicis, migrationis, infirmitatis, persecutionis firmo animo permanent? Et ipsi, una cum ad vitam religiosam vocatis mundo universo sanctitatis Ecclesiae testimonium praebent, illumque ignorare iniustum et dedecus foret.

3. *Talis modus sanctitatem Ecclesiae proponendi in textu minime iuvat intentioni ac conatui pastorali Concilii Vaticani II.* Loco aliquarum exhortationum nostri textus, quarum nonnullae paternalismum sapiunt, fideles potius edoceantur de transcendentia eorum fidei in bonis caelestibus dum degunt in societate materialismo atheistico imbuta; sese sciant obiectum fiduciae totius Ecclesiae ideoque responsabilitatem adipiscant testimonii quod ipsis a Christo Iesu et a Matre Ecclesiae confertur praecipue hisce in adiunctis in quibus vita eorum versatur; animi vigorem hauriant ex eo quod saepissime propter fidelitatem ad doctrinam et legem christianam digni habebuntur pro nomine Iesu contumeliam pati.

Propter quae omnia, vehemens desiderium Sacrae Synodo pandimus: ut iuxta praeclare testimonium sanctitatis quod tot mundo vocati ad statum religiosum praebent, illud aliud Sacra Synodus aestimet atque debitam in lucem ponat, testimonium scil. magni praetii et meriti sanctitatis populi christiani sive laicorum sive sacerdotum.

100

EXC.MUS P. D. EMMANUEL A IESU PEREIRA

Episcopus tit. Praenetiensis, aux. Conimbricensis

Cap. IV in genere placet. Attamen nonnulla tollenda et alia addenda essent.

A) Tollendae essent quaedam repetitiones praesertim in nn. 28, 29 et 30, in eo quod respicit ad obligationem sanctitatis *omnium* nam multoties hoc asseritur illic...

B) Haec mea humili sententia, addenda:

1. In n. 30 vehementer optanda est *amplior* invitatio *sacerdotum* ad sanctitatem, ad normam Encyclicarum S. Pii X, Pii XI et Pii XII.

2. Eadem invitatio in hoc documento tam solemni extendenda esset ad omnes in sacerdotium candidatos in seminariis degentibus.

3. Velim specialis invitatio ad sanctitatem ad *iuvenes* et *opifices* in his temporibus maximis periculis obnoxios a materialismo dialectico.

De his caput omnino tacet, eos tantum enumerat in verbis genericis « pro omnibus christifidelibus ».

Hae invitationes mihi videntur necessariae in seipsis, sed etiam opportunae et ad aequilibrium obtinendum, nam cap. IV tanta de consiliis evangelicis, et quidem opportuna et optima, in tribus paginis cum dimidia, continet, i. e. de religiosis, et paucissima de ceteris membris mystici Corporis, quae, ut apparet, pleraque sunt.

Forsitan *laici* in genere, *opifices, iuvenes, candidati in sacerdotium, cleri in minoribus et maioribus,* cum hoc noverint, disproportionem non sine vituperatione notabunt.

4. In n. 31, « De mediis ad sanctitatem » facere non possum quin doleam de silentio quorumdam mediorum, ut, v. g., de *devotione* erga *B. V. Mariam,* de *oratione vocali* et *mentali.* Cur non fusius inculcanda illic frequentia Poenitentiae et Sacrae Eucharistiae, de quibus loquitur per transennam in his tantum verbis: « sacris et sacramentalibus », quod parum videtur.

Certissime christifideles haec miranda invenient praesertim silentium de devotione erga B. V. Mariam ut medium sanctificationis.

C) Quia in n. 32, loquitur de *statu perfectionis acquirendae* opportunum mihi videretur ut in n. 34, lin. 15 post verba « praestare debent episcopis » haec adderentur verba S. Thomae « nam comparatur episcopus ad religiosos sicut perfector ad perfectos », optima ad provocandum reverentiam et oboedientiam religiosorum erga episcopum in officio erga Ecclesiam. Praeterea ita inculcaretur haec veritas maximi momenti, magna cum utilitate pastorali...

101

Exc.mus P. D. NORBERTUS PERINI

Archiepiscopus Firmanus

Multa et egregia scripta sunt in schemate et dicta fuerunt a Patribus qui de cap. IV schematis *de Ecclesia* locuti sunt circa naturam, celsitudinem, vocationem universalem et consequentem obligationem sanctitatis pro omnibus hominibus: optime quidem.

Liceat tamen mihi sanctitatem considerare qua artem in effectum deducendam, qua metam ad quam arripiendam certa requiritur technica et certa paranda sunt instrumenta quae vulgari sermone « ferri del mestiere » dicerentur.

Et liceat mihi aperte clamare parum fore si sacrosanctum Concilium monstret in altissimis coruscantem sanctitatem nisi, medicus, magister, pastor, schalam supponat qua ad altissima conscendant non solum fervidae et bonae voluntates, sed et mediocres et debiles et rebelles.

Quando in schemate pericopem videmus quae inscribitur « de mediis ad sanctitatem » uti conspiciendum est in pag. 19 n. 31, spes exurgit de hac maxime necessaria indicatione practica: quae tamen spes prorsus diluitur quando legimus solummodo de consiliis evangelicis tractari.

Consilia enim evangelica absque dubio ad sanctitatem referuntur et quidem luculentissimo modo, sed potius quam media, sunt gradus iam acquisitae et exquisitae sanctitatis, nec omnibus proposita nec consequenter omnibus possibilia, sed paucis dumtaxat specialiter electis.

Quaerendum nempe est ulterius: « Quibus mediis possibile est ut speciatim vocati perveniant ad amorem et praxim consiliorum evangelicorum, et qui non sunt specialiter vocati perveniant ad suum quisque gradum sanctitatis, qui in eo tandem constat ut unusquisque pro condicione sua vitam degat in statu gratiae et in conformitate ad voluntatem Dei? ».

Incipiendum est a remotione prohibentium, nempe a quaesito: « Quaenam est maxima causa cur fulgens meta sanctitatis hodie nonnisi paucos immo perpaucos christianos alliciat? ».

Facilis est responsio, si nolumus nos implicari subtilioribus elucubrationibus quae non sunt ad rem: « Est illa inordinata, excessiva et, ut ita dicam, exclusiva dependentia a mundanis rebus, qua adstringimur, quasi hic habeamus civitatem manentem nec futuram debeamus inquirere ».

Nonne tota ratio vitae huius nostrae aetatis ad hoc reducitur ut animus totus mergatur in res perituras huius mundi? Quod sane semper fuit, numquam vero tam universaliter, tam graviter quam hodie, quando oculi omnium impleti sunt illusionibus, quando etiam surdorum auriculas sexcenti rumores qua mulcent qua torquent, quando mentes et corda tot gravantur curis et anxietatibus et fatuis et fictilibus et falsis et indignis, ita ut nullum supersit tempus nullum spatium ad percipienda quae sunt spiritus Dei, ad quaerendam iustitiam eius.

Talia ergo media proponere necesse est quae efficaciam habeant abstrahendi fideles a nimia hac et quam maxime aerumnosa immersione in pelagum mundi, ut ea quae sursum sunt sapiant, quae sursum sunt quaerant.

Qua innixus consideratione non me pudet usitatum verbum proferre « Exercitia spiritualia » usitatum quidem sed adhuc mirandis capax expansionibus et maxima veneratione certe dignum, quando Summi Pontifices aetatis nostrae Spiritualia Exercitia instanter, instantius, instantissime sacerdotibus commendaverunt ut medium praecipuum sanctificationis, uti est videre in Encyclicis: *Exhortatio ad Clerum* S. Pii X; *Ad Sacerdotii Catholici* Pii Pp. XI; *Menti nostrae* Pii Pp. XII, et passim in actis omnium Romanorum Pontificum saeculi xx.

Experientia luculenter docet eadem exercitia non clericis tantum sed ipsis prodesse laicis, quia etiam pro laicis praecipuum sin unicum medium sunt quo de clamore gentium quis in se redeat, incipiat rebus omnibus proprium locum tribuere et proprium momentum, sentire inanitatem et saepe nullitatem transeuntium et momentum aeternarum rerum.

Hic incipit sapientia qua sternitur via ad visionem illam supernaturalem rerum quae dividit inter christianorum et paganorum vitam: hinc cursum arripit sanctitas.

Experientiam consulto citavi quia iam in multis dioecesibus opus Spiritualium Exercitiorum plurimis abhinc annis inceptum radix extitit mirabilis meliorationis fidei et morum in mulieribus et viris, in aetate provectis et iuvenibus, in operariis, agricolis et professionistis.

Experientiam citavi quia huc illuc in Ecclesia cui semper Spiritus Sanctus assistit exorta sunt experimenta quae animarum pastores nequeunt ignorare nequeunt parvipendere.

Duo experimenta quae ex fructibus eorum bene novi liceat mihi indicare, quorum unum in Italia exortum inscribitur « Motus pro mundo meliori » alterum in Hispania, cui nomen « Cursillos de Cristiandad ».

Ambo ad hoc tendunt ut per praedicationem speciali modo eoque exigentiis nunc temporis maxime accommodato exhibitam, itemque per exemplum evangelicarum virtutum inter quas caritas praefulgeat, tum singuli christiani, tum familiae, tum societas tota sanctificentur.

Ad huiusmodi sanctificationis effectum obtinendum nemo non videt plurimum conferre, immo omnino necessarium esse ut constituantur coetus sacerdotum qui, nulla iurisdictione praediti, nulli Congregationi adhaerentes, nullum particulare opus promoventes, sub auctoritate episcoporum, missionario spiritu ardentes et lucentes, unice laborent ad diffundendam mentalitatem supernaturalem et fervorem et sitim spiritualis renovationis mundi, qui tandem aliquando ad Christum Regem suum redeat, et homines evangelico afflatu perfusi, fidei lumine clarificati, gratia et caritate permoti gaudeant se esse filios Dei, esse inter sese fratres, esse in hoc mundo peregrinos futuram inquirentes civitatem.

Votum igitur propono ut Patres Conciliares his qui iam hanc viam ma-

gno cum fructu experti sunt denegare nolint considerationem necnon, si casus ferat, adprobationem quae animum et vires addat. Nam certiores quodammodo facti adhuc se in spiritu Ecclesiae laborasse, nova alacritate et animi securitate et laetitia spirituali in bonam viam procedant et exemplo suo multorum voluntates trahant ad imitandum et perficiendum tantum apostolicum opus.

Animadversiones additae:

Opportunum sane verbum in aula conciliari prolatum est quando quis suggessit post pericopem « de Ecclesia in terris peregrinante » aliquid esse dicendum de Ecclesia triumphante in caelis.

Quisquis namque christifidelis ab incunabulis didicit hominem positum esse in mundo « ut cognoscat, amet Deum, ipsi serviat in terris, et Deo tandem fruatur in caelis ». Itemque christifidelis quisque in terris militans sat experitur quantam ad recte agendum, ad hostes animae vincendos, ad difficiliora quaeque superanda conferat vim viva spes aeternae felicitatis in Ecclesia triumphante hauriendae.

Votum itaque profero ne consilium tanta pastorali sapientia refertum Patres commissionis sinant irritum cadere. In hoc tamen optato casu liceat mihi dicere mutilam evasuram doctrinam de Ecclesia nisi aliquid etiam de Ecclesia purgante dicatur.

Patres qui vitam pastoralem degunt bene norunt quam perspicua et suadens et grata sit christifidelibus, sive adultis sive pueris, sive doctis sive rudibus doctrina de tripartita Ecclesia, militante, purgante et triumphante, itemque bene norunt quidnam pro exercitio et incremento christianae professionis valent suffragium animarum purgantium.

Ne igitur videantur Patres conciliares doctrinam de Purgatorio parvipendere, quod facile scandalum saperet, necesse est ut, punctis doctrinalibus reassumptis, ferventem adhortationem addant quae dicat sanctam et salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.

102

Exc.mus P. D. IOSEPH M. PERNICONE

Episcopus tit. Hadrianopolitanus in Honoriade, aux. Neo-Eboracensis

Cap. IV schematis *de Ecclesia* in genere placet. Attamen aliquam observationem facere volo super par. 31. Haec paragraphus habet titulum « De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis ». Et quidem multa dicit de consiliis evangelicis, quae vere media sanctificationis sunt, et de eorum observantia in vita religiosa, sed pauca tantum dicit de aliis mediis ad sanctitatem quae magis accommodata sunt vitae christifidelium in saeculo degentium. De his mediis non nisi obiter loquitur schema in lin. 38 pag. 19 usque ad lin. 1 pag. 20: « Caritas enim quae a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffunditur, sacris et sacramentalibus actionibus et sedula, iuxta uniuscuiusque statum, mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatione augetur et crescit ».

Nobis opportunum videtur hic meminisse quod omnibus christifidelibus, clericis et laicis, alia media summe utilia, immo aliquo modo necessaria sunt, sicut Ecclesia semper docuit et experientia nostra probat, nempe oratio quotidiana, mortificatio, ardens devotio erga Sanctissimum Sacramentum et B.mam Virginem Mariam, scrutatio quotidiana conscientiae, frequens usus sacramenti poenitentiae, directio spiritualis, exercitia spiritualia. Haec sanctificationis media quae clericis et religiosis iam nota sunt, ignota sunt christifidelibus in saeculo degentibus, paucis exceptis. Si ea tam necessaria sunt pro nobis qui tantum auxilium spirituale de Missa, Officio Divino et vita pastorali quotidiana trahimus, quantum magis necessaria videntur christifidelibus qui sanctificationem excolunt inter tentationes et distractiones tam multas et acerbas? Ecclesia nobis haec auxilia ad sanctitatem imponit in Codice Iuris Canonici (cann. 124-126); nos debemus, igitur, suadere christifidelibus ut adhibeant haec media et sic facilius progrediantur in via sanctitatis.

Ergo humiliter propono ut post lin. 1, in pag. 20 huius capitis, addantur haec vel alia verba similia: « Praeterea, omnes christifideles qui ad sanctitatem sincere aspirant, quotidie orationi mentali et vocali sese dabunt, Sanctissimum Sacramentum amanter visitabunt, erga Beatissimam Virginem devoti erunt, etiam per recitationem Rosarii, in mortificationibus sese exercebunt, frequenter ad tribunal poenitentiae accedent, directionem spiritualem petent et spiritualibus exercitiis nonnunquam vacabunt ».

103

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

I. *De necessitate habendi caput speciale « De religiosis »*. Uti iam dixi in voto meo circa caput « de populo Dei », censeo doctrinam de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia in illo cap. II proponendam esse, cum sanctitas nota sit essentialis populi quem Deus sibi congregare voluit.

Nunc autem oportet habere caput speciale, quod inscribendum est « De his qui consilia evangelica profitentur », vel melius « De religiosis ».

Etenim, postquam exposita est doctrina de mysterio Ecclesiae (cap. I), et de populo Dei in genere (cap. II), agitur de diversis categoriis membrorum Ecclesiae, unaquaque secundum suum locum et functionem in Ecclesia considerata. Igitur, post cap. III de hierarchia et IV de laicis, locus tribuendus est capiti de religiosis; nam ii qui consilia evangelica profitentur et Deo totaliter consecrantur, constituunt in corpore visibili Ecclesiae specialem categoriam fidelium, quae vitae Ecclesiae maxime interest.

Inde enim a primis saeculis, « ut ex Patribus apostolicis et antiquioribus ecclesiasticis scriptoribus facile comprobari potest, in diversis Ecclesiis vitae perfectionis professio adeo iam floruerit ut ipsius sectatores veluti ordinem classemque socialem variis nominibus — ascetarum, continentium, virginum, aliisque — clare recognitam et multis probatam atque honoratam, in

ecclesiasticae societatis sinu inceperint constituere » (Pius Pp. XII, Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia*).

Ex historia Ecclesiae patet hanc distinctionem inter religiosos et non religiosos procedere ex proposito castitatis Deo dicatae. Quod haud mirum est, cum virginitas seu continentia christianos, qui ipsam profitentur, separet ab illis qui matrimonio iunguntur.

Haec separatio a ceterorum christianorum modo vivendi non potuit exprimi verbis magis significantibus, quam illis a Divino Magistro adhibitis, cum discipulis suis revelavit voluntariam castitatem: « sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12).

S. Paulus, a Spiritu Sancto afflatus, loquitur quoque de virginitate tamquam de modo vivendi omnino speciali, nempe soli Deo dicato: « Virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu » (*1 Cor.* 7, 34), id est, totaliter Deo consecrata et a vita profana separata.

In illis Domini et apostoli verbis traditio Ecclesiae semper respexit doctrinam revelatam de modo stabili vivendi totaliter Deo dicato, quem secuti sunt continentes et virgines in primaeva Ecclesia, atque postea eremitae et coenobitae, omnesque sodales Institutorum religiosorum in decursu temporum.

Comprobari autem facile est, fideles consilia evangelica professos etiam in societate visibili Ecclesiae iam a primis saeculis specialem categoriam efformasse, ab illa clericorum et laicorum distinctam. Satis est recordari, quod in Ecclesia primaeva virgines locum proprium in officiis liturgicis obtinebant, immo « illustrior portio gregis Christi » reputabantur, non solum a S. Cypriano (*De habitu virginum,* 3, PL 4, 455), sed etiam a multis aliis episcopis et laicis.

Clarius etiam patet ex documentis ecclesiasticis posteriorum temporum religiosos in Ecclesia constituere, non solum classem quamdam distinctam, sed *statum* ab eius auctoritate publice recognitum et ordinatum. « Hinc, in primis *status publicus perfectionis inter tres praecipuos ecclesiasticos status recensitus fuit,* atque ex ipso Ecclesia secundum personarum canonicarum ordinem gradumque unice petivit (can. 107) » (Pius Pp. XII, Const. Apost. *Providens Mater Ecclesia*).

Nunc autem pressius determinare oportet cuiusnam naturae sit in Ecclesia locus seu munus huiusce specialis categoriae christifidelium, qui religiosi nuncupantur.

Aliqui Patres conciliares asseruerunt statum religiosum non pertinere ad ipsam constitutionem divinam Ecclesiae, sed esse tantum quamdam institutionem mere ecclesiasticam. Proinde illi proposuerunt ut dicta ad religiosos pertinentia transferrentur a capite « De vocatione ad sanctitatem » in schema quod inscribitur « De statu perfectionis acquirendae ».

Hanc autem propositionem censeo non esse retinendam. Sane, verum est omnino religiosos non pertinere *ad divinam constitutionem Ecclesiae,* quae quidem hierarchice solummodo constat ex his qui charactere baptismi

signantur et ex his qui insuper character Ordinis acceperunt. At nihilominus agnoscendum est statum religiosum essentialiter pertinere *ad ipsam vitam Ecclesiae* eiusque sanctitatis notae elementum esse, ita ut status eorum qui consilia evangelica profitentur, Ecclesiae nunquam deesse possit. Hic referre placet optima illa verba Pii Pp. XII: « Dum alii duo canonicarum personarum ordines, scil. clericorum et laicorum, divino iure, cui ecclesiastica adiungitur institutio, ex Ecclesia petuntur quatenus ipsa est hierarchice constituta et ordinata, haec media, inter clericos et laicos, *religiosorum classis, quae utrisque clericis et laicis communis esse potest, ex arcta peculiarique relatione ad Ecclesiae finem, sanctificationem nempe,* efficaciter rationibusque adaequatis prosequendum, *tota desumitur* » (Const. Ap. *Provida Mater*).

Alibi Pius XII etiam pressius locutus est: « *Divino ipso iure* statutum est ut clerici distinguantur a laicis. Inter duos hos gradus religiosae vitae status interiicitur qui, *ecclesiastica origine defluens, ideo est atque ideo valet quia arcte proprio fini Ecclesiae cohaeret,* qui eo spectat ut homines *ad sanctitatem* assequendam perducantur » (All. *Annus sacer,* 8 dec. 1950).

Propterea, etiamsi ecclesiastica sit institutio, status religiosus arcte pertinet ad Ecclesiam, prout est sancta atque Sponsa Christi, qui est Fons, Exemplar et Magister eius sanctitatis. Nam, suapte natura, status ille, — etsi, proh dolor, multi religiosi professioni suae sint impares — aperte manifestat vitam sanctissimam Christi Domini, qui in terris virgo, pauper et oboediens vixit. Professione enim consiliorum evangelicorum declaratur participatio ipsius Ecclesiae ad perfectam abnegationem Christi in eius vita et morte, atque praefiguratur vita regni caelorum, ubi electi « neque nubent neque nubentur » (*Mt.* 22, 30).

Igitur, in schemate *de Ecclesia,* qui continet caput de laicis, ubi iure meritoque proclamatur necessarium officium laicorum « consecrandi mundum » per suam in eo praesentiam et actionem christianam, oportet omnino ut habeatur quoque speciale caput de religiosis, in quo expresse declaretur statum perfectionis, per effectivam renuntiationem rerum mundanarum, publice manifestare transcendentiam regni quod « non est de hoc mundo » (*Io.* 18, 36).

Ad hoc testimonium non sufficerent animae sanctae interne et privatim Deo consecratae, quia Ecclesia, quatenus est corpus visibile, testimonio publico et sociali suae sanctitatis indiget, quod praebetur per statum religiosum ab ipsa recognitum.

Igitur, propter has rationes, in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* in qua non agitur solummodo de structura iure divino hierarchica Ecclesiae, sed etiam de vita eius sancta, omnino necessarium est habere caput speciale « de religiosis ».

II. *De retractatione capitis.* Si, quemadmodum proposui, transfertur pars capitis, quae universalem vocationem ad sanctitatem tangit, in caput de populo Dei, tunc oportebit retractare partem capitis, quae agit de consiliorum evangelicorum professione.

Propono ut sumatur textus elaboratus a subcommissione mixta theologica et de religiosis, in sessionibus dierum 6-8 martii 1963, cuius titulus est « De his qui consilia evangelica profitentur », cum debitis correctionibus.

At, qualitercumque conficietur caput, oportet ut sequentia argumenta in eo inserantur, quae sive in textu subcommissionis; sive in textu actuali non inveniuntur, vel saltem non sufficienter exponuntur:

1. *Relatio status religiosi ad sanctitatem Ecclesiae.* Clare asserendum est quod « religiosae vitae status... arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret » (Pius XII, *Annus sacer*), i. e. hominum sanctificationi, et quod ille status elementum est notae sanctitatis Ecclesiae, necnon visibile huius sanctitatis testimonium, uti latius exposui in prima paragrapho.

2. *Notio sufficienter exponenda status perfectionis.* Nam, nonnulli repugnant notioni status perfectionis, quasi hoc significaret quod soli religiosi ad perfectionem vocantur.

Sed notio status in Ecclesia visibili praetermitti non potest, cum unica caritas, quae totum corpus Ecclesiae vivificat, necessarie exerceatur in diversis statibus vitae, qui diversas et permanentes obligationes important a caritate assumendas.

Porro, in Ecclesia iam a primis saeculis existit specialis modus stabilis vivendi, cuius *obligationes propriae derivant a professione recognita consiliorum evangelicorum.* Proinde, status ille *exclusive* ordinatur ad perfectionem caritatis, id est ad unionem cum Deo et ad servitium proximi propter Deum, dum alii status vitae fidelium secumferunt vel admittunt fines, officia et obligationes ordinis temporalis.

Quapropter, status religiosorum a S. Doctoribus et a magisterio Ecclesiae iure meritoque *status perfectionis* nuncupatus est, non utique quia alia honesta genera vitae a christiana perfectione aliena sunt, sed quia secundum ipsius Christi exemplum et doctrinam status ille caritati maxime congruit et ad caritatis incrementum et perfectionem exclusive ordinatur.

His perpensis, certum est notionem status perfectionis, seu generis vitae perfectae, Ecclesiae vitae maxime interesse, proindeque non est sperandum quod fideles ad sanctitatem magis et efficacius incitabuntur, si notio status perfectionis praetermittitur.

3. *Consecratio religiosorum.* Textus schematis obiter tantum alludit ad consecrationem religiosorum. Oportet igitur expressius dicere, quod per vota religiosa in statu perfectionis constituti homines Deo consecrantur, ita ut a mundo segregentur et Dei servitio totaliter mancipentur.

104

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PIASENTINI
Episcopus Clodiensis

Circa sanctitatem ad quam populus Dei vocatur, ab aliquo Patre negatum est dialogum cum iis, qui longe a christiano more deambulant, proponi posse appellando ad hanc divinam vocationem.

Contradicendum non esse videtur, attamen admittendum est vocationem ad sanctitatem, ut dialogi extremum finem, non ut initium considerandam esse.

Primum nobis satis erit reperire, immo excitare, legis naturalis conscientiam et in mentibus horum fratrum notionem evolvere Dei existentis atque bonorum operum remunerantis, necnon solidaritatis atque fraterni amoris actus adhortari. Successive autem explicari eis poterit sublimitas ad quam Dominus illos vocat. Maximi est momenti immo necessarium, ut in his animabus adsint bona voluntas, bona mentis dispositio accedendi ad fidem, quod saepissime invenitur, et super hoc fundamentum gradatim possibilis erit aedificatio, syllabatim eis dicendo primas religionis veritates. Exemplum nos impellat a sanctae recordationis Pontifice Ioanne XXIII relictum. Quod ei facile fuerit viam sibi aperire in corda hominum a Deo alienorum, hoc dimanavit quidem praesertim ab ineffabili eius bonitate, sed etiam ab eius peritia, qua lucrum facere noverat ex innumeris occasionibus quibus intueretur in hominibus aliquid bonae voluntatis, vel interdum incertum ad fidem anhelitum. Satis saepe enim super actiones, quae bonitate simpliciter naturali praestant, Spiritus Dei fertur, ut eas in ordine supernaturali foecundet. Nostrum est igitur eorum, qui christiane non sapiunt, perscrutari omnes aspectus humanos, in quibus detegatur vel minimum indicium christianae lucis, et per eos omne studium adhibere ut instrumenta gratiae divinae nos inveniamur. Cum denique iter inceptum fuerit, possibile erit sanctitatis terminum ostendere, quae remanet, ut supra dictum est, nostri dialogi cum a Deo alienis postremum verbum, scil. optata conclusio.

Optarem insuper ut in cap. IV schematis nostri — quando de sanctitate sermo est — plenior et clarior mentio quoque fiat de necessitate virtutes christianas exercendi.

His diebus plura dicta sunt de supernis gratiis, donis, charismatibus, quibus subiectum passivum esse possunt animae. Hoc quidem minime negatur. Ast neque oblivisci debemus sanctitatis aedificium erigendum esse super virtutum fundamentum ac progressum. Ipsae enim supernae gratiae, ipsa dona et charismata, ipsa sacramenta munus habent virtutes excitandi, ut homo potenter adiuvetur ad eas exercendas, excolendas, perficiendas, et ita suam suorumque fratrum operetur salutem. Propter quod peropportunum mihi videtur in memoriam omnium redigere, ut christianae virtutes in debito honore collocentur et ad illas homines aciem mentis voluntatemque bonam

dirigant. Itaque abs re non erit — cum de sanctitate sermo est — ut necessitas in nostro Concilio proclametur ad Nazareth redeundi, ubi scholam perfectissimam omnium virtutum, quibus sanctitas innititur, Iesus, Maria et Ioseph sacerdotibus, religiosis et laicis praebent.

105

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS PLANAS MUNTANER
Episcopus Ebusitanus

In cap. IV schematis *de Ecclesia* frequenter sermo fit de caritate et quidem sub diversis aspectibus et cum variis nominibus.

Vocatur amor, dilectio, fraternitas, servitium amoris, caritas pastoralis. Dicitur mandatum primum et universale, maximum et necessarium; forma et finis sanctificationis. Huius media dicuntur procedere et regi a caritate.

Fit sermo de amore Dei et de proximi dilectione, et amor proximi dicitur defluere a Dei dilectione.

In nota autem 2 pag. 23 loquitur schema de amore Dei et proximi in A. T. et in N. T. Insuper hoc mandatum vocatur « novum », et citatur nota 10 cap. 3 pag. 14 quae insuper in memoriam revocat Dominum vocavisse caritatem mandatum « suum ».

Iamvero ad diversas rationes quibus dicitur Dominus appellavisse novum hoc mandatum, unam liceat adiicere quae, ni fallor, deest:

Est nempe res omnino nova et propria Christi coniunctio duorum mandatorum amoris Dei et proximi. Nullibi ante ipsum Dominum invenitur talis intima coniunctio, de qua plura in Evangelio.

Apud Matthaeum nempe (22, 34-40) Iesus respondens uni ex pharisaeis dixit, secundum mandatum de dilectione proximi simile esse primo de amore Dei. Immo in his duobus mandatis universam legem pendere et prophetas.

Item habetur in loco parallelo apud Marcum (12, 28-31). Hic Dominus responsum dat potius alicui scribae.

Lucas in contextu parallelo (c. 20) haec omittit, probabiliter quia iam antea (c. 10) similia sed non aequalia narraverat in alia occasione.

In hoc loco ponitur (*Lc.* 10, 25-28) in ore alicuius legisperiti respondentis interrogationi ipsius Iesu doctrina similis de coniunctione amoris Dei et proximi. Ergo invenimus in ore legisperiti quae diximus cum exegetis fuisse novam et propriam doctrinam Domini et quidem in occasione chronologice priori.

Quomodo explicatur haec antinomia? Vel fortasse Iesus eamdem rem iam docuerat in aliis occasionibus de quibus non loquuntur evangelistae et inde ille legisperitus ex ore ipsius Iesu didicerat quae hic docet de unione duorum praeceptorum caritatis, vel Lucas loquitur de eadem re et occasione de qua alii duo Synoptici in locis citatis sermonem habent artificio quodam litterario rem aliquomodo immutans et in alio contextu collocans.

De facto Iesus apud Lucam laudat legisperitum de sua responsione et apud Marcum (non vero apud Matthaeum) Dominus laudatur a scriba de doctrina prolata. Et quidem Marcus continuo in ore scribae laudantis Dominum ponit verba quae repetunt clare doctrinam ipsius Christi de unione illorum duorum mandatorum de caritate.

Post mortem Domini iam in aliis scriptis fas est invenire hanc doctrinam, sicut e. g. in S. Paulo (*Rom.* 13, 8 et 10).

Coniunctio vero praecepti caritatis erga Deum cum mandato dilectionis proximi non est mera iuxtapositio sed intima connexio, quia amor christianus proximi in hoc consistit ut proximum diligamus propter Deum et « a Dei dilectione fluit ipse proximi amor » (pag. 21 n. 33 lin. 30).

106

Exc.mus P. D. BENEDICTUS PRINTESIS
Archiepiscopus Atheniensis

Fons sanctitatis Christus est, qui per Ecclesiam suam, organismum theandricum, vitam suam hominibus communicat; sanctitas in ipsa participatione vitae Christi et in transformatione in ipso collocari oportet. Participatio haec in baptismate inchoatur et per receptionem aliorum sacramentorum perficitur, speciali quidem modo in receptione Sanctissimae Eucharistiae, in qua ipse Christus sumitur.

Et tamen in capite nostro nullus sermo fit de necessitate receptionis sacramentorum et quidem de frequenti receptione Sanctissimae Eucharistiae sacramenti perfectae dilectionis; sacramenti poenitentiae, in quo misericordia divina invenitur sed etiam fortitudo ad pugnandum pro sanctitate habetur.

Ratione pastorali nos pastores de hac necessitate receptionis sacramentorum ad fideles nostros loqui debemus, ne ipsi credant caritatem sufficere, dum nos Sanctissima Eucharistia eos reficere tenemus et quidem ex voluntate Christi.

In capite nostro quam saepius de caritate sermo fit, plus quam triginta vicibus, quin dicatur, quid significet, dum de aliis virtutibus theologicis, ut v. g. de fide, quae nos mysterium divinum contemplare facit et ipsi caritati antecedit, nihil, vel fere nihil dicitur.

Sermo ubi de una sanctitate christiana, quae ab hominibus variorum generum vitae et officiorum excolenda erit, iuventus etiam amborum sexuum ad sanctitatem invitetur, ne magis ac magis quotidie a principiis materialismi et passionibus alliciatur cum detrimento spirituali et eius dignitatis humanae.

Ad operarios etiam sermo dirigatur, ne a labore quotidiano oppressi ad familias suas sustentandas, se alienos a sanctitate opinant, dum S. Ioseph, sponsus B. M. V., pater putativus Christi, vir iustus vocatus, operarius fuit et labore manuum suarum Familiam Sacram sustentabat.

Sanctitas ipsius vitae coniugalis non tantum ex amore fidelitatis sed

eo ipso quod a Deo creata sit ut creatio sua in tempore continuetur, excolenda erit.

In art. 30, in lin. 24 post verba « pro omnibus christifidelibus » poni posset « cuiuscumque generis vitae et officii » ut magis clare intendatur nullum officium aut genus vitae alienum a sanctitate esse.

107

Exc.mus P. D. LEONARDUS IOSEPH RAYMOND

Episcopus Allahabadensis

1. Siquidem, ni fallor, haec est unica occasio quando Concilium Vaticanum II sese occupabit in tractando de sanctitate in Ecclesia, velim omnino quod conceptus sanctitatis magis enucleatur eiusque origo et fons in Deo clare demonstratur. Hoc, mihi videtur, necessarium est ad dialogum inter Ecclesiam et Hinduistas, qui adnumerantur hodie plus quam 400 milliones hominum. In terminologia ecclesiastica vocantur pagani, sed meminisse iuvat eos esse paganos qui per 4000 annorum, constanter, totis viribus, omnique nisu, Deum quaesierunt, eum appropinquare conati sunt, eique adhaerere desideraverunt. Litteratura eorum, maior pars scripta ante transmigrationem Babylonicam, saturatur, inspiratur, impregnatur, hac indagatione et exploratione. Hoc non est fabula, est factum apertum: ego vidi in mea episcopali urbe una die congregatos, 5 milliones peregrinorum, qui ibi confluxerunt ut sese purificarent in aquis fluminum (Bain de purification, Reinigungsbad). Nil mirum si insignis missionarius nostris diebus, l'Abbé Monchanin, scripsit: India deberet esse cor meditativum Ecclesiae. « L'Inde doît être le cœur méditant de l'Eglise ».

Toto corde admittunt Hinduistae transcendentiam Dei: Deus est esse, Deus est cogitare, Deus est gaudium. Sed nullam ideam habent Deum esse sanctum, immo fontem et originem totius sanctitatis. Certe apud Hinduistas omnis actus humanus habet suam consequentiam, bonam vel malam, secundum quod actus est bonus vel malus; sed systema morale omnino a Deo separatur, est systema aliquomodo abstractum, quod ad Deum habet nullam relationem, sed cuius effectus exercetur modo quodam caeco. Habent Hinduistae suos sanctos et sanctas qui interdum magis honorantur in vita quam post mortem; ex alia parte, etsi erga Ecclesiam respectum demonstrent, eorumque liberos ad nostras scholas mittant, respectus oritur potius ex admiratione pro opere sociali et educativo Ecclesiae, quam ex recognitione sanctitatis ecclesiae. Hic est radix et nodus problematis, quomodo persuadere Hinduistis sanctitatem esse notam Ecclesiae, quae est Ecclesia Dei sancti et perfecti. Ideoque insufficiens esse puto citare verba Domini nostri « Estote ergo perfecti sicut Pater vester perfectus est »; insufficiens est describere sanctitatem Dei solummodo per transennam. Debet esse pericopa specialis in qua asseritur, accurate et graviter: Deus est sanctus et omnis sanctitas ab eo

derivatur et secundum eius mensuram aestimatur: Ipse est fons veritatis et fons moralitatis. Origo erroris Hinduistarum est potius error philosophicus: errant circa notionem personalitatis sive in Deo sive in homine, ideoque non recognoscunt Deum esse mensuram boni et mali. Certe non vult Ecclesia sese occupare cum disputationibus philosophicis, sed requiritur clara notio Dei sancti ut prosequeretur efficax dialogus cum Hinduistis, 400 milliones, qui per suam historiam Deum quaesierunt et adhuc quaerunt.

2. Mea secunda animadversio dirigitur ad scopum Concilii de aggiornamento. Saepe saepius Ecclesia impugnatur quod erigit magnum aedificium sanctitatis, quod elevat oculos humanos ad culmina supernaturalia, quod inculcat totis viribus virtutes supernaturales, et negligit ex alia parte virtutes sic dictas naturales. Quaedam indicatio differentiae inter virtutes supernaturales et sic dictas naturales, potest suggeri, quando parochus, iocose sane, accusat moniales exercendi consilia et obliviscendi mandata.

Duobus modis possunt explicari hae virtutes naturales. Sunt virtutes quae promovent commercium sociale: tales sunt tenacitas propositi, fidelitas obligationibus diurnis, veritas in conversatione ordinaria, indoles aperta, honestas in commercio. Possunt vocari etiam virtutes exiguae, sed sunt omnino essentiales ad promovendam et ad reddendam facilem vitam socialem. Absentia aut despectio harum virtutum saepe est causa contemptus Ecclesiae, quinimmo ipsius vocationis ad sanctitatem.

Alius modus explicandi has virtutes sic dictas naturales indicatur a card. Newman in sua bene nota descriptione viri nobilis, the Gentleman. Certe postulat pro eo eximius cardinalis virtutes sociales: debet esse vir mitis, humanus, patiens, affabilis. Sed insuper postulat pro eo characterem in suo sensu graeco: debet esse vir qui agnoscit obiectum vitae et prosequitur istud obiectum, regulariter et tenaciter. Formatio haec, explicat Newman, debet esse effectus naturalis educationis liberalis, non liberalis in sensu politico aut philosophico, sed liberalis in sensu opposito ad educationem professionalem. Credidit Newman hanc educationem optime praeparare puerum ad aggrediendum onera vitae, et virtutes naturales quae generat et nutrit, sunt fructus quos oportet non despicere.

Velim ut schema etiam quoddam verbum de his virtutibus naturalibus dicat.

108

Exc.mus P. D. ALEXANDER RENARD

Episcopus Versaliensis

Aliquid dicere vellem circa conclusionem capitis « de vocatione ad sanctitatem », nn. 35-36.

In hoc textu sincere quidem approbantur ab Ecclesia viri et mulieres, qui sese Deo per vota religionis devoverunt; et ad sanctitatem vocantur omnes qui sacro baptismate insigniti sunt. Attamen modus dicendi nimis im-

perfectus et nimis incertus apparet, ut scopus rite desideratus plene obtineri possit.

Exinde propono ut Sacrosancta Synodus clarius et pressius sequentia puncta proclamet:

1. Omnes baptizati vocantur ad sanctitatem, quae in caritate theologali et in consiliis evangelicis consistit, unoquoque fideliter obtemperante inspirationibus Spiritus Sancti, obligationibus proprii status, et prudentiae supernaturali.

2. Consecratio ad Deum per totalem donationem suiipsius per se clarissima et nobilis existit, antequam sese manifestet per varias activitates, ut sunt: contemplatio, poenitentia, apostolatus, educatio, opera caritatis, cura infirmorum, etc.: operatio sequitur esse.

3. Haec consecratio ad Deum multis modis effici potest: sive per vota in congregatione religiosa emissa, sive per vota in instituto saeculari, sive per castitatem perfectam in servitio Ecclesiae et sub auctoritate episcopali, ut mos erat in communitatibus primaevi temporis.

4. Graviter monet Ecclesia omnes christifideles, ut in maiori caritate erga Deum et proximum vitam perducant, iis utentes mediis, quae in Evangelio indicantur, et ad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae, frequenter accedentes. In fine textus nostri expressio: « Spiritus evangelicus » nimis incerta videtur.

5. Instantissime exhortatur Ecclesia omnes iuvenes ut sese interrogent, a sacerdotibus educatoribus edocti, qualis sit erga unumquemque eorum voluntas Dei: « Domine, quid vis ut faciam ». Vocatio nequaquam electio est rationis, ut fit quando agitur de quodam artificio assumendo; sed revera est invitatio et gratia Dei, quae in oratione, in solitudine et silentio, in suiipsius abnegatione perspicitur.

Si pueri et iuvenes in fide erga Deum et amorem personalem erga Christum Dominum educantur, necnon in caritate actuosa erga proximum, tunc Ecclesia sacerdotes, moniales, virgines in mundo Deo consecratas habebit, quibus hodie maxime indiget ad suam missionem, simul duplicem et unicam, scilicet sanctitatis et apostolatus, rite adimplendam.

109

Exc.mus P. D. IOSEPH REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

1. In textu pag. 20, linn. 10 et 11 omittantur verba « seu Deo dicata castitas ».

2. Loco verbi « virginitas propter regnum caelorum » dicatur « caelibatus propter regnum caelorum ». Et talis expressio in toto capite servetur.

Argumenta pro his emendationibus:

1. In textu schematis pag. 20, linn. 10 et 11 in aequo ponuntur « virginitas propter regnum caelorum » et « Deo dicata castitas ». Talis aequipa-

ratio reicienda esse mihi videtur. Castitas enim tum solutorum tum maritorum ultimatim est « Deo dicata castitas ». Nam castitas est virtus qua homo secundum legem divinam aut utendo aut abstinendo rectum ordinem in sua indole sexuali dominanda servat. Insuper talis modus loquendi ansam praebet suspicioni, ne indole sexuali non uti per se sit perfectius quam hac indole ita uti, ut per usum secundum praecepta divina ea consequantur, quae Deus talem indolem dando attingi intendit. Huiusmodi autem doctrina, quae tali suspicioni favet, falsa est. Nam indoles sexualis hominis non est mera Dei admissio nec oportet sexualitatem in quantum fieri potest reprimi, ut homo in sanctitate acquirenda melius progrediatur. Indoles sexualis e contra est donum hominibus a Deo datum ad varios optimosque fines assequendos. Virginitas et matrimonium non praecise maiori vel minori gradu castitatis ab invicem distinguuntur, sed caelibatu propter regnum caelorum, quo homo speciali modo se totum Deo confert.

2. Dominus noster Iesus Christus non de virginitate propter regnum caelorum loquitur. Eius verba secundum *Mt.* 19, 12 magis commendant, ut Concilium loco « virginitas propter regnum caelorum » utatur verbo « caelibatus propter regnum caelorum ».

[*Subscripserunt etiam ad emendationem 1:*] Hermannus Volk, ep. Moguntinus; Carlos M. Jurgens, arch. Cuschensis (Perù); Mauritius Pourchet, ep. S. Flori; Alcides Mendoza Castro, ep. Abancaiensis (Perù); Paul Nordhues, ep. aux. Paderbornensis; Paul Ioseph Schmitt, ep. Metensis; Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus.

110

EXC.MUS P. D. INNOCENTIUS RODRIGUEZ DIEZ
Episcopus Conchensis

Loquitur vobis humilis episcopus ruralis. Et quidem nomine proprio et plus quam 400.000 christianorum suae dioecesis, in fide stabiles et in testimonio vitae christianae efficaces. Ero brevis, ne, culpa mea, tempus inutiliter teratur.

In cap. IV schematis *de Ecclesia* instituitur sermo « de vocatione ad sanctitatem ». In Ecclesia enim omnes, sive ad hierarchiam pertineant sive ab ea pascantur, vocantur ad sanctitatem.

Et cum sanctitatis forma et finis in amore Dei super omnia et in operosa proximi dilectione consistat, ut optime in pag. 19, linn. 34-35 asseritur, quaerendum et determinandum est quae sit via aptior ad unionem cum Deo et cum proximo assequendam, adeoque ad sanctitatem adipiscendam.

Nonnulla in hunc scopum scripta inveniuntur in textu schematis, quae tamen explicitius oporteret proponi, res suis nominibus nominando, et aptiora media quibus praelaudata unio cum Deo et cum hominibus consequitur tum positiva tum negativa, in concreto determinando.

1. Inter media positiva quibus unio cum Deo et cum hominibus adipiscitur, et sanctitas proinde acquiritur, duo sunt potissima, Eucharistia et

poenitentia. Quod quidem stabilire conabor non subtilibus et protractis rationibus, sed verbis simplicibus Scripturae et S. Thomae, quibus omnes nos adiungere possumus quod experientia pastoralis docet.

a) Quoad unionem cum Christo ab eucharistia peractam perspicua sunt verba Ioannis: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo » (6, 57). Quoad unionem vero cum aliis fratribus stant verba Pauli ad Corinthios: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus » (*1 Cor.* 10, 17).

Quibus verbis Ioannis et Pauli cohaerent verba S. Thomae sic dicentis: « Res (scil. effectus) sacramenti eucharistici est unitas corporis mystici » (*Summa Theol.* III, 73, 3; cf. S. Hilarii: *Eucharistia est sanctitatis sacramentum*).

In quorum confirmationem nos omnes, pastores animarum, scimus sanctitatem efficaci modo prosequi fideles qui spiritu vivunt eucharistico.

b) Sed homo labilis est, et non semel praedictam unionem deperdit. Poenitentia vero mediante, cuius res tantum, ut aiunt, seu effectus, est reconciliatio cum Deo, et cuius res et sacramentum simul, reconciliatio cum Ecclesia, medium est quo unio laudata restauratur.

2. Adest insuper medium negativum ad unionem efficiendam et conservandam. A periculis dicam praeservatio. Hoc medium momentosissimum esse verbis Scripturae, psychologia hominis labilis et ad peccatum proni et quotidiana experientia testificatur.

His ergo dictis propono ut linn. 39-40, pag. 19 et lin. 1 pag. 20 redigantur sic: « Caritas enim quae a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffunditur (cf. *Rom.* 5, 5), sacris et sacramentalibus actionibus, *praesertim Eucharistia et poenitentia,* et sedula, iuxta uniuscuiusque statum mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatione augetur et crescit. Constans vero a periculis vigilantia quamplurimum iuvat ut caritas conservetur ».

111

REV.MUS P. D. LUCIANUS RUBIO

Prior generalis O.E.S.A.

Cum iam multa dicta fuerint de *vocatione ad sanctitatem* et de statu qui perfectionis acquirendae vel status religiosus simpliciter appellatur, duo tantum suppliciter et omni cum humilitate rogare audemus, videlicet, ut inter diversa loca Sacrae Scripturae quae ad sanctitatem vel perfectionem evangelicam relationem faciunt, duo speciali modo commemorentur quae magnum influxum in praxim consiliorum evangelicorum, sive privatim sive in communitate, cum perfecta vita communi, excultorum, habuerunt, necnon et quibus Fundatores huius vitae generis praecipue usi sunt vel ad hoc vitae genus stabiliendum vel contra impugnatores defendendum.

Primum illud est Evangelii S. Matthaei quod sic sonat: « Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeter-

nam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi: quae? Iesus autem dixit: Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum, et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: omnia haec custodivi a iuventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo: et veni sequere me » (*Mt.* 19, 16-22).

Hunc testimonium nullibi in cap. IV schematis commemoratur et tamen ex ipso praecipue praxis consiliorum evangelicorum, tum privatim tum in communitate, originem duxit, ut multiplicibus testimoniis historicis comprobare licet. Afferam tantum duo:

a) In vita S. Antonii abb. a S. Athanasio scripta legitur quomodo cum S. Antonius in quadam ecclesia intrasset et praedicatorem quemdam audivisset hunc Evangelii S. Matthaei textum recitantem, ipse omnia vendidisse et vitae monasticae initium dedisse (PG, t. 26, col. 842, 2).

Quantum incrementum huius vitae genus a S. Antonio acceperit omnes norunt.

b) S. Augustinus, Hipponensis episcopus, magnus promotor huius vitae generis in communitate, cum perfecta vita communi, in Africa Proconsulari, haec scribit: « Ego qui haec scribo, *perfectionem* de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: " vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo et veni sequere me ", vehementer adamavi et non meis viribus, sed gratia ipsius adiuvante, sic feci... Quantum autem in hac *perfectionis via* profecerim, magis quidem novi ego quam quisquam alius homo, sed magis Deus quam ego. Et ad hoc propositum, quantis possum viribus alios exhortor et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est... » (*Epistula,* CLVII, 39; PL, 33, 692).

Consectaria quae ex his testimoniis erui possunt, clarissima sunt, videlicet: 1. Origo evangelica huius vitae genus de qua nihil dicitur in hoc schematis capite; 2. paupertatem essentialem esse huic statui; 3. nomen perfectionis, vel via perfectionis, antiquissimum esse et ab Evangelio originem ducere; 4. hic status aliquid aliud importare super sanctitatem per viam mandatorum.

N. B. Valde dolendum esset si nomen « status perfectionis acquirendae », vel via perfectionis, vel perfectio evangelica aliaque similia ad hunc genus vitae significandum ex schemate expungerentur, cum, ex communi sententia, qui vota religiosa emittunt obligationem habeant tendendi ad perfectionem, necnon et cum hic conceptus valde utilis sit, ut non dicam absolute necessarius, ad notionem vitae religiosae exponendam, explicandam et praedicandam.

Secundum Sacrae Scripturae locum quo legitimitas et origo apostolica praxis consiliorum evangelicorum in communitate, cum perfecta vita com-

muni, probatur, illud est Actuum Apostolorum quo commemoratur communitas Ierosolymitana ab apostolis instituta et recta. In multis Regulis monasticis hunc Actuum Apostolorum locum inducitur ut fundamentum huius vitae generis. Sic in Regula S. Augustini dicitur « Primum propter quod in unum estis congregati ut unanimes habitetis in domo et sit vobis anima una et cor unum in Deo, et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia: et distribuatur unicuique vestrum... sicut cuique opus fuerit. *Sic enim legitis in Actibus Apostolorum*: *quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat* » (*Regula S. Augustini*, cap. I), quod confirmatur etiam ex Vita S. Augustini a S. Possidio, ep. Calamensi in Africa, scripta, qui cum S. Augustino per quadraginta annos in communitate vixit (*Vita Augustini* a Possidio scripta, cap. V; PL, 32, 37).

Insuper ipse S. Augustinus praxim consiliorum evangelicorum in communitate cum perfecta vita communi saepe saepius, contra impugnatores, defendit, hoc Actuum Apostolorum testimonio. Ut alia omittamus, en quae ipse dicit in *Sermone* CCCLVI, 1-2 (PL, t. 39, 1574) ad populum Hipponensem:

« Quomodo autem vivere velimus, et quomodo Deo propitio iam vivimus, quamvis de scriptura sancta multi noveritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur vos intentissimos volo, ut post eius recitationem, quod institui loquar, Domino donante, intentioni vestrae. Et Lazarus diaconus legit: " cum orassent, motus est locus... etc. Multitudinis autem erat credentium anima et cor unum; et nemo eorum quae possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia... Distribuebatur autem unicuique prout cuique opus erat "... Cumque episcopus (Augustinus) legeret, dixit: Audistis quid velimus: orate ut possimus ».

In schemate tamen, proh dolor! nihil de iis omnibus dicitur. Quantum autem momenti sit praxis consiliorum evangelicorum in communitate, cum perfecta vita communi, tam ad propriam sanctitatem quam ad bonum Ecclesiae et animarum, nemo est qui ignorare possit.

[*Subscripserunt etiam*:] F. Xavier Ochoa O.R.S.A., ob. tit. de Remesiana; José Alvarez O.R.S.A., ob. tit. de Colibrasso; P. Angelo Almárcegui, sup. gen. O.R.S.A.; Fr. Florentino Armas, Prel. null. de Chota (Perù); Arcturus Quintanilla O.R.S.A., ep. Coeitevensis; Gregorio Espigo O.R.S.A., vic. ap. Palavanensis.

112

Exc.mus P. D. SAMUEL RUIZ GARCIA
Episcopus Chiapasensis

Quum subscriptus spectaret — uti non semel in discussionibus conciliaribus iam evenit — animadversiones ab ipso privatim factas in studio schematis *de Ecclesia* in cap. IV, ex ore cuiusdam Patris audire, mittere eas

non curavit tempus ita putans membris commissionis redimere, immane iam ipsi a nobis labore oppressi.

Parcat ergo mihi commissio schematis *de Ecclesia* si minutas observationes reverenter considerationi ei nunc submitto, censens eas aliquo fortasse non carere momento. Nullum — uti patet — nunc peto personalem in Concilio interventum, siquidem iam discussio de schemate supradicto finita sit, et quia proprio tantum nomine has animadversiones pando.

In n. 28, linn. 4-9, Christo tribuitur quod in *Eph.* 1, 3-6 ibi allato, Patri iuxta S. Paulum referuntur. Melius esset ergo alium textum afferre quo explicite a Christo dicantur operata quae ab ipso in hac parte schematis asseruntur.

In n. 29, linn. 20 ss., ex contextu schematis affirmari videtur apud *Mc.* 12, 30 sermonem esse de mandato novo universali Christi Iesu, cum revera quaestio a scriba Domino proposita sit de primo Veteris Legis mandato, cui Iesus respondens citat verba orationis « shemá » de solo uno Deo diligendo, adiungens quoque mentionem mandati diligendi proximum sicut seipsum. Sumus ergo adhuc intra perfectibilitatem Veteris Legis. In novo autem mandato a Domino dato diligendi proximum (*Io.* 13, 34) amor iste iam non amplius mensuratur ab amore erga seipsum, quia paradigma est nunc amor ipsius Christi erga nos. In novo quoque mandato amor Dei et amor proximi in unum quasi coalescunt, ita ut vel amor proximi deveniat quasi thermometrum nostri amoris erga Deum (*1 Io.* 4, 20). Hac quoque de causa « qui proximum diligit legem implevit » (*Rom.* 13, 8).

Minus ergo recte fortasse legitur in nota 2 pag. 24 agi de quadam substitutione labilis cuiusdam praecepti antiqui, cum revera heic habeamus eiusdem perfectionem a Christi Domini Incarnatione peractam.

Brevi ergo: verba Sacrae Scripturae quae referuntur ad Vetus Testamentum, ab illis quae de amore erga proximum in Novo promuntur, accuratius distinguantur.

In n. 29, linn. 31-34; n. 30 paragrapho prima, partim quoque 2 et 3 ac passim, stylus adhibeatur expositivus, melius quam tonus exhortativus in quo nunc prostant.

Veniam humiliter petens, membrorum commissionis minimus in episcopatu frater se profitetur.

113

EXC.MUS P. D. VICTOR SARTRE
Archiepiscopus tit. Beroensis

In hoc schemate capita specialia sat ampla dedicantur tum statui hierarchiae tum statui laicorum. Statui vero religioso caput speciale non consacratur. Tali modo procedendi Ecclesiae structura hierarchica debito modo in luce ponitur; eius autem structura pneumatica et charismatica, quae non minus ex institutione divina promanat, non sufficienter exprimi videtur.

In genere hac in re animadvertere velim in toto hoc capite multa quidem elementa bona adesse; non tamen dixerim in ipso invenire compositionem revera claram et logicam: variae quaestiones potius per modum unius tractari videntur, unde evenit quod repetitiones satis frequentes sint et ultima claritas saepe desideretur.

In specie autem, ultra multas observationem sapientes, quas iam audivimus, sequentia adnotare velim: 1. de momento religiosorum in apostolatu externo Ecclesiae, et 2. de momento theologico et ecclesiologico status religiosi in Ecclesia.

1. Momentum, quod religiosi pro externo apostolatu Ecclesiae habent, in schemate non videtur modo adaequato agnitum esse: Omnes tamen perfecte novimus, quantopere Ecclesia Religiosis utriusque sexus debeat. Nonne religiosi ubique terrarum tam intime cum apostolatu externo Ecclesiae coniuncti sunt, ut fere dicere valeamus illis dioecesibus integralem partem deesse, quae communitates religiosas non possident? Cogitemus de innumeris nosocomiis, orphanotrophiis, asylis, quae religiosis commissa sunt; cogitemus de eorum activitatibus scientificis et de fertilissimis operibus paedagogicis; cogitemus de multiplicibus muneribus apostolatus tum ordinarii tum extraordinarii; et tandem cogitemus de missionibus nostris: revera in quonam statu adhuc versarentur tot territoria missionum, si Instituta missionaria et Ordines religiosi innumeros labores et gravia sacrificia alacri spiritu ibidem non obtulissent.

Iamvero, si haec perpendamus, possumusne revera praetendere nos indolem, activitatem, pulchritudinem Ecclesiae apte descripsisse si de religiosis nonnisi quasi per transennam et simul cum multis aliis quaestionibus egerimus?

2. Sat maioris autem momenti est, quod in schemate vitae religiosae momentum theologicum et ecclesiologicum ultimatim modo parum adaequato proponatur.

Sat generatim dicere liceat in schemate sat manifeste deprehendi tendentiam reponendi exercitium caritatis in operibus apostolatus exterioris. Iamvero, omnino rectum est quod caritas nos urget ad apostolatum externum et illum esse quam maxime promovendum. Sed non minus clare inculcandum videtur quod exercitium caritatis erga proximum per prius expostulat intimam unionem cum Christo crucifixo et ergo orationem, abnegationem sui, sacrificium. Haec enim cum Christo crucifixo unio omnis apostolatus est anima et omnis fertilitatis apostolicae radix et fundamentum. Quo quis ergo profundius ac perfectius Christo crucifixo unitur eo perfectius quoque bono totius Corporis mystici proderit. Et exhinc praecise momentum theologicum et ecclesiologicum status religiosi explicandum est. Religiosi enim vi status sui vocantur ut Christo pauperi, virginali et oboedienti *et sic mundum redimenti* intimius uniantur et, hac sua cum Christo perfectiore configuratione, efficacius quoque adimpleant quae desunt passionibus Christi pro Corpore eius quod est Ecclesia. Eo ipso ergo quod status religiosus, per se et

absolute loquendo, asseclas suos arctius et intimius Christo coniungit, bono totius Ecclesiae eminenter inservit.

Hanc veritatem fundamentalem in millennaria antiquissima traditione Ecclesiae apprime fundatam et magisterio supremo toties expressam, schema non sufficienter exprimit, sicut, inter alia, iam ex eo vel patet, quod nullam mentionem vitae contemplativae faciat, sed etiam activitates illorum Religiosorum, quae apostolatui externo se dedicant, nullam specialem fertilitatem e statu religioso derivantem attribuat.

Nec consentire possum doctrinae schematis: hanc formam vitae solis mediis sanctificationis differre a formis vitae quas alii status laudabiliter sequuntur. Vita enim religiosa ex indole sua exigit indivisam sui ipsius donationem Christo factam, seu ergo amorem indivisum qui ab amore diviso specifice differat. Huiusmodi autem amor nequaquam simpliciter medium ad finem est, sed rationem finis ipsius, hoc est perfectionis et sanctitatis, participat. Amori specifice novo et superiori, correspondet ergo perfectio specifice nova et superior status religiosi. Curnam autem schema hanc praestantiam status religiosi, de qua tamen definitivo modo in theologia constat, alto silentio simpliciter praeterit?

Nec quicquam hac in re iuvat, immo rem adhuc in peius convertit continua et unilateralis insistentia in status religiosi charactere signi et testimonii. Status in Ecclesia profecto non ideo valorem christianum habent, quia signum vel testimonium sunt, sed ideo, e converso signum et testimonium sunt, quia valorem christianum habent. Nemo enim lucem vel calorem Christi eradiat, nisi prius luce Christi illuminatus et igni eius incensus fuerit.

Brevi, cum hoc cap. IV doctrinam theologicam de statu religioso modo valde incompleto et haud claro exprimat, et totam quaestionem indebito modo cum multis aliis elementis permisceat, propono:

1. ut omnia elementa quae de universali omnium vocatione ad sanctitatem agunt, ad cap. II transferantur ubi organicum eorum locum habent;

2. ut doctrina theologica circa statum religiosum in speciali capite proponatur, quod tamen ex integro reformetur et ex novo condatur;

3. ut hac in re a limine explicetur dari in Ecclesia ex divina institutione non solum structuram hierarchicam sed etiam structuram pneumaticam, secundum quam homines christiani sunt aut in statu religioso aut in statu non-religioso;

4. ut solemnis doctrina Ecclesia de specifica superioritate status religiosi, qua status est, inambiguis verbis exprimatur.

Huic voto sese adsociant: exc.mi X. Thoyer, R. Boudon, R. Guilly, P. Bouckaert, A. Lefebvre, O. Sevrin.

114

REV.MUS P. D. PETRUS SCHWEIGER
Superior generalis C.M.F.

Cap. IV *de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia,* praeter prooemium, constat duabus partibus seu sectionibus: *prima generica,* de universali vocatione ad sanctitatem pro omnibus membris Ecclesiae nn. 29-31; et *altera specifica,* de statibus perfectionis, nn. 32-36.

Prima pars quae respicit omnes christifideles convenienter transferenda est ad cap. III, ubi iam mentio fit de eadem omnium vocatione ad sanctitatem, scil. in n. 23, pag. 6, lin. 13. Ibi doctrina de universali vocatione ad sanctitatem convenienter explanari posset, sicuti explanatur doctrina de sacerdotio universali, de sensu fidei et de aliis charismatibus communibus. Immo sine hac explanatione in hoc loco, cap. III de populo Dei et speciatim de laicis mutilum remanebit et incompletum. Locus proprius pro hac tractatione esset n. 25 *de vita salutifera laicorum.*

Secunda pars, quae eos respicit qui sanctitatem per consilia evangelica obtinere profitentur, tractationem propriam meretur, scil. totum cap. IV, quod inscribi posset: « De iis qui consilia evangelica profitentur ».

Non nimium certe postulamus si Patres Concilii rogamus ut doctrinae de vocatione et vita religiosa tractandae caput sibi proprium in schemate *de Ecclesia* assignetur. En rationes:

1. Status religiosus hanc tractationem propriam atque independentem sibi vindicat non ut privilegium, sed ut ius bene quaesitum et constanter ab Ecclesia recognitum.

Profunde enim status religiosus differt a statu communi, ita ut a pluribus saeculis Ecclesia ipsum consideraverit tamquam statum publicum constitutionalem ipsius Ecclesiae, simul cum statu clericali et cum statu laicorum (cf. can. 107, 487 s.). Functiones status religiosi sunt omnino specificae et propriae atque irreductibiles in pluribus ad aliorum statuum functiones.

2. Globatim tractatio de statu religioso cum aliis statibus, sub communi denominatione universalis vocationis ad sanctitatem, etsi inter sanctificationis media praeclara recognoscantur consilia evangelica, interpretari poterit tamquam signum minoris aestimationis status religiosi ex parte Concilii, et implicitae approbationis recentium doctrinarum quae ipsum statum religiosum parvipendunt.

Huiusmodi tractatio una cum statu laicorum apud populum christianum indifferentismum gigneret relate ad valorem supernaturalem vocationis et vitae religiosae, laxismo ansam praeberet in ipsis religiosis, vocationis numerum et fervorem imminueret et defectiones religiosorum multiplicaret non sine gravi Ecclesiae nocumento.

3. Ex tractatione status religiosi tamquam modi cuiusdam quaerendi sanctificationem in Ecclesia facile via sternitur (salva praeeminentia sanctita-

tis episcoporum), generali planificationi quam novatores praetendebant, cum deprimebant intrinsecum valorem status religiosi. Si status communis extollitur, uti optime fit in cap. IV, pari modo extollendus est status religiosus, de quo Ecclesia ait: ab omnibus in honore habendus est.

4. De laicis in cap. III specialis tractatio fit, idque non praecise sub aspectu divinae constitutionis Ecclesiae, sed potius ob momentum laicorum in apostolatu hodierno.

Iamvero, praestantiores sunt sub hoc respectu status perfectionis, uti constat ex historia antiqua et contemporanea.

Difficile dictu est quantum Ecclesiae aedificationi conferant status perfectionis per apostolatum orationis, per apostolatum testimonii seu exempli et per apostolatum sacrificii, cum agitur de vita contemplativa; quantum insuper per apostolatum directum in missionibus, in educatione iuventutis, in cura infirmorum, in prelo catholico, in colendis scientiis sacris et ita porro, cum agitur de religiosis vitae activae et mixtae; quin loquamur de praestando adiutorio episcopis et clero dioecesano per praedicationem verbi Dei, per administrationem sacramentorum, per regimen paroeciarum, etc.

Ex Annuario Pontificio (1963) et ex Martyrologio Romano hanc notam statisticam Familiarum Religiosarum Iuris Pontificii concinnamus:

Numerus familiarum religiosarum virorum	173	
Numerus familiarum religiosarum feminarum	1.500	globatim
Em.mi cardinales ex familiis religiosis	9	
Exc.mi archiepiscopi et episcopi religiosi	826	
Numerus totalis religiosorum virorum	285.217	
Numerus totalis religiosarum feminarum	1.000.000	globatim
Numerus sanctorum religiosorum et religiosarum	1.800	

Bene quidem meretur status religiosus altam aestimationem in Ecclesia et indiget etiam speciali tractatione in capite proprio « de iis qui consilia evangelica profitentur ». Vita religiosa est ardua et difficilis, praesertim nostris temporibus, et ingens damnum subiret si ex tractatione de eadem facta in schemate Concilii ipsius momentum et aestimatio in Ecclesia et in populo christiano minueretur.

Conclusio. De vocatione universali ad sanctitatem in Ecclesia agatur in capite de populo Dei in genere. De religiosis ceterisque qui consilia evangelica modo obligatorio profitentur, agatur in speciali capitulo ipsis reservato.

115

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Par. 30, linn. 12 ss. (pag. 19), substituendae his quae sequuntur. Ratione muneris prophetici populi Dei, homo christianus vocatur ad apostolatum exercendum ratione suae cooptationis in Ecclesia apostolica. Character a baptismo

et confirmatione impressus illum reddit alterum Christum, missum, mandatum habentem a Christo per episcopum. Apostolatus fidelis laici habet figuram propriam duplici ratione: laicus eamdem conditionem vitae habet ac eos qui « longe » sunt a hierarchia, sed « prope » Ecclesiam ratione ipsius cui prope vivit; insuper laicus habet charismata convenientia suae conditioni vitae, charismata quae hierarchia iudicat et promovet.

Sanctitas christianorum non coarctatur in voluntatis propositis, sed corporalis fit in operibus caritatis. Ecclesia praesens est mundo per membra quae caritatem exercent et ad hoc creant apta opera: Institutiones ad catechismum docendum, scholas, nosocomia... Haec sunt opera totius populi christiani: hierarchiae proprium est ea sanctificare per verbum et sacramenta, laicorum est ea creare et dirigere iuxta eorum scientiam. Insuper partem habendo in opera eiusdem generis, quae a societate civili creata sunt, laici ea transformant, sicut fermentum, ad finem: « instaurare omnia in Christo ».

Par. 32: mutanda sub titulo: *Formae particulares status sanctitatis Ecclesiae.* Tota Ecclesia est in statu sanctitatis; unusquisque christianus vocatur ad sanctitatem et ad ipsam tendit iuxta gratiam propriam. Tamen aliqui eliguntur a Deo ut sint figurae corporales sanctitatis Ecclesiae, figurae particulares eo quod se ponunt in statu totalis dispositionis vi consecrationis sui ipsius. (Sequitur textus par. 32, mutando « ad consilia evangelica » in « ad vitam deditam Evangelio »).

Par. 32 bis: proponitur sub titulo: *Formae particulares status missionis Ecclesiae.* Tota Ecclesia est in statu missionis; unusquisque christianus vocatur ad apostolatum. Tamen aliqui vocantur ut omnes suam vitam ad hoc devoveant se totos impendendo in ministerium missionarium, quocumque in loco. Eorum actio se exercet in forma stabili vitae, ab Ecclesia approbata, sc. in variis Institutis Missionariis laicis.

116

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Cum Concilium nostrum doctrinam de Ecclesia modo pastorali universo mundo praesentare intendat, procul dubio de vocatione universali christifidelium ad sanctitatem speciali modo tractare debet. Homines etenim ad sanctitatem efficaciter ducere finis est essentialis Ecclesiae peregrinantis. Sanctitate filiorum suorum Ecclesia debitum testimonium Deo Sanctissimo reddit in hoc mundo; per sanctificationem personalem homines participationem gloriae caelestis consequentur. Ecclesia a Christo in mundum missa est ut fructum afferat qui mansurus est (cf. *Io.* 15, 16), et hic est fructus verus qui non peribit: sanctificatio nostra.

Tractatio de sanctificatione hominum in Ecclesia, in praesenti capite, quamvis multa pretiosa contineat, nihilominus aliquatenus perficienda videtur. In capite enim non sufficienter respicitur antiquissima traditio circa

varias formas seu vias sanctificationis in Ecclesia quae nec hodie obsoletae vel inutiles exstant.

Antiquissima traditio distinguit sub hoc respectu tres ordines sanctorum quibus totidem viae ad sanctitatem adipiscendam correspondent: sunt martyres, virgines, ceteri fideles.

De *martyrio,* quod est procul dubio summa forma sanctitatis, in schemate nostro nec verbum habetur. Et tamen Ecclesia omnibus temporibus plus minusve ad martyrium vocatur. Uti historia docet et experientia confirmat, semper hic illic in mundo necessitas persecutiones et mortem quoque patiendi filiis Ecclesiae contingit, sive pro fide Iesu Christi sive pro alia virtute christiana, sicut v. g. s. Maria Goretti. Martyrium est perfecta hominis cum Christo assimilatio: sicut enim Christus voluntarie pro nostra salute mortem subiit, ita martyr voluntarie moritur pro Christo. Martyrium aequiparatur baptismo, est baptismus sanguinis: in martyrio namque homo realiter cum Christo in mortem consepelitur (cf. *Rom.* 6, 4). Martyrium utique actuale eximium donum Dei est, quod relative paucis conceditur, sed spiritus martyrii perpetuo in Ecclesia vivus esse debet. Quare martyrium e nostra Constitutione nullatenus exsulare deberet.

De *virginitate et caelibatu* in schemate sermo fit tantummodo in nexu cum paupertate et oboedientia. Sed locus virginitatis Deo consecratae in Ecclesia primitiva et antiqua omnino specialis erat. Virginitas sola expressis verbis nomen « *Consilii* » in Scriptura obtinet, nempe apud Paulum: « De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do » (*1 Cor.* 7, 25). In Ecclesia antiqua, antequam vita monastica sensu stricto, saec. IV, ordinari atque constitui coepit, locus virginum (et caelibatum observantium) in communitate iamdiu stabilitus exstabat. Nec hodie virginitas et caelibatus ad status perfectionis sensu stricto coarctatur. Sacerdotes et omnes clerici in sacris constituti in Ecclesia latina caelibatum observant, non soli sacerdotes regulares. Multi viri et feminae in mundo viventes caelibes sunt, quin vocationem ad statum perfectionis sentiant. Quapropter valor et dignitas virginitatis et caelibatus suum locum in schemate obtinere debet, independenter a tractatione de statibus perfectionis et de doctrina circa *tria* consilia et vota quae specifice religiosa considerantur. Hac ratione, manifeste, nullum detrimentum doctrinae de statibus perfectionis infertur, sed solummodo distinguuntur ea quae e natura rei et iuxta traditionem distinguenda sunt.

Talem tractationem conditiones quoque mundi hodierni expostulare videntur. Neminem latet quam gravis disordinatio vitae sexualis magnam partem humanitatis invasit, catastrophales fructus in vita sociali et individuali producens. Praeterea in mundo sunt non pauci viri et permultae feminae quae ob varias causas a matrimonio ineundo impediuntur et proinde ad vitam in continentia ipsa lege morali obligantur. Summi ergo momenti est ipsis ante oculos ponere functionem vitae virginalis et in caelibatu relate ad sanctitatem adipiscendam, praesertim in ambitu vitae et activitatis totius Ecclesiae Christi.

His formis sanctitatis christianae bene descriptis gressus fiat ad descrip-

tionem generalem formae supervenientis historicae quae de facto ulterius ramificatur: status nempe perfectionis.

Celebris est applicatio patristica parabolae seminantis quae exstat apud Augustinum: semen in terram bonam seminatum affert fructum, et facit aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum (cf. *Mt.* 13, 23). Centesimum est fructus martyrum, sexagesimum virginum, trigesimum aliorum sanctorum in Ecclesia (cf. Aug., *De sancta virginitate* 46 s.)! Agitur quidem de sola applicatione, cui nec Augustinus certitudinem absolutam adscribit. At applicatio ista certe demonstrat persuasionem Ecclesiae antiquae de speciali dignitate martyrii et virginitatis. Cui persuasioni etiam nos fideles esse possumus.

Insuper propono ut secunda alinea n. 34 schematis, pag. 22, linn. 8 ss., hoc vel simili modo enuntietur: « S. Synodus iustum tenet et approbat s. d. principium (vel: institutionem) exemptionis religiosorum, quae ad bonum Ecclesiae decursu saeculorum evoluta est, quae autem in eo consistit, quod Summus Pontifex singula instituta religiosa aut singulos quoque fideles — tam regimen internum vitae quam activitatem quod attinet — a iurisdictione ordinaria episcoporum eximit, ut ipsius iurisdictioni immediate obnoxii maneant. Haec tamen exemptio numquam illimitata esse potest, et semper bono universae Ecclesiae accommodanda est. Potius quam rationem privilegii exemptio habet et habere debet rationem *medii* et *viae,* qua Summus Pontifex utitur in potestate sua exercenda et officio erga universam Ecclesiam adimplendo, quo nimirum expeditior et efficacior eius actio pro bono totius Ecclesiae eveniat ».

117

EXC.MUS P. D. IESUS SERRANO PASTOR

Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Darienensis

1. Iterum atque iterum dictum est in aula, periculum adesse considerandi sanctitatem ut privilegium vel monopolium aliquorum, non obligationem omnium, si de vocatione ad sanctitatem ageretur in schemate separatim a sanctitate in statu perfectionis prosequenda. Quod non verum videtur. Omnium ad sanctitatem vocatio semper fuit proclamata et promota, etiam et praesertim, ab iis qui statum perfectionis amplexi sunt. Teste, in remotissima antiquitate, eximio perfectionis assecla et promotore, S. Augustino, qui in sermone 96, nervose dicebat: « Non hoc virgines debent audire et maritatae non debent; ... aut monachi debent et laici non debent; sed universa Ecclesia, universum Corpus, cuncta membra per officia propria distincta et distributa, sequantur Christum » (PL 38, 588).

Hoc omnes norunt, et ad id intendunt vires ut omnes in Ecclesia sancta sancti sint; hocque, demum, mundo hodierno Concilium nostrum sollemniter proclamat.

2. De vocatione ad sanctitatem est loquendum in schemate, non ratione mere iuridica, sed ratione et, cum de constitutione dogmatica disceptamus,

plane theologica. Quod omnino placet; inde enim statim appareret « statum religiosum, secundum se et quoad suam substantiam, ut ait Suarez, ab ipso Christo Domino immediate traditum et institutum fuisse, atque ita dici posse de iure divino, non praecipiente sed consulente » (*De stat. Relig.* I, 3, c. 2, nn. 3, 8). Sicut enim ex voluntate Christi, Ecclesia sua, ut societas hierarchica, duobus personarum ordinibus constat: clerici et laici; ita, ut societas spiritualis seu pneumatica, in relatione nempe ad eius finem, qui est sanctitas « universus coetus Ecclesiae, ut ait Wernz, distinguitur in statum vitae communis et statum perfectionis » (*Ius Decretal.* t. II, pars I [ed. 3, 1915, pag. 29]). Status ergo perfectionis non est dicendus structura in Ecclesia, sed Ecclesiae, prout voluntas Christi disposuit, sicut clericorum ordo et laicorum non est in Ecclesia, sed Ecclesiae structura, quia sic Christus fundator res ordinavit atque constituit.

Hinc, ut credo, de statu perfectionis — religiosi, Instituta saecularia et, si placet, sacerdotes... qui stabiliter et in facie Ecclesiae vitam perfectiorem per consiliorum praxim profitentur — esse agendum separatim a tractatione de sanctitate communi christifidelium.

3. Status perfectionis, prout nunc in Ecclesia floret, non est factum quod fortuito apparet et quasi displodit, alicuius hominis voluntate, sed harmonica et homogenea evolutio formae vitae eorum qui ab initio, vocem Christi ad id invitantem audientes, eiusque ardua consilia acceptantes, ad arctiorem prae ceteris christifidelibus sequelam et perfectiorem imitationem in his quae non omnibus imponere voluit, bona terrena, amore caelestis regni, renuntiabant, sacram virginitatem, nuptiis posthabitis, amplectabantur et mundo valedicentes Deo specialiter mancipabantur.

Et si initio, in primordiis nempe Ecclesiae, non omnia, ut hodie, elementa huius status evoluta habentur quae, ut germen, in Evangelio apparent et in doctrina et praxi Ecclesiae primitiva, non aliter res se habere dicendum est ac pro aliis elementis aut institutis Ecclesiae, ad eius divinam constitutionem indubie pertinentibus (puta presbyteratum-episcopatum), quae primum in doctrina et praxi, germinaliter ut ita dicam, habentur, postea vero decursu temporum ex ductu Spiritus Sancti, harmonice et homogenee, doctrinaliter et practice, evolvuntur et ad plenam structuram et ordinationem perveniunt.

4. Christus ea quae suis asseclis, non praecipiendo sed consulendo, proposuit, plane et Ipse amplectitur ab eius in mundum ingressu (« propter nos egenus factus », « oboediens usque ad mortem », virgo fuit). Et si haec consilia, cum sint adeo ardua et humanae naturae normaliter importabilia, non omnibus voluit imponere, tamen ea proposuit ut perfectioris sanctitatis et arctioris sequelae elementa efficacia. Iam vero consilia Christi irrita manere et eius invitationem inanem, crimen esset cogitare; mysterium Ecclesiae mutilum videretur ac non completum, si sanctitas in hac ultima exigentia imitationis vitae Christi exinaniti, ab Ecclesia, ut forma vitae etiam, non exsequeretur.

Quod de facto evenit, cum iam a primis diebus, multi ex Christi asseclis, invitationem Domini Iesu acceptantes, praesertim quoad paupertatem et virginitatem evangelicas, specialem coetum personarum, quod etsi charismaticum dici valeat, ab apostolis etiam contemplatum et ordinatum, efformarunt.

Postea, decursu temporum, haec vitae professio per consilia evangelica, diversimode in praxim deducta est usque ad nostra tempora, in quibus omnia sunt ordinata et minutissime disposita, adeo ut haec superstructura iuridica, structuram theologicam quodammodo occultet et dissimulet.

5. Forsitan quis diceret divisionem tractationis de sanctitate in communi statu vitae et de sanctitate in statu perfectionis, immo ipsam doctrinam de superioritate obiectiva sanctitatis per professionem consiliorum prosequendae obesse rationi pastorali et oecumenicae, quae Concilium totum pervadunt. Ideo traditio doctrinalis, quae in unanimi SS. Patrum sententia, omniumque theologorum innititur, et in magisterio ecclesiastico, etiam solemni, a primis saeculis usque ad paucos annos indiscussa, nunc relinquenda esset.

Praeterquam, ut saepe iam fuit dictum, incongruum est, et etiam periculosum, hoc criterium pastorale et oecumenicum, quod nobis omnibus corde est, exaggerare, et problemata theologica ex rationibus non theologicis disceptare et definire, quoad primam rationem, pastoralem nempe, esse in casu, mihi videtur, speciosam, immo potius subiectivam appretiationem. In contrarium, ni fallor urget: puto quod graviora mala timeri possunt pro populo Dei ex hac veluti depressione status perfectionis, praesertim haec mala timeri possunt pro magno coetu consecratorum, hominum et mulierum, qui vitam sanctitatis prae ceteris perfectiorem per consiliorum professionem anhelantes, animas et opera tradiderunt Ecclesiae ut eam aedificarent prece, immolatione, laboribus, dum scirent Concilium Oecumenicum, illa doctrina unanimi circa superioritatem, ex amore, status perfectionis relicta, opinionem paucorum recentiorum acceptasse, qui sanctitatis praetensum monopolium ut dicunt, supprimere intentant et destruere, non parietem vane a religiosis ductum inter diversos status quoad perfectionem christianam spectat, sed distinctionem claram quam inter eos Christus ipse induxit, amantissimus pastor et magister.

In his dictis, aliqua etiam insinuatur responsio ad rationem, ut aiunt oecumenicam. Nescirem an doctrina et praxis fratrum separatorum, relate ad consilia evangelica, eorumque sectatores, eadem esse ac in saeculis transactis. Certe tamen quod fratres orientales gratissimum habent monachatum, ut statum perfectioris vitae quam status communis. Totaque historia monachatus apud eos id exhibet et exigit.

Conclusiones ergo: 1. In cap. II, nunc proposito in calce ad pag. 2, non in cap. actuali IV, agatur de omnium indistinctim ad sanctitatem vocatione; vel saltem in hoc cap. IV titulus immutetur sic vel simili modo [« De vocatione ad sanctitatem et praesertim de iis qui in Ecclesia consilia evangelica profitentur »], et in hoc capite sic intitulato, clara distinctio statuatur

inter perfectionem communem et perfectionem per consilia; 2. Verba vel formulae emendentur, quibus, in duplici statu personarum, communis nempe vitae aut perfectionis, eandem omnino esse sanctitatem innuitur aut affirmatur.

[*Subsignaverunt etiam:*] Abel I. Antezana, arch. Pacensis in Bolivia; Arturus, ep. Albasitensis; Petrus Grau, vic. ap. Quibduanus; Franciscus Gomez, vic. ap. Fernando Poo.

118

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SPANEDDA

Episcopus Bosanensis

I. *Animadversio generalis quoad ordinationem capitum.* Valde placet in cap. IV quod de statibus perfectionis evangelicae ab Ecclesia sancitis agatur in perspectiva sanctitatis ad quam omnes de populo Dei vocantur. Videtur tamen, meo humili iudicio, caput in duas partes esse dividendum, quarum prior, constans nn. 29-31, transferri posset cum opportunis aptationibus ad cap. II « de populo Dei »; posterior vero, constans nn. 32-36, constitueret, cum aptationibus quae necessariae viderentur, cap. V sub titulo originario « De statibus evangelicae perfectionis acquirendae » vel alio simili, expresse ad statum religiosum dicatum. *Rationes* sunt:

1. Caput de populo Dei aptissimus locus videtur ubi agatur de vocatione omnium christianorum ad sanctitatem: populus enim Dei, praecise quia ex Deo et ad Deum est, hac vocatione essentialiter donatur, ut ad imaginem Dei et ad imitationem capitis sui Christi sanctitatem gratia Spiritus Sancti prosequatur. Quodsi difficultas sit ut in capite de populo Dei servari possint quae de spiritualitate presbyterorum et aliorum ministrorum necnon laicorum in praesenti cap. IV habentur, difficultas solvi posset coarctando (in cap. de populo Dei) tractationem ad conceptum vocationis ad sanctitatem in genere pro omnibus christifidelibus, cuiusvis condicionis, et remittendo tractationem ex professo spiritualitatis pro singulis statibus ad suum cuiusque locum, videlicet pro presbyteris et aliis ministris ad cap. III, ubi de ministeriis hierarchicis; et pro laicis ad novum cap. IV quod de ipsis distincte agit.

2. Proposita divisio cap. IV eadem ratione commendatur qua cap. III « de populo Dei et speciatim de laicis » divisum est in duo capita distincta (II et IV), congruenter nempe cum principio quo regitur oeconomia totius schematis. Capita enim ita ordinantur ut post tractationem de mysterio Ecclesiae (c. I) et de populo Dei in universum (c. II), agatur de singulis statibus secundum distinctionem quae provenit ex diversis ministeriis vel vocationibus in Ecclesia. Hac ratione suum locum habet cap. III de sacra hierarchia et caput novum de laicis. Congruum omnino videtur ut in capite distincto (V) agatur de statu religioso ab Ecclesia sancito.

3. Caput distinctum de religiosis commendatur etiam alia ratione, quae est magna excellentia et momentum status religiosi sive quoad profectum

internae sanctitatis in Ecclesia, sive quoad manifestationem praeclaram illius notae essentialis Ecclesiae quae est sanctitas, sive quoad pondus vere maximum quod Ordines et congregationes religiosae historice habuerunt et habent in opere evangelizationis perficiendo. Sufficiat meminisse sodales ordinum et congregationum multo plures esse quam sacerdotes: plura centena millia!

4. Si talis divisio cap. IV in actum deducatur, iam periculum non erit quod prius timebatur, scilicet ne sanctitas ad quam tendunt religiosi appareret ut aliquid nimis seclusum a sanctitate ceterorum christifidelium. Non erit tale periculum; quia de universali vocatione ad unicam sanctitatem christianam iam actum esset in cap. II de populo Dei. Ceterum, in brevi quadam introductione cap. V (novi) tractatio de statibus evangelicae perfectionis acquirendae ita posset praesentari ut clarius appareat in perspectiva sanctitatis ad quam omnes de populo Dei vocantur.

II. *Animadversiones circa doctrinam de sanctitate in nn. 29-30*:

1. *Quoad formam expositionis*: Minus placet forma adhortatoria quae saepius adhibetur, maxime in n. 30. Cum simus in constitutione dogmatica, magis quam adhortationes morales, doctrinam debemus exponere. Tonus pastoralis non exigit necessario sermones hortatorios: monita enim ex ipsa doctrina efficaciter exposita oriuntur et in animo legentis aut audientis percipiuntur. Quapropter putarem humiliter modum dicendi esse debere potius affirmativum.

2. *Quoad substantiam doctrinae*: profundior, etsi brevis, desideratur enucleatio conceptus sanctitatis christianae, qui n. 29 exhibetur. Non videtur sufficere quod simpliciter dicatur sanctitatem reduci ad mandatum caritatis servandum.

3. Congruum videtur quod etiam de sanctitate ab episcopis consequenda agatur, et non tantum de obligatione aliorum clericorum et laicorum.

4. Deficiens videtur expositio de sanctitate clericorum, quatenus consideratur eorum sanctitas tantummodo in relatione ad imaginem ordinis episcoporum. Nonne deberet etiam — et in primis — referri ad sanctitatem Christi, capitis Ecclesiae et summi sacerdotis? Id eo magis videtur dicendum quo spiritualitas presbyterorum et aliorum ministrorum, sicut et laicorum, non exhauritur in comparatione ad ordinem hierarchicum.

III. *Animadversiones ad minora*:

N. 28 (prooemium): pag. 18, linn. 1-3: minus placet modus dicendi: « In mysterio Ecclesiae... omnes ad sanctitatem vocantur »; melius videtur: « In Ecclesia, cuius mysterium a Sancta Synodo annuntiatur... omnes... vocantur ».

Ib., lin. 7: loco « benedictionibus caelestibus » forsan melius: « gratiis caelestibus ».

N. 30, pag. 19, linn. 1-2: omittenda videntur verba: « In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur », quia eadem res paulo ante dicta est fere iisdem verbis in numero praecedenti.

Ib., linn. 26-27: minus placet locutio: « qua fervida fidelitate... fidelius servent »; si omittantur verba: « qua fervida fidelitate » et eorum loco ponatur simplex « et », sermo plane currit sine inutili repetitione...

119

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN
Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Kotabaruensis

Ante quosdam dies Conferentia Episcopalis Indonesiae, in persona exc.mi D. Guillelmi Schoemaker, suam existimationem iam patefecit circa caput schematis quod nunc tractatur. Liceat mihi proprio nomine hanc opinionem complere paucis tantum verbis, et quidem quoad n. 35, linn. 33 ss.

Legimus: « Omnes tandem christifideles perspectum habeant, consiliorum evangelicorum praxim, quamvis renuntiationem secumferat quorumdam bonorum certe laudabilium, vero profectui personae humanae tamen non obstare, sed summopere prodesse » etc.

Quae verba quidem pulcherrime sonant, et certe apta sunt tranquillum reddere animum. Attamen quaeri possit an etiam vera sunt; an etiam concordant cum experientia tam multorum episcoporum qui media in vita degunt; an superiores generales, hic adstantes, haec verba sua facere audeant?

Constat multos, utique permultos religiosos per praxim consiliorum evangelicorum perventos fuisse ad maturitatem integram, ad personas aequilibratas, ad ornamentum Ecclesiae, ad salutem proximorum. Nemo qui nescit, nemo qui dubitat, nemo qui negat!

Tales habentur multi, sed minime omnes! Et hoc dicendo non intendo illos religiosos, qui quasi signati sunt variis singularitatibus et perturbationibus psychicis; illos — quamvis non absque misericordia — silentio praetereo.

Non de his exceptionibus agitur; sed agitur de multitudine maiore, in qua se manifestat quaestio vere urgens: quomodo praecise est illa relatio inter exercitium consiliorum evangelicorum ex una parte et evolutionem personalitatis humanae ex alia parte? Schema hoc loco sermocinatur quasi non exsisteret problema.

Asseritur exercitium consiliorum evangelicorum multum afferre ad purificationem affectuum humanorum. Ita sit! Attamen etiam verum est, quod apud non paucos religiosos haec purificatio ducit ad paupertatem affectuum, aliis verbis ad deformationem personalitatis. Dicitur obsecutionem consiliorum evangelicorum non parum conferre ad libertatem spiritualem, sed etiam est verum, quod non pauci inveniuntur inter religiosos, qui sunt personae timidae et impeditae.

Non omnes responsabilitatem habent pro salute et felicitate religiosorum iuniorum et pro prosperitate futura puellarum et puerorum, qui versantur in limine vitae religiosae. Recordare tamen debemus illos adulescentes huius temporis multum differre ab iis, qui tempore priori vixerunt, quia societas

decursu brevi temporis valde est mutata. Transitus ad maturitatem alio modo fit quam antea, nempe et difficilius et tardius progreditur. Quaero vos an opinio vigens circa relationem superiores inter et subditos rationem habeat huius mutationis? An Constitutiones Generales et Usualia accommodata sint his circumstantiis mutatis? An formae vitae communis traditionales respondeant conditionibus horum iuniorum religiosorum, ita ut etiam in his formis eorum felicitatem humanam invenire possint?

Parati esse debemus has quaestiones inspicere, et inquirere an modus quibus consilia evangelica saepius prae oculis ferantur et in praxi ducantur, efforment fundamentum sanum pro evolutione plena et integra personalitatis humanae? Iterum, negare non intendimus exercitium horum consiliorum salutari modo conferre posse ad evolutionem personae humanae, attamen secundum nostram modestam opinionem id tantum possibile est, si consilia illa proponuntur et exercentur in aliqua totalitate circumstantiarum, conditionum et relationum, quae sunt accommodatae homini huius temporis.

Proponimus ergo ut punctum, in lin. 36, fiat comma, ac deinde scribatur: « dummodo haec praxis locum teneat in circumstantiis vere adaptatis conditionibus huius temporis et operibus religiosorum in hac huius temporis societate ». Confidimus hoc principium fundamentale ulterius applicaturum esse in schemate *de statibus perfectionis acquirendae.*

120

Exc.mus P. D. BERNARDUS STEIN

Episcopus tit. Dagnensis, aux. Trevirensis

Loqui volebam de duplici quodam defectu cap. IV schematis *de Ecclesia,* scil. in hoc textu, prouti iacet, non satis extolli mihi videtur 1. primatus gratiae divinae, 2. indoles christologica sanctitatis christianae acquirendae.

Inde a nonnullis decenniis in Ecclesia testes eramus et sumus profundae cuiusdam mutationis quoad Evangelii praedicationem et consequenter etiam quoad pietatis exercitium. Quae modificatio duplicem praesefert notam: scil. 1. Extollitur primatus gratiae divinae prae activitate mere humana — id quod procul dubio est reactio quaedam contra « moralismum », quem dicunt, saeculi praeterlapsi. 2. Hodierna theologia, ecclesiologia praesertim, centralem locum tribuit personae Christi, et quidem merito. Quam notam — ut ita dicam « christocentricam » — ipse quoque Summus Pontifex in sua allocutione inaugurali diei 29 mensis septembris imposuit nostris disceptationibus his verbis: « Christum, Christum dicimus, principium nostrum esse, Christum ducem et viam esse nostram, Christum esse spem nostram nostrumque finem ».

Igitur illa duplex quam dixi hodiernae doctrinae pietatisque evolutio formam praestare debet etiam huic cap. IV schematis *de Ecclesia.*

1. Sanctitas christiana primarie semper est effectus gratiae divinae, scil. participatio sanctitatis ipsius Christi, capitis Ecclesiae. Collaboratio humana

cum opere sanctificationis in eo praesertim consistit, quod homo — semper sub ductu gratiae — cor suum divino influxui aperiat atque coaptet. Conversio enim cordis peccaminosi imprimis opus est Dei, non hominis, dicente apostolo: « Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate » (*Phil.* 2, 13). Qua ratione studium asceticum sua gravitate nedum privetur, sed potius ipsi tribuitur locus conveniens in exsequendo opere salvifico. Sic quoque a limine reiicitur obiectio eorum, qui dicunt studium acquirendi sanctitatem, in pietate catholica, non carere quodam pelagianismo.

2. Via ad sanctitatem christianam nequit habere suam originem suumque finem nisi in persona et opere Christi, uti per se patet. Porro est via fidei et imitationis. Fidei dico cum S. Paulo, « quae est in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 26). *Fidei* dico cum eodem apostolo, ex qua « *spem* iustitiae exspectamus » quaeque « per *caritatem* operatur » (*Gal.* 5, 5 s.), ideoque *imitari* studet caritatem eius qui dixit: « Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos » (*Io.* 15, 12).

Iamvero cum salus, ex institutione Christi, per Ecclesiam eiusque sacramenta hominibus offeratur, fides illa viva et Christi imitatio ex eadem emanans excitentur, nutriantur atque roborentur oportet istis signis salvificis, imprimis baptismo, quo sanctitas confertur; necnon cultu christianae religionis, quem Christus in cruce pendens inchoavit cuique adsistens christianus, veluti ex fonte omnis sanctitatis, virtutem haurit ad sequelam Christi pauperis, humilis, crucifixi.

Sub hoc igitur respectu, scil.: viam sanctitatis pro homine christiano esse viam fidei vivae, complectentis imitationem Christi, considerandum atque aestimandum est studium asceticum omnium membrorum Ecclesiae Christi, eorum quoque, qui sequuntur viam consiliorum, quae dicuntur, evangelicorum, ergo etiam asseclarum status sic dicti religiosi.

Conclusio. Dolendum est cap. IV schematis *de Ecclesia,* prouti iacet, istis temporis nostri desideratis non satisfacere. Etenim plus aequo extollit perfectionem moralem eandemque acquirendi studium. Interpretatio quoque consiliorum evangelicorum non sufficienter respicit eorum indolem christologicam. Sub hoc duplici respectu textus recognitus cap. IV, a card. Döpfner propositus, omnino praeferendus videtur, quippe qui, extollens elementa essentialia Evangelii, valedicat peripheriae petatque centrum, quod est Christus eiusque Ecclesia.

Votum: Respectu habito eorum quae dixi de primatu gratiae necnon christologiae in via sanctificationis, in I parte cap. IV proponatur, ut ita dicam, « methodus » sanctificationis omnibus christianis aeque communis. In II parte eiusdem capitis ostendatur via consiliorum evangelicorum adeo, ut unitas perfectionis christianae non laedatur, sed confirmetur.

Quoniam textus recognitus cap. IV a card. Döpfner propositus istis desideratis melius satisfacit quam textus schematis, ille textus novus substituatur textui praeiacenti.

121

Exc.mus P. D. IOSEPH TAWIL

Archiepiscopus tit. Myrensis Melchitarum

Super cap. IV de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia dici potest multa bona adesse, sed alia bona essentialia adhuc deesse. Unum de istis bonis, ac non de minimis, ad Sacram Scripturam pertinet. Nonnullae citationes biblicae illustrant quidem assertiones huius capitis, sed hoc non sufficit. Expectaretur Sacra Scriptura animare inspirationem ipsam argumenti, non tantum per quosdam textus allegatos, sed, profundius, *per mentalitatem Consilii divini* in Sacris Libris nobis revelati. Sed, proh dolor, non invenitur. Hic defectus duplici rationi tribui videtur:

a) prima ratio, quoad *methodum elaborandi schematis*. Ibi evidenter patet, ni fallor, absentia peritorum exegetarum. Cur theologia biblica in silentium reducitur in commissione theologica ita ut appareat talis carentia in redactione schematis nostri? E contra, Summus Pontifex Paulus VI expresse declaravit Observatoribus hic praesentibus necessitatem theologiae biblicae in expositione mysterii Ecclesiae.

b) Secunda ratio defectus pertinet ad *mentalitatem* ipsam huius schematis quae pendet quasi omnino a quadam traditione latina recenti, id est a quatuor saeculis elapsis, ac proinde ignorat simpliciter traditionem orientalem Ecclesiae, immo traditionem latinam antiquam: in illo tempore, Patres propinquiores erant ad fontem vivam traditionis biblicae, et ideo fieri deberent denuo magistri nostri. Hoc est gravissimum, tum pro sensu fidei universalis Ecclesiae, tum consequenter pro oecumenismo.

Ideo, ad mentem Patrum nostrorum, quatuor notationes proponuntur:

1. *Vocatio ad sanctitatem pertinet ad mysterium populi Dei.* Populus Dei existit quia obiectum est praedilectionis divinae. Deus caritas est, et vi caritatis suae omnes homines vocat ad communionem vitae suae, « multifariam olim in prophetis... novissime in Filio » (*Heb.* 1, 1). Populus Dei est essentialiter *vocatus* a Verbo Dei (hebraice *Qaral Yahweh,* graece *Ekklesia*). Haec vocatio in decursu historiae populi Dei sic revelatur:

Populus Dei sanctus est quia, ab Abraham usque adhuc, *interpellatus est* a Verbo Dei ac per fidem in ipsum *iustificatus est.*

Sanctus est quia, in sanguine Agni paschalis *salvatus,* gratuiter *acquisitus* est a « Yahweh salvatore », id est « Iesu » in mysterio Paschae.

Sanctus est quia accepit a novo Moyse *legem perfectam,* id est Spiritum Sanctum qui scribit in cordibus nostris novam legem caritatis.

Sanctus est quia *promissio amoris* « Ero Deus vester et vos eritis populus meus », consummata est in foedere novo et aeterno.

Sanctus est quia electus et missus est ut *regale sacerdotium,* sicut hoc constanter affirmat traditio orientalis authentica.

Sanctus est quia indesinenter purificatus est et iudicatus est *in exilio* et

in terram sanctam nondum pervenit nisi per « pignus » (graece *arrabon*) Spiritus Sancti.

Sanctus est quia, incessabili sollicitudine divina, *a peccatis suis* eruitur et ad veram libertatem caritatis transfertur in reditu poenitentiae (*metanoia*).

Sanctus est quia successus eius non est de hoc mundo, sed in paupertate a solo Deo conceditur: populus est *pauperum*.

Sanctus est quia est *eschatologicus,* anticipando in hoc saeculo vitam aeternam quae est communio (*koinonia*) cum Patre per Filium in Spiritu.

Sanctus est denique quia vocatio eius est *cosmica*: hoc regale sacerdotium sanctificare ac liberare debet omnem creaturam.

2. Quamobrem sancti Patres descripserunt mysterium Ecclesiae *ad imaginem vitae Sanctissimae Trinitatis in communione caritatis.* Vocatio christiana tota continetur in hoc verbo « *ad* » imaginem Dei caritatis. Cum mysterium unitatis populi Dei in vinculo caritatis essentialiter constat,

a) utile esset ibi revocare quod hierarchia et cetera ministeria in Ecclesia nullum sensum habent nisi *in ordine ad caritatem promovendam.* Igitur, titulus par. 34, pag. 21, lin. 35, non recte dici potest « sub auctoritate Ecclesiae », quasi Ecclesia identificaretur cum hierarchia. Hierarchia non est tota Ecclesia.

b) Proinde etiam fusius loqui posset hoc caput de *novitate vitae* christianae ut participatione vitae Sanctissimae Trinitatis in cuius nomine baptizati sumus. Per Spiritum enim haeredes iam efficiamini promissionum de quibus agitur in notatione prima.

3. *De deificatione.* Haec locutio « deificatio » carissima semper fuit traditioni Patrum quia excellenter exprimit motum Consilii divini in quo vivimus de Spiritu Sancto. Si melius explanaretur haec doctrina traditionalis de deificatione, facilius vitaretur tonus « fervorino » praedicationis nostrae, et fideles profundius intelligerent unitatem et simplicitatem vitae « spiritualis » quae est « vita in Spiritu ». Spiritus enim est verum donum promissionum per quem « efficiamini divinae consortes naturae » (*2 Pt.* 1, 4). Sed quia adhuc expectamus novum caelum et novam terram, vita « spiritualis » populi Dei est paschalis, in novo Exodo in quo « immolatus est Christus, Pascha nostrum » (*1 Cor.* 5, 7), « ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis eius et societatem passionum illius » (*Phil.* 3, 10).

4. In hoc capite, recte utitur verbum « christifideles » loco verbi « laici ». Verbum « laici » quidem pertinet ad « populum Dei » (*laos tou Theou*) et ideo amplectat tum ministros tum non ministros. Sed sensus restrictus de non ministris praevaluit sub influxu clericalismi in Ecclesia. Tamen, quoad sanctitatem, omnes sumus christifideles, unusquisque vocatus ad sanctitatem correspondentem charismati suo.

Conclusio. Proponitur: 1. quod *prooemium* latius et profundius explanet *naturam vocationis ad sanctitatem* secundum thesauros theologiae *biblicae.*

2. Quod mysterium Ecclesiae, ibi et alibi, magis ostendatur ut *communio in caritate* ad exemplar mysterii Sanctissimae Trinitatis.

3. Quod omnia de sanctitate in Ecclesia resumantur in doctrina traditionali de *deificatione* et explicite dicatur vitam « spiritualem » esse vitam « in Spiritu Sancto ».

4. Quod *terminologia de membris Ecclesiae* magis inspiretur a verbis ipsis Sacrae Scripturae, de quibus, verbi gratia, fideles, christiani, fratres, sancti, communitas fratrum.

122

Exc.mus P. D. BERNARDUS IOSEPH TOPEL
Episcopus Spokanensis

Cap. IV difficultatibus gravissimis laborare videtur:

1. In universo capite, e coetu illorum qui *per statum vitae* electi sunt ut in mundo ferant testimonium et exemplum praeclarum sanctitatis, quomodo iustificari potest exclusio omnium saecularium sacerdotum, episcoporum, Summorum Pontificum, et apostolorum?

2. In prooemio et in universo capite, quomodo iustificari potest omissio omnis mentionis illorum qui a Domino benigne electi sunt ut in mundo testimonium et exemplum praeclarum sanctitatis ferant per confessionem fidei et per martyrium?

3. Sub titulo « De mediis ad sanctitatem », quomodo iustificari potest dedicatio 140 linearum ad expositionem consiliorum evangelicorum et trium tantum linearum ad expositionem omnium aliorum mediorum ad sanctitatem?

4. Sub eodem titulo, inter tales ac tantas laudes professionis *externae* consiliorum, quae per tres integras paginas prosequuntur, quomodo iustificari potest omissio ullius monitionis ut professioni *externae* consiliorum adiungatur professio *interna* secundum spiritum eorum?

5. In conclusione totius capitis de vocatione *universali* ad sanctitatem in Ecclesia, quomodo iustificari potest quod Sacra Synodus omnes et solos illos qui professionem *externam* consiliorum publice fecerunt, *in nomine Domini* laudat; omnibus autem aliis praeceptum solum dat, sive sint coniuges sive sint aegroti, sive sint sacerdotes sive sint episcopi, sive sint fidei confessores, sive sint martyres?

6. In universo capite, quomodo iustificari potest omissio tractatus et omnis mentionis de vita sanctitatis interiore et de gradibus eius?

7. Sub titulo totius capitis « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », quomodo iustificari potest omissio omnis mentionis de sanctitate *vera* et *propria,* quae aliud non est quam virtus interior et personalis in gradu heroico exsistens?

8. In universo capite, quomodo iustificari potest ludus verborum quo supprimitur testimonium sanctitatis *praeclarae,* cuius vices occupat testimonium *praeclarum* sanctitatis?

9. Pag. 21, linn. 18-22, quomodo iustificari potest affirmatio implicita quod sanctitas exterius et publice manifestata *praeclarior* est sanctitate interius et personaliter possessa? Mihi videtur melius esse, lin. 21 huius pa-

ginae, delere verba « non solum interius » et eorum vice inserire hanc monitionem: « Curent ergo ut professioni consiliorum externae et publicae respondeat professio interna et personalis secundum spiritum et veritatem ».

10 et *ultimo*. In universo capite, quomodo iustificari potest ordo et dispositio materiarum quo sanctitas vera et propria opprimitur et suffocatur sub massa mortua observantiae legalis, et professio sanctitatis externa et publica evehitur ad pinnaculum perfectionis? Absit ut externalismus religiosus, olim magnopere a Christo Domino condemnatus, in fine a Concilio Oecumenico sollemniter canonizetur!

Patres venerabiles, peto vobis ut non condemnetis ad gradum non-praeclarum sanctitatis omnes qui professionem consiliorum externam et publicam non fecerunt: in nomine S. Ioannis Vianney, S. Caroli Borromeo, S. Petri apostoli, S. Ioseph, B. Mariae Virginis, et omnium sanctorum qui hanc professionem non fecerunt; in nomine omnium sanctorum religiosorum cuius sanctitas interior excedit professionem sanctitatis exteriorem et publicam; in nomine omnium sacerdotum saecularium et omnium laicorum, quibus ipsa spes sanctitatis praeclarae tolletur ad ruinam finis primarii huius Concilii, qui est renovatio et sanctificatio totius Ecclesiae; in nomine operis vocationum ad clerum saecularem, cui damna gravia inferentur, quia iuvenes clero saeculari digni trahi possunt propter solam spem sanctitatis praeclarae, dum in capite exsistenti unica via quae indicatur ad sanctitatem praeclaram est professio praeclara consiliorum.

Patres venerabiles, in nomine omnium praedictorum peto vobis ut ad conclusionem sectionis de vocatione ad sanctitatem exterius et publice professam in Ecclesia, adiungatur nova aliqua sectio cuius titulus erit: « De vocatione ad sanctitatem interiorem et personalem ».

Sub novo titulo de sanctitate interiore et reali haec doceri debent: 1. per claram definitionem, quid sit sanctitas vera et propria; 2. quod per extensionem sanctitas vera et propria applicatur ad alios gradus vitae interioris; 3. quod haec sanctitas omnibus patet, neque per se distribuitur secundum status vitae externos et publicos; 4. quod totus valor sanctitatis exterioris aestimatur secundum gradum sanctitatis interioris; 5. quod media ad sanctitatem veram et propriam multiplicia sunt. Inter media intra-subiectiva veniunt humilitas, meditatio fidei, imitatio Christi, mortificatio, abnegatio, poenitentia animi, patientia, docilitas, exaltatio crucis, et oratio mentalis in omnibus suis gradibus. Inter media inter-subiectiva veniunt apostolatus, opera misericordiae, confessio fidei, persecutio, et martyrium. Deinde, veniunt sacramenta novae legis, praesertim Eucharistia et Poenitentia. In fine veniunt status vitae externi et publici, per quos conferuntur iura et officia sanctitatis. Ita, secundum ius et officium sanctitatis, Summi Pontifices maiores sunt episcopis, episcopi maiores sunt sacerdotibus, sacerdotes maiores sunt religiosis, et religiosi maiores sunt laicis.

Mementote, Patres venerabiles, quod regnum Dei non venit cum observantia. Ecce enim regnum Dei intra nos est.

123

Exc.mus P. D. LAURENTIUS TREVOR PICACHY
Episcopus Iamshedpurensis

Ea quae in hoc cap. IV *de statibus perfectionis acquirendae* dicuntur, haud placent cum profunditate theologica careant et plura essentialia elementa negligantur.

Prae ceteris notandum est hanc sectionem de statibus perfectionis modo tantum satis extrinseco et fere accidentali in totalitatem schematis insertam fuisse quovis fere profundiore et essentiali ligamine neglecto. Ut huic defectui remedium afferatur necessarium est ut doctrina dogmatica de statibus perfectionis ex ipsa essentia et structura fundamentali Ecclesiae, qua est mysticum Corpus Christi, explicetur. In Ecclesia nempe, praecise inquantum Corpus est, varia dantur munera et functiones et quidem tum quod ad vitam interiorem tum quod ad vitam et activitatem exteriorem attinet.

Iamvero, functio principalis statuum perfectionis in Ecclesia est ut vita completae et totalis abnegationis quam ipse Dominus noster in terra duxit, stabiliter et secundum varios suos aspectus in Mystico eius Corpore continuetur ideoque semper in Ecclesia inveniantur qui etiam in hac nobilissima et fertili forma adimpleant in carne sua ea quae desunt passionum Christi pro Corpore eius quod est Ecclesia. Cum autem infinitae divitiae ipsius Domini nostri vitae uno solo Instituto perfectionis adaequate repraesentari nequeat et tanta diversitas hominum temporum ac conditionum varietatem quoque Institutionum perfectionis suaderet, idcirco ipse Christus e sinu Ecclesiae omni tempore Instituta religiosa particularibus adiunctis et necessitatibus spiritualibus humanitatis apprime accommodata suscitavit ut hoc quoque modo vitalitati totius Corporis conservandae et promovendae provideret. Qua in re speciatim notetur oportet valor quem singula Instituta qua *Instituta* sunt, habent. Opus enim quod Deus religiosis commisit profecto non singulis religiosis qua singulis committere voluit, sed toti Instituto ceu organo vitali Corporis mystici concredidit. Hic quae de munere totius Ecclesiae qua Corpus est, valent, mutatis mutandis etiam dicenda sunt de religiosis qua sunt una familia ceu unum Institutum quod praecise in tale organicum suum locum in Corpore mystico Christi occupat. Exhinc autem praecise intelligitur quanti momenti sit ut interna et externa unitas horum Institutorum sedulo conservetur et auctoritas supremi moderatoris religiosi intacta maneat. Cuius rei momentum, speciatim intuitu consequentiarum practicarum inde derivandarum, breviter sic illustrari potest:

a) Cum multa Instituta religiosa, utpote Instituta, locum et functionem in Ecclesia habeant et toti Ecclesiae qua tali destinentur, quam maxime congruit ut solus Romanus Pontifex cui cura pastoralis totius Ecclesiae commissa est, iurisdictionem veram et propriam in haec Instituta exerceat. Impossibile enim est ut character unitatis Institutorum Religiosorum tam es-

sentialis et necessarius servetur, si non unus Romanus Pontifex sed centeni episcopi vix non plena iurisdictione in Instituta, vel singulos quoque religiosos gaudent. Ad hanc unitatem servandam et maius bonum totius Ecclesiae promovendum, idcirco nequaquam convenit ut sapientissima et perantiqua exemptio religiosorum abrogetur vel diminuatur.

b) Ut valor Institutorum Religiosorum inquantum praecise Instituta seu organa mystici Corporis sunt, perfectius adhuc perspiciatur, insuper considerandum et in schemate explicite enuntiandum est, vitam interiorem et activitatem integram cuiusvis Instituti Religiosi unam ac indivisibilem esse ac etiam activitates quam maxime externas semper et ubique a spiritu Religiosi Instituti debere informari et animari.

Ut ergo Instituta Religiosa suam naturam integre servare et munus sibi in Ecclesia commissum rite exercere valeant, sine dubio necessarium est ut ipsi moderatores religiosi secundum exigentias vitae et spiritus proprii Instituti de subditis suis disponere et omnes eorundem activitates secundum Constitutiones a Summis Pontificibus approbatas dirigere valeant.

Scimus hac de re plura adhuc dicenda fore in schematibus *de regimine episcoporum* et praesertim *de cura animarum,* sed hae fundamentales conceptiones iam in hac dogmatica constitutione *de Ecclesia,* quae longius de religiosis tractat, exprimendae sunt ne postmodum ex iam approbata constitutione *de Ecclesia* difficultates hac in re oriantur. Quaestiones praefatae ergo iam in actuali schemate discutiantur oportet et attentius et profundius solvendae sunt quam in actuali schemate modo satis imperfecto factum est.

124

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus Harlemensis

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae relate ad cap. IV *de Ecclesia* sequentia notare velim.

Maxime gaudeo de hoc quod schema non seorsim tractat de vocatione universali omnium ad perfectionem evangelicam et de vita religiosa. Melius enim consulitur cum Ecclesiae tum vitae religiosae, si perfectio evangelica non proponitur ut quoddam, ut ita dicam, monopolium aliquorum christianorum. Agitur enim in Sacra Scriptura de perfectione evangelica ad quam omnes vocantur, licet diverso modo. Vita christiana videtur esse grande conamen totius Dei populi, cadentis et fallentis et nihilominus in spem contra spem gratia Dei fidentis, ut de die in diem magis omnes assimilentur Christo, auctori et consummatori gratiae. Huius consummationis caelestis, ad quam omnes tendunt, signum expressius est vita christiana secundum consilia evangelica, qua transcendentia vitae christianae super mundum terrestrem, cuius figura praeterit, luculenter manifestatur. Non omnes christifideles vocantur ad professionem consiliorum in statu ab Ecclesia sancito, sed ipsa

consilia prudentiae christianae omnium fidelium proponuntur. Sin autem agendum esset de vocatione ad sanctitatem seu perfectionem in ipsa sectione de populo Dei, consequenter ibi etiam agendum est de consiliis evangelicis. Maximi interest quod distinguatur inter vitam christianam et consilia evangelica ex una parte et *vota* religiosa vivendi secundum haec consilia. Schema aliqualiter confundit specificitatem religiosam et moralem consiliorum evangelicorum, quae variis modis in praxim deduci possunt, etiam in vita coniugali, et specificitatem religiosam et moralem ipsorum votorum vivendi secundum haec consilia.

Quam ob rem emendationes, quas proponere velimus et in scriptis tradimus, omnes nituntur his principiis:

1. Quod omnes christifideles vi fidei et sacramentorum initiationis, scil. baptismatis, confirmationis et Eucharistiae, adstringuntur obligationi tendendi ad perfectionem evangelicam, quae est nonnisi unica pro omnibus.

2. Quod consilia evangelica non constituunt categoriam separatam aliquorum christianorum, sed prudentiae christianae omnium christifidelium proponuntur variis modis et vario in statu in praxim deducenda.

3. Quod in signum et auxilium ceterorum quidam et quaedam *votis* religiosis sese obstringunt ad vivendum secundum consilia evangelica; quae forma vivendi est talis indolis quod in ea Ecclesia recognoscit seipsam seu eius tendentiam eschatologicam ad statum perfectionis consummatae; ob quam rem Ecclesia statum illum sancit et subsumit sub eius cura et sollicitudine pastorali.

4. Quod perfectio evangelica consistit primarie in vita theologali seu virtutum theologicarum, quae exprimuntur in vita sacramentali ac cultuali atque in oratione, et quae prolonguntur in vita morali. Inde v. g. oratio non dicenda est medium ad sanctificationem, cum ipsa sit ipsum exercitium communionis ad Deum.

5. Cum theologia spiritualitatis presbyteralis, qua participationis ad perfectionem sacerdotalem episcoporum, inter theologos valde disputatur, praestat ansam non praebere confundendi ordinem ministerialem et ordinem sanctitatis. Quam ob rem melius videtur in ordine sanctitatis non loqui de presbyterio quam « imagine ordinis episcoporum », sed tamquam « imagine Summi et Aeterni Sacerdotis, pastoris et episcopi animarum nostrarum » (cf. *1 Pt.* 2, 25).

6. Sexto et demum in ipso textu inserenda est idea secundum quam etiam illi, qui statum perfectionis amplexi sunt, remanent in statu poenitentiae cum semper egeant gratia Dei misericordi, condonante et iustificante.

Emendationes proinde sint sequentes:

1. Ut magis pateat consiliorum evangelicorum, in Ecclesia ab omnibus honorandorum, propositionem prudentiae christianae omnium esse universalem, ordo numerorum invertatur:

1. n. 28: Prooemium
2. n. 29: De universali ad sanctitatem vocatione

3. *n. 31*: De consiliis evangelicis et mediis ad sanctitatem
4. *n. 30*: De multiformi unius sanctitatis exercitio
5. *n. 35*: Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum
6. n. 32: De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito
7. n. 33: De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia
8. n. 34: Sub auctoritate Ecclesiae
9. n. 36: Conclusio

2. Pag. 18, post lin. 8, addatur: « ... in laudem gloriae gratiae suae (*Eph.* 1, 3-6). Ad omnes etiam discipulos suos Dominus proponit consilia quaedam evangelica. Quae consilia uniuscuiusque eorum discipulorum pro prudentia sua christiana in statu a Providentia Dei sibi praeparato variis modis ad perfectionem caritatis in praxim deducere studeat. Quosdam etiam inter discipulos suos benigne elegit ut etc. ... » (sequitur linn. 10-12).

3. Pag. 19, lin. 14: deleantur verba: « immo latiore sensu etiam a Deo electi laici ». *Ratio*: per sua ministeria episcopus collaborat ad sanctitatem fidelium sed non iis partem dando aliquam sui sacerdotii ministerialis.

4. Pag. 19, lin. 4: loco « ut ad imaginem ordinis episcoporum » usque ad « ... Sacrificio coniunguntur » dicatur « ut ad imaginem Summi et Aeterni Sacerdotis, pastoris et episcopi animarum nostrarum (cf. *1 Pt.* 2, 25) ministerium suum sancte etc... ». *Ratio*: periculosum est confundere ordinem ministerialem et ordinem sanctitatis; ex alia parte theologia spiritualitatis presbyterialis qua participationis ad perfectionem sacerdotalem episcoporum est quaestio inter theologos disputata.

5. Pag. 19, n. 30, in quo agitur de multiformi unius sanctitatis exercitio nimis sobrie et succincte sermo fit de sanctitate sacerdotali. Iuvat ex una parte explicite dicere sanctitatem sacerdotalem esse ipsam sanctitatem christianam evangelicam, sed ex altera parte vivendam in condicionibus vitae, quae se totaliter dedicat muneribus sacerdotalibus. Quam ob rem « imitando quod tractant » omnes sacerdotes, episcopi simul ac presbyteri, christianam seu evangelicam vitam ducant oportet, praesertim in evangelizando, sanctificando et pascendo, in qua tendentia ad sanctitatem apostolicam iuvantur gratia sacramentali consecrationis. Inde n. 30, linn. 2-15, sic mutari possit: « Sacra Synodus imprimis pastores gregis Christi, *episcopos* et presbyteros, enixe et peramanter hortatur ut ad imaginem *Summi et Aeterni Sacerdotis, pastoris et episcopi animarum nostrarum* (cf. *1 Pt.* 2, 25) ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant ad totius populi sanctificationem. *Meminerint se esse vocatos ad sanctitatem christianam, exemplarem quippe qua « forma gregis » existant. Gratia autem sacramentali consecrationis adiuti et instigati, imitantes quod tractant se sanctificent evangelizando, sanctificando et pascendo alios secundum illud Pauli*: « *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum* » (*2 Tim.* 1, 6). Sic enim, ut... » (et sequuntur pag. 19, linn. 8 ss.).

6. Pag. 19, linn. 12-14: ob eandem rationem et dicta sub numero 4

dicatur: « Missionis autem et gratiae sacerdotis Christi participes sunt etc. » (loco: gratiae episcopalis). Et post lin. 15 possit addere: « Omnes vero ratione ordinis sacramentalis et Ecclesiae mandati in vinea Domini laborantes cum episcopis suis in uno eucharistico Sacrificio et vinculo amoris coniungantur et mutuo adiutorio ut ministros praebeant ».

7. N. 31, pag. 20, lin. 2: praeponatur prius: « Ex ineffabili suo amore Deus christianis multa praebuit adiumenta, quibus sanctitatem, in fide et baptismate seminatam, corde bono et optimo retinent eiusque fructum afferunt in patientia (cf. *Lc.* 8, 15). Inter quae singulari modo exstant lectio Sacrae Scripturae et Christi sacramenta, quibus alitur vita orationis, fidei, spei et caritatis. Inter quae sacramenta speciatim nominanda est paenitentia, cum vita christiana evangelica sit grande conamen totius Dei populi, cadentis et fallentis et nihilominus in spem contra spem gratia Dei fidentis ». Et tunc habeatur: « Praeter haec omnibus christifidelibus secundum mensuram Dei vocantis proponuntur prudentiae christianae uniuscuiusque ea quae consilia evangelica appellari consueverunt. Inter multa huiusmodi, quae in Evangelio proponuntur, tria in Ecclesia doctrina et usu peculiari extolluntur: paupertas scilicet... » et prosequatur lin. 8 etc., demptis linn. 2-8.

8. Pag. 20, linn. 20-23: sic mutatur: « Quamobrem *christifidelibus,* qui omnes ad sanctitatem vitae invitantur et obligantur, *consilia evangelica proponuntur* secundum proprium charisma et prudentes caritatis normas. *Omnes* enim ad hoc tendere debent, etc. ... » et sequitur linn. 24 ss.

9. N. 33, pag. 21, ubi agitur de momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia, aliqua magis vigorose sunt exprimenda. Quam ob rem loco n. 33, pag. 21, linn. 10-22, haec ponantur: Varia dona et munera, quae in Ecclesia inveniuntur, in bonum totius populi Dei conferuntur. Nam Ecclesia, in qua mysterium Christi indesinenter viget et operatur, « corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tantum corpus sunt » (*1 Cor.* 12, 12). Eorum vero, quos Deus in statu ab Ecclesia sancito ad consilia evangelica vocavit, munus est, forma vivendi et unitate fraterna mysterium vitae christianae, necnon Ecclesiae omnibus christifidelibus, immo toti mundo patefacere. Sint signum et testimonium credibile transitus huius saeculi (*1 Cor.* 7, 31) et regni caelorum, « in quo neque nubent neque nubentur » (*Mc.* 12, 25), iam advenientis, immo in Christo et in Ecclesia, etsi sub velamine fidei, iam praesentis. Paupertate, virginitate et oboedientia, quibus ad Dominum vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt, clarius perennem Christi in Ecclesia praesentiam manifestent. Plenior enim abnegatio illa, quae in horum consiliorum professione continetur, dum Christi exinanitionem manifestius imitatur, novam quoque vitam redemptione Christi acquisitam significat et resurrectionem ac gloriam regni caelestis praenuntiat. Vita denique communis, quae apud religiosos habetur, fideles ad memoriam mysterii fraternitatis saeculi futuri excitat ». Et sequitur in textu pag. 21, linn. 23 ss., scil.: « Ideo cum evangelica consilia etc. ... ».

10. Pag. 22, linn. 20-22: loco « Exemplis autem... possunt et debent » dicatur: « ... provehendo et stabiliendo, secundum specificationes ministeriorum sive apostolatuum determinationis in Regulis et Constitutionibus ab Ecclesia approbatis ».

11. Pag. 22, linn. 8-16: Quaeri potest, utrum haec res canonicae sint dicendae in constitutione dogmatica de Ecclesia. Praestat eas referri ad schema *de statibus perfectionis acquirendae.*

125

REV.MUS P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis O.S.Cr.

Liceat mihi has considerationes circa schematis *de Ecclesia* cap. IV vobis proponere.

Auctoritas a Divino Conditore Ecclesiae tradita, peculiari titulo circa profitentis consilia evangelica in statu perfectionis acquirendae exercetur; hic status enim fructus habetur auctoritatis Ecclesiae non tantum in sua constitutione, sed etiam in sua conservatione et actione. Ideo, ab ipsa Ecclesia, ad prosecutionem proprii finis, duci debet.

Competentia et actio hierarchiae clarius exprimendae videntur in n. 34 schematis *de Ecclesia,* ne instituta huiusmodi fructus habeantur unice vel praevalenter alicuius privati charismatis et ne illorum ordinatio et regimen in voluntate ipsorum sodalium, potius quam in Ecclesiae auctoritate, fundata censeantur.

Hac de causa magni momenti est considerare et exprimere habitudinem et connexionem inter Ecclesiam et Instituta eorumque sodales. Habitudo enim evolvi debet per continuam et plenam dependentiam a hierarchia ecclesiastica, cui dictum est: « Pasce agnos meos... pasce oves meas » (*Io.* 21, 15).

Dependentia non exhauritur a quodam iure vigilantiae, protectionis et extraordinarii interventus; potius vero consistit in constante et universali auctoritativa actione, quae, corroborata ac voto oboedientiae sustentata, omnia in praedictis institutis regit, gubernat ac dirigit. Haec actio, immediate vel mediate, a hierarchia emanat et in concreto, pro institutis quae indolem universalem de iure habent, a Summo Pontifice, prouti clara ratione Pius XII, die 11 februarii a. 1958, in allocutione Superioribus Maioribus habita, affirmavit sequentibus verbis: « In hac igitur parte Nostri muneris, vobis dilectissimi Filii, sive recto tramite, aliquid vobis per Codicem Iuris delegantes Nostrae supremae Iurisdictionis, sive per ipsas Nobis probata Regulas et Instituta vestra illius potestatis vestrae, quam " dominativam " appellant, fundamenta ponentes, vos socios Nostri supremi officii assumpsimus » (*A.A.S.*, 50, 1958, pag. 152).

Hierarchicam fontem auctoritatis superiorum religiosorum, et, in con-

creto, ipsum Primatum pontificium, idem Summus Pontifex ostendit in Allocutione diei 8 decembris 1950, quando asserit religiosos exemptos, et idem valet pro aliis, « semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, subici, cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae ». Eadem occasione Summus Pontifex adduxit principium fundamentale, quod valet pro qualibet auctoritate a Romano Pontifice religionibus collata: « Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos episcopo parere debet » (*A.A.S.* 43, 1951, pag. 28).

Magni interest sodales status perfectionis conscios esse etiam per proprios religiosos superiores sub directione et actione hierarchica Ecclesiae constanter manere; superiores enim, non privata auctoritate, vel iuribus a sodalibus collatis, sed publico et ecclesiastico munere, pro bono totius Ecclesiae ornatos esse.

Quoad n. 34 hae animadversiones faciendae videntur.

Pag. 22, linn. 2-8: Ecclesia non tantum « Regulas... recepit » et adprobavit et ubique adfuit « auctoritate sua invigilante et protegente », sed etiam *a*) ipsa Instituta erexit et, unica, ius illa erigendi habet; *b*) eadem Instituta, directe vel indirecte gubernavit atque gubernat; *c*) non tantum « Regulas » sensu stricto intellectas et multis religionibus proprias, approbavit sed etiam « Constitutiones » vel alias normas seu leges fundamentales.

Textus ita redigendus esset: « Ecclesia... Regulas, Constitutiones aliaque Statuta cum laude recepit, cum opportunum censuerit ulterius ordinavit et tandem authentice adprobavit ac suae auctoritatis robore confirmavit; necnon Institutis... ut omni modo crescant atque floreant et ad finem propositum efficaciter intendant auctoritate sua invigilante et protegente necnon regente, semper et ubique adfuit ».

Num. 34, pag. 22, linn. 8-12: melius videretur statuere quod Romanus Pontifex ratione sui in universam Ecclesiam Primatus, ius habet propriam auctoritatem communicandi seu delegandi, directe vel indirecte, atque officia in religionibus constituendi ex iuribus et obligationibus constantia, duplici attento vel intento proposito, nempe: 1. unitatis et efficacitatis regiminis Institutorum iuxta uniuscuiusque indolem et finem pro vita et actione singulorum sodalium et etiam totius Instituti; 2. universalis et communis utilitatis necnon commodi locorum in quibus sodales apostolicum servitium praestant aliorumque locorum in quibus eorum praesentia necessaria in futurum fieri potest.

Hoc iure Romanus Pontifex religiones aliaque Instituta sibi immediate devincere et propria auctoritate illa regere valet.

Cum Summus Pontifex hoc iure utitur et eadem mensura qua id facit, Instituta eorumque sodales ab Ordinariis locorum non dependent. In istis casibus dici nequit quod Ordinarii locorum aliquo nativo iure privantur, nec quod institutiones ab illorum auctoritate subtrahentur cum ipso momento originis ab illis non dependeant.

Haec omnia nullo modo obstant vel obstare possunt unitati et efficacitati apostolatus qui, sub regimine episcopi pro bono populi eius pastorali curae commissi exerceri debet.

Quapropter summa cura Romani Pontificis est ut salva maneant iura Ordinariorum circa apostolatus exercitium. In praedicta Allocutione, diei 8 decembris 1950 Pius XII asserebat: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut episcopo auxiliator adsit et subsit... » (*A.A.S.*, 43, pag. 28).

Textus n. 34, pag. 22, linn. 8-12, ita mutari posset: « ... Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque perfectionis Institutum erigere eiusque leges seu normas approbare, illud regere et, ideo, sibi subicere et ad finem intentum necessaria auctoritate seu regimine interno munire potest. Instituta et sodales, etiamsi exemptione, quae dicitur, vel aliis privilegiis fruantur, servata subiectione erga Romanum Pontificem, in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam, iuxta canonicas leges, praestare debent episcopis ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam ».

126

REV.MUS P. D. IOSEPH VAN KERCKHOVEN

Superior generalis M.S.C.

In cap. IV schematis *de Ecclesia* bene praesentatur status perfectionis acquirendae uti « Institutio », nata « ex germine divinitus dato », sub ductu et actione Ecclesiae definita et ordinata; quae institutio velut arbor « in agro Domini crescit et ramis diffunditur » mirabiliter et multipliciter.

Ad hoc ut « institutio » status perfectionis, in sua intima natura ac immutabili valore melius intellegatur, et insuper, ut fundamenta mirae ac multiplicis eius varietatis magis elucescant, haec quae sequuntur animadvertenda videntur:

1. Opportunum erit in constitutione dogmatica *de Ecclesia* rationem essentialem et notam distinctivam huius status sub lumine theologiae magis enucleare.

Procul dubio status iste omnino fundatur in vocatione generali ad sanctitatem et ad huius vocationis integram adimpletionem totaliter et exclusive ordinatur. Nota vero distinctiva et propria, quae vocationem ad sanctitatem plene informat, reponitur in electione, speciali movente Dei gratia, illorum mediorum, quae a Domino nostro Iesu Christo ut aptiora proposita sunt pro sanctitate prosequenda, nempe consilia evangelica paupertatis, castitatis et oboedientiae, prout eorum exercitium ab Ecclesia ordinatum et sancitum est.

Professio consiliorum evangelicorum, dum novas obligationes communi

viae addit, totam vitam spiritualem veluti modo universali afficit. Dum illa, quae, licet in se bona, impedimenta fieri possent, removet propter regnum caelorum, auxilium non solum negativum, sed simul positivum praestat ad Deum in omnibus adhaerendum, et ideo peculiarem notam seu characterem universali vitae spirituali tribuit.

Hoc duplex auxilium seu elementum — negativum scilicet et positivum —, quod omnibus Ecclesiae membris pro perfectione consequenda, peropportune inservit, profitentibus consilia evangelica in institutione ab Ecclesia ordinata vi obligatoria munitur, ratione ipsius status, quem profiteri sibi proponunt.

Et tali modo nota distinctiva statuum perfectionis acquirendae habetur.

2. Institutio status perfectionis acquirendae ab Ecclesia tamquam peculiaris expressio propriae sanctitatis, seu mysterii Christi, in ea perpetuo exstantis et operantis, assumitur.

Vita religiosa arctissime fini Ecclesiae adhaeret et frequenter a Romanis Pontificibus uti expressio sanctitatis Ecclesiae exaltata est, nempe ut ornamentum pro mira et multiplex sanctitas Ecclesiae commonstratur. In hoc peculiari munere « mysterium Christi » significandi et testificandi, potissimum invenitur ratio mirae varietatis, necnon multiplicitatis ramorum, florum et fructuum arboris vitae religiosae in agro Ecclesiae plantatae.

Hac varietate Dominus noster Iesus satisfacere intendit:

a) Diversis tendentiis et elementis quae in singulis personis ad hunc statum accedentibus inveniuntur: Non enim omnes natura et gratia ad eandem formam vitae praeparantur, sed unusquisque proprium donum a Deo recipit ad maiorem frugem ducendum in bonum suiipsius et totius Ecclesiae.

b) Diversis muneribus seu servitiis et ministeriis, quibus Ecclesia uti expressio sanctitatis providere tenetur: cogitate v. g. servitium diversorum coetuum hominum et varias formas apostolatus. Status perfectionis acquirendae, etsi in sanctitatis prosecutione essentialiter consistat, in hac ipsa sanctitate fundamentum et fontem invenit mirabilis ac multiplicis servitii ipsi Ecclesiae praestandi, qua in re « Schola servitii Domini » vocari potest.

c) Divitiis sanctitatis internae ex mysterio Christi depromptae quae Ecclesia per suos asseclas ostendere intendit.

Mysterium sanctitatis Christi tanta celsitudine eminet et tam multa comprehendit, ut nonnisi multiplici varietate in Ecclesia quodammodo exprimi possit.

Deus voluit ut darentur in Ecclesia sancti, indole et gratia inter se dissimiles, sed singuli partem sanctitatis Christi proprio modo exhibentes, omnesque simul eius granditatem quodammodo adumbrantes. Similiter Divina Providentia disposuit, ut plura essent in Ecclesia instituta, inter se diversa, quae singula pro sua quaque vocatione partem investigabilium divitiarum Christi in lucem ponerent, et omnia simul imaginem quandam, licet imperfectam, plenitudinis perfectionis Christi efformarent. Non enim solis operibus externis caritatis et apostolatus instituta religiosa inter se distinguuntur,

sed saepe etiam per specialem relationem ad Deum et ad Christum Dominum; quae relatio totam eorum vitam compenetrat atque pervadit, eorumque orationi et operi distinctum tenorem ac veluti colorem praebet. Mysterium Christi, eius vita abscondita, Passio Christi, eius Cor amantissimum, mysterium Ss.mae Eucharistiae, et ita porro: haec singula a singulis institutis pro sua quaque vocatione non tantum coluntur sed etiam speciali modo imitantur, ita ut tota horum institutorum vita inde signetur.

Vocatio specialis nihil detrahit iis, quae e vocatione generali profluunt, sed eodem fundamento innixa, ad ea in praxim deducenda inservit.

Insuper, rationes quidem dari possunt, ut multiplicitas institutorum restringatur, v. g. propter efficaciorem apostolatus organisationem; sed in his quam prudentissime agendum videtur, ne amissio vel varietatis reductio ad « depauperationem » Ecclesiae, ut ita dicam, conducat. Etiamsi hodie generalis tendentia ad plura planificanda et ad omnia in aequalitate ponenda manifestatur (nivellement, standardisation), nullum dubium est, quin in damnum Ecclesiae verteretur, si hanc tendentiam quoad Instituta perfectionis inconsiderate ad exsecutionem deduceretur. Audiendum nobis est « Quid Spiritus dicat Ecclesiis? » (*Apoc.* 2, 7).

Conclusio. Textus ita redigendus esset ut appareant: *a*) ratio formalis status perfectionis, eiusque unitatis fundamentalis, quae nullimode mutari potest; *b*) rationes et fontes seu motiva varietatis, non tantum in extrinseca forma agendi, sed praesertim in intrinsecis suis elementis.

127

EXC.MUS P. D. VILLELMUS PATRITIUS WHELAN
Archiepiscopus Bloemfonteinensis

His diebus nonnulla perturbatio mentis necnon timor per aliquos superiores religiosos maiores coram Patribus Concilii manifestatur circa defectum gravem, ut aiunt, in cap. IV schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Defectus praecise in hoc videtur consistere, secundum eorum opinionem, quod in nn. 30 et 31, ubi de sanctitate in Ecclesia tractatur, valde insufficienter habetur descriptio characteris specialis vitae religiosae, quae per vota publica Ecclesiae et sub eius auctoritate constituitur.

Haud parum verum mirandum est de mediis propagandistis, non exclusa « pressura » vehemente super quosdam episcopos, ut « defectus » allegatus schematis debito modo emendetur. Mihi valde persuasum est tales superiores nimis perturbatos esse nimisque forsan circa negotia propria praeoccupatos, ita ut videatur eos indolem praecisam pastoralem schematis parvipendere.

Ut aequiore autem animo cap. hoc IV consideretur, proponere velim ut in redactione schematis, clarius et praecisius declaretur de valore vitae religiosae eiusque intima, immo integrali, relatione cum tota vita sancta Ecclesiae.

128

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

Nonnulla de vocatione ad sanctitatem in schemate *de Ecclesia* dicere intendo. Sanctitas enim pro Ecclesia maximi et primordialis momenti est: sine illa enim haec nec intelligi potest, *sanctitas nempe intimus finis Ecclesiae iuste dicitur, et consequenter ad eius mysterium pertinet.* Ex missione enim Divinarum Personarum: Filii scil. et Spiritus Sancti, quae suo tempore visibilis fuit, Ecclesia ut Corpus visibile inchoatur simul quidem cum invisibili, spirituali ac supernaturali motu, qui personas humanas ad participationem Divinae Sanctitatis ordinat. Haec excellentissima participatio sanctitatis ipsius Sanctissimae Trinitatis — *propriissimus finis Ecclesiae iam in S. Scriptura recognoscitur.* Iesus Christus enim in Coenaculo pro discipulis suis, qui Ecclesiam eius constituebant sic Patrem rogabat: « Sicut Tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum; ut sint et ipsi sanctificati in veritate » (*Io.* 17, 18-19). S. Paulus vero addit: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 25-27).

Mirum est, quod in schemate *de Ecclesia* multa de eius causa efficienti (scil. de missione Filii et Spiritus Sancti), formali (seu de Corpore mystico et s. hierarchia) ac de causa materiali (nempe de populo Dei) proponuntur, fere nihil vero vel parum de finalitate ipsius Ecclesiae invenitur, et ideo vocatio ad sanctitatem, quae finem Ecclesiae constituit, in nostro schemate non satis clare et modo bene ordinato manifestatur. Mihi videtur, quod bonum esset ad meliorem compositionem totius nostri schematis *iam in primo eius capite tractare de sanctitate Ecclesiae* tamquam indole eius pretiosissima et simul tamquam fine eiusdem intimo.

Maxime vero oportet, ut *principia vocationis ad sanctitatem* clarius exponantur. Praeter missionem visibilem et invisibilem Filii et Spiritus Sancti ad totum genus humanum, ex qua quidem missione Ecclesia orta est, loqui oportet *de divina missione invisibili, quae animam humanam attingit per gratiam sanctificantem.*

Vocatio ad sanctitatem habet — ut ita dicam — suum rythmum divinum, quo tota vivit Ecclesia ut Christi Corpus mysticum. Habet praeterea suum intime personale momentum. Ecclesia, qua talis, est sancta, opus sanctitatis praedicat ac proponit, media sanctificationis hominibus subministrat. Specialiter tamen haec *sanctitas Ecclesiae in personis humanis* apparet, crescere eos faciens in vita divina ope gratiae sanctificantis. Sic Ecclesia, ut Civitas Sancta, bonum uniuscuiusque animae quaerit, et tamquam Mater tenerrima diligentissime procurat et subministrat.

Sic igitur vocatio ad sanctitatem tamquam elementum essentiale Ecclesiae apparet et ad quemlibet hominem extenditur. Hoc igitur magis in nostro schemate sublineare oportet, quia omnia alia, *quae in cap. IV inveniuntur potius consectaria illius vocationis videntur,* licet aliquando maximi momenti sint, ut indoles universalis vocationis ad sanctitatem simul cum multiformi eius charactere, quod bene in schemate notatum est in initio cap. IV. Postea tamen in eodem capite diffuse tractatur de statu perfectionis acquirendae, parum vero de via ad sanctitatem mediisque ad illam attingendam pro his, qui ad hunc statum scil. ad ordinem religiosum non pertinent et nihilominus, sicut omnes homines, ad ipsam sanctitatem vocantur.

Unde videtur mihi opportunum, ut remanentibus illis quae in nn. 32, 33, 34, 35 et 36 dicta sunt, sequentia addantur:

a) Expositio *primatus ipsius caritatis* in opere sanctificationis cuiuslibet.

b) Quaedam verba *de dignitate personae humanae eiusque perfectione,* quae in virtutibus theologicis et moralibus consistit, ac simul gratiam Dei sanctificantem et dona Spiritus Sancti supponit.

c) Explicatio *ipsius notionis sanctitatis,* quia circa hanc notionem magna confusio inter fideles habetur. Specialiter sublineare oportet, quod « sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo, omnes actus virtutum ordinando ad bonum divinum » (II-II, q. 81, a. 8). Unde: « nomen sanctitatis duo videtur importare: ... munditiam: et huic significationi competit nomen graecorum: agios; ... firmitatem. ... Munditia enim necessaria est ad hoc quod mens Deo applicetur. Quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus immergitur, sicut quaelibet res ex immixtione peioris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur ad hoc quod supremae rei possit coniungi. Et ideo mens sine munditia Deo applicari non potest. ... Firmitas etiam exigitur ad hoc quod mens Deo applicetur. Applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio: huiusmodi autem oportet maxime immobilia esse » (S. Th., *ib.*).

d) Desideratur pariter ut in hoc capite inserantur quaedam *de sensu et valore gratiae sacramentalis, maxime in ordine ad vitam publicam et socialem* praesertim per sacramentum sacerdotii, matrimonii et etiam confirmationis. Nec praetermittenda est *sic dicta gratia status,* inquantum scil. Deus nemini denegat actualia gratiae auxilia necessaria ad officia proprii status conditionisque bene explenda.

e) Denique oportet tria consilia evangelica ita proponere, ut manifestum sit illa non solum in monasterio observari posse et debere, sed etiam fidelibus in saeculo viventibus secundum conditionem status uniuscuiusque *vita in spiritu consiliorum evangelicorum a Christo* recommandatur: ad finem supernaturalem melius obtinendum. Oportet enim, ut una ex parte perfectio acquirenda in statu perfectionis firmius et profundius appareat. Certo certius enim in hoc statu agitur de accipiendis omnibus quae Evange-

lia in spiritu Iesu Christi proponunt hominibus ad finem supernaturalem plenius adipiscendum. Oportet tamen etiam, ut alia ex parte vocatio ad sanctitatem in Ecclesia non limitetur, sed omnes sciant, ipsis esse propositam, et revera possibilem. Propter quod etiam oportet, ut Concilium stimulet omnes, tam cura animarum gerentes quam laicos, ad vias et methodos sanctitatis etiam infra mundum quaerendas aliisque emicandas, ut praeter ascesim monasticam etiam ascesis ut ita dicam mundana evolvatur.

129

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI

Episcopus Osakensis

Liceat mihi proponere brevem additionem inserendam in n. 30, pag. 19, lin. 26 post verbum « progrediantur ». Inserenda propono sequentia: « Et obstaculis variis, sive ex spiritu atheismi sive ex indifferentia religiosa passim grassanter exortis, firmiter resistere et testimonium Evangelii Christi efficacius in diem apud quoslibet homines, sive credentes sive non credentes, reddere valeant... ».

Ratio huiusmodi propositionis est haec: In textu schematis supponitur status potius pacificus vitae christianae. Neque satis attendantur magnae difficultates et multiplicia obstacula, sive interna sive externa, quae, in vita quotidiana multorum fidelium, eorum progressum in sanctitate impediunt.

Ut v. g. in terris sub dominio atheistico vel etiam in regionibus, ubi habetur quaedam libertas religiosa, sed conceptio vitae materialistica animos multorum captivos tenet vitamque publicam dominatur. Post bellum, civilizatione, ut dicunt, technica in diem progrediente, homines moderni potius quaerunt plenam fruitionem commoditatum atque voluptatum, quas illis vita terrena afferre potest. Ob influxum circumstantiarum societatis hodiernae, ubi libertas cogitandi et loquendi nimis extollitur, iuvenes nostri difficultatem sentiunt in colendis virtutibus christianis praesertim sic dictis negativis, humilitatis, oboedientiae, patientiae, mortificationis etc.

Procul dubio, perfectio christiana essentialiter consistit in caritate erga Deum et erga proximum nostrum. Iamvero hac in terra post peccatum originale, caritas haberi nequit sine sustinendis sacrificiis et mortificationibus faciendis propter Deum. Revera Christus Dominus omnibus suis discipulis dixit: « Si quis vult post me venire, abneget seipsum, tollat crucem suam et sequatur me ».

In facto Dei gratia adiuti, multi catholici, sive clerici sive laici, in istis difficultatibus mirabili modo fidem christianam servant et secundum eius praecepta vivunt. In quavis aetate gratia Dei ita fideles sustentat ut v. g. fideles Iaponiae, per duo fere saecula in persecutionibus, fidem, in abscondito et sine sacerdotibus, unice in familiis servaverint.

130

EXC.MUS P. D. IOANNES PETRUS ZARRANZ Y PUEYO
Episcopus Placentinus in Hispania

De fundamentis biblicis perfectae sanctitatis in Ecclesia.

Quae de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia dicuntur in cap. IV accuratius possent dici, si fundamenta biblica magis profunde exponerentur, praesertim ea quae spectant ad statum perfectionis.

1. Laudo in hoc cap. IV quod explicite asseratur omnes qui professione christiana tenentur, sive ad hierarchiam pertineant, sive ab illa pascantur (n. 28), vocari ad perfectam sanctitatem. Ita sentiebat S. Paulus, qui laborabat ut exhiberet *omnem hominem perfectum* in Christo Iesu (*Col.* 1, 28).

2. Sed distinguenda est illa *sanctitas* quae *essentialis* est *et* omnino *necessaria* ad vitam aeternam habendam et illa quae, vitalis utique, *non est necessaria* qua talis, ideoque non requiritur ex praecepto, sed *ex consilio.*

Cum Dominus interrogaretur de iis quae facienda erant ad vitam aeternam, respondit: « Si autem vis ad vitam aeternam ingredi, serva mandata ». Et iuveni asserenti se illa omnia custodire a iuventute et quaerenti *quid adhuc illi deesset,* addidit Dominus: « *Si vis perfectus esse,* vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me » (*Mt.* 19, 20-21).

Proh dolor! verba haec, quae tantum et tam amplum influxum habuerunt in historia sanctitatis christianae, omissa sunt in textu capitis IV, et semel ad ea fit allusio in nota 10, ubi sermo est de paupertate. Eorum tamen sensus, si in seipsis et in debito contextu examinantur, amplior et profundior est.

Probant enim, in primis, *ex institutione divina* seu ex iure divino *duplicem existere* debere in Ecclesia *formam stabilem* in ordine ad vitam aeternam: *primam mandatorum,* universalem et absolute necessariam; *alteram perfectionis,* particularem et non absolute necessariam. Haec altera non solvit mandata, sed complet (cf. *Mt.* 5, 17). Hoc bene indicatur a Domino, quando dicit: « si vis perfectus esse », id est, si vis complere et perficere hoc quod a tua iuventute fecisti (*Mt.* 19, 21), vel ut S. Marcus scribit: « *unum tibi deest* » (10, 21). Ad obtinendam vitam aeternam, adhuc *unum deest, etiam facienti omnia mandata.* Hoc unum non est mandatum, sed consilium. Et quidem consilium omnibus propositum, non tantum iuveni illi determinato de quo loquitur Evangelium; et in relatione ad vitam aeternam, non tantum in relatione ad apostolatum. *Consilium* enim proponitur pro vita aeterna in genere et pro omnibus qui volunt vitam aeternam obtinere.

Duplicem etiam modum vivendi sanctitatem in ordine « ad regnum caelorum » distinxerat paulo ante Dominus, cum locutus est de « eunuchis », qui facti sunt ab hominibus et de eunuchis « voluntariis » propter regnum caelorum (*Mt.* 19, 12). Haec forma virginalis vivendi vitam christianam est difficilis, ideo « qui potest capere, capiat » (*Mt.* 19, 12). Eadem doctrina

invenitur apud S. Paulum, qui bene distinguit inter statum matrimonialem et statum virginalem eorumque differentias in ordine ad sanctitatem optime extollit: « De virginibus autem *praeceptum Domini* non habeo; *consilium* autem do... ut sim fidelis... Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est » (*1 Cor.* 7, 25, 32-33; cf. v. 35. 37. 40).

3. Iam quaeritur quid vita perfectionis, prout in Evangelio proponitur, addat in ordine ad vitam aeternam et ad hoc ut vere compleat et perficiat observationem mandatorum. In re magni momenti pro sanctitate vitae christianae considerandum est duplex responsum Domini, sive ad adulescentem divitem, sive ad S. Petrum:

a) In responso ad adulescentem Dominus loquitur de *thesauro in caelo* et *de thesauro in terra.* Ad habendum thesaurum in caelo consilium dat ut thesauri terreni renuntientur: « Vade, vende *quae habes,* et *da pauperibus, et habebis* thesaurum in caelo » (*Mt.* 19, 21). Ea mensura qua terrena abiciuntur, lucrantur aeterna. Haec est lex paradogica Evangelii in ordine ad vitam aeternam: « Qui invenit animam suam perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam » (*Mt.* 10, 39).

b) In responso ad S. Petrum obiectum renuntiationis latius patet. Cum S. Petrus dixisset se et socios reliquisse *omnia,* praemium singulare ei promittit in adventu Filii hominis et prosequitur: « Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxores aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit » (*Mt.* 19, 29). Renuntiatio igitur christiana extenditur non tantum ad *realia,* sed etiam *ad personalia,* quod verificatur etiam in statu virginali.

In aliis textibus sermo est de « anima » ut obiectum renuntiationis, quae stat pro tota persona, considerata tam in externis quam in internis possessionibus (cf. *Mt.* 10, 39; *Lc.* 14, 26 proponit ut supremum gradum renuntiationis animam propriam).

Ratio huiusmodi perfectae renuntiationis exprimitur in Evangelio diversis locutionibus: « propter me, propter evangelium, propter regnum Dei » (cf. *Mt.* 19, 29; *Mc.* 10, 29; *Lc.* 18, 29). Finis renuntiationis in virginitate est ipsum servire et placere Domino, iuxta S. Paulum, ipsa sanctitas « corpore et spiritu » (*1 Cor.* 7, 32, 34).

4. *Quoad subiectum* status perfectionis duo certa sunt ex Sacra Scriptura: non omnes ad illum vocari, sed certe, plures illum amplecti posse.

In Evangeliis explicite nominantur discipuli seu *Duodecim apostoli* (*Mt.* 19, 27) et adulescens ille dives (19, 21). Simul insinuatur plures posse et de facto secuturos esse statum renuntiationis (*Mt.* 19, 29).

In libro Actuum (2, 45) dicitur *plures* possessiones vendere et dare pauperibus (cf. etiam 4, 32). Hoc libere faciebant ut constat ex verbis S. Petri ad Ananiam: « Nonne manens tibi manebat et venundatum in tua potestate erat? (*Act.* 4, 4).

Dominus supponit plures esse qui statum virginalem amplectuntur (*Mt.* 19, 12). Et S. Paulus *omnibus fidelibus* proponit etiam consilium virginitatis: « Volo enim *omnes* vos esse sicut meipsum » (*1 Cor.* 7, 7).

Tamen, vita paupertatis et virginitatis supponitur semper esse donum Dei et pendere maxime ex gratia divina. Explicite hoc dicitur de virginitate (cf. *Mt.* 19, 12; *1 Cor.* 7, 7).

5. Ex dictis existimamus in cap. IV, ut melius respondeat theologiae biblicae, distinguendum esse melius inter statum ordinarium mandatorum et perfectionis, simul indicando *utrumque* esse ex institutione divina et consequenter de iure divino et minime pendere ex institutione aut sanctione Ecclesiae. Nam bene distinguendum est *inter rem et substantiam status perfectionis* et eius *formas historicas et canonicas*. Res et substantia est originis divinae et apostolicae; formae concretae sunt variabiles et humanae.

Ad statum perfectionis, prout est originis divinae, pertinet explicite renuntiatio perfecta in genere, et, in specie, renuntiatio possessionum et matrimonii, sub inspiratione et gratia Spiritus Sancti. Hic status renuntiationis, prout exhibetur in S. Scriptura, complet statum mandatorum et perfectior est sive ad Deum amandum et serviendum sive ad vitam aeternam obtinendam et apostolatum exercendum. Ideo primi qui hunc statum amplexi sunt nominantur duodecim apostoli (*Mt.* 19, 27-28; 4, 18-22) et ipse S. Paulus (*1 Cor.* 7, 7; 9, 12-27).

Paupertas effectiva proponitur ad exemplum Christi (*Lc.* 9, 57-58; *Mt.* 8, 19-20) et *castitas* ad exemplum Pauli apostoli (*1 Cor.* 7, 7). De oboedientia ut nota propria status perfectionis non est sermo explicitus in S. Scriptura, sed continetur implicite in renuntiatione « animae propriae » seu propriae personalitatis (*Lc.* 14, 26) et in exemplo Christi qui « et erat subditus illis » (*Lc.* 2, 51). Hic textus directe agit de oboedientia Iesu erga homines. Textus autem qui citantur in schemate agunt de oboedientia ad Patrem caelestem.

131

REV.MUS P. D. PETRUS ROMUALDUS M. ZILIANTI
Abbas nullius S. Mariae Montis Oliveti Maioris

Liceat mihi, nomine etiam plurium religiosorum, desideria quaedam et aliquas observationes humiliter exponere.

Praeprimis mihi videtur schema de « vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » bonum esse, et revera opportunum, speciatim pro nostris temporibus in quibus christifideles saepe saepius obligationes ad sanctitatem adquirendam parvipendunt. Etiam sacerdotibus pluribus, religiosis non exclusis, qui sic dictae haeresi « actionis » indulgent, quae secum fert oblivionem fere totalem vitae interioris, recognitio huius valde utilis est.

Adhaereo pleno animo ad ea quae leguntur in n. 29 circa sanctitatem omnium fidelium, nam etiam pro iis per Spiritum Sanctum actuari efficaciter sanctificatio debet iuxta voluntatem Patris, dicit enim apostolus: « haec est

voluntas Dei, sanctificatio vestra ». Et propter hoc opinor esse definiendam essentiam sanctitatis, modo claro et facili, intellectui fidelium, etiam rudium, aptatam, ut quidam iam in aula petierunt animo pastorali imbuti.

Scientes enim quod iuxta effatum Paulinum Pastores esse debent « forma gregis », fiet sermo quoque de sanctitate episcoporum.

His praemissis ad mei interventus rationem advenio, quae est de statu religioso animadvertere ut ei recognoscatur ius ab hoc Concilio Oecumenico ut in schemate *de Ecclesia* modo theologico, clare et evidenter, appareat in capite adiunctivo, quod inscribi possit, ut iam a commissione factum fuerat: « De iis qui consilia evangelica profitentur ».

Scimus etenim statum religiosorum prae se ferre duplicem aspectum, scilicet theologicum, quo considerantur eius substantia et fundamenta biblico-theologica, et iuridicum, quo religiosorum modus vivendi, operandi et sese gerendi aptis formis ab Ecclesia praeformantur. De statu iuridico agetur in schemate *de statu perfectionis adquirendae*.

Status religiosus non est mera Ecclesiae iuridica erectio, sed ab ipso Evangelio profluit atque partem suam vere authenticam habet in Corpore mystico Christi quod est Ecclesia. Oblivisci non licet responso Divini Salvatoris diviti petenti viam perfectionis: « Si vis perfectus esse, vade, vende quod habes... et veni, sequere me ».

Reminiscamur item quae scribit S. Thomas: « quod est potissimum in lege N. T. gratia est Spiritus Sancti », et religiosi nonne sunt fideles illi qui sua vita orationis et poenitentiae talem Ecclesiae merentur gratiam? Exemplum nobis affert Moyses in monte orans qui, per suas orationes, Israelitis meretur victoriam.

Scimus quod Ecclesia sancta, fidei, amoris et gratiae communitas aliquos ex grege suo dilecto « praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda » (C.I.C., can. 487) clamat. Haec spiratio divina, quae a Spiritu Sancto in cordibus diffunditur (*Rom.* 5, 5), non est tamen aequalis in sua sancta actione sed, ut docuit sanctus Paulus: « unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic » (*1 Cor.* 7, 7). Ex quo oritur vocatio illa ad perfectionem adquirendam per evangelica consilia, quae est in Ecclesia Spiritus Sancti fructus pretiosus, eiusque sanctitatis peculiare testimonium, cum via praeclara sit amoris indivisi erga Deum (*1 Cor.* 7, 32-34), quo religiosi non solum interius sed exterius quoque vitae ratione soli Christo adhaerent (*De Eccl.,* IV, 33).

Si volumus in Ecclesiae historia et vita ipsa, cuiuscumque temporis, praeteriti et praesentis, investigare, sive in oriente sive in occidente, invenimus innumerabiles episcopos qui ex religiosis familiis suscepti fuerunt. Immo, et ad Summum Pontificatum multi fuerunt vocati sive ex monastica familia, sive ex aliis Religiosis Institutis — a S. Telesphoro usque ad Gregorium XVI — qui omnes in sede Petri claruerunt. Ecclesia universa, et hoc ab antiquissimis aevis et usque ad nostros, defensores suos fortissimos et missionarios devotissimos inter religiosos invenit. Scimus praeterea Angliam,

Germaniam, Galliam, Flandriam, Scandinaviam et ipsas extremae regiones Russiae per monachos religionem christianam suscepisse. Unaquaeque de his nationibus suum apostolum monachum habuit et honorat. Et notum est omnibus, recentioribus temporibus a religiosis etiam Americam, Africam, Indiam, Iaponem, Chinam, etc. et innumeras insulas fidem christianam recepisse et adhuc recipere.

Quid essent illae scholae christianae, illa nosocomia et omnia illa opera misericordiae christianae sine his millibus et millibus virorum et mulierum qui omnia reliquerunt et e mundanis egressi sunt ad solum Dominum Iesum sequendum et Crucem suam sanctam (*Mt.* 16, 16)?

Venerabiles Patres, iuste Concilium Sanctum videtur vobis agere relate ad illos qui in Corpore Christi mystico centrum caritatis constituunt, parvipendens recognitionem theologicam sui status? Nonne, per praedilectionem specialem Filii Dei, revera cor Ecclesiae Sanctae constituunt?

Liceat mihi quasdam imprecisiones huius capitis quae ad religiosos spectant indicare.

1. Vagam definitionem de statu religioso affert (cf. n. 32 h. sch.).

2. Vim sanctificantem evangelicorum consiliorum nec clare, nec argumentis validis illustrat.

3. Confusionem parit; e. g. pag. 20 in linn. 4, 5 et 6 dicit: « consilia... evangelica..., quae etsi perfectionem non constituant... », mihi videtur contradicere verbis Christi Domini ad iuvenem perfectionem quaerentem (*Mt.* 19, 16-17). Cui interpretationi adhaeret etiam S. Thomas (II-II, q. 184, a. 4): « Si igitur in statu perfectionis proprie dicitur esse aliquis, non ex hoc quod habet actum dilectionis perfectae, sed ex hoc quod obligat se perpetuo, cum aliqua solemnitate, ad ea quae sunt perfectionis ». Ex quo arguitur quod religiosi non possunt simpliciter cum aliis confundi in acquisitionem perfectionis, sed quod habent in Ecclesiam statum sublimiorem.

4. Videtur contradictione laborare in his quae leguntur in pag. 21, linn. 4, 5 et 6: « Status huiusmodi ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid intra clericalem et laicalem condicionem... », quae contradicit verbis Pii XII v. m. in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* quae sic se habent: « Haec media, inter clericos et laicos, religiosorum classis, quae utriusque clericis et laicis communis esse potest (can. 107), ex arcta peculiarique relatione ad Ecclesiae finem, sanctificationem nempe, efficaciter, rationibusque adaequatis prosequendum, tota desumitur » (*A.A.S.*, 39, 1947, pag. 114 sq.).

Conclusiones.

1. Gravis lacuna in hoc schemate conciliari de Ecclesia esset, censeo, Religiosi Instituti theologicam tractationem omittere.

2. Opportunum esset, opinor, quod schema *de religiosis* sub titulo « de iis qui consilia evangelica profitentur » ut supra dixi, locum teneat ante cap. III *de Ecclesia,* cum notum sit, et a C.I.C. recognitum, religiosos laicos praecedere.

3. Censeo per istud schema *de religiosis* in mysterio Ecclesiae Dei ipsa sanctificans praesentia Ecclesiae in mundo magis elucescere; nam oculis nostris, hodie sicut heri, Instituta Religiosa corde, mente et opere, totis viribus, videmus testimonium sanctitatis et vitalitatis Ecclesiae mundo afferre. Sunt opera caritatis, beneficentiae socialis, instructionis pauperum, propagationis Evangelii ubique terrarum, et praesertim exempla pietatis et poenitentiae quae ex Institutis Religiosis quotidie promanant.

132

Exc.mus P. D. IOANNES B. ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

Nomine 120 episcoporum Africae et Madagascar. Caput de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia multa bona continet, aliquae tamen emendationes necessariae esse videntur.

Praeprimis clarius distinguendum est inter *exigentias evangelicas* et *consilia evangelica.* Ab omnibus enim christianis *exigitur* observatio praeceptorum, et in primis observatio magni illius mandati quo Deum et proximum diligere praecipimur; ab omnibus quoque *exigitur* ut in spiritu evangelicae paupertatis, castitatis et oboedientiae ad sanctitatem tendant, et quidem oboedientiae non solum erga praepositos nomine Dei animas dirigentes, sed etiam erga eos, qui in rebus profanis legitima auctoritate praecipiunt.

E contra, non omnes christiani ad illam vitam specificam vocantur, quae a saeculis technice vita *consiliorum evangelicorum* nominatur et quae a Iure Ecclesiastico ulterius ordinata est.

In schemate, uti patet, haec distinctio fit; dixerimus tamen materiam aptius ordinandam esse et aliqua etiam addenda, ne in re tanti momenti nocivae confusiones oriantur. Proponimus ergo:

1. Ut ea quae de exigentiis evangelicis seu de omnium christianorum obligationibus dicuntur, in prima parte capitis cohaerenter proponantur, et

2. Ut deinceps modo continuo de vita specifica religiosorum agatur.

Qua in re sequentia principia clarius et profundius statuantur oportet:

a) Verum est duos status tantum, hierarchiae nempe et laicorum in Ecclesia ex institutione divina inveniri, *si Ecclesiae structura hierarchica et iuridica inspicitur.* Si autem Ecclesiae *structura pneumatica* consideratur iterum duo status ex institutione divina in Ecclesia habentur, nempe status virginitatis et paupertatis propter regnum caelorum electus, et status eorum qui non ad hanc typicam et specificam formam donationis Christo factae vocantur.

Iam ex evangelio et deinceps ex authentica traditione et supremo Ecclesiae magisterio clare patet Ecclesiam, quod ad eius structuram pneumaticam attinet, ex divina institutione in hos duos status dividi.

b) Immo asserendum est Ecclesiam in Concilio Tridentino tamquam

dogma fidei solemniter definivisse hunc evangelicum statum virginitatis divinitus institutum coniugali statu superiorem esse.

En verba Tridentina hac de re: « Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu: Anathema sit » (Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. 10).

Quae doctrina a Pio XII in celebri Encyclica *Sacra Virginitas* sequentibus verbis fuit enuntiata: « Haec doctrina, qua statuitur virginitatem et caelibatum omnino excellere ac matrimonio praestare, iam a Divino Redemptore ac gentium Apostolo, ut diximus, patefacta fuit; itemque in sacrosancta Tridentina Synodo solemniter fuit ut divinae fidei dogma definita, et a Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus concordi semper sententia declarata » (Litterae Encyclicae *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954, *A.A.S.,* 46, 1954, pag. 174).

Iamvero, non bene intelligimus curnam haec doctrina solemniter ab Ecclesia definita in schemate non inveniatur et iudicamus ipsam certo in schema esse introducendam.

Rationes autem quae ad talem emendationem proponendam nos movent, sequentes sunt:

a) Si iam data opera in hac constitutione dogmatica de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et de statu religioso agitur, aliqua doctrina solemniter definita huc maxime spectans non potest sic et simpliciter omitti et alto silentio praeteriri.

b) Hodiedum maxime necessarium est, ut christiani generosi doceantur viam perfectionis, immo hodie plus umquam regia via crucis clare illis indicanda est. Confusiones hac in re tolerari nequeunt, ne abbrevietur verbum Domini.

c) Serio timendum est ne vocationes ad sacerdotium et vitam religiosam diminuantur si haec perfectior via Christum sequendi obscuretur. Etiam hodie verbum Domini: « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et veni sequere me » omnino praedicandum est, sicut illa quoque verba Dominica quibus virginitatis propter Regnum Dei statum laudavit, et vitae contemplativae praestantiam coram Maria et Martha extulit.

d) Nos in missionibus praeprimis indigemus sacerdotibus utriusque cleri et dedicatione fratrum et sororum religiosorum. Diminutiones vocationum pro nobis gravissimae essent. Curandum ergo est, ut in hac constitutione dogmatica, ipsum ideale vitae sacerdotalis et religiosae modo claro, integro et inambiguo proponatur et homines invitentur ad totam vitam hac forma Christo in Ecclesia dedicandam.

[*Subscripserunt*] Jean Frijns, ep. Kindu; A. Lefebvre, ep. de Kikwit; F. Lehaen; G. Bouve, ep. Kongolo; U. Morlion, ep. Boudouinville; L. Van Steene, arch. Bukavu; P. Bouckaert, ep. Popokabaka; Louis Jansen, ep. Isangi, J. Wittebols, ep. Wamba; Van den Elzen, praef. ap. Doruma; Ios. Nkongolo, ep. Luebo; Alain Leroy, ep. Kilwa; P. Kimbondo, ep. Kisantu;

L. Nganga, ep. aux. Lisala; J. Mbali, ep. Buta; J. Waterschoot, ep. Lolo; Jan Van Cauwelaert, ep. Inongo; Cucherousset (Bangui); Chambon (Bossangoa); Adam (Libreville); Bernard (Brazzaville); Véniat (Fort Archambault); Dalmais (Fort Lamy); Messmer (Madagascar); Fauret (Pointe Noire); Jouneaux.

133

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIS MASSILIENSIS

Animadversiones generales.

Hoc novum caput placet, eo quod:

a) Ad mentem revocat omnes ad sanctitatem vocatos esse, distinctis vocationibus cuique personalibus a specifico statu religioso, cuius tamen indoles magis esset praefinienda.

b) Sanctitatem ad caritatem religat, hoc tamen praesupposito quod perfectionis studium in tota vita theologali per exercitium virtutum evangelicarum de natura est caritatis.

c) Sanctitatis Christi exemplum iure merito saepe memoratur. Optabile tamen videretur, si fortius assereretur omnis sanctitatis fontem in Christo residere (cf. S. Pauli doctrinam) eiusque efficaciam a Spiritu Sancto fulciri.

d) Sanctitas demum cuiusque personalis vocationis ad totius Ecclesiae sanctitatem refertur (nota Ecclesiae). Qui tamen sanctitatis Ecclesiae communitarius aspectus in meliorem lucem poni deberet, in quantum est simul et medium perveniendi ad sanctitatem et effectus sanctitatis personalis.

e) Baptismum aliaque sacramenta fontes et media demonstrantur sanctitatis. Magis tamen asserendae essent Eucharistiae partes, in quantum signum et alimentum est nostrae sanctitatis in unione cum Christo.

Animadversiones particulares.

N. 28, pag. 16: *Prooemium*: bonus illius capitis conspectus, in duas divisi partes.

N. 29, pag. 16, lin. 15: loco « auctor et consummator », scribere « Auctor et Consummator ». In mentem revocare textum S. Pauli (*Rom.* 13, 14) et alios textus isti respondentes, qui ostendunt Christum fontem esse omnis sanctitatis.

Lin. 18: post textum citatum *Mt.* 5, 48, lex referatur Levitica: « Sancti estote, quia ego, Deus vester, Sanctus sum ». Hic desideratur definitio magis completa sanctitatis. Haec certe tendit ad perfectionem caritatis, sed in unione mysterii Christi mortui et resuscitati, quod, importat simul mortificationem et infusionem vitae et omnium virtutum evangelicarum exercitium, praesertim vero paupertatis, secundum cuiusque statum.

Lin. 33: post « eius vestigia sequentis », addendum est: « et in eius imaginem transformati ».

N. 30, pag. 19, linn. 1-7: ex hoc pulcherrimo loco, in quo sanctitas cuiusque christiani in quadam dependentia sanctitatis episcopi et cleri ponitur, in meliorem lucem poni posset nullam scilicet inveniri sanctitatem christianam, ubi non est adhaesio ad Ecclesiam.

Linn. 15-23: explanatio magni momenti de sanctitate in matrimonio. Cavendum tamen ne existimetur sanctitas res esse nonnisi sacerdotum et coniugatorum, sed potius omnium cuiusque status (caelibes), aetatis (senes et iuniores), valetudinis (infirmi). Omnes enim ad sanctitatem vocati sunt, unusquisque secundum suam specificam conditionem. Dicitur certe lin. 24 « pro omnibus christifidelibus »; quaedam autem enumeratio otiosa hic non esset.

Linn. 26-29: pulcherrima definitio sanctitatis, cuius melior locus videtur esse n. 29.

Linn. 29-32: radicale ligamen, quo uniuntur sanctitas Ecclesiae et sanctitas christifidelium, clare notatur.

N. 31, pag. 19, lin. 34 usque ad pag. 20, lin. 1: melius videtur si supprimeretur locus iste. Iterum enim exponit quod iam dictum est de sanctitate et de eius relatione ad caritatem.

Notandum esset quaestionem hic agi de exercitio consiliorum evangelicorum in quodam statu particulari, et ab Ecclesia probato, ad quem quis a Deo *vocatur* (« quibus datum est... » *Mt.* 19, 11). Status religiosus specificus est in Ecclesia. Vita religiosa non solo exercitio complectitur trium consiliorum evangelicorum, et ceterum, paupertatis definitio omnibus convenit christianis.

Melius forte esset si hic praecise determinaretur in quo consistat status religiosus, diversis in unum collectis elementis ex quibus constat, et quae dispersa inveniuntur nn. 31-36: fructus scilicet cuiusdam divinae vocationis (cf. n. 32, pag. 21, lin. 6); status existens in Ecclesia (cf. n. 31, pag. 20, linn. 29-31) sub suis diversis formis; status ab Ecclesia approbatus (cf. n. 32, pag. 20, lin. 39 ad pag. 21, lin. 8); identificatio cum Christo, paupere, virgine, oboediente (cf. nn. 32 et 35); fons sanctitatis et servitii in Ecclesia (cf. n. 31, pag. 20, linn. 27-35; n. 33, pag. 21, linn. 23-29; nn. 35 et 36); valor eschatologicus status religiosi (cf. not. ad nn. 33 et 35).

In hoc sensu, titulo illo n. 31, pag. 19: « De mediis... evangelicis » res utiliter pressius exprimi deberet, ut clarius indicaretur hic agi de altera parte eiusdem capitis, et concinniter ostenderetur quaestionem hic haberi de statu religioso « lato sensu », omnia resumendo quae dicuntur in prooemio, n. 28, pag. 18, linn. 9-12.

N. 32, pagg. 20-21. Pag. 20, lin. 37 ad pag. 21, lin. 3: meliorem locum haberet n. 31. Pag. 21, linn. 4-8: evolvendum prout in priore schemate.

N. 33, pag. 21, « de momento... »: ad memoriam revocandum esset statum religiosum de structura esse Ecclesiae, per illud quod est suum proprium

propositum, sanctificationem scil. hominum, quae est finis proprius Ecclesiae; et per alium hunc eiusdem scopum, laudem scil. divinam quo ordinatur ad virtutem religionis; et demum, per naturam eschatologicam virginitatis (cf. *Mt.* 19-12; *Mt.* 22, 30; *1 Cor.* 7, 25-40).

Linn. 13-17 reportandae essent in fine eiusdem n. 33, modo tamen *positivo,* et non tantum optativo.

N. 34, pag. 21: merito fit hic mentio de iure « exemptionis », propter primatum Romani Pontificis, sed etiam de obligatione qua tenentur religiosi exempti, sese submittendi episcopo dioecesano.

Quorum, praedicti iuris scil. et huius obligationis, perutile videretur si daretur hic ratio essentialis: quae non tantum residet in aspectu iuridico (cf. pag. 22, linn. 14-15), sed in eo quod Papa centrum est et famulus unitatis corporis episcopalis, sicuti revera est totius Ecclesiae.

Hic opportune citaretur pulcher *1 Thess.* 5, 13 locus, quo invitatur ad caritatem semper maiorem erga praepositos Ecclesiae, quod est verum principium reverentiae eis debitae; et etiam remoraretur invitatio ad oboedientiam *Heb.* 13-17. Per suam unionem cum episcopo locali et Papa, religiosi actu perficiunt suam unitatem cum Ecclesia.

Valor spiritualis huius doctrinae utiliter ad memoriam revocandus esset. Siquidem non est solummodo et ante omnia disciplinaris.

N. 35, pag. 22-23: titulus ambiguus est. Non enim consiliis evangelicis quis Deo consecratur, sed votis et promissis. Melius dici videretur: « Aestimanda est vita Deo consecrata in statu *professionis* consiliorum evangelicorum ».

Linn. 29-32: iure memoratur vitam religiosam Ecclesiae, sponsae Christi, assimilari. Hic autem aspectus constitutivus valoris virginitatis confirmari posset, seu verbis liturgicis Praefationis in consecratione virginum, seu locis *Apoc.* 21, 2; 22, 9-11; et *Eph.* 5, 25-31 (valor eschatologicus virginitatis).

Primus paragraphus istius n. 35 connecti posset n. 32, de natura status religiosi; secundus vero, n. 36.

N. 36. *Conclusio,* pag. 23, lin. 11: « Christum... in monte *contemplantem* ». Vocabulum dissentit textui evangelico, et contemplatio Christi sine cessatione erat. Melius diceretur: « In monte *orantem* ».

Post lin. 14, introducatur textus n. 35, linn. 33 s., de diffusione animi in vita religiosa.

Finalis exhortatio, linn. 15-19, acrius instans maioris esset ponderis. Quin sit triumphalis, talis esse debet tamen, quae omnium utriusque sexus in religione degentium, animum fidemque erigat, ratione testimonii quod perhibent et apostolatus sui in mundo evangelizando.

134

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

Helvetiae episcoporum nomine loquor, venerabiles Patres, primo de sanctitate Ecclesiae, secundo de religiosis in ambitu sanctae Ecclesiae.

De sanctitate non nisi relate ad hierarchiam et ad eos qui ab ea pascuntur, cap. IV tractat. Hoc sufficere non videtur, quia Ecclesia non est, ut aiunt, societas clausa, sed societas aperta quae respicit omnes oves dispersas quae ad agnitionem veritatis veniunt (*1 Tim.* 2, 4). Etiam, « non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi » (*Act.* 10, 34). Ideo sanctitas iam plus minusve invenitur et recognosci debet non solum in christianis confessionibus sed etiam in omnibus religionibus. Nemo in Ecclesiam intrat qui non iam aliquo modo in Ecclesia vivit.

Ubicumque sancti sunt homines ibi est Deus qui sanctus est et eos sanctificat. Unus est Deus omnium et sancti sunt in omnibus gentibus et nationibus qui eius vocem audiunt et iam constituunt ei regnum sacerdotale et gentem sanctam, id est mysterium populi cuius Deus Dominus est et quem misit, Iesus Christus. Eo autem sanctiores sunt homines quo intimius per Spiritum Sanctum in sancta Ecclesia Iesu Christo coniunguntur de cuius plenitudine nos omnes accepimus, qui seipsum sanctificavit ut simus et ipsi sanctificati in veritate.

Si Vaticanum II ita de sanctitate loqueretur, magnam admirationem in universo mundo suscitaret. Illa visio vere biblica de Deo qui vult omnes homines salvos facere, id est, sanctos facere, qui nemini gratiam denegat, maximi momenti est pro missionibus, pro oecumenismo, pro manifestatione sanctae Matris Ecclesiae.

Secundo. Optime fit quaestio de religiosis in ambitu totius Ecclesiae sanctae, sed melius ostendendum esset quo modo religiosi Ecclesiae sanctae mysterium illustrent. Nullam in Ecclesia aristocratiam religiosi constituunt, nec ullo modo aequalitati omnium christifidelium oppugnant. Nec matrimonio renuntiando, bona haec temporalia despiciunt, sed e contra, horum bonorum significationem melius notificant. Nam religiosi mundum relinquunt ut mundus salvetur, nuptiis renuntiant maxime diligendo quod nuptiis praenotatur, denique libertatem amittere videntur ut libertate filiorum Dei gaudeant. Religiosi, prout vocationem propriam sequuntur, divisionem removere nituntur, quae est inter ea quae Christi sunt et ea quae mundi sunt ut sic se totum et totaliter Christo, Ecclesiae et generi humano devoveant.

Licet tamen aliqua officia, munera, ordines et status aliis alia meliores sunt, quia maioris boni, numquam comparatio inter personas fieri potest. Soli illi evidenter eminent qui sanguinem suum pro Christo et pro fratribus effundunt, scil. martyres. « Maiorem hac dilectionem nemo habet qui ani-

mam suam ponat pro amicis suis » (*Io.* 15, 13). Quinimmo, probant martyres sanctitatem in omnibus circumstantiis possibilem esse. Nullus enim christifidelis in Ecclesia invenitur qui aliquo medio necessario ad sanctitatem carere dici potest. Sed nihilominus asserendum est tales esse conditiones temporales pro pluribus ut ex parte naturae humanae valde difficilis reddatur vita christiana. Unde omnes christifideles et tota Ecclesia ad conditiones hominum dignas parandas obligantur. Sed minime dicatur quod abnegatio illa quam religiosi vovent, naturae et personae humanae aliquid detrahit. E contrario, consiliorum professio genus humanum spirituali vigore roborat et Ecclesiam eo sanctiorem reddit.

Emendationes propositae.

N. 28 loco linn. 1-3: « In Ecclesia cuius mysterium Sancta Synodus sollemniter annuntiat, omnes homines, sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, sive sint oves dispersae quae ad agnitionem veritatis veniunt (*1 Tim.* 2, 4) ad sanctitatem vocantur. Deus enim vult omnes homines salvos fieri (*1 Tim.* 2, 4), id est sanctos facere. " Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi " Novissimis autem " Verbum misit Deus filiis Israël adnuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus " (*Act.* 10, 36). Hic est Filius qui... ».

N. 29, ante lin. 13 dicatur: « Unus est omnium Deus et sancti sunt homines quos Deus qui sanctus est, sanctificat (*Lev.* 21). In omnibus nationibus sancti sunt qui vocem eius audiunt et qui ei constituunt regnum sacerdotale et gentem sanctam, id est mysterium populi cuius Deus Dominus est (*Ex.* 19. 5. 6; *Deut.* 7, 6) et quem misit, Iesus Christus. Eo autem sunt sanctiores homines quo intimius per Spiritum Sanctum in sancta Ecclesia Iesu Christo coniunguntur de cuius plenitudine nos omnes accepimus (*Io.* 1, 16). Ipse pro nobis seipsum sanctificavit ut simus et ipsi sanctificati in veritate (*Io.* 17, 19) ».

N. 29, lin. 34, addatur: « inter quos maxime martyres eminent, quia maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (*Io.* 17, 19).

N. 30, lin. 2, post « una sancta excolitur » addatur: « et licet aliqua officia, munera, ordines et status aliis alia meliores sint, quia maioris boni, numquam tamen comparatio inter personas fieri potest nec ullus in Ecclesia aliquo medio necessario ad sanctitatem carere dici potest. Nihilominus tamen conditiones temporales tales esse possunt ut ex parte naturae humanae vita christiana valde difficilis reddatur. Unde omnes christifideles et tota Ecclesia ad conditiones hominum dignas parandas, obligantur ».

N. 33, post lin. 17, addatur: « quin illa abnegatio naturae et personae humanae aliquid detrahat, cum homo sit ad imaginem Dei creatus. Quinimmo consiliorum professio genus humanum spirituali vigore roborat, et Ecclesiam Dei eo sanctiorem reddit ».

N. 33, lin. 25, post « speciali modo coniungant » addatur: « quod nuptiis praenotatur » (*De sacra Virginitate,* Pius XII).

N. 33, lin. 27, post « actuosa opera » addatur: « praesertim opera misericordiae tam spiritualis quam materialis ».

135

PLURIMORUM PATRUM POSTULATA

1. De vocatione ad sanctitatem agatur ubi sermo est « de mysterio Ecclesiae » aut « de populo Dei »: *a*) propter intimam connexionem materiae; *b*) ut dentur tunc notiones et principia generalia postea applicanda singulis fidelium categoriis; *c*) ut videatur *practice* vocationem ad sanctitatem non reservari religiosis.

2. Affirmata substantiali unitate sanctitatis in se absolute consideratae, quatenus scilicet est ontologica et moralis unio cum Christo, cum eadem evidentia declaretur illam sanctitatem prout a singulis participatur, modis et gradibus diversam esse, secundum propriam uniuscuiusque vocationem divinam, mensuram donationis Christi et personalem cooperationem gratiae.

3. Ampliore et clariore modo suo loco tractetur de typica vocatione ad perfectionem et sanctitatem ad quam episcopi et sacerdotes vocantur, qui per consecrationem speciali modo Christo et Ecclesiae uniuntur et adsociantur; ex quo fit ut eorum status in Ecclesia differat a statu laicorum. Item suo loco clare agatur de perfectione typica ad quam coniugati ratione sacramenti matrimonii vocantur.

4. Doctrina circa praestantiam status virginitatis vel caelibatus supra statum coniugalem, in Sacra Scriptura ac perenni traditione Ecclesiae affirmata et a Concilio Tridentino sollemniter definita (cf. can. 10, sess. XXIV, Denz. 980) disertis verbis enuntietur.

5. De religiosis tractetur in proprio capite et sub titulo proprio:

a) propter locum specialem qui religiosis in Ecclesia ex eiusdem constitutione competit;

b) ob maximum momentum praesentiae religiosorum in Ecclesia et eorundem typicam functionem in ipsa;

c) ut in tali capite *omnes aspectus* praesentiae in Ecclesia eorum qui consilia evangelica effective profitentur exponi possint: igitur ex professo etiam tractetur de illis qui in communi viventes totam vitam Christo in Ecclesia dedicant, sed aut aliqua tantum, aut sola temporanea, aut nulla vota emittunt. Tandem debito modo etiam tractetur de Institutis saecularibus.

6. Quantum ad materiam in hoc capite exponendam, sequentia inter alia desiderantur:

a) expresse affirmetur origo divina « consiliorum evangelicorum »;

b) clare dicatur *praxim effectivam* et totalem consiliorum, *perpetuis* votis firmatam, implicare et exigere exercitium, quandoque heroicum, mul-

tarum virtutum, quod a solo *spiritu* consiliorum vel in aliis vitae christianae formis nec implicatur nec exigitur. Haec insuper praxis effectiva et totalis consiliorum, non modo est praxis specialium mediorum sanctificationis, sed e contrario praesupponit et requirit *amorem indivisum* erga Deum et proinde amorem qui ab amore diviso differt.

Ideoque dicatur talem praxim consiliorum *per se* constituere statum perfectioris imitationis Christi et profundioris cum ipso conformationis.

c) *Valor ecclesiologicus* status religiosi non adaequate describitur si ad religiosorum apostolatum externum fere unice attenditur: principale enim momentum vitae religiosae in eo est quod religiosi, per indivisam donationem sui Christo in Ecclesia factam, arctiore modo adsociantur ad opus Redemptoris qui per paupertatem, virginitatem et oboedientiam usque ad crucem homines redimere et sanctificare voluit. Praecise autem ex hoc holocausto quod totam viam amplectitur, Ecclesiae spiritualis thesaurus augetur et eius apostolatus ditissime foecundatur.

d) Status religiosi *valor ecclesiologicus* proinde deprimitur si asseratur eum « imprimis valorem signi habere ». Utique status religiosus etiam valorem signi et testimonii habet, tamen hic valor haudquaquam principalis vel unicus est: nam status religiosus non ideo valorem habet quia signum est, sed ideo signum est, quia valorem habet, valorem nempe sanctificativum et redemptivum.

e) Ecclesia multiformiter ditatur ex spiritu et fine singulis Institutis religiosis proprio, quorum proinde integra conservatio in bonum permagnum ipsius Ecclesiae cedit. Quare persuasum nobis est hac in re rationem habendam esse *tum* magnorum beneficiorum quae pro tot operibus Ecclesiae, et speciatim pro missionibus, promanaverunt ex sana religiosorum disponibilitate ad nutum Romani Pontificis qui plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam habet; *tum* etiam necessitatis ut superiores religiosi, ad maius totius Ecclesiae bonum, subditos suos secundum constitutiones et spiritum Instituti proprii dirigere ac unitatem vitae interioris et apostolatus exterioris tutari ac promovere valeant.

Quae omnia suo quoque modo valent de illis qui tria vota perpetua non emittunt, sed in communi viventes totam vitam Christo in Ecclesia consecrant.

7. Caput de religiosis redigatur a commissione mixta, hoc est a commissione composita e membris commissionis conciliaris de fide et moribus et commissionis conciliaris de religiosis.

[*Subscripserunt*] em.mi DD. cardd. Ferretto, Liénart, Gilroy, Spellman, de Arriba y Castro, Giobbe, Cento, Caribi y Rivera, Richaud, Rugambwa, Quintero, Landazuri Ricketts, Larraona, Bea; beat.mi patr. Gori, Vieira Alvernas; exc.mi arch. Achar, Acciari, Adazzi, Aldegunde, Dorrego, de Pinho, Ambrosi, Antezana y Rojas, Assaf, Athaide, Bassoul, Bentivoglio, Bernard, Bukatko, Capozi, Castellano, Chaves, Cornelis, Cucherousset, Da Cunha Vasconcelos, Dalmais, Djajasepoetra, De Almeida, Del Rosario, De Proença,

D'Souza, Evangelisti, Ferro, Golland Trindade, Arbelàez, Grauls, Graffin, Heery, Hermaniuk, Kerketta, Kinsch, Kiredjan, Kozlowiecki, Labrador, Lacchio, Lefebvre, Leonard, Maalouf, Manek, Mansourati, Maranta, Marinoni, Markall, Mathias, Mihayo, Modrego y Casàus, Oleachea Loizaga, Parecattil, Perantoni, Perez Silva, Périer, Perraudin, Philippe, Pollio, Porter, Radossi, Rakotomalala, Ramanantoanina, Rezende Costa, Rodrigues Ballòn, Ryan, Santos, Sartre, Strebler, Thoyer, Toutoungi, Uluhogian, Van den Hurk, Van der Burgt, Van Miltenburg, Varthalitis, Vermeiren, Vuccino, Wolff, Youakim, Zoa, Zoungrana, Bernal Ortiz, Ferreira da Silva, Habozian, Kuo, Lòpez Aviña, Lòpez Estrada, Paternain, Pulido Mendez; exc.mi epp. Abasolo y Lecue, Adam Franc., Adam Jean, Agniswami, Amadouni, Ammann, Anasagasti, Angelini, Arduino, Argaya Goicoechea, Arkfeld, Arnoud, Arroyo Valerianus, Arthurs, Agustin, Aurrecoechea Palacio, Arango Henao, Baldini Carolus, Bampi, Barbisotti, Barneschi, Baroni Augustinus, Battaglierin, Battistelli, Baud Alphonsus, Baud Ioseph, Bayet, Begin, Beitia Aldazábal, Beltramino, Benedetti Tarcisius, Benítez Fontúrvel, Bergamin, Bertoli, Bessone, Bilgeri, Billington, Boghaert, Bonamin, Bonhomme, Borecky, Borgatti, Bossi, Bouckaert, Bouque, Bouve, Bowers, Brandao De Castro, Brellinger, Bretault, Broers, Bueno Couto, Bühl, Buis, Butler, Buyse, Caliaro, Canonne, Catarzi, Cavallera, Cayer, Ceól, Cesana, Chedid, Cheng Tien-Siang, Chilouet, Chiriboga, Chizzini, Cialeo, Cibrián Fernandez, Cioli, Ciuchini, Cléret de Langavant, Cobben, Compagnone, Corboy, Coroli, Coronado Florentius, Coscia, Costantini, Côté, Coty, Courtemanche, Cousineau, Cristea, Crivellari, Crous y Salichs, Cuniberti, D'Almeida Trindade, Dalton, Dalvit, Daly, Daubechies, D'Amato, Da Veiga Coutinho, D'Aversa, David, Deane, De La Fuente, Del Campo y de la Bárcena, Demets, Demont, Dereere, De Sa Leão e Seabra, De Saboia Bandeira de Mello, De Sousa David, Dettmann, De Uriarte, De Vito, De Wilde, D'Mello Raymundus, Doggett, Dos Santos Garcia, Dubbelman, Dud, Duschak, Eccher, Echeverria, Elorza Legaristi, Espiga e Infante, Esteves Dias, Etrillard, Etspueler, Fady, Farah Augustinus, Faresin, Fauret, Fenech, Fernandez Perez, Ferrando, Ferroni, Field William, Filippini, Fitzgerald William, Franco Franciscus, Fresnel, Fürstenberg, Gagnor, Galindo Mendoza, Ganguly, Garavito, Garcia Secundus, Garcia Rodriguez, Gaumain, Geise, Ghiglione, Giraldo Restrepo, Gleeson Franciscus, Gomes Junqueira, Gomez Marijuan, Gómez Villa, Gonçalves da Costa Ernestus, Gonzalez Ruiz, Gottau, Granados Garcia, Grau y Arola, Graziano, Greif, Grent, Grimm, Grueter, Guffens, Guibert, Guilly, Guiot, Gurpide Beope, Haelg, Haene, Hagarty, Hagendorens, Hall, Hascher, Hermelink, Hipolito, Hippel, Hoang Van Doan, Hodapp, Hoffman Bernardinus, Holmes Siedle, Holtermann, Horsthuis, Houlihan, Hubert, Jacq, Jansen Louis, Janssen Franciscus, Jobidon, Katkoff, Kelleter, Kémérer, Kenally, Keuppens, Könner, Kowalski Rembertus, Kramer, Krause, Kuijpers, Kurteff, Kurz, Laberge, La Brie, Lacoursière, Lamont, Landersdorfer, La Ravoire Morrow, Larose, Larrañaga Lasa, Larribeau, Laudadio, Le Breton, Lecuona

Labandibar, Lefebvre Andreas, Lehaen, Le Huu Tu, Lemay, Leroy, Lima dos Santos, Liston, Loewenau, Loosdregt, Lopez Ortiz, Lucas Martinus, Lueck, Lui, Luna, Magliacani, Magliano, Mangers, Manning Thomas, Manresa Formosa, Mansilla Reoyo, Maradan, Marchesi, Martenetz, Martinez Angelus, Martinez Aguirre, Martinez y Dalmau, Mason, Mazé Ioannes, Mazzarella, Mazzieri, McBride, McCarty William, McCauley, McEleney, Mekkelholt, Melas, Melendro, Melotto, Messmer, Michelato, Micheletto Pelanda, Minali, Molin, Mongeau, Morlion, Muniz, Murphy Thomas, Nepote-Fus, Newman, Niccolai, Niedhammer, Noser, Nuer, Ocampo Berrio, Ochoa, O'Gara, Olbert, Olano y Urteaga, Olazar Muruaga, O'Loughlin, Oste, Pailloux, Pasini, Patroni, Paz, Peiris, Person, Pezzullo, Pflaum, Piasentini, Piazera, Picachy Lawrence Trevor, Piché, Piérard Henricus, Pinger, Pintado, Pinto, Plumey, Pont y Gol, Posada Pelaez, Puset, Quintanilla, Rajaonarivo, Rancans, Raspanti, Re, Reiterer, Rendeiro, Rodriguez Gamoneda, Roig y Villalba, Romero Manuel, Romoli, Rosario, Rosenhammer, Rouanet, Routhier, Roy, Russo Innocentius, Ryan Iacobus, Sani, Sanschagrin, Sansierra, Savaryn, Schilling, Schlotterback, Schmitt Adolphus, Schmitt Carlos, Schuck, Scozzina, Senner, Serrano Pastor, Sevrin, Shanley, Sillekens, Silveira de Mello, Sipovic, Sloskans, Smith Eustachius, Solà y Farrell, Soudant, Spiess, Spiller, Stella Ubaldus, Stemper, Streit, Swamidoss Pillai, Tabera Araoz, Talleur, Terzi, Testa, Thijssen, Tielbeek, Tigga Leo, Tissot, Tobar Gonzales, Torres Alphonsus, Trapani, Trudel, Truong-cao-Dai, Tscherrig, Turner, Ungarelli, Urbšs, Valdes Supercaseaux, Van Bekkum, Van den Bosch, Van den Tillaart, Vanderkerckhove, Van der Westen, Van Heijgen, Van Hoeck, Van Melckebeke, Vanni, Vanuijtven, Van Velsen, Vásquez Díaz, Velasco, Véniat, Verfaillie, Verhille, Verhoeven, Verwimp, Villa Gaviria, Vollaro, Waterschoot, Weber Carolus, Weigl, Westermann, Wildermuth, Wittebols, Xenopulos, Zarranz y Pueyo, Zarza, Zohrabian, Alba Palacios, Alcaraz Figueroa, Azzolini, Barni, Bassi, Cachet, Cambiaghi, Chabukansha, Corripio, Cortes Pérez, Esser, Ferreira Arreola, Gazza, Hernandez Hurtado, Koppmann, Maillat, Mayer, McSorley, Phakoe, Pietrulla, Quintero Arce, Sahagun de la Parra, Sanchez Tinoco, Szymanski Ramirez, Temiño Saiz, Tirilly, Van den Bronk, Glennie, Gonçalvez da Costa Ioseph, Lorscheider, Cognata, Gran, O'Shea; rev.mi prael. null. Alonso Aparicio, Alvarez, Armas, Gauci, Grotti, Metzinger, Nicolau, Pechillo, Wiesen; rev.mi abb. null. Coggin, Gavazzi, Gomez, Groner, Mezza, Michler, Weber, Zilianti; rev.mi praef. ap. Alban of Blackburn, Arango, Bodewes, Boerkamp, Breen, Calzolari, Chambon, Chantoux, De Hornedo, De Reeper, Desperben, Dettmer, Dunne, Fahy, Ferrara, Ferreira, Gamboa, Hillerich, Ireland, Kinch, Koenig, Maleddu, Malenfant, McGarry, Moretti, Murphy, Pessers, Previtali, Quint, Van Beurden, Venceslaus de Ss.mo Sacramento; rev.mi superiores generales Adrover C.R., Alberione S.S.P., Almarcégui O.R.S.A., Anastasius a Ss.mo Rosario O.C.D., Bliestle M.S.F., Boeris C.R.S., Boschetti C.S.I., Braunstorfer S. Ord. Cist. Congregationis Austriae, Brechter O.S.B. Congregationis Ottiliensis, Briani

F.S.C.I., Buckley S.M., Buckley O.S.F.S., Calmels O. Praem., Capucci Ord. Bas. Alepp. Melk., Charles Raphael F.M.S., Clemens a Milwaukee O.F.M. Cap., Cornelli O.S.B. Congregationis Silvestrinae, Degrijse C.I.C.M., De Palma S.C.I., De Santis Aloysius O.M.D., Deschatelets O.M.I., De Terris S. Ord. Cist. Congregationis Senanqu, Dufault A.A., Dutil J. M.S., Fernandez, O.P., Fini C.P.S., Fiorina I.M.C., Gabriel-Marie Inst. Instr. Christ. S. Gabr., Gaddo I.C., Gaudreau C.SS.R., Gut O.S.B., Hage Athanasius Ord. Bas. S. Ioh. B. Melk., Harika Ord. Ant. S. Isaiae Maron., Healy O. Carm., Hess O.S.B. Congregationis Helvetico-Americanae, Hoffer S.M., Houdiard R.S.V., Huot S.S.S., Janssens S.I., Kielt Soc. S. Col., Kleiner S. Ord. Cist., Lalande C.S.C., La Velle C.P., Linenberger C.PP.S., Lovey C. Mont. Iov., Michael a Iesu Ord. SS. Trin. Red. Capt., Möhler S.A.C., Mondé S.M.A., Montà O.S.M., Moscatelli S. Ord. Cist. Congr. S. Bernardi in Italia, Navarro Allende O. de M., Pagani O.M.V., Piersanti CC.RR.MM., Prou O.S.B. Congregationis Gallicae (Solesmensis), Raimundus Gabriel Maria SS. Sacramenti O.F.E. Disc. S.A., Riha O.S.B. Congregationis Austriae, Rubio O.E.S.A., Salvini C.V.U.O.S.M., Savarese Ord. Min., Scrivano Franciscus Congr. Presb. Doct. Christ., Schweizer S.D.S., Schweiger C.M.F., Schütte S.V.D., Schot B., Sépinski O.F.M., Slattery C.M., Soetemans C.S.S. Lat., Strittmatter O.S.B. Congregationis Americanae, Sudres C.S.V., Systermans SS.CC., Tomek Sch. P., Torbay O. Lib. Maron., Tranfaglia Abbas Nullius Montevergine, Tumler Ord. Teut., Van Engelen S. Ord. Cist. Congregationis Belgae, Van Kerckhoven M.S.C., Vanier Fr. S.C.I., Vimercati F.I.C. Procurator Generalis, Welykyi Ord. Bas. S. Iosaphat, Youakim Saba Ord. Bas. Melk., Zambarbieri Div. Pr., Ziggiotti Soc. S. Fr. Sal.

CONGREGATIO GENERALIS LX

5 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LX

5 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 60 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Durante hac congregatione generali distribuetur fasciculus continens emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitas super schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine.*

Pariter, durante hac congregatione, distribuetur liber continens *Orationes S. Caroli.* Hic liber heri, in Cappella Papali, distributus est Patribus; itaque illi, qui iam acceperunt librum, habeant suum exemplar, nam exemplaria sunt numerata, et quae remanent sunt pro ceteris Patribus, qui heri non potuerunt adesse Cappellae Papali.

Hodie, de mandato em.morum moderatorum incipiet disceptatio circa schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine.* Post relationes, verbo uti petierunt circa prooemium et cap. I schematis em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia, Iacobus McIntyre, arch. Angelorum in Stat. Foed. Americae Sept., Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India, Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia, Michaël Browne; exc.mi DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis in Italia, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco, Narcissus Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania, Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia, Ludovicus de Bazelaire, arch. Chamberiensis in Gallia, Paulus Correa, ep. Cucutensis in Columbia, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico, Petrus Kalwa, ep. Lublinensis in Polonia, Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania, Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada, Petrus Dib, ep. Cahirensis in Aegypto.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA DECRETI DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM
[5] REGIMINE *

1. [*Introductio*]. Animarum salus, lex in Ecclesia Christi suprema, semper prae oculis est habenda cum de pastorali ministerio fit sermo, atque adeo cum de officio agitur episcopali, quo « *nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius* »[1] iam S. Augustinus asserere non dubitavit.

---

* 1. In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

2. Schema decreti *De episcopis ac de dioeceseon regimine,* in periodo praeparatoria apparatum, non fuit Patribus distributum. Inveniri potest in: *Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum. Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur. Series tertia.* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 67-180.

Novum schema *De episcopis ac de dioecesium regimine* (Typis Polyglottis Vaticanis 1963) ad Patres missum est, die 22 aprilis 1963, una cum schemate decreti *De cura animarum* (Typis Polyglottis Vaticanis 1963): cf. *Appendix,* pp. 753-828.

Episcopi ergo cum peculiaribus praeficiantur ecclesiis tamquam veri pastores, de omnium sibi commissarum ovium salute « *quasi rationem reddituri* »,[2] tales in munere gerendo ipsi se habeant, sicque eorum iurisdictionis potestas asseratur, roboretur ac vindicetur [3] oportet, ut finem illum divinum efficientissima qua possint ratione consequi valeant. [5]

Itaque, quo aptius expeditius fructuosius evadat episcopalis muneris exercitium, haec quae sequuntur, de Episcopis ac de dioecesium regimine Sacrosancta Synodus enuntiat, statuit atque decernit.

NOTAE

[1] S. Augustinus, *Epist. ad Valerium* 21: PL 33, 88.
[2] *Heb.* 13, 17.
[3] Conc. Vat. I, Const. Dogm. *de Eccl. Christi,* cap. 3: Denz. 1828.

Caput I [6]

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET SACRAS ROMANAE CURIAE CONGREGATIONES

2. [*Prooemium*]. Censet Sacrosancta Synodus peropportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis Orientalis Ecclesiae, Episcopi in posterum iure communi stabiliter habeant plures facultates hucusque, iustis de causis, Apostolicae Sedi vel Patriarchis Orientalibus servatas. Quod vero ad necessitudines attinet Episcopos inter ac Sacra Romanae Curiae Dicasteria, percupit ut eadem ita componantur, ut magis in dies haec Episcopis in regendis dioecesibus auxilio sint praesto, et illi vicissim, utpote Apostolorum successores, in apostolico Ecclesiae universalis munere perfungendo in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti dignoscantur.[1]

Placet igitur Sacrosanctae Synodo ita statuere et decernere.

I - DE EPISCOPORUM FACULTATIBUS

3. [*Principium fundamentale*]. § 1. Firma semper in omnibus Romani Pontificis potestate sibi causas reservandi quas ipse, sive ex rei natura sive ad Ecclesiae unitatem conservandam,[2]

[6] pro locorum temporumve adiunctis ad se avocare iudicaverit, Episcopi residentiales iure communi omnes habeant facultates,[3] quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat. Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae amplificentur; inter alias, eas habeant quae in Appendice ad hoc caput recensentur.

§ 2. Episcopi omnes, etiam mere titulares, stabiliter iis fruantur facultatibus, quae characteris episcopalis dignitati congruunt.

[7]

II – DE PRAXI SACRARUM CONGREGATIONUM RELATE AD EPISCOPOS [4]

4. [*Principium fundamentale*]. In exercenda sua in universam Ecclesiam suprema ac plena iurisdictionis potestate, Romanus Pontifex sacris utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum omnium ecclesiarum et in servitium eorumdem Sacrorum Pastorum. Itaque mutuae relationes quae inter Sacra Dicasteria et Episcopos necessario vigent, praeter administrativam indolem illud potissimum supernaturale caritatis vinculum referant oportet, quo et caput et corpus Episcopalis Collegii intime inter se connectuntur.

Iamvero Sacri Pastores, ob auctas in regendis dioecesibus difficultates, exoptant ut Romanae Curiae Dicasteria magis in dies augeant suum, quod praestant, efficax atque multiplex erga Episcopos auxilium, qua consilio qua ope; scilicet sive Episcoporum auctoritatem roborando eorumque dignitatem vindicando, sive Apostolicae Sedis mentem illis diserte pandendo, sive peculiaria Officia vel Commissiones, quatenus opus erit, constituendo quae, viris peritis undequaque adscitis, in studium incumbant difficillimarum et gravissimarum quaestionum hodierni ministerii pastoralis in diversis Nationibus.

5. [*Episcopi in Sacrarum Congregationum consilium cooptandi*]. Nonnulli Episcopi diversarum Nationum, a Conferentia Episcopali Nationali designandi, ab Apostolica Sede nominentur Membra vel Consultores Sacrarum Romanae Curiae Congrega-

tionum a quibus, statis temporibus, convocentur ad commune [7] bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda.[5]

NOTAE

[1] Cf. Conc. Later. IV, Sess. XI, *Super religiosos et eorum privilegia*: Mansi 32, col. 970. - Pius XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 39, 1957, p. 237.

[2] Cf. S. Thomas, *Summa contra Gent.,* IV, 76.

[3] Consulto Schema Decreti verbis utitur quae ex se abstinent a significando *titulo* quo facultates, de quibus fit sermo, sint Episcopis recognoscendae. Haec enim quaestio, cum indolis sit theologicae, in constitutione [8] dogmatica *de Ecclesia* tractatur.

[4] Quae in hoc articulo proponuntur omnino nova sunt.

[5] Iam diuturna est praxis Sacrarum Congregationum utendi, sive stabiliter sive ad actum, consilio et doctrina peritorum ecclesiasticorum undique adscitorum. Nihilominus per nn. 4 et 5, vi decreti conciliaris, satis fit plurium sacrorum Pastorum petitionibus ut Romana Curia magis in dies « internationalis », ut dicitur, evadat.

Caput II [9]

DE EPISCOPORUM COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

6. [*Prooemium*]. In regendis dioecesibus duae, inter alias, eaeque graves saepe occurrunt difficultates. Quarum altera ex eo proficiscitur quod Episcopus, infirmitate vel provecta aetate gravatus aut alia gravi causa praepeditus, suo officio, sicut oportet, explendo impar evadit; altera vero ex eo quod Episcopus, viribus licet validus ac potens, nequit, ob nimiam dioecesis amplitudinem vel nimium incolarum numerum vel peculiaria apostolatus adiuncta, per se ipse episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere.

Iamvero prior difficultas ordinarie non aliter superanda esse videtur quam per generosam valdeque meritoriam Episcopi a munere renuntiationem; altera vero per dioecesis divisionem aut dismembrationem. Tamen si, competentis auctoritatis iudicio, neutrum in casibus particularibus fieri possit, saltem Coadiutoris et Auxiliaris instituta ita iure communi definienda ac congruentibus facultatibus instruenda sunt ut, salva dioecesani regiminis unitate, eorum activitas efficacior reddatur et dignitas characteri episcopali inhaerens magis in tuto ponatur.

[9] Quapropter haec quae sequuntur Sacrosancta Synodus statuit ac decernit.

7. [*Notio Coadiutoris et Auxiliaris*]. Coadiutor datur Episcopo cum iure successionis; Auxiliaris vero datur Episcopo sine iure successionis.[1]

8. [*Facultates Coadiutoris*]. § 1. Coadiutori, vi officii, ea in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, cum iisdem facultatibus, competit quae iure communi ad vicarium generalem spectat, nulla tamen facta Episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi.

§ 2. Ampliores facultates in casibus particularibus possunt Coadiutori a Sede Apostolica, aut a competenti auctoritate pro Orientalibus, concedi vel ab Episcopo coadiuto committi.[2]

[10] 9. [*Relationes inter Coadiutorem et Coadiutum*]. Coadiutor Episcopo coadiuto semper obsequium ac reverentiam exhibeat; in omnibus negotiis maioris momenti eum consulat; curet denique ita in munere suo se gerere ut unitas regiminis dioecesani sarta tecta habeatur.

Vicissim autem Episcopus coadiutus Coadiutorem fraterne diligat, existimatione prosequatur, ei in munere obeundo faveat, et in omnibus negotiis maioris momenti eum consulere ne omittat.[3]

10. [*Relationes inter Coadiutorem et vicarium generalem*]. § 1. Cum potestas Episcopi coadiuti integra ex se maneat, ipse poterit vicarium generalem sibi constituere, praesertim ad Curiam dioecesanam administrandam.[4]

§ 2. Nisi aliud in casibus particularibus in litteris quibus Coadiutor constituitur provisum fuerit, Vicarius Generalis etiam ad Coadiutorem praecipua acta Curiae referat eumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam.

Caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem non solum Episcopi coadiuti sed etiam Coadiutoris.[5]

11. [*Quandonam Auxiliaris expostulandus sit*]. § 1. Si ob peculiarem dioecesis condicionem bonum animarum id exigat, ne renuat Episcopus a competenti auctoritate Auxiliarem expostulare.

§ 2. In casu nimiae territorii amplitudinis vel nimii incolarum numeri, Episcopus satagat ut competens auctoritas dioecesim dividat vel dismembret, aut saltem unum pluresve Auxiliares concedat.[6] [10]

12. [*Facultates Auxiliaris*]. § 1. In Litteris quibus Auxiliaris constituitur, eiusdem iura et officia definiantur eique facultates concedantur quae necessariae videantur ad munus rite adimplendum.

Quodsi in Litteris constitutionis provisum non fuerit, velit Episcopus Auxiliari suo necessarias et opportunas facultates committere, quibus Auxiliaris non solum in pontificalibus peragendis sed etiam in administranda universa dioecesi officium suum efficaciter explere valeat. Episcopus autem habitualiter aliis ne deleget quae Auxiliaris potest et vult per se exercere.

§ 2. Ampliores facultates in casibus particularibus possunt [11] Auxiliari a Sede Apostolica, aut a competenti auctoritate pro Orientalibus, concedi vel ab Episcopo committi.[7]

13. [*Relationes inter plures Auxiliares*]. Si plures in dioecesi constituti fuerint Auxiliares, curetur ut singuli ad distinctas dioecesis partes deputentur vel distinctis officiis dioecesanis praeficiantur.[8]

14. [*Relationes inter Auxiliarem et Episcopum*]. Munus suum Auxiliaris exerceat sub omnimoda dependentia ab Episcopo residentiali, nihilque magni momenti agat nisi eo consulto et probante.[9]

15. [*Facultates Auxiliaris sede vacante*]. § 1. Nisi aliud a Sede Apostolica, aut a competenti auctoritate pro Orientalibus, in casibus particularibus provisum fuerit, cum Episcopi residentialis munere non exspirant potestas et facultates quas Auxiliaris obtinuit a Litteris constitutionis.[10]

§ 2. Optandum est ut, sede per mortem aut renuntiationem aut translationem vacante, munus Administratoris Apostolici vel Patriarchalis aut Vicarii Capitularis, nisi aliud graves rationes suadeant, committatur Auxiliari, vel ubi sint plures, uni ex Auxiliaribus.[11]

16. [*Quandonam commendanda sit Episcopi renuntiatio*]. § 1. Si Apostolicae Sedis vel, pro Orientalibus, competentis

[11] auctoritatis iudicio, recto dioecesis regimini neque per Coadiutorem neque per Auxiliarem seu Auxiliares congruenter provideri possit, Episcopi residentiales ceterique in iure ipsis aequiparati qui, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem [12] aliamve gravem causam, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, enixe rogantur ut, ob Dei atque animarum amorem, sua ipsi sponte renuntiationem ab officio faciant.[13]

§ 2. A munere episcopali renuntiantibus congruens providebitur sustentatio etiam, si casus ferat et ipsis placuerit, per alicuius consentanei officii collationem. Illis insuper peculiares honores vel privilegia concedentur [14] iisdemque ius sepulchri erit in episcopali conditorio dioecesis, cuius ultime gubernationem gesserint.

[12] NOTAE

[1] Una cum novissimo Orientalium Codice (cf. *de Clericis,* can. 417 § 2) simplicior redditur verborum usus in hac materia quatenus, sepositis distinctionibus in iure latino receptis inter « *sedi datum* » et « *personae datum* », inter « *cum iure successionis datum* » et « *sine iure successionis datum* », *Coadiutor* sic et simpliciter proponitur vocandus ille qui cum iure successionis constituitur, *Auxiliaris* vero qui sine iure successionis. Uterque datur « Episcopo »: ille potissimum, at non exclusive, intuitu personae, quando scilicet Episcopus sit infirmitate vel aetate gravatus neque renuntiationi sit locus; hic vero potissimum, at non exclusive, intuitu sedis, quando nempe dioecesis sit nimis magna neque dividi aut dismembrari queat. Unde, etiam novis simplicioribus adhibitis vocabulis, plena servatur agendi libertas Apostolicae Sedis, aut competentis auctoritatis pro Orientalibus, quippe cui integra maneat copia ampliandi, iuxta concretas necessitates, Coadiutoris et Auxiliaris facultates (cf. nn. 8 § 2 et 12 § 2), necnon dandi Episcopo infirmo aut senescenti Coadiutorem vel Auxiliarem, et Episcopo magnae sedis Auxiliarem seu Auxiliares vel Coadiutorem, immo simul et Auxiliarem seu Auxiliares et Coadiutorem.

Abrogatur CIC can. 350 §§ 2-3.

[2] Abrogantur CIC can. 351 §§ 1-2 et CICO, *de Clericis,* can. 418 § 1 n. 2 et § 2.

[3] De hac re nihil habetur neque in CIC neque in CICO.

[4] Hanc nacti occasionem votum promunt Patres ut in recognoscendis CIC et CICO ita figura iuridica vicarii generalis, seu syncelli, reformetur ut, praeter ipsum, aut etiam loco ipsius, Episcopus valeat unum pluresve vicarios (quos, claritatis gratia, « vicarios episcopales » vocandos proponunt) constituere quibus, vi officii, sit iurisdictio *ordinaria* in determinata *tantum* dioecesis parte, vel in determinato *tantum* negotiorum genere.

[5] Cf. CIC can. 369.

[6] De hac re nihil habetur neque in CIC neque in CICO.

[7] Hic melius definiuntur quae habentur in CIC can. 351 §§ 3-4 et CICO, *l. c.*, can. 418 §§ 3-4. [12]

[8] Nihil habetur de hac re neque in CIC neque in CICO, plura tamen apud probatos Auctores.

[9] Nihil habetur de hac re neque in CIC neque in CICO.

[10] Abrogantur CIC can. 355 §§ 2-3 et CICO, *l. c.*, can. 421 § 2.

[11] Schema Decreti haec duo vitare contendit: 1) ne Auxiliaris, qui intuitu sedis potissimum constituitur, scilicet ob permanentes dioecesis necessitates, quavis potestate sede vacante expolietur, cum damno ipsius dioecesis et non sine detrimento honoris characteri episcopali debiti; 2) ne Capitulum Cathedrale maximarum dioecesium, in quibus semper Auxiliaris invenitur, iure eligendi Vicarium Capitularem practice in perpetuum privetur. Non desunt tamen Patres qui censeant Auxiliarem, ratione dignitatis characteri episcopali inhaerentis, non solum sede plena ipso iure vicarium generalem constituendum fore, sed etiam ipso iure Administratorem Apostolicum sede vacante.

[12] Aetas ingravescens generatim censenda videtur post septuagesimum quintum expletum annum. [13]

[13] De hac difficili quaestione, de qua nihil habetur neque in CIC neque in CICO, silendum non est visum, non tantum quod de ea exspectatio quaedam est inter laicos et clericos, sed quia revera ad rectum dioecesium regimen spectat. Nihil tamen rigidi aut « burocratici », ut dicunt, per Schema Decreti proponitur; nihil quod Episcoporum dignitatem et paternam indolem dedeceat; nihil denique quod a suavi usitata agendi ratione Apostolicae Sedis dissentiat.

[14] Inter alia haec privilegia concedi poterunt:

a) induendi cappam magnam;

b) gestandi mozetam supra mantelletum;

c) pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus ecclesiis, sed de consensu Ordinarii si ecclesia sit cathedralis;

d) benedicendi populo.

CAPUT III [14]

DE NATIONALI EPISCOPORUM COETU SEU CONFERENTIA [1]

17. [*Prooemium*]. Quamvis unusquisque Episcopus, sub Romani Pontificis auctoritate, sit proprius, ordinarius atque immediatus pastor in dioecesi sibi commissa, summopere tamen expedit ut omnes eiusdem Nationis Episcopi in unum Coetum seu Conferentiam confluant statisque temporibus simul conveniant ad rem catholicam in universo suo territorio, collatis consiliis, fructuosius et efficacius promovendam atque ordinandam.[2]

[14] Hac enim inter Episcopos eiusdem Nationis communicatione apud omnes constat quantum in assequenda experientia inque usu rerum alius alium perficiat, maior reddatur regiminis dioecesium similitudo, et inde christifidelium admiratio vitetur ex diversa, atque etiam interdum contraria, Episcoporum agendi ratione oritura; quantum praeterea ecclesiastica disciplina roboretur, catholica res provehatur, ipsaque Episcoporum auctoritas apud civilia Gubernia vel acatholicos viros augeatur.[3]

Quapropter Sacrosancta Synodus harum Episcoporum Conferentiarum summa saltem iuridica lineamenta communiter in hunc, qui sequitur, modum definienda statuit.

I – DE CONFERENTIAE CONSTITUTIONE

18. [*Conferentiae constitutio et statuta*]. § 1. Praeter Concilia plenaria, quae opportuno tempore legitime celebrari possunt,[4] et Concilia provincialia, decimo saltem quoque anno ad normam iuris celebranda,[5] stabiliter in unaquaque Natione constituatur et ab Apostolica Sede recognoscatur Nationalis Episcoporum Conferentia.

§ 2. Unaquaeque Nationalis Episcoporum Conferentia peculiaribus regi debet statutis, ab ipsa Conferentia conficiendis et ab Apostolica Sede probandis.

§ 3. Ubi peculiaria adiuncta id postulent, poterunt Episcopi
[15] plurium Nationum, Apostolica Sede probante, praeter nationales Conferentias aut etiam earum loco, unam internationalem Conferentiam constituere, cuius statuta, quantum fieri poterit, huius Decreti normis aptari debebunt.[6]

II – DE CONFERENTIAE MODERAMINE

19. [*De iis quibus Conferentiae interesse competit*]. § 1. Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, vicariis generalibus exceptis, necnon et Episcopi Coadiutores de iure et cum suffragio deliberativo ad Nationalem Episcoporum Conferentiam pertinent.

§ 2. Ex peculiaribus statutis etiam Episcopi mere titulares, in Natione degentes, possunt in Nationalem Episcoporum Conferentiam cooptari, in eoque suffragio deliberativo aut consultivo tantum frui.

§ 3. Licet omnibus et singulis Praesulibus, de quibus in [15]
§ 1, ius sit ut Conferentiae Nationali personaliter, et quidem cum voto deliberativo, intersint, tamen si ob nimium eorum numerum vel aliam gravem causam, ab Apostolica Sede recognoscendam, impossibile vel etiam difficilius sit ut iidem omnes et singuli revera Conferentiae participent, in peculiaribus Statutis decernatur quid agendum sit eum in finem ut mens et vota omnium Praesulum innotescant.

20. [*Consilium et Commissiones constituendae*]. E gremio uniuscuiusque Conferentiae constituantur:

§ 1. Consilium permanens, ex aliquibus Praesulibus constans, quod ipsam Conferentiam repraesentet in omnibus causis et negotiis eidem concreditis;

§ 2. Commissiones Episcopales, quae peculiaribus negotiis praeficiantur et res in Conventu plenario tractandas parent. In has Commissiones cooptari poterit quilibet Episcopus sive residentialis sive titularis.

21. [*Secretariatus generalis*]. Constituatur insuper Secretariatus generalis in servitium Conferentiae Episcoporum.

III – DE CONFERENTIAE DECISIONIBUS [16]

22. [*Principium generale*]. Firmo praescripto n. 24, decisiones prolatae ab Episcopis, in Conferentia Nationali legitime coadunatis, debita reverentia ab unoquoque Episcopo accipiantur et ad effectum deducantur, ut unitas foveatur et bonum commune in universa Natione promoveatur.[7]

23. [*De Episcopo contra decisiones agente*]. Episcopus in casu aliquo particulari ob graves rationes contra decisiones Conferentiae in sua dioecesi agere intendens, antea scripto certiorem faciat Conferentiam per ipsius Praesidem de suis agendi rationibus.

24. [*Quandonam decisiones etiam iuridice obligent singulos Episcopos*]. § 1. Decisiones Nationalis Episcoporum Conferentiae, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatae sint necnon ab Apostolica Sede recognitae fue-

[16] rint, singulos Episcopos etiam iuridice obligant in his, qui sequuntur, dumtaxat casibus:

a) quando agatur de peculiaribus rebus quae sive iure communi sive speciali Apostolicae Sedis mandato Nationali Episcoporum Conferentiae pertractandae ac resolvendae commissae fuerint;

b) quando agatur de declarationibus maioris momenti publice faciendis nomine Nationalis Episcoporum Conferentiae; [8]

c) quando agatur de rebus cum Gubernio civili tractandis, quae totam attingant Nationem; [9]

d) quando gravitas rei exigat communem omnium Episcoporum agendi rationem simulque duae saltem ex tribus partibus Praesulum cum voto deliberativo adstantium iudicent decisionem ipsam esse vi iuridica pro omnibus communiendam.

§ 2. Contra decisiones de quibus supra datur recursus ad Apostolicam Sedem, at in devolutivo tantum.

[17] IV – DE RELATIONIBUS INTER CONFERENTIAS EPISCOPALES DIVERSARUM NATIONUM

25. [*Relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum*]. Foveantur relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum ad maius bonum tuendum.[10]

NOTAE

[1] Institutum Conferentiarum Nationalium non commemoratur neque in CIC neque in CICO, dum e contra commemorantur Conventus Episcoporum Provinciales saltem quinquennales (CIC can. 292) et Collationes Provinciales annuales (CICO, *de Clericis,* can. 351). Pluries tamen Romani Pontifices Nationales Episcoporum Coetus adprobaverunt et amplissimis verbis laudaverunt, eorum annuam celebrationem commendantes.

Verbi gratia:

Pius IX, Ep. *Maximae quidem,* ad Episcopos Bavariae, 19 aug. 1864: *Acta Pii IX,* pars I, v. III, p. 674.

Leo XIII, Ep. *In ipso supremi,* ad Episcopos Austriae, 3 martii 1891: *Acta Leonis XIII,* vol. XI, p. 35; Ep. *Pastoralis vigilantiae,* ad Episcopos Lusitaniae, 25 iunii 1891: *ib.,* vol. XI, p. 207; Ep. *Delectati summopere,* ad Episcopos Peruviae, 22 augusti 1902: *ib.,* vol. XXII, p. 177; Ep. *Litteras a Vobis,* ad Episcopos Brasiliae, 2 iulii 1894: *ib.,* vol. XIV, p. 228;

Ep. *Inter graves,* ad Episcopos Peruviae, 1 maii 1894: *ib.,* vol. XIV, p. 133, etc. [17]

PIUS X, Ep. *Sollicite vehementer,* ad Episcopos Lusitaniae, 5 maii 1905: *Acta Pii X,* vol. II, p. 42; Ep. *Magnopere Nos,* ad Episcopos Peruviae et Americae Latinae, 24 septembris 1905: *ib.,* vol. II, p. 172; Ep. *Diligentia ipsa,* ad Episcopos Bavariae, 30 aprilis 1911: *A.A.S.,* 3, 1911, p. 264 etc.

BENEDICTUS XV, Ep. *Communes Litteras,* ad Episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 10 apr. 1919: *A.A.S.,* 11, 1919, p. 171.

PIUS XI, Ep. *Communes accepimus,* ad Episcopos Australiae, 12 februarii 1923: *A.A.S.,* 15, 1923, p. 108; Ep. *Perlibenti,* ad Episcopos Lusitaniae, 14 maii 1923: *A.A.S.,* 15, 1923, p. 339; et passim in Epistulis ad Episcopos diversarum nationum in unum convenientes missis.

Index Conferentiarum Episcoporum, quae novissimis hisce annis constitutae sunt, exstat in Annuario Pontificio 1963, pp. 796-801.

[2] In quibusdam Romanorum Pontificum documentis enumerantur speciminis causa, quaestiones et negotia quae in Episcoporum Conferentiis pertractentur. Verbi gratia:

In Instructione *Quo constet firmius*: De conventibus Sacrorum Antistitum in Ditionibus Austriaci Imperii, 22 iulii 1898, haec leguntur: « Res ad deliberandum hae maxime congressuris proponantur: — christiana populi eruditio, atque institutio iuventutis; — fidelium gregis suis pastoribus [18] coniunctio arctior et adhaesio; — Seminariorum cultus et incrementa; — catholicae studiorum universitatis erectio; — catechismus ab episcopis nove conficiendus et coniunctim edendus (Breve Pii Pp. IX, 5 octobris 1855); — Ecclesiae iurium et bonorum tuitio; — Summi Pontificis strenua auctoritatis et libertatis vindicatio; — ephemeridum aliarumque vulgatarum curatio scriptionum; — matrimonii christiani religio et sanctitudo; — monialium et cleri utriusque disciplina provehenda; — laicorum sodalitia ad pietatem et caritatem fovenda utiliora; — inviolata festorum custodia; — romanae liturgiae urgenda aequalitas; — lustrationis dioecesanae, synodorumque, iuxta Tridentinas leges, instauratio; — conditionis opificum, agricolarum, emigrantium sollicitudo; — socialis, quam nominant, et popularis causae studium; — militum cultura religiosa; — petriana stipes; — sacris item missionibus, servitudinis extintioni, conferenda subsidia; — communia scripta vel acta, ad utilitates rei cum sacrae tum civilis, unanimi pastorum consilio edenda; — alia demum id generis negotia, quibus rite expediendis, non modo proficuam, verum etiam necessariam esse agendi et sentiendi concordiam omnino compertum est omnibus » (*Acta Leonis XIII,* vol. XVIII, p. 98).

[3] Cf. PIUS XII, *Allocutio* ad Em.mos Patres Cardinales atque Exc.mos Sacrorum Antistites, 2 novembris 1954: *A.A.S.,* 46, 1954, p. 675.

[4] In Codice I. C. nunc vigente nec obligatio statuitur nec tempus praefinitur celebrationis Concilii plenarii, quae solummodo fieri posse dicitur « petita venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum » (can. 281).

In Ecclesia Orientali Concilium plenarium non celebratur, sed in CICO, *de Personis,* can. 340 § 3 decernitur: « Episcopi ceterique Hierar-

[18] chae plurium rituum in Synodum convenire possunt, obtenta licentia a Romano Pontifice qui locum celebrationis Synodi determinat, et suum Legatum designat ad Synodum convocandum eique praesidendum ».

[5] Ob evidentem utilitatem hic innovantur CIC can. 283 et CICO, *de Clericis,* can. 344, qui Concilia huiusmodi requirunt vigesimo saltem quoque anno.

[6] Id iam habetur in actu apud quasdam Nationes. Exemplum prioris speciei est CEDAC, scilicet Conferentia Episcopalis Americae Centralis et Panamae; alterius vero speciei est Conferentia Scandinaviae.

Quin immo nihil prohibet quominus, in peculiaribus adiunctis (v. gr. ob nimiam extensionem alicuius Nationis, vel ob notabilem condicionum diversitatem inter partes territoriales unius eiusdemque Nationis) constitui possint, Apostolica Sede adprobante, plures Episcopales Conferentiae in eadem Natione, quae eodem iure regantur ac Conferentiae Nationales.

[7] Unusquisque Episcopus, pro sua prudentia et discretione, normas seu decisiones, de quibus in n. 22, in Conferentia Nationali Episcoporum latas, vi iuridica in propria dioecesi fulcire potest.

[8] Tales plerumque considerari possunt declarationes quae publicam opinionem valde commovere valeant fideliumve admirationem gignere, aut quae nimium a recepta communi agendi vel sentiendi ratione discrepent, aut quae cum declarationibus de eadem materia a finitimis Episcopo-
[19] rum Conferentiis forte latis pugnent, et his similia. Ceterum in particularibus statutis casus concreti harum decisionum poterunt praevideri, iuxta peculiaria adiuncta uniuscuiusque Nationis.

[9] Ex. gr. talia sunt negotia de re scholari, administrativa, de morali usu iurium civilium, et his similia.

[10] Relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum opportunis et congruentibus mediis haberi poterunt per earumdem Conferentiarum Secretariatus et inter alia haec praesertim spectare poterunt:

a) communicare praecipuas agendi rationes praesertim in re et actione pastorali;

b) transmittere scripta vel folia, quae decisiones Conferentiae referant vel acta seu documenta, quae ab Episcopis communi consilio edantur;

c) significare varia apostolatus incepta, a Conferentia Episcopali proposita vel commendata quaeque utilia esse possint in casibus similibus;

d) proponere graviores quaestiones, quae hodiernis temporibus et in particularibus adiunctis maximi momenti esse videantur;

e) indicare pericula vel errores in propria Natione serpentia, quae in alios etiam populos irrepere possint, ita ut apta et opportuna media adhibeantur ad illa praecavenda vel auferenda vel coarctanda, et his similia.

Caput IV [20]

DE DIOECESIUM AC PROVINCIARUM ECCLESIASTICARUM CONGRUENTI CIRCUMSCRIPTIONE

26. [*Prooemium*]. Quo melius cleri populique christiani bono et ipsi recto dioecesium regimini prospiciatur, apta et congruens curanda est dioecesium circumscriptio. Quare cavendum est ne, ob nimiam territorii amplitudinem vel nimium incolarum numerum, Episcopi impares sint personaliter, uti opus est, singulos sacerdotes singulasque paroecias eorumque rectores saepius visitare et bene cognoscere ac moderari; at pariter etiam cavendum est ne, ob nimiam territorii parvitatem ac propterea ob consequentem sacerdotum paucitatem opumve penuriam, Episcopi impares sint congruenter consulere innumeris sui gregis difficultatibus et habere sustentareque omnia officia et instituta, quae ad rectum regimen necessaria usu comprobantur.

Item apostolatus hodierni necessitates aptam provinciarum ecclesiasticarum circumscriptionem expostulant, ita ut relationes inter Episcopos Suffraganeos et Metropolitas et cum Auctoritate civitatum faciliores reddantur et apostolatus quaestiones aptiori modo pertractari atque resolvi possint ad animarum necessitatibus efficacius consulendum.

In hisce demum negotiis peragendis spectare oportet non solum ad sacerdotum incolarumque numerum et locorum distantiam, verum etiam ad rituum et stirpis diversitatem, ad communitatis dioecesanae seu provincialis spiritualem cohaerentiam, ad peculiaria adiuncta geographica, socialia, oeconomica, ad historicas traditiones, ad civiles quoque circumscriptiones atque ad pacta forte inita inter Apostolicam Sedem et Status. Itaque Sacrosancta Synodus haec, quae sequuntur, decernit et statuit.

27. [*Principium generale*]. § 1. Dioeceses, quae ratione territorii vel incolarum numeri sint nimis magnae, omnibus adiunctis accurate perpensis, dividantur aut dismembrentur aut novo ordine disponantur; quae vero sint nimis parvae, alii dioecesi uniantur aut supprimantur, vel ex pluribus parvis nova dioecesis constituatur.[1]

[21] § 2. Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones, ubi utilitas id suadet, opportune recognoscantur; provinciae vero in regiones ecclesiasticas componantur.[2]

§ 3. Dioeceses immediate Apostolicae Sedi subiectae, quae neque supprimantur neque alii uniantur ad normam § 1, illi Provinciae Ecclesiasticae sunt aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepiscopi sunt subiiciendae ad normam iuris communis.

28. [*Unio dioecesium*]. § 1. Si duae aut plures dioeceses uniantur unione exstinctiva et ex eis constituatur unica nova dioecesis, una tantum sit Curia episcopalis, una cathedralis ecclesia unumque cathedrale capitulum.

§ 2. Si unio sit aeque principalis, item una sit Curia et sedes episcopalis, nisi Apostolica Sedes vel, pro Orientalibus, competens auctoritas aliter decreverit.

29. [*Fines dioecesium*]. Si, omnibus circumstantiis diligenter consideratis, opportunum videatur fines dioecesium mutare, talis mutatio ita fiat ut uniuscuiusque dioecesis territorium continuum pateat, nec amplius intra territorium unius dioecesis exsistant loca vel paroeciae, quae ad aliam pertineant dioecesim.

30. [*Sedis episcopalis locus*]. Sedes episcopalis seu residentia habitualis Episcopi eiusque Curia, quantum fieri potest, in loco aptiore et commodiore sit, quo facilior clero et fidelibus pateat accessus.

31. [*Dioeceses personales ratione ritus*]. Curandum est ut dioeceses *personales* pro diversitate rituum erigantur ubi plures sint fideles diversi ritus, quibus sufficienter consulere possibile non sit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus.

32. [*Commissio de dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum mutationibus*]. In unaquaque Natione, probante Apostolica Sede, peculiaris ac permanens commissio Episcoporum constitui potest, quae, auditis Episcopis quorum interest, videat si et quaenam immutationes circa dioeceses ac provincias ecclesiasticas sint inducendae, easque Apostolicae Sedis iudicio subiiciat, salvis iuribus Ecclesiae Orientalis.

NOTAE [22]

[1] In regimine Ecclesiae universalis recta et bene ordinata Dioecesium gubernatio maximum habet momentum in bonum cleri populique christiani.

Dioecesis enim, cum sit pars Ecclesiae, quae a Christo Iesu proprii uniuscuiusque Episcopi voce potestateque regitur (PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.,* 35, 1943, p. 211 sq.), in qua proinde tamquam in unitate vitae et regiminis aedificatur Corpus Christi, tales condiciones, imprimis quoad ambitum et numerum fidelium, habeat necesse est ut finis proprius, i. e. salus animarum et bonum Ecclesiae, quam perfecte assequi possit.

Attamen talis finis convenienter obtineri non potest in dioecesi in qua:

— vel propter exiguum fidelium et sacerdotum numerum, institutiones et opera quae pro fructuosa vita et activitate necessaria sunt (ut v. g. Seminarium proprium, Officia Curiae Dioecesanae, moderatio consociationum actionis catholicae et apostolatus laicorum etc.) necnon opes sufficientes sacerdotum et rerum oeconomicarum haberi nequeunt;

— vel propter nimium territorii ambitum aut nimium fidelium et sacerdotum numerum, personalis subditorum cognitio ex parte Episcopi eiusdemque praesentia et actio in variis partibus et campis regiminis dioecesis impossibilis redditur ita ut unitas et efficacia totius apostolatus detrimentum patiatur.

Quapropter opportunum et necessarium apparet ut ad congruentem dioecesium circumscriptionem deveniatur: quod multorum Episcoporum magnopere est in votis.

Necessitas autem novae circumscriptionis dioecesium non ubique eodem modo persentitur, sed praesertim in nonnullis exoptatur regionibus antiquae professionis catholicae, quae iuri communi sunt subiectae.

In primis unicum criterium quoad circumscriptionem nec habetur nec haberi potest; siquidem accurate perpendendae sunt omnes circumstantiae sive temporum sive locorum sive personarum. Sunt enim regiones in quibus Ecclesia iam antiquitus fundata est, quae gaudent civilizatione moderna, cum viis et mediis communicationum quam multis; sunt regiones etiam in quibus fides propaganda est et Ecclesia fundanda, ubi catholici in praesens perpauci sunt; sunt regiones in quibus plures exstant ritus, praesertim in Oriente, ubi plerumque iurisdictio personalis est; sunt denique magnae urbes, praesertim quae caput sunt Nationum, quarum territorium dividere vel dismembrare ut novae constituantur dioeceses inopportunum, immo noxium esse posset.

Salus autem animarum ultro postulare videtur ut huiusmodi immutationes fiant caute et prudenter ne inde suscitetur in clero et populo perturbatio vel seditio contra ecclesiasticas auctoritates. Difficultates enim innumerae, tum geographicae, tum demographicae, tum sociales, civiles et politicae, tum praesertim historicae oriri poterunt in quibusdam nationibus catholicis, ubi multae inveniuntur dioeceses ob historicas vel politicas causas olim erectae, nunc autem supprimendae vel alii dioecesi uniendae. Hisce de causis necessarium esse videtur ut generales normae ab ipsa Oecume-

[23] nica Synodo statuantur, quo securior apparetur via ad optatam meliorem dioecesium circumscriptionem peragendam. Etenim si Concilium Oecumenicum peculiare decretum ediderit, plenior profecto erit Praesulum, quorum interest, collaboratio cum Apostolica Sede et promptior cleri populique christiani adhaesio et oboedientia.

Principia igitur quae in hoc capite traduntur sunt omnino generalia eorumque praecipua Sacrae ipsae Romanae Congregationes plerumque considerare solent, quando huiusmodi negotia pertractant. Sunt etiam nova, quia hic primum proponuntur in iure: in disciplina enim vigenti non habetur nisi indicatio auctoritatis competentis pro hisce negotiis peragendis (cf. CIC can. 215 § 1 et CICO, *de Clericis,* cann. 248 § 1 n. 1 et 328).

[2] Nomine « regionis ecclesiasticae » hic venit unio plurium provinciarum ecclesiasticarum, eum in finem ut efficacius necessitatibus apostolatus prospiciatur. Haec territorialis circumscriptio explicite non commemoratur neque in CIC can. 215 § 1 neque in CICO, *de Clericis,* can. 159, sed insinuatur sive in CIC can. 281 ratione celebrationis Conciliorum plenariorum (unde alicubi « regiones conciliares vocantur), sive in CICO, *de Clericis,* can. 340 § 4, ratione celebrationis Synodi inter Episcopos et Hierarchas plurium provinciarum Patriarchae vel Archiepiscopo non subiectarum. Nullum tamen dubium quod canonica erectio et circumscriptio « regionum ecclesiasticarum » uni supremae ecclesiasticae potestati, de qua in CIC can. 215 § 1 et CICO, *l. c.,* can. 159, competat.

[24]

Caput V

DE PAROECIARUM ERECTIONE DEQUE EARUMDEM CONGRUENTI CIRCUMSCRIPTIONE [1]

33. [*Prooemium*]. Cum sit paroecia dioecesis pars ac vivens veluti membrum,[2] dioecesis veluti cardo, circa quem omnis pastoralis navitas, in eius finibus praestanda, vertitur, instimulatur atque ordinatur,[3] efficacior et fructuosior esse poterit dioecesana gubernatio si iure communi ampliores habuerint Episcopi facultates quoad paroeciarum erectionem et earumdem congruentem circumscriptionem. Nostris enim temporibus videre est quam saepe parvi pagi, progressu oeconomico et sociali invalescente, in magnas excreverint urbes, quam saepe circum veteres urbes perampla coaluerint suburbia, quibus profecto minime sufficere possunt paroeciae antea constitutae; quot e contra paroeciae rurales aut montanae imminutae vel fere desertae, ob fidelium migrationes, evaserint, in quibus proinde, nisi apte inter se uniantur, pastoralis navitas sufficienti carere obiecto videatur.

Quibus ut rite prospiciatur, placet Sacrosanctae Synodo decretum quod sequitur edicere. [24]

34. [*Principium generale*]. § 1. Ut cura animarum rite ac fructuose exerceri possit et parochus suas oves cognoscere valeat, omnino enitendum est ut paroeciae, nimium fidelium numerum aut territorium nimis extensum habentes, apte pro diversis adiunctis dividantur aut dismembrentur.

§ 2. Paroeciae nimis parvae possunt, bono communi dioecesis id suadente, in unam redigi.

35. [*Qua auctoritate id fiat*]. Episcopus valet auctoritate propria, auditis capitulo cathedrali et iis, quorum intersit, si qui sint, praesertim rectoribus ecclesiarum, quaslibet paroecias sive ex novo erigere, sive iam erectas dividere aut dismembrare, inter se unire, earumque fines mutare, quoties id pro animarum bono necessarium vel utile ipsi videatur.[4]

36. [*Paroeciae personales*]. Paroecias personales pro fidelibus diversi sermonis aut ritus aut stirpis, iis in locis ubi iidem plures stabiliter commorantur, Episcopus auctoritate propria, auditis Capitulo cathedrali et parochis consultoribus, erigere valet; immo erigere studeat quoties per vicarium cooperatorem vel missionarium apte et efficaciter eorum cura pastoralis exerceri nequeat.[5] [25]

37. [*Ecclesiae religiosorum pro paroecialibus fungentes*]. Si forte paroeciae propriam non habeant ecclesiam, neque aptus ac decens locus pro ecclesia paroeciali interim adhiberi queat, Ordinarius loci, peculiari conventione ad tempus cum Superiore maiore legitime inita, statuere potest ut parochi ecclesiis religiosorum virorum, etiam exemptorum, utantur veluti si sint ecclesiae paroeciales.

NOTAE

[1] Fere omnia quae in hoc capite proponuntur sunt nova.

[2] PRIMA SYNODUS ROMANA, 1960, art. 101 *d*).

[3] PRIMA SYNODUS ROMANA, 1960, art. 100.

[4] Derogatur CIC cann. 1422, 1423 § 3, 1427 §§ 1-2 quatenus valde extenditur causa canonica sufficiens pro paroeciarum mutationibus peragendis, neque amplius mutationes ex se perpetuae inducuntur, neque Aposto-

[25] licae Sedi amplius reservantur. Denique, saltem quoad paroecias, abrogatur CIC can. 1428 § 2 de irritatione mutationum paroecialium ob defectum causae canonicae.

[5] Derogatur CIC can. 216 § 4 et CICO, *de Clericis,* can. 160 § 4, quatenus ad id negotium non amplius requiritur interventus Apostolicae Sedis.

[27] APPENDIX PRIOR *

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET SACRAS ROMANAE CURIAE CONGREGATIONES

I – DE EPISCOPORUM FACULTATIBUS

ANIMADVERTENDA

Indices, qui sequuntur, digesti sunt iuxta materiae ordinem quem CIC et CICO praeseferunt. In his conficiendis ratio habita est in primis principii fundamentalis per Decretum statuti; sed et quaedam criteria practica, generalia quidem at non minus utilia, prae oculis habita sunt eum in finem ut Episcopis stabiliter et ipso iure eae praesertim recognoscerentur facultates, quibus et fructuosius exercere et clarius christifidelibus ostendere possent sua munera veri pastoris, pontificis ac doctoris fidei in dioecesi sibi commissa. Consentaneum igitur visum est ut Episcopi per se consulere valerent casibus in quibus:

a) facultatem vel gratiam vel dispensationem Apostolica Sedes semper et faciliter concedere hucusque consuevit;

b) ex rei natura vel ex praxi Apostolica Sedes Episcopi notitiam et commendationem tamquam exclusivum aut praecipuum fundamentum hucusque habere voluit in iudicio ferendo de merito petitionis;

c) ex rei natura, nullum adesse potest periculum abusus in facultate utenda;

d) locorum temporumve adiuncta, prope communia ac stabilia, necessario fere continuum redderent Episcoporum recursum ad Apostolicam Sedem.

---

* De quaestionibus, quae in hisce Appendicibus proponuntur, nulla fiet disceptatio in Congregationibus Generalibus, sed unusquisque Pater Conciliaris libere poterit animadversiones suas *scripto* facere easque tradere Secretario Generali Concilii.

Appendices autem, iussu ipsius Sacrosancti Concilii, remittentur una cum omnibus animadversionibus a Patribus prolatis ad Commissionem de reformando Codice I. C. vel ad Sacra Curiae Romanae Dicasteria, quorum interest.

Indices profecto non sunt habendi tamquam completi et taxativi. Integrae igitur manent facultates ex aliis huius Concilii decretis Episcopis forte recognitae. Quinimmo unumquodque Romanae Curiae Dicasterium, prae oculis habitis sive principio fundamentali sive, quatenus opus sit, criteriis practicis supra enuntiatis, curabit ut ex ambitu suae actualis competentiae (cf. CIC cann. 242-264 et CICO, *de Clericis,* cann. 188-210) alias opportunas facultates Episcopis recognoscat et in ius commune transfundat. [28]

Paucae eaeque graviores ex facultatibus hucusque inter « Quinquennales » et « Decennales » recensitis poterunt Nuntiis seu Delegatis Apostolicis vel, quatenus expedire videatur, Episcopis ipsis ad tempus recognosci.

Sic ad effectum deducetur perutilis illa « decentralisatio », quam plurimi Patres, iam inde a Concilio Oecumenico Vaticano I (cf. MANSI, t. 53, p. 339), exoptaverunt quaeque, nedum bono communi aut ecclesiasticae officiat unitati, eis potius favere valebit simulque Sacrarum Congregationum laboribus magnum levamen praestabit.

A) FACULTATES STABILITER ET IPSO IURE EPISCOPIS RESIDENTIALIBUS RECOGNOSCENDAE

Inter alias, ipso iure Episcopi residentiales, stabiliter habeant facultates quae sequuntur:

I – QUOAD NORMAS GENERALES

1. Prorogandi ad breve aliquod tempus facultates, indulgentias, indulta et dispensationes ab Apostolica Sede concessa, quae expiraverint, quin tempestive postulatio pro eorum prorogatione ad Apostolicam Sedem missa fuerit, facta tamen obligatione statim recurrendi ad eamdem Apostolicam Sedem pro gratia aut, si petitio iam facta fuerit, pro responsione obtinenda.

Nihil habetur de hac re neque in CIC neque in CICO.

2. Facultates et privilegia, quibus in bonum fidelium gaudent Religiosi in dioecesi domum habentes, competunt etiam Ordinario loci.

Privilegia particularia ab Apostolica Sede decursu saeculorum religiosis Institutis aliisque aequiparatis concessa, eatenus in vigore servanda

[29] sunt, quatenus bonum spirituale adhuc promoveant. Ideo, intra congruum temporis spatium, ab Apostolica Sede determinandum, ipsius Apostolicae Sedis iudicio submittenda erunt (cf. CIC, can. 613, et CICO, *de Religiosis,* can. 160).

Opportunum autem videtur ut ea privilegia et facultates, quae ad bonum animarum directe ordinantur, etiam Ordinariis participentur seu attribuantur, ne Episcopi videantur minores facultates habere quam Religiosi in eorum dioecesi degentes.

II – Quoad obligationes clericorum

3. Commutandi, ob visus debilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque perdurante, obligationem recitandi divinum officium cum quotidiana recitatione Rosarii B. Mariae Virginis vel aliarum precum.

Nihil habetur de hac re neque in CIC neque in CICO.

4. Reducendi, iusta de causa, ad certas dies vel ad certas partes servitium chorale capitulorum sive cathedralium sive collegialium; necnon singulos capitulares addicendi, perceptis praebendae fructibus dumtaxat non autem distributionibus, ad varia sacri ministerii vel magisterii vel apostolatus opera.

Facultas reducendi servitium chorale Capitulorum hodie reservatur Apostolicae Sedi vel fundationis legibus (CIC can. 413 § 1). Facultas addicendi capitulares ad opera sacri ministerii vel magisterii vel apostolatus notabiliter amplificat causas legitimae excusationis a choro, de quibus in CIC can. 421. De his rebus autem nihil habetur in iure orientali quia Capitula, ubi vigent, reguntur iure particulari: CICO, *de Clericis,* can. 465 § 3.

III – Quoad religiosos

5. Libere ingrediendi et permittendi, iusta et gravi de causa, ingressum in clausuram papalem aut ab eadem egressum.

CIC can. 598 et CICO, *de Religiosis,* can. 141 vetant quominus intra regularium virorum clausuram ingrediantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut condicionis sub quovis praetextu, exceptis uxoribus eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu.

Quoad clausuram regularium mulierum, hic tribuuntur Episcopis quae CIC cann. 600-601 et CICO, *l. c.,* can. 143 reservat Apostolicae Sedi; necnon plures alii casus permissioni Episcoporum relinquuntur.

6. Condonandi, iusta de causa, ex toto vel ex parte dotem religiosarum, etsi agatur de religione iuris pontificii. [30]

Haec condonatio hodie Apostolicae Sedi reservatur vi CIC can. 547 § 4 et CICO, *de Religiosis,* can. 79 § 4.

7. Dispensandi, ad petitionem Superioris competentis, super illegitimitate natalium pro Religiosis in religionem non exemptam admittendis, qui sint sacerdotio destinati.

Si, ut dicetur infra sub n. 14, Episcopus poterit de iure condendo dispensare ab omnibus irregularitatibus ex defectu, a fortiori ei erit recognoscenda facultas dispensandi super illegitimitate natalium relate ad licitam admissionem ad novitiatum (cf. CIC can. 542 n. 2° et CICO, *de Religiosis,* can. 74 § 2, n. 5°). Dicitur « ad petitionem superioris competentis » quia superior aut potest, si vult, ab Apostolica Sede dispensationem impetrare aut, si ex constitutionibus habeat, iure suo uti. In religionibus clericalibus exemptis ordinarie Superiores Maiores hanc habent facultatem ex constitutionibus.

8. Confirmandi etiam ultra tertium triennium confessarium ordinarium religiosarum, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam provideri nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit.

De iure vigenti (CIC can. 526 et CICO, *de Religiosis,* can. 58) facultas Ordinarii loci in hac re restringitur usque ad tertium triennium inclusive.

9. Permittendi transitum ab una ad aliam religionem iuris dioecesani.

Id hodie in iure latino reservatur Apostolicae Sedi (CIC can. 632). In iure vero orientali id Hierarchae loci conceditur, cum licentia Hierarchae loci *ad quem,* audito Superiore religionis *a qua,* et consentiente Superiore religionis *ad quam* (CICO, *de Religiosis,* can. 182 § 3).

10. Dimittendi e dioecesi sodales religiosos, urgente gravissima causa, si Superior religiosus admonitus non providerit, re iudicio Apostolicae Sedi sine mora delata.

Est res omnino nova in iure, minime confundenda cum dimissione « a religione », de qua in CIC cann. 646-672 et CICO, *de Religiosis,* cann. 197-223.

[31] 11. Concedendi religiosis mulieribus facultatem corporalia, purificatoria et pallas prima quoque ablutione purificandi.

De iure vigenti (CIC can. 1306 § 2) laicis, etiam religiosis, id non conceditur nisi prius illa sacra suppellex abluta fuerit a clerico in maioribus ordinibus constituto.

IV – Quoad Sacramenta

12. Concedendi certis quibusdam sacerdotibus, parocho tamen quavis de causa non praesente, facultatem Confirmationis Sacramentum administrandi in periculo mortis, servatis normis ab Apostolica Sede statutis pro sacerdote Confirmationis Sacramentum administrante.

Hic proponitur ut iure communi possint Episcopi facultatem extraordinariam conferendi Confirmationis Sacramentum extendere ad aliquos alios sacerdotes, ab ipsis determinandos, praeter eos qui taxative indicantur in decreto S. Congreg. Sacram. *Spiritus Sancti munera,* 14 sept. 1946 (*A.A.S.*, 38, 1946, pp. 349-358). Inter hos optant Patres ut recenseantur Cappellani nosocomiorum, brephotrophiorum, carcerum etc. In priore redactione textus legebatur « parocho impedito aut absente »; postea vero visum est necessarium hanc clausulam mitigari et melius circumscribi ne ansa praeberetur scrupulis et anxietatibus de validitate Sacramenti ob parochi impedimentum vel absentiam.

13. Dispensandi, iusta de causa, super ordinandorum defectu aetatis, non tamen ultra sex menses.

De iure vigenti (CIC can. 975) etiam ob defectum unius diei recurrendum est ad Apostolicam Sedem.

14. Dispensandi ab omnibus irregularitatibus ex defectu, ab irregularitate ex delicto quae conversis ex haeresi vel schismate incumbit, necnon ab impedimento quo filii acatholicorum adstringuntur quamdiu parentes in suo errore permaneant.

Hodie dispensatio ab omnibus irregularitatibus et impedimentis quoad sacros Ordines reservatur Apostolicae Sedi vel, pro Orientalibus, Patriarchae (CICO, *de Clericis,* can. 265, n. 1°). Episcopus latinus potest dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, n. 4° aliave deducta ad forum iudiciale (CIC can. 990 § 1).

15. Conferendi sacros Ordines etiam extra tempora, diebus ferialibus non exceptis, et etiam extra ecclesiam cathedralem. [32]

Nomine « Sacrorum Ordinum », vi CIC can. 946, hic non venit consecratio episcopalis. De iure vigenti requiritur *gravis* causa ad habendas sacras ordinationes extra tempora, sed semper die dominico aut festo de praecepto (CIC can. 1006 § 3); *iusta* vero causa ad eas extra cathedralem ecclesiam habendas (CIC can. 1009 § 2). In textu amplior proponitur facultas pro Episcopis, cum id multum iuvet ad sacerdotales vocationes fovendas et ad populum christianum de dignitate sacerdotii edocendum.

16. Dispensandi ab omnibus impedimentis matrimonialibus minoris gradus.

Exoptant Patres ut tota materia de impedimentis matrimonialibus penitus recognoscatur, et nonnulla impedimenta abrogentur. Interim Episcopis facultas ordinaria sit dispensandi saltem ab impedimentis minoris gradus (CIC can. 1042 § 2).

17. Sanandi in radice matrimonia invalida ex impedimento disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Apostolica Sede determinandis, et ex defectu formae.

Ex iure condito, in ecclesia latina uni Apostolicae Sedi reservatur sanatio in radice cuiusvis generis (CIC can. 1141). In ecclesia autem orientali Patriarcha facultatem habet sanandi in radice ea tantum matrimonia quae invalida sint ex defectu formae vel ex impedimento a quo ipse dispensare possit (CICO, *de Clericis,* can. 267).

V – Quoad Missae celebrationem

18. Concedendi facultatem Missam iterandi propter penuriam sacerdotum, iusta de causa, diebus etiam ferialibus; item facultatem Missam eodem die ter litandi, ubi vera necessitas adsit, diebus dominicis et festis de praecepto.

Quoad binationem in diebus dominicis et festis de praecepto nihil innovatur; quoad vero binationem in diebus ferialibus et quoad trinationem in diebus festis de praecepto, derogatur CIC can. 806 § 3 statuenti id non esse in potestate Ordinarii loci.

19. Concedendi sacerdotibus oculorum debilitate laborantibus Missam votivam Deiparae Virginis aut Missam defuncto-

[33] rum celebrandi, adhibita, quoties ea indigeant, sacerdotis vel diaconi adsistentia. Concedendi eamdem facultatem etiam sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper adsistentia sacerdotis vel diaconi.

Nihil habetur de hac re neque in CIC neque in CICO.

20. Concedendi sacerdotibus suis sive ad actum sive, graviore tamen de causa, habitualiter privilegium altaris portatilis addita facultate celebrandi, adhibitis tamen debitis cautelis, etiam in mari et in fluminibus.

Privilegium altaris portatilis ita extenditur ut, derogato CIC can. 822 § 3, secumferat facultatem celebrandi, debitis cautelis adhibitis, etiam in mari et in fluminibus. Insuper mutatur CIC can. 822 § 2 quatenus hoc privilegium concedi poterit etiam ab Episcopis, praeterquam iure vel indulto Apostolicae Sedis.

21. Concedendi, iusta et gravi de causa, omnibus sacerdotibus, indulto altaris portatilis fruentibus, facultatem substituendi, loco altaris portatilis seu petrae sacrae, antimensium aut aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo conditae sint Sanctorum reliquiae ab eodem Episcopo recognitae, servatis de cetero servandis iuxta rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporalia.

Nihil habetur de hac re neque in CIC neque in CICO.

22. Concedendi sacerdotibus infirmis aut aetate provectis indultum oratorii privati aut domi celebrandi singulis diebus, etiam sollemnioribus festis, ad normam tamen legum liturgicarum; itemque indultum sedendi dum Missam celebrant, si ob infirmitatem aut provectam aetatem stare non possint, servatis de iure servandis.

Ex iure vigenti (CIC can. 1195) indultum oratorii domestici reservatur Apostolicae Sedi; immo nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, in oratorio domestico non permittitur celebratio Missae in festis sollemnioribus. Quam tamen permissionem Ordinarius concedere potest tantum per modum actus et dummodo iustae adsint et rationabiles causae, diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit.

Quoad indultum sedendi in Missae celebratione nihil habet CIC.

VI – QUOAD CULTUM DIVINUM [34]

23. Deputandi vicarium generalem vel alium sacerdotem in dignitate constitutum ad altaria fixa et portatilia consecranda et ad calices cum patenis consecrandos, servato ritu et forma Pontificalis Romani.

Consecratio horum altarium ex iure vigenti reservatur Episcopis (CIC cann. 1155 § 2 et 1199 § 2). Item consecratio calicis et patenae, ex Rituali Romano, Episcopis est reservata.

24. Concedendi sacerdotibus facultatem erigendi, etiam sub divo, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes Viae Crucis, cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt.

Hic amplificatur facultas concessa Episcopis per CIC can. 349 § 1 n. 1 et per CICO, *l. c.,* can. 416.

VII – QUOAD SEMINARIA

25. Admittendi in Seminarium filios illegitimos, dummodo non agatur de adulterinis aut sacrilegis, si de cetero condiciones ad ingressum in pium locum necessariae habeantur.

Ex iure vigenti (CIC can. 1363 § 1) Episcopus non potest admittere in Seminarium nisi filios legitimos. Sed semel concessa Episcopo, ut supra ad n. 14 dictum est, facultate ordinaria dispensandi super omnibus irregularitatibus ex defectu, consequens est ut cadat vetitum CIC can. 1363 § 1.

26. Admittendi in Seminarium alumnos dimissos ex aliis Seminariis vel ex aliqua Religione, dummodo prius Episcopus etiam secreto a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Revera haec facultas iam conceditur Episcopis a iure (CIC can. 1363 § 3). Sed quoniam de facto nuper sublata est per decisiones Ss. Congregationum de Seminariis et de Religiosis, Patres expostulant ut Episcopis restituatur.

[35] VIII – QUOAD MAGISTERIUM ECCLESIASTICUM

27. Concedendi per se vel per alium licentiam legendi ac retinendi, sub custodia tamen, ne in aliorum manus perveniant, libros prohibitos et ephemerides, eos etiam qui haeresim vel schisma ex professo propugnent, vel etiam ipsa Religionis fundamenta evertere nitantur, singulis christifidelibus sibi subditis, nonnisi tamen cum delectu et iusta ac rationabili causa, iis scilicet tantum, qui eorumdem librorum et ephemeridum lectione sive ad ea impugnanda sive ad proprium munus exercendum, vel iustum studiorum curriculum peragendum, vere indigeant.

De iure vigenti (CIC can. 1402 § 1) Ordinarii licentiam legendi libros prohibitos concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus.

IX – QUOAD ADMINISTRATIONEM BONORUM ECCLESIASTICORUM

28. Reducendi, quamdiu causa perduret, ob deminutionem redituum, ad rationem eleemosynae in dioecesi vigentis, Missas legatorum quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui iure teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum; necnon onera seu legata Missarum gravantia beneficia aliaque instituta ecclesiastica, si reditus beneficii aut instituti insufficiens evaserit ad honestam beneficiarii sustentationem atque simul ad opera sacri ministerii forte beneficio adnexa implenda, vel ad finem proprium ipsius instituti congruenter consequendum.

De iure vigenti ultimarum voluntatum reductio Sedi Apostolicae reservatur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit. Ob imminutos reditus, Ordinarius potest quidem onera aeque imminuere, excepta tamen Missarum reductione quae semper Sedi Apostolicae unice competit (CIC can. 1517).

29. Licentiam concedendi, legitima interveniente causa, sive pro rerum ecclesiasticarum alienatione, oppignoratione, hypotecae nomine obligatione, locatione et emphyteuseos redemptione, sive pro aere alieno contrahendo usque ad eam valoris summam quam Episcoporum cuiusque Nationis Conferentia proposuerit et Apostolica Sedes adprobaverit.

De iure condito (CIC can. 1532 § 1 n. 2) Episcopus competens erat pro valoris summa non excedente triginta millia libellarum; nuperrime,

ex S. Congregationis Consistorialis declaratione, pro valoris summa non excedente decem millia francorum seu libellarum aureorum (Decretum diei 13 iulii 1951: *A.A.S.,* 43, 1951, pp. 602-3). [36]

B) FACULTATES STABILITER ET IPSO IURE OMNIBUS EPISCOPIS, ETIAM MERE TITULARIBUS, RECOGNOSCENDAE

Inter alias, ipso iure omnes Episcopi, etiam mere titulares, stabiliter facultates habeant quae sequuntur:

1. Audiendi ubique terrarum confessiones, etiam religiosorum utriusque sexus.

Est aliquid novi pro Episcopis sive ritus latini sive orientalis.

2. Absolvendi ubique terrarum ab omnibus peccatis, etiam reservatis, una excepta delatione qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos; necnon absolvendi ubique terrarum, pro externo quoque foro, ab omnibus censuris etiam reservatis, exceptis: *a*) censuris ab homine; *b*) censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis; *c*) censuris adnexis revelationi secreti S. Officii; *d*) excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservata contra clericos in sacris constitutos omnesque cum illis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes.

Est aliquid novi pro Episcopis sive ritus latini sive orientalis. Quoad exceptionem sub littera *d*) positam videatur Decr. *Lex sacri coelibatus* diei 18 apr. 1936: *A.A.S.,* 28, 1936, p. 242; et Decl. S. Paenit. diei 4 maii 1937: *A.A.S.,* 28, 1937, p. 283.

3. Conservandi in proprio sacello Ss.mam Eucharistiam.

Nihil de hac re neque in CIC neque in CICO.

4. Verbum Dei ubique praedicandi, loci Ordinario expresse non renuente.

Haec facultas iam possidetur ab Episcopis (CIC can. 349 § 1 n. 1 et CICO, *de Clericis,* can. 416), sed loco clausulae « cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci », hic ponitur clausula emollita.

[37]

APPENDIX ALTERA

DE PRAXI SACRARUM CONGREGATIONUM RELATE AD EPISCOPOS

Quaedam vota proponuntur circa praxim Ss. Congregationum relate ad Episcopos:

1. [*De competentia Ss. Congregationum*]. Desideratur ut competentia uniuscuiusque Sacri Dicasterii ad simpliciorem ambitum reducatur, ita ut quaestiones minoris momenti, necnon negotia quae unam tantum Nationem attingunt, Episcopis relinquantur sive singulis sive in Nationalem Conferentiam coadunatis.

2. [*De ratione procedendi Ss. Congregationum*]. Plurimorum Patrum est in votis ut:

a) recognoscatur, et ad mentem hominum aetatis nostrae magis accommodetur modus procedendi Ss. Congregationum;

b) bene distinguantur viae administrativae a viis iudiciariis;

c) Episcoporum postulationibus plene et, quantum fieri potest, sollicite responsum detur, omnino praetermissis quibusdam olim usitatis formulis quae nunc fere intelligi non possunt;

d) quotiescumque negotium aliquod competentiam attingat duorum vel plurium Sacrorum Curiae Romanae Dicasteriorum, cuidam Commissioni Mixtae, iuxta diversos casus opportune constituendae, deferatur, ita ut principium « *De negotiis mixtis in Commissionibus Mixtis pertractandis* » statuatur et vigeat.

3. [*De relationibus ab Episcopis faciendis*]. Relationes scriptae ad Apostolicam Sedem statis temporibus mittendae minuantur, simplificentur, unificentur et coordinentur.

4. [*Acta Sedis Apostolicae cum Episcopis tempestive com-
[38] municanda*]. Antequam in diariis vel ephemeridibus evulgentur, acta et decreta Sacrarum Congregationum Ordinariis locorum, quantum fieri potest, nota fiant.

5. [*Quaedam « taxae » abolendae*]. « Taxae », quae dicuntur, in negotiis alienationis et quando aes alienum contrahitur ad providendum dioecesis vel piarum causarum necessitatibus, aboleantur.

2 – EMENDATIONES

A CONCILII PATRIBUS SCRIPTO EXHIBITAE SUPER SCHEMA DECRETI

DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE *

Hic fasciculus Patribus distributus est die 5 novembris 1963, in congregatione generali LX.

ANIMADVERSIONES GENERALES

1 – Ad cap. I, Art. II, nova addatur Sectio:
De Commissione Centrali seu Coordinationis, ad modum Commissionis Concilii constituenda, cuius munia essent: 1) bonum totius Ecclesiae promovendum; 2) unionem inter Curiam Romanam et Ecclesias particulares fovendam; 3) coordinationem inter Dicasteria Romana ponendam ([*Satoshi*] NAGAE, Ep. Urawaensis).

2 – Dentur quaedam principia generalia quoad regimen sive spirituale sive temporale dioecesium, postea pressius determinanda in legislatione canonica (RAIMONDI, Arch. tit. Tarsensis).

3 – Schema connectatur cum tractatu de Episcopatu in schemate de Ecclesia (Episcopi Prov. Aquensis, Avenionensis et dioec. Massiliensis; Quidam Patres Conciliares Africae Centro-Orientalis).

4 – Semper sit sermo de « Ecclesiis Orientalibus », non de « Ecclesia Orientali ». Et cum agitur de Ecclesia universa dicatur « Ecclesia catholica » non Ecclesia Orientalis et Occidentalis (GORI, Patriarcha Latinus Hierosol.).

5 – Principium collegialitatis Episcoporum parum apparet (Conf. Ep. Neerlandica).

6 Titulus incompletus (Ordinarii Indonesiani).

7 – Titulus sit: « De dioecesium regimine » (Episc. Prov. Aquensis etc.).

---

* Textus integri, a Patribus ad Concilii secretariam generalem missi, referuntur in *Appendice,* pp. 829-925.

8 – Vel: « De Episcopis in dioecesium regimine » ne putetur hic agi de figura dogmatica et iuridica Episcopi (CARLI, Ep. Signinus).

9 – Vel: « De Episcoporum munere regendi » (BAUDOUX, Arch. S. Bonifacii).

N. 1. [*Introductio*]

10 – p. 5, l. 1: loco: « Lex in Ecclesia », dicatur: « finis Ecclesiae Christi supremus » (BROWNE, Ep. Galviensis et Duacensis).

11 – l. 3-5: « quo ... non dubitavit », deleantur: est rhetorica (BROWNE; Episcopi Prov. Aquensis etc.).

12 – l. 10-11: Legatur ut sequitur: « ... sicque eorum regiminis potestas missioni suae pressius cohaereat, proindeque roboretur oportet » (BAUDOUX).

13 – post l. 12: addatur: « Ut magis idonei ad officium episcopale semper eligi possint abroganda est quaevis nominatio, praesentatio vel interventus civilis potestatis » (BROWNE).

14 – l. 11: Supprimatur verbum « vindicetur » (Episcopi Regionis Meridionalis Galliae).

15 – l. 13-16: Melius ita dicatur:

« Ut aptius, expeditius et fructuosius exerceri valeat Episcoporum munus, quale in schemate de Ecclesia nuper denuo claruit, praecipue quoad unitatem Collegii Episcoporum sub Petro, Sanctae Synodo sequentia visum est statuere de modo se habendi Episcoporum:

1) Ad Sedem Apostolicam;

2) Inter se, per Conferentias Nationales et meliores in territoriis partitiones;

3) In ipsa sua dioecesi, quoad cooperatores episcopales et quoad pastoralem divisionem » (Episcopi Regionis Meridionalis Galliae).

CAPUT I

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET SACRAS ROMANAE CURIAE CONGREGATIONES

16 – p. 6: Titulus ita mutetur: « De rationibus inter Episcopos et Curiam Romanam » (ut comprehendantur etiam Tribunalia et Officia).

Item, p. 7: « De praxi Curiae Romanae relate ad Episcopos ». Voces « Sacra, Sacrum, etc. » abrogentur in his casibus (PRZYKLENK, Ep. Januariensis).

17 – « De Episcoporum regimine » (BAUDOUX).

N. 2. [*Prooemium*]

18 – Principium generale statuendum: « Episcopum in sua dioecesi gaudere usu pleno omnium iurium sui muneris, utique sub Romano Pontifice exercendo... Ideo omnes limitationes huius iuris vel eius usus... abrogentur... » (Quidam Episc. Africae Orientalis).

19 – « Curia Romana est primario Episcoporum adiutrix et non tutrix... Potestas episcopalis ligatur in multis... » (COUDERC, Ep. Vivariensis in Gallia).

20 – Augeantur iura et privilegia Episcoporum, etiam titularium (MEOUCHI, Patriarcha Maronitarum).

21 – Prooemia in breviorem formam redigantur (WELYKYJ, Sup. Gen. Ordin. Basilianorum).

22 – l. 3: « Salvis iuribus ac privilegiis Orientalis Ecclesiae »: optanda paritas inter Episcopos Orientales et Occidentales; immo iura ac privilegia Ecclesiae Orientalis determinanda, ut vitetur arbitrium (PETRUS XVI BATANIAN, Patr. Ciliciae Armenorum).

23 – l. 4: Potius quam de facultatibus dicatur de iuribus Episcoporum (Quidam Patres Africae Orientalis).

24 – l. 3-4: Omittantur verba: « in posterum » et « stabiliter » (WELYKYJ).

25 – l. 5: Opponitur Sancta Sedes Patriarchis Orientalibus? Estne Sancta Sedes Patriarchatus Occidentalis? cf. etiam p. 9, l. 29-30; p. 11, l. 23 (SEITZ, Ep. Kontumensis).

26 – l. 3 et 5: Caveatur ne minuatur dignitas patriarchalis (SCAPINELLI, Arch. tit. Laodicensis ad Libanum; MEOUCHI).

27 – l. 3-6: Videtur haberi contradictio cum dicitur: « Salvis iuribus ac privilegiis Orientalis Ecclesiae », et paulo post: « Episcopi in posterum ... Patriarchis Orientalibus reservata » (MEOUCHI).

28 – l. 11: « Ut Episcopi partem habeant in Apostolico Ecclesiae universalis munere, non sufficiunt relationes administrativae etiam caritate informatae » (Episcopi regionis merid. Galliae).

29 – l. 1-6: Mutetur n. 2 hoc modo: « Censet Sacrosancta Synodus peropportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis Orientalis Ecclesiae, Episcopi in posterum habeant liberius et plenius exercitium potestatis et officii sui et reservationes ac restrictiones, hucusque iustis de causis ab Apostolica Sede vel Patriarchis Orientalibus sibi vindicatis, aboleantur » (Ordinarii Indonesiae).

Art. I

DE EPISCOPORUM FACULTATIBUS

30 – Titulus ita mutetur: « De cuiuslibet Episcopi potestatibus » (BAUDOUX).

N. 3. [*Principium fundamentale*]

31 – l. 16: Post « conservandam », dicatur: « sive ob bonum animarum melius procurandum » (WELYKYJ).

32 – l. 16: vel: « communeque animarum bonum promovendum » (CARLI).

33 – l. 16: Expungatur expressio: « sive ex rei ... conservandam », quae videtur limitare potestatem Summi Pontificis (NICODEMO, Arch. Barensis).

34 – l. 18: Non placet vox: « facultates » (favores? non inhaerent intrinsece episcopali munere?) (Episcopi reg. merid. Galliae).

35 – Episcopi residentiales omnes habeant facultates ex iure nativo, exceptis quae ob Ecclesiae universalis bonum Apostolicae Sedi reservarentur (Conf. Episc. Africae Meridionalis).

36 – Forsan melius esset quasdam facultates Patriarchis reservare (SEITZ).

37 – l. 18: « ... habeant »: sed iam habent iure divino!

Possunt a Romano Pontifice reservari; sed si reservatio cessat aliquomodo « restituuntur ». Emendentur hoc sensu l. 18-24. Connexio inter Collegium episcopale et facultates singulorum Episcoporum nullibi habetur neque hic neque in constitutione dogmatica de Episcopatu (MÉNAGER, Ep. Meldensis in Gallia).

38 – l. 18: post verba: « Episcopi residentiales » addatur: « et Coadiutores » (HERRERA, Ep. tit. Tanaitanus).

39 – l. 20: Omittatur vox: « iurisdictionali », ut superflua (SHEHAN, Arch. Baltimorensis).

40 – l. 22: Loco « hucusque ipsis recognitae amplificentur », dicatur: « Quapropter facultates quaedam hucusque Romano Pontifici reservatae relaxantur et ad ius commune Episcoporum remittuntur, inter alias eae, quae huic capiti alligantur » seu in App. I (WELYKYJ).

41 – l. 22: Dicatur « In Appendice priori » (KROL, Arch. Philadelphiensis).

42 – l. 22-23: Textus ita emendetur: « Quapropter causae Romano Pontifici hucusque reservatae minuantur et facultates ipsis Episcopis recognitae amplificentur ».

Quia Episcopi iurisdictione ordinaria pollent iure divino (COORAY, Arch. Columbensis in Ceylon).

43 – l. 23: Inserantur quae dicta sunt in App. I de Episcoporum facultatibus (Quidam Episcopi Africae Orientalis).

44 – l. 23: Addatur: « Vicarii Apostolici et Praelati *nullius*, episcopali charactere insigniti, Episcopis residentialibus aequiparantur in usu facultatum a iure concessarum (integre manentibus mutuis relationibus quae hucusque vigent inter Vicarios Apostolicos et Dicasterium de Prop. Fide ») (OLAZAR, Ep. tit. Prusensis; ELORZA, Ep. tit. Balianensis).

45 – l. 24: Concordare non videtur cum p. 15, l. 9 (SEITZ).

46 – l. 24: Omittatur « mere », quia superfluum et captiosum (SHEHAN; KROL).

47 – l. 25: Verba « characteris episcopalis dignitati », substituantur per verba: « Sacramenti ordinis plenitudini » (SEITZ).

48 – l. 25: Addatur « et quae in Appendice Priori (B) inveniuntur » (KROL).

49 – l. 25: Facultates enumerentur, ut dubia et anxietates vitentur (HERRERA).

50 – l. 14-26: Totus numerus ita mutetur:

« § 1. Quemadmodum Romani Pontificis potestas sibi causas reservandi quas ipse, sive ex rei natura sive ad Ecclesiae unitatem conservandam, pro locorum temporumve adiunctis ad se avocare iudicaverit, apud omnes in comperto est et tamquam primatus iurisdictionalis, quo Christi Vicarius potitur in universam Ecclesiam, sequela et exercitium habetur, ita quoque explorata est res oportere, ut Episcopi omnes stabiliter iis fruantur facultatibus quae characteris episcopalis dignitati congruunt, et praeprimis Praesules residentiales iis gaudeant facultatibus, quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium, sub auctoritate Summi Pontificis explendum, postulat ».

« § 2. Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae pro locorum temporumve adiunctis amplificentur; inter alias, eas habeant quae in Appendice ad hoc caput recensentur » (PRZYKLENK).

51 – l. 18-26: ita emendentur:

1. Episcopi omnes fruantur stabiliter iis facultatibus quae characteris episcopalis dignitati congruunt.

2. Episcopi residentiales vero iure communi omnes habeant facultates quas — ex divina institutione — aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis, explendum expostulat, firma semper in omnibus huius Summi Pontificis potestate sibi causas reservandi quas propter bonum commune Ecclesiae, pro locorum temporumve adiunctis ad se avocare iudicaverit ... etc. » (DALMAIS, Arch. Arcis-Lamy).

52 – l. 14-23: Nova redactio:

« Firma ... iudicaverit, Episcopi residentiales ipso iure omnes habeant facultates, quas eorum munus pastoris, pontificis ac doctoris fidei in dioecesi ipsis commissa expostulat. Inde facultates hucusque datae quinquennales vel decennales reputantur vi muneris datae » (SCHÄUFELE, Arch. Friburgensis).

53 – l. 14-26: Nova redactio totius numeri:

« § 1. [*Omnium Episcoporum potestates*]. Quisque Episcopus, qua in Collegio episcopali cooptatus, gaudere habitualiter debet exercitio omnium potestatum ordini episcopali (sive successoribus Apostolorum) propriarum, in finibus tamen muneris quo fungitur in Ecclesia.

§ 2. [*De Episcopi Praesidis potestatibus*]. Insuper Episcopus Praeses (olim residentialis vocatus) ordinariam ac immediatam potestatem in sua dioecesi aut eparchia exercet, sub primatu iurisdictionali Summi Pontificis ad normam iuris explendam.

Item, potestate propria, potest suos subditos a legibus generalibus dispensare in casibus particularibus, praesertim in eis quae ad curam animarum spectant, dummodo specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel Patriarchae Orientali vel alteri auctoritati facta non fuerit. Item reservatio haec fieri potest ab ipso Patriarcha Orientali vel alia auctoritate competenti.

§ 3. [*De Episcopi Coadiutoris aut Auxiliaris potestatibus*]. Episcopo Coadiutori aut Auxiliari competit exercitium potestatis tam magisterii quam ministerii iuxta normas iuris communis, necnon sub auctoritate Episcopi Praesidis ad normam iuris, exercitium potestatis regiminis » (BAUDOUX).

54 – l. 14-23: Loco § 1 proponitur:

« Firma semper in omnibus Romani Pontificis potestate sibi causas reservandi quas ipse, sive ex rei natura sive ad Ecclesiae unitatem conservandam, pro locorum temporumve adiunctis ad se avocare iudicaverit, Episcopi residentiales uti ordinarii et immediati pastores suarum dioecesium, iure communi habeant omnem potestatem quam aptum et expeditum eorum officii exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat. Quapropter, causis S. Sedi reservatis ad minimum

reductis, potestates hucusque Episcopis residentialibus per facultates concessae, amplificentur et ad ius commune reducantur » (Episcopi Indonesiae).

Art. II

De praxi Sacrarum Congregationum relate ad Episcopos

N. 4. [*Principium fundamentale*]

55 – p. 7, l. 1: Disciplina Ecclesiarum Orientalium vult ut Episcopi adeant proprium Patriarcham antequam accedant ad Summum Pontificem. Et hoc esset motivum aedificationis pro fratribus separatis (Stephanos I Sidarouss, Patr. Alexandrinus Coptorum).

56 – l. 2: Addatur: « iurisdictionis ordinariae », ut melior fiat distinctio cum iurisdictione extraordinaria in Concilio Oecumenico cum collegio episcopali exercenda.
l. 2-3 sic emendetur: « potestate, Romanus Pontifex vult sacris uti Ipsius Curiae Dicasteriis, etc. », ut melius exprimatur dependentia Curiae ex voluntate positiva Romani Pontificis (Welykyj; Shehan).

57 – l. 4: loco « explent » dicatur « expleant oportet » (Przyklenk).

58 – l. 7: Expungatur expressio « praeter administrativam indolem », quae innuere videtur hucusque indolem administrativam potiorem partem habuisse (Nicodemo).

59 – l. 12 et 24 loco « Romanae Curiae » dicatur « Curiae Romani Pontificis » (Shehan).

60 – l. 11-12: « Sacri Pastores ... exoptant »: parum est. Quae in Appendice II adumbrantur, hic expressis verbis inserantur, ut Episcopi in Romanis Congregationibus auxilia, defensiones et lumina inveniant (Conferentia Episc. Paedemontana in Italia; Schäufele; Episcopi Regionis meridion. Galliae).

61 – l. 13: Loco « augeant » melius forsan: « perficiant » (Welykyj).

62 – l. 16: Loco « Sedis Apostolicae mentem » opportunius forsan « Romani Pontificis mentem » (Welykyj).

63 – l. 20: Libenter adderem: « Episcoporum mentem et difficultates inquirendo » (MÉNAGER).

64 – l. 1-20: Principium fundamentale modificandum videtur ita:

« § 1. [*Principium fundamentale*]. Ad explendam missionem suam Pastorum in variis Ecclesiae universalis partibus, Episcopi inveniunt in Summo Pontifice, prout successore Petri, auctoritatem summam quae, una cum plenitudine trium potestatum: legislativae, exsecutivae et iudiciariae, secure confert unitatem gubernationis toti Ecclesiae. Consequenter Summus Pontifex quasi caput relate ad membra cum Episcopis totius orbis terrarum agit ut principium et effector unitatis, nec eis se substituit aliter nisi titulo subsidiaritatis.

§ 2. [*De Summi Pontificis muneris exercitio*]. Ad perfungendum munere suo Pastoris supremi, Summus Pontifex eget instrumentis quae nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum omnium ecclesiarum et in servitium eorumdem Sacrorum Pastorum (p. 7, n. 4, ll. 4-6). Iamvero Sacri Pastores, ob auctas in regendis dioecesibus difficultates, exoptant ut Apostolicae Sedis instrumenta magis in dies augeant suum, quod praestant, efficax atque multiplex erga Episcopos auxilium, qua consilio, qua ope (p. 7, n. 7, ll. 11-14).

§ 3. [*De Consilio Apostolico constituendo*]. *a*) Unum constituitur Consilium Apostolicum constans ex Summo Pontifice aliisque Pentarchiae Patriarchis, Cardinalibus dioecesium Ordinariis, reliquis Patriarchis Orientalibus, Primatibus occidentalibus et aliquibus Episcopis a Conferentiis Nationalibus Episcopalibus designatis, ut signum perfectius efficiatur regiminis collegialis totius Ecclesiae utque commune bonum magis promoveatur.

b) Huic Consilio Apostolico ius competit in casibus particularibus pro Ecclesia universa legiferandi, peculiaribus Officiis vel Commissionibus ad adiuvandum institutis, viris etiam peritis undequaque adscitis in studium quaestionum hodierni ministerii pastoralium et problematum urgentiorum in diversis Nationibus vigentium, ita ut Sacris Congregationibus in suum proprium munus ducendi et moderandi adiumento sint.

c) Hoc Consilium Apostolicum ab ipso Summo Pontifice statis temporibus, ad minus semel in anno, convocetur.

§ 4. [*Apostolicae Sedis Dicasteria*]. Alia Dicasteria potestatem mere executivam habent, et suum munus secundum nor-

mas a Summo Pontifice traditas exercent, alia causas ad Apostolicam Sedem missas vel ab Ipsa reservatas iudicant intra tamen limites suae competentiae. Nunquam haec Dicasteria legem conficere queunt, ne quidem " in obliquo "; sed quotiescumque eis proponitur causa quae exigit exercitium potestatis legislativae, praedicta Dicasteria debent eas referre ad Consilium Apostolicum » (BAUDOUX).

N. 5. [*Episcopi in Sacrarum Congregationum consilium cooptandi*]

65 – l. 21: Membra Commissionis pro novo CIC nominentur ab Episcopis (NOSER, Ep. tit. Hierpinianensis).

66 – l. 22: « inepta » solutio. Nam *a*) coetibus assistere non possent tam frequenter quam consultores qui Romae degunt; *b*) fere nihil dicendum haberent in elenchis rerum tractandarum; *c*) tempus non haberent ad easdem res penitus cognoscendas. Ita inefficaces et molestos se sentientes, sese a coetibus retraherent.

Proponitur corpus consultivum Episcoporum totius mundi, quod semel saltem in anno Romam conveniat ut cum Summo Pontifice et Romana Curia potiores res de universa Ecclesia tractet (Confer. Episc. Africae Meridionalis; PRZYKLENK).

67 – l. 22: Tales Episcopi non degant Romae sed apostolicum exerceant ministerium (Episcopi Prov. Aquensis etc.).

68 – l. 22: Dicerem potius « Nonnulli ... diversarum regionum, a Conferentiis Episcopalibus designandi ... etc. ». Principium Nationum est periculosum (WELYKYJ).

69 – l. 22: Episcopi designandi saltem per sex annos partem habere deberent in Conferentia Episcopali, et post sexennium transactum substituendi essent (RUSSO, Ep. tit. Pegaeus).

70 – l. 23: post verbum « designandi » addatur: « ratione competentiae » (PIRELLI, Ep. tit. Lisiadensis).

71 – N. 5 neque necessarium neque opportunum est. Inter « viros peritos », de quibus n. 4 etiam Episcopi cooptari possunt (RAIMONDI).

72 – l. 23: Episcopi designandi « secreta suffragatione » (HERRERA).

73 – l. 22-23: loco verborum: « a Conferentia Episcopali Nationali designandi » dicatur: « audita Conferentia Episcopali Nationali » (BATANIAN).

74 – l. 24: expungatur « membra » et tantum dicatur « Consultores », quia « membra » SS. CC. sunt solummodo Cardinales, supponit proinde reformationem Curiae (NICODEMO).

75 – l. 24: Loco verborum: Membra vel Consultores, dicatur: Delegati Collegii Episcoporum, qui regant Ecclesiam Dei cum Petro et sub Petro (Ep. Reg. Merid. Galliae).

76 – l. 25: Loco verborum: « statis temporibus » dicatur: « semel in anno » (ut revera tales Consultores aliquando convocentur) (Conf. Episc. Paedemontana).

77 – l. 25: dicatur « bis in anno » (Ep. Regionis merid. Galliae).

78 – l. 21-25: Modus concretus cooptationis Episcoporum in Ss. Congregationes aptetur principio collegialitatis episcopalis in schemate de Ecclesia expresso (Quidam Patres Conciliares Africae Orient.; item Centro-Orient.).

79 – l. 25: Quovis decimo anno, decima fere pars Episcoporum totius mundi Romam conveniat ut, duce Vicario Christi, negotia potiora totius Ecclesiae tractet (NOSER).

80 – l. 21-26: Nova proponitur redactio:

« Nonnulli Episcopi ... nominentur Membra Ss. Romanae Curiae Congregationum, quibuscum istae, scripto vel oretenus, de omnibus communicent, quae ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda faciunt » (SCHÄUFELE).

81 – l. 27: Addatur n. 5, 5 bis, de collegialitate Episcoporum, ita: « Cum Ecclesia regimine iuris divini collegiali regatur sub capite eius, Romano Pontifice, expedit ut etiam tempore extra concilium oecumenicum quoddam organum instituatur, cuius membra sint electa ex collegio Episcoporum in mundo dispersorum, qui statutis temporibus cum Romano Pontifice tractent de quaestionibus principalioribus Ecclesiae. Per tale organum regimen centrale Ecclesiae eiusque regimen collegiale harmonice componi possunt » (Conf. Episc. Neerlandica).

82 – « Oritur quaestio an forsan aptius non esset et huius temporis circumstantiis magis conveniens, si Episcopi de quibus in num. 5, non laborent separatim in variis Romanae Curiae Sacris

Congregationibus, sed e contra coniunctim efficerent aliquod Supremum Collegium, quod universalis Ecclesiae partes gereret et in quo, sub immediata directione Summi Pontificis et una cum Eo, Episcopi collegialiter exercerent ordinario modo suam in universam Ecclesiam potestatem » (Ep. Indonesiae).

83 – Nova redactio proponitur:

« Apud Sanctam Sedem formetur Collegium permanens Episcoporum, ab Episcopalibus Conferentiis Nationalibus designandorum et a Summo Pontifice approbandorum, quod ad minus semel in anno Romam conveniat, ut de quaestionibus, quae pastores animarum in toto mundo laborantes occupant, S. Patrem certiorem faciat, de communi bono magis promovendo ac de communibus periculis efficacius avertendis cum Eo deliberet, normas opportunas suggerat, earumdemque executionem coordinet.

Nonnulli Episcopi diversarum Nationum, a Conferentia Episcopali designandi, ab Apostolica Sede nominentur Membra vel Consultores Sacrarum Romanae Curiae Congregationum, a quibus, statis temporibus, convocentur et in laborum deliberatione effective assumantur » (KRAMER, Ep. Lunganensis).

CAPUT II

DE EPISCOPORUM COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

N. 6. [*Prooemium*]

84 – p. 9: Tractetur hic de Episcopis non residentialibus qui nec Coadiutores nec Auxiliares sint (Episc. Prov. Aquensis etc.).

85 – *ibid.*: Modus tractationis minores reddit condiciones Episcopi residentialis (SCHÄUFELE).

86 – *ibid.*: Abrogetur « titulus » de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliaribus; dicatur simpliciter de Episcopis titularibus (NOSER).

87 – *ibid.*: Facultates Coadiutori concedendae, determinandae sunt in singulis casibus a Sancta Sede (Episc. region. merid. Galliae).

88 – l. 10: Loco « ordinarie » dicatur « saepe », ut melius intelligatur nihil in hac praxi morem et usum esse (SHEHAN).

N. 7. [*Notio Coadiutoris et Auxiliaris*]

89 – l. 21-22: Loco « Episcopo » dicatur « Sedi ». Ratio est, quia terminus ad quem constitutionis Episcopi cum Coadiutoris tum Auxiliaris non est Episcopus Praeses, sed populus huius Episcopi, qui ob causam unam alteramve iam non potest perfecte fungi munere suo episcopali (BAUDOUX).

90 – l. 22: Post « Episcopo » addatur « regulariter » (ad praecavenda inconvenientia) (Conf. Episc. Paedemontana in Italia).

91 – l. 22: Textus ita corrigatur: « ... Auxiliaris vero semper Sedi datur et sine iure successionis »; ita magis consonum cum dignitate episcopali videtur (HERRERA).

N. 8. [*Facultates Coadiutoris*]

92 – l. 24-30: Textus in n. 8, 9, 10 supprimendus est, et ius vetus (CIC can. 351) in vigore maneat. Alioquin unitas regiminis dioecesani in radice tollitur et certo certius timendae erunt difficultates, praesertim si Episcopus residentialis adhuc habilis est ad regendum (SCHÄUFELE).

93 – l. 24-28: Textus § 1 sic modificetur: § 1. « Coadiutori, vi officii, ea in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, tamquam vero Ordinario iure communi competit, nulla tamen facta Episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi » (HERRERA).

94 – l. 27-28: Tollantur verba: « nulla tamen facta Episcopo... reservandi »; Episcopus enim coadiutus remanet Episcopus dioecesis (WEBER, Ep. Argentinensis).

95 – l. 28: Addatur: « nisi in singulis casibus », ad vitandas difficultates et unitatem regiminis conservandam (SHEHAN).

96 – l. 24-30: Novus textus proponitur: « § 1. Coadiutori aut Auxiliari ea in universa dioecesi seu eparchia potestas regiminis in spiritualibus competit quae, vi suae consecrationis et missionis, iure communi ad eum spectat.

§ 2. In casibus particularibus, exercitium huius potestatis ampliari vel potestas in temporalibus concedi potest ab Apostolica Sede, aut a competenti auctoritate pro Orientalibus, vel ab Episcopo Praeside.

§ 3. Episcopus Praeses autem habitualiter aliis ne deleget quae Coadiutor aut Auxiliaris potest et vult per se exercere » (BAUDOUX).

N. 9. [*Relationes inter Coadiutorem et Coadiutum*]

97 – p. 10, l. 1-9: In hoc numero videtur contineri periculosus, ut ita dicam, dualismus; saltem potius dicatur ut nemo eorum faciat id, quod approbationem alterius non obtinet, salvo interventu Sedis Apostolicae (SCAPINELLI).

98 – l. 3-9: Determinetur quaenam negotia requirant Coadiutoris consultationem, quaenam consensum (Ep. Prov. Aquensis etc.).

99 – l. 2: Utile videtur addi post « exhibeat »: « coram clero et populo » (HERRERA).

100 – l. 5: Post « habeatur » addatur: « nihil agens contra expressam voluntatem Episcopi » (CONWAY, Ep. tit. Nevensis).

101 – l. 8: Necesse esse videtur distincte designare quae ex his negotiis maioris momenti Coadiutoris consultationem et quae eius consensum exigant, scilicet nominationes ad graviora ecclesiastica munera, venditiones, mutationes quae in posterum dioecesim obstringant (Episc. Prov. Aquensis etc.).

102 – l. 1-9: Redigatur hac forma: « Coadiutor Episcopo coadiuto semper obsequium et reverentiam exhibeat, negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi residentialis tractet, nihilque magni momenti agat nisi eo consulto et adprobante. Vicissim autem Episcopus coadiutus Coadiutorem fraterne diligat, existimatione prosequatur eique in munere obeundo faveat. In negotiis maioris momenti nisi Coadiutore consulto agere velit » (WEBER).

N. 10. [*Relationes inter Coadiutorem et Vicarium generalem*]

103 – l. 10-20: Si Episcopus residentialis et Coadiutor proprios habeant Vicarios generales conflictus inter Vicarios oriri poterunt (SIDAROUSS).

104 – *ibid.*: Novus textus proponitur: « Ubi adest Coadiutor, Vicarius generalis teneat tantum moderationem Curiae ita ut officium sit velut Vicarius curialis » (MASON, Ep. tit. Rusicadensis).

105 – l. 10-13: Nova redactio sic fiat: « Cum potestas Episcopi coadiuti integra ex se maneat, ipse poterit Provicarium generalem sibi constituere, vel si praeferat potius Vicarium episcopalem cum determinata potestate sive quiescente sive in actu pro certa parte dioecesis aut speciali administrativa activitate » (HERRERA).

106 – l. 13: Addatur in fine § 1: « Si opus fuerit, etiam plures Vicarios generales eligere poterit. Praeter ipsos, Episcopus valet unum vel plures Vicarios episcopales constituere, quibus, vi officii, sit iurisdictio ordinaria in determinata tantum dioecesis parte, vel in determinato tantum negotiorum genere » (WEBER; Confer. Episc. Argentina).

107 – l. 14: Tollatur prima pars § 2 et in secunda parte dicatur: « Caveant Vicarii generales ac Vicarii episcopales ne suis potestatibus utantur contra... Coadiutoris, ut unitas directionis servetur » (WEBER).

108 – l. 16: Explicentur verba: « praecipua acta », per additionem: « ut sunt personales mutationes cleri, eius causae disciplinares, alienatio bonorum ecclesiasticorum, restauratio aedium etc. » (NÉCSEY, Ep. tit. Velicien.).

N. 11. [*Quandonam Auxiliaris expostulandus sit*]

109 – l. 21-28: Designationem Episcopi Auxiliaris praecedat severa inquisitio sicut fit pro Episcopo residentiali (Episc. Prov. Aquensis etc.).

N. 12. [*Facultates Auxiliaris*]

110 – l. 29: In his quae dicta sunt de Episcopis Auxiliaribus non satis caveri videtur unitas regiminis episcopalis (Quidam Episc. Africae Centro-Orient.).

111 – l. 33-38: Textus ita mutetur: « Quodsi in Litteris constitutionis provisum non fuerit, velit Episcopus Auxiliari suo necessarias et opportunas facultates committere, quibus Auxiliaris in pontificalibus peragendis officium suum efficaciter explere valeat » (SCHÄUFELE).

112 – l. 29-30: Nova haec redactio proponitur: « Omnibus Episcopis Auxiliaribus concedantur facultates Vicarii generalis, simul cum potestate pontificalia peragendi in tota dioecesi » (WEBER).

113 – *ibid.*: Dicatur: « Praeter iura et officia quae ei ex Litteris Apostolicis aut ex Ordinario loci obveniunt, videtur suadendum ut Episcopus Auxiliaris si non unicus, saltem unus ex Vicariis generalibus nominetur » (KROL).

114 – *ibid.*: Episcopus Auxiliaris sit etiam Vicarius generalis (KROL; OBVIAR Y ARAUDO, Ep. tit. Linoensis; MEOUCHI; SCAPINELLI).

115 – *ibid.*: Iura Auxiliaris plene distinguantur a iuribus Vicarii generalis (MARGIOTTA, Arch. Brundusinus).

116 – l. 30-35: Post verba « eiusdem iura » legatur textus ut sequitur: « officia et potestates definiantur quae necessaria videntur ad munus rite adimplendum ».

Post verba « provisum non fuerit » legatur: « velit Episcopus Praeses determinare exercitium potestatum necessariarum et opportunarum Auxiliaris, quibus ipse non solum in pontificalibus peragendis sed etiam in administranda universa dioecesi officium suum efficaciter explere valeat » (BAUDOUX).

117 – l. 38: Addatur in fine § 1: « Episcopi impediti vel absentis vices gerit Auxiliaris, et in ordine dignitatum Capituli dignitas prima competit Auxiliari » (CLEVEN, Ep. tit. Sasimensis).

N. 14. [*Relationes inter Auxiliarem et Episcopum*]

118 – p. 11: Unitas regiminis servanda; proindeque dicatur: « ... missio et facultates Episcopi Auxiliaris ita circumscribi debent, ut in exercitio potestatis unitas regiminis Episcopalis non infringatur » (Quidam Ep. Africae Orient.).

119 – *ibid.*: Quando habentur et Coadiutor et Auxiliaris in eadem dioecesi, quaenam erit relatio Auxiliarem inter et Coadiutorem? (LANE, Ep. Rockfordiensis).

N. 15. [*Facultates Auxiliaris sede vacante*]

120 – l. 17-21: Auxiliaris sit de facto, suo tempore, Vicarius capitularis (HERRERA; MEOUCHI; DAMMERT BELLIDO, Ep. Cajamarcensis; SCAPINELLI; et alii).

121 – l. 17-21: Tollatur § 2; immutatum retineatur ius Capituli Cathedralis libere constituendi Vicarium capitularem (SCHÄUFELE).

122 – l. 17-21: Auferatur § 2; in casu enim quo, « aliud graves rationes suadeant », exclusio Auxiliaris odiosa ipsi esset, quia revelaret,ipso facto, rationes graves (aliquando ex parte ipsius Auxiliaris) existere pro hac exclusione (BATANIAN).

123 – *ibid.*: Episcopus Auxiliaris sede vacante sit Administrator Apostolicus ipso iure (MEOUCHI; MARGIOTTA; Conf. Episc. Argentina; DAMMERT BELLIDO; et alii).

N. 16. [*Quandonam commendanda sit Episcopi renuntiatio*]

124 – l. 23-26: Omittendae forsan lineae 23-26, et ita dicendum: « Episcopi residentiales... faciant Apostolicae Sedi vel, pro Orientalibus, competenti auctoritati offerant, quae per Coadiutoris vel Auxiliaris designationem providere vel renuntiationem acceptare libera sit » (WELYKYJ).

125 – l. 27: Nihil dicatur de aetate quoad renuntiationem. Provideatur, ubi necessitas hoc suadeat, per Episcopum Coadiutorem. Propositio est aliena a more Ecclesiae (FERRAZ, Ep. tit. Eleuthernensis).

126 – l. 28: Optandum est ut in schemate ipso, aetas determinetur...; quae esse potest septuagesimus quintus annus expletus (Episc. Prov. Aquensis etc.).

127 – *ibid.*: Determinandum etiam est quod honesta sustentatio Episcopo renuntianti a sua dioecesi debetur (Conf. Episc. Aprutina; Episc. Prov. Aquensis etc.).

128 – *ibid.*: Praefiniendus est limes aetatis pro Episcopis residentialibus » (CUNHA, Ep. tit. Barenus in Pisidia).

129 – *ibid.*: Nullo modo determinetur aetas (SEITZ).

130 – *ibid.*: Non urgeatur renuntiatio Episcoporum residentialium (RICHAUD, Arch. Burdigalensis).

131 – l. 28-29: Tollantur verba: « aliamque gravem causam », quod locum dabit anxietatibus. Tollatur etiam « enixe », quod velut exigit renuntiationem (RUSSO).

132 – l. 29: Loco « muneri minus apti evaserint » dicatur « inveniantur » (PRZYKLENK).

133 – l. 30: Haec renuntiatio a munere non est tantum laudanda ut « mirabilis et meritoria » sed est a iure inducenda et quasi imponenda... Saltem in magnis dioecesibus bonum commune fidelium et sacerdotum id exigit » (MÉNAGER; RUSSO).

134 – *ibid.*: « ... Conferentia Episcopalis regionalis vel nationalis onus sibi assumat, vel ei imponatur a iure, definiendi probabilem aetatem renuntiationis eamdemque consiliandi Episcopis in casibus singularibus » (HERRERA).

135 – *ibid.*: Renuntiatio consulenda, non ratione aetatis, sed ratione infirmitatis physicae vel psychicae (Conf. Episc. Aprutina in Italia).

136 – l. 23-31: Considerentur singuli casus ab auctoritate competenti (SEITZ).

137 – l. 32: Nonne melius esset si fons ex quo haec sustentatio derivaretur explicite determinaretur? (KROL).

138 – l. 32: Incipiatur textus ut sequitur: « Exercitio muneris episcopalis renuntiantibus titulus Episcopus Emeritus eiusdem dioecesis decernatur, et congruens... » (BAUDOUX).

139 – l. 35: Addatur et hoc privilegium: « ... ius sepulchri cum sollemnitate funeris erit... » (WELYKYJ).

CAPUT III

DE NATIONALI EPISCOPORUM COETU SEU CONFERENTIA

N. 17. [*Prooemium*]

140 – p. 14: Duo sunt dicenda: 1) In schemate non datur ratio fundamentalis ex qua appareat necessitas Conferentiarum episcopalium.

Socializatio hodierna talis est ut nexus multiplicentur inter homines et etiam inter catholicos. Quaestiones gravissimae et magni momenti excedunt fines dioecesium singularium et ideo competentiam singulorum Episcoporum.

2) Attamen res non se habent eodem modo in singulis dioecesibus, etiam in eadem natione. Adsunt dioeceses valde christianae, adsunt dioeceses ubi vigent neo-paganismus, materialismus, communismus. Itaque quod convenit uni dioecesi dedecet in altera regione. Itaque, Conferentiae Episcopales dili-

gentissime condicionibus locorum attendere debent et earum auctoritas cum moderatione exerceri debet (Episc. Regionis Meridionalis Galliae).

141 – *ibid.*: Nonne opportunum videtur can. 281 mutari ut celebratio Conciliorum plenariorum, quibus plurium provinciarum Episcopi coadunentur, facilior reddatur?

Exoptamus ut in hoc schemate Conferentiae regionales proponantur, quae in diversis partibus nationis nationali conferentiae opus praestent, quin tamen auctoritatem plenariorum Conciliorum vel Conferentiae nationalis habeant (Episc. Prov. Aquensis etc.).

142 – *ibid.*: Hic proponuntur Concilia plenaria et provincialia celebranda. Sed cum in hoc Decreto Conferentiae Episcoporum Nationales (melius forsan vocarentur: Conferentiae territoriales) cum potestate legislativa iuridice constituendae proponuntur, dicta Concilia minus necessaria censentur, quia his Conferentiis quaestiones pastorales territorii satis communiter discuti atque pro bono communi totius territorii resolvi necnon si res fert legibus sanciri posse videntur (Tredecim Patres Africae Orient.).

143 – *ibid.*: « Quoad Conferentias Nationales Episcoporum, cum in schemate « De Episcopis ac de dioecesium regimine », tum in schemate « De cura animarum » haec, quae sequuntur, animadvertere iuvat:

Huc usque habebamus, ex una parte, Curiam Romanam, corpus centrale quod singulis Episcopis normas dabat in omnibus negotiis alicuius momenti. Recursus ad hanc Curiam erat persaepe iniunctus et responsio ab ipsa data decretoria. Ex altera parte, habebamus Conferentias Nationales Episcoporum sine iurisdictione directa, in quibus Episcopi inter se conferebant et, generaliter, libere se subiiciebant omnibus quae statuebantur tribus ex quattuor partibus suffragiorum. Unusquisque Episcopus sibi reservabat tamen ius strictum non exsequendi rem statutam, quando hanc aestimabat omnino contrariam bono spirituali propriae dioecesis, cuius peculiaria adiuncta ipsi erant nota.

Res Curiae Romanae commissae erant fortasse nimis multae, et iniuncti recursus ad hanc Curiam plus aequo numerosi, in detrimentum auctoritatis administrativae Episcopi in propria dioecesi. Hoc tamen non impedit quominus Curia Romana fruebatur

experientia universali, et officiales eius perdiu instituebantur ad peculiarem laborem ipsis concreditum.

In duobus schematibus praecitatis, pertingitur quidem ad imminutionem rerum Curiae Romanae concreditarum, sed etiam ad augmentum rerum Conferentiae Nationali commissarum. Reipsa, his Conferentiis necesse erit curias nationales, quarum membra neque experientia universali Curiae Romanae, neque necessaria praeparatione potientur. Multis Conferentiis Nationalibus deerunt officiales numerosi ac sufficienter instituti, quos talis immutatio exiget.

Haec curia nationalis staret profecto sub moderamine Conferentiae Nationalis, sed, secus ac in Curia Romana, hic nulla exsistit auctoritas personalis. Tota auctoritas Conferentiae Nationalis dependet a fortuita parte maiore suffragiorum in scrutinio.

Concessionem formalis iurisdictionis Conferentiis Nationalibus, in determinatis casibus, facile consequi possunt abusus. In tali Conferentia enim, saepe membra non pauca indifferenter se habent circa solutionem quaestionis propositae. Omnino naturaliter suffragium affirmativum dabunt, potius quam ut formaliter repugnent suffragio negativo. Reipsa, pars leviter maior tunc imponet suam voluntatem numerosae parti adversae, mero casu suffragiorum. Quid tunc superest de potestate administrativa Episcopi in propria dioecesi?

Si concessio huius iurisdictionis Conferentiae Nationali non posset evitari, omnino coarctanda esset ad casus maxime necessarios: scilicet, quando Sancta Sedes iniungit quod res aliqua decernatur a Conferentia Nationali, et quando ipsa Conferentia Nationalis explicito scrutinio, decernit consensum vim legis habere, propter bonum commune totius territorii. Schema « De Episcopis ac de Dioecesium regimine » prospicit hos casus, in numero 24, p. 16, § 1, litt. *a*) et *d*); casus litt. *b*) et *c*) sunt nimis incerti et generales, quam ut legitime possint imponere decisionem aliquam Conferentiae. Fieri potest ut quidam ex eiusmodi casibus decisionem nationalem habeant, quae esset graviter damnosa pro determinata dioecesi, de qua tandem proprius Episcopus tenetur rationem reddere.

Nobis etiam omnino necessaria videtur iniunctio obligationis Conferentiae Nationali recurrendi ad scrutinium secretum, quotiescumque agatur de imponenda aliqua obligatione iuridica. Sic effungerentur pressurae non optabiles.

Nimiae sunt commissiones sine utilitate immediata in certis regionibus, praesertim in regionibus Missionum, in schemate « de cura animarum » prospectae. Oporteret ergo accuratissime secernere commissiones omnibus iniunctas, a commissionibus quarum institutio solum suggeritur, si aliquando evaderent utiles.

In totum, hoc schema mihi videtur nimis longum et implicatum, et tandem, forsitan absorberet fines propositos in cumulo ordinationum administrativarum » (VAN HOECK, Ep. tit. Cissitanus).

144 – *ibid.*: « Clare et aperte statuendum est: 1) ut de omnibus problematibus generalibus, praesertim de normis in certis rerum adiunctis sequendis, de prohibitionibus faciendis, de malis usibus tollendis, Conferentia Episcopalis Nationalis aut, si res ad regionem tantum spectat, Regionalis decernant: 2) ut his decretis rite approbatis omnes Episcopi stare debeant. Agitur de re maxime necessaria. Si, enim, fideles videbunt — et in posterum id erit semper facilius ob multiplicatas communicationis vias — eadem hic vetari et illis permitti, numquam voci Ecclesiae oboedientes erunt » (VALERII, Ep. Marsorum).

145 – *ibid.*: « Officia Episcoporum Conferentiae Nationalis declaranda magis videntur, praesertim:

I - Super reipublicae regendae artem: ut normas tum clero tum catholicis Institutionibus omnibus impertiant, quibus tum clerus tum Institutiones catholicae efficaciter valeant ad bonum spirituale et morale nationis fovendum adlaborare.

II - Super scholas. Materialistae et athei videntur unionem iniisse ad disciplinas philosophicas necnon historicas in publicis lyceis tradendas; huic unioni deest inter catholicos oppositio, unde fit ut saepe iuvenum animi a recta sentiendi via abducantur. Ibidem pluribus in locis desunt idonei sacerdotes qui athenei alumnorum curam gerant.

III - Super spectacula tum cinematographica tum televisiva: ut fortiter, instanter, practice, omnino bellum in immoralia spectacula in cuiusvis consuetudine vitae invaluerint, modum spectacula spectaculis opponendi inveniatur et quamprimum ad effectum perducatur. Quod nisi fiat inutile prorsus bellum in spectacula inhonesta geremus.

IV - Super ephemerides. Ut adversarii propriam nationalem ephemeridem, ita catholicis una ephemeride catholica, quae to-

tam nationem spectet, opus est: sit autem ita composita ut lectione sit grata, in certamine pro bono suadendo constans et fortis, in malo denuntiando alacer et tempestiva, in iudicio super eventa ferendo manifesta et secura: sit incitamentum ad subscriptiones contra publicam immoralitatem, tum quoad libros et ephemerides, tum contra spectacula, tum quoad corruptelam socialium morum.

V - Necessaria quoque videtur ephemeris altera (tipo rotocalco), ab Officio Nationali condendo in lucem editura, qua publica opinio de catholicis institutis, experimentis, operibus socialibus, speciatim quoad iuventutem, opifices, catholicam culturam, necnon Missiones informetur. Haec erit optimum auxilium in apostolatu clericis. Una autem ephemeris haec omnia complectatur, quae nunc in tot ephemeridibus inveniuntur: sitque prompta ad consilia, et liberae pateat disceptationi » (MALEDDU, Praef. Ap. Hinganfuensis).

146 – *ibid.*: « Huic capitulo nihil abrogandum vel adiungendum videtur. Tribuit enim iuridicam formam praefinitasque potestates Conferentiae Episcopali Nationali.

Attamen, sermo habeatur etiam de Episcoporum Conferentiis Regionalibus, id saltem dicendo quod potestas et competentia Conferentiae Episcopalis Regionalis singillatim et pro rerum adiunctis a Conferentia Episcopali Nationali praefiniri poterit » (Conf. Episc. Paedemontana).

147 – *ibid.*: « Cum huiusmodi Conferentiae Episcopales, quamvis vere utiles, ad organa mere consultiva reducantur, sine ulla supra Episcopos iurisdictione, non absente etiam periculo, coetus parlamentares fiendi, cum partibus inter se contrariis, earum institutionem compleri quodammodo convenit per restaurationem Primatiatus nationalis.

Episcopus Primas, auctoritatem veram et proprie dictam, per facultates a Summo Pontifice specialiter delegatas, tamquam sui immediatus « Delegatus Apostolicus » adderet supra ipsam suam ipsius iurisdictionem, quae ei competit supra suam propriam dioecesim. Hisce facultatibus praeditus, Primas, seu Delegatus Apostolicus, quaestiones inter Episcopos surgentes, ordinario modo dirimere; actionem collectivam Episcopatus nationalis dirigere et urgere; negotia maiora Episcoporum solvere; Concilium nationale, Summo Pontifice approbante, con-

vocare et praesidere, et tandem, tempore persecutionis, cum generatim Episcoporum accessus, etiam scripto, ad Romanam Sedem prohibetur, maxima convenientia ne oriatur schisma, Ecclesias locales dirigere et inter sese unitas et Sanctae Sedi fideles servare poterit.

Huiusmodi institutio, quin positionem Nuntii Apostolici infirmet, potius corroborat, eiusdemque missionis exercitium, ultra modum, facile reddens, illi offerens fulcrum intelligens et securum, in medio ordinis politici et socialis perturbationum, quae in America Latina et in regionibus nuper e colonialismo egredientibus, frequentes, et non semper pacifice, sibi succedunt.

Primas qualificatos assessores a seipso electos, a Summo Pontifice autem probatos, haberet; semperque rationem ipsi Sanctae Sedi vel per Nuntium vel immediate redderet, prout res ferat.

Ceteris Episcopis et sacerdotibus necnon fidelibus ius semper adest ad Summum Pontificem recurrendi, non tantum in contentiosis, sed in omnibus. Sic salvatur et unitas cum Capite visibili Ecclesiae, coordinatio actionis inter Episcopos et discreta autonomia, una cum efficaciori apostolica actione » (FERRAZ).

148 – *ibid.*: « In prooemio, quod brevius esse potest, dicatur Conferentias Episcopales fundamentum habere in collegialitate Episcopatus et in plenitudine unius sacerdotii, easdemque ordinari ad actionem pastoralem melius et efficacius exercendam » (SEITZ).

149 – *ibid.*: « Caput III optime agnoscit Conferentias Episcopales, sed optandum valde est ut recursus ad Sanctam Sedem non sit necessarius, in quibusdam casibus, v. g.:

1) quando agitur de organizatione practica et competentia operum apostolicorum et actionis catholicae;

2) quando agitur de approbatione textuum liturgicorum in vulgari lingua per aliquam episcopalem Commissionem, cuius membra sint simpliciter a Sancta Sede probata;

3) quando agitur de tempore scolaritatis et de programmatis vitae et studiorum in seminariis, saltem in rebus particularibus et intra limites a Sancta Sede determinatos.

Nam apparet evidenter contra leges psychologiae et paedagogiae uniformiter statuere pro omnibus regionibus, in quibus cultura, temperamentum, traditiones tam diverso modo sese praebent » (RICHAUD).

150 – *ibid.*: Expungatur verbum « nationale »; eligatur terminus latius patens, v. g. « territoriale ». In titulo simpliciter dicatur: « De Conferentiis Episcopalibus » (Quidam Episcopi Africae Orient.).

151 – *ibid.*: « Periculosum videtur canonizare in Concilio terminum « Nationis », ob eius diversam interpretationem: politicam (Status) et ethnicam (diversi populi in eodem Statu politico), et etiam mutabilem realitatem (Foederationes Statuum, Uniones, novi Status in Africa, Europa unita, etc.). Haec res plurimas difficultates creare potest. Forsan melius utendum dictionibus « territorii » vel « regionis » vel similia, quae postea respectivo adiectivo possunt melius determinari in casibus dubiis (e. g. territoria nationalia, ethnica, ritualia, etc.). Res maturius adhuc reconsideretur » (WELYKYJ).

152 – l. 4: Post dictionem « Nationis » (vel similis) addatur « vel ritus », ut aliquomodo provideatur etiam Orientalibus modo peculiari.
l. 8: Adderem et aliam rationem post dictionem « communicatione », in hunc sensum: « ... communicatione, character collegii episcopalis in ordinario Ecclesiae regimine melius manifestatur, mens Ecclesiae clarior fit necnon apud omnes constat... » (WELYKYJ).

153 – l. 15: Verba « apud civilia Gubernia vel acatholicos viros » omittantur (SCHÄUFELE).

I - DE CONFERENTIAE CONSTITUTIONE

N. 18. [*Conferentiae constitutio et statuta*]

154 – l. 19-21: Textui substituatur sequens: « Praeter Concilia plenaria necnon provincialia, quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, stabiliter in unaquaque Ditione constituatur et ab Apostolica Sede recognoscatur Nationalis Episcoporum Conferentia ».

N. B.: In Codice reformando supprimatur praescriptum can. 281: « petita tamen venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum » (BAUDOUX).

155 – l. 23: Addantur post verbum: « Nationalis » verba « vel ritualis » Episcoporum Conferentia (WELYKYJ).

156 – l. 24: Addatur: « In Rebuspublicis, in quibus plures nationes inveniuntur, praeter Conferentiam omnium Episcoporum possunt constitui etiam Conferentiae Episcoporum iuxta nationes ad pertractanda negotia speciali uniuscuiusque nationis ».

Praeterea addatur: « Praeses Conferentiarum est qui habet praecedentiam iuxta can. 106 CIC » (NÉCSEY).

157 – l. 27: Addatur: « Inquantum haec praescriptio iam impleta est » (PHILBIN, Ep. Dunensis et Connorensis).

158 – *ibid.*: Statuta pro Conferentiis iam constitutis quae a Sancta Sede probata sunt, intacta maneant (BROWNE; O'CALLAGHAN, Ep. Clogherien.; FERGUS, Ep. Achadensis; PHILBIN; HANLY, Ep. Elphinensis).

159 – l. 25: « Optandum est ut saltem delineamenta generalia huiusmodi statutorum inveniantur in appendice, quibus appareat mens huiusmodi Conferentiae eiusque adiumentum.

In hoc capite, coetus Episcoporum potius apparet sicut est in maioribus nationibus in quibus multi sunt Episcopi; difficilius libertas et facilitas Conferentiae invenietur in nationibus in quibus perpauci sunt Ordinarii. Optandum est ut ad earum auxilium sint statuta quasi iam determinata quibus sese adiuvare possint (JACQ, Ep. tit. Cerasenus).

160 – l. 28: In hoc articulo addi potest, sicuti in art. 27 § 2 innuitur, clausula commendatitia quoad Conferentias Regionales quae sunt sat utiles, immo plusquam Provinciales aliquando iudicantur (HERRERA).

161 – *ibid.*: Addendum videtur: « Decet Cardinales et Primates esse membra " ex officio " Consilii Conferentiae, absque tamen iure ad munus Praesidis » (BAUDOUX).

162 – p. 15, l. 4: Paragraphus addatur de opera quae pro toto aliquo Continente praestatur a determinatis Institutis, v. g. C.E.L.A.M. (Concilium Episcopale Latino-Americanum) et Secretariatus generalis Episcopatus Africani (DAMMERT BELLIDO).

II - De Conferentiae moderamine

N. 19. [*De iis quibus Conferentiae interesse competit*]

163 – p. 15, l. 5: dicitur: « Omnes Ordinarii locorum ». Etsi schema sit « De Episcopis », tamen intelliguntur forsan non tantum Ordinarii Episcopi, sed etiam illi qui charactere episcopali carent, ut sunt in non paucis regionibus: Praefecti Apostolici, Vicarii capitulares sede vacante etc. Si illi hic audiuntur, optandum est ut in appendice agatur etiam de eorum facultatibus a iure (Jacq).

164 – l. 7: Post « Coadiutores » addendum videtur « Auxiliares » (Baudoux; Nécsey).

165 – l. 5-8: Loco pericopae: « Omnes Ordinarii locorum..., Vicariis generalibus exceptis... pertinent », sit: « Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus necnon et Episcopi Coadiutores de iure et cum suffragio deliberativo ad Nationalem Episcoporum Conferentiam pertinent. Vicarii vero generales, suo Episcopo rite impedito, cum suffragio consultivo tantum » (Satowaki, Ep. Kagoshimaensis).

166 – l. 7-9: Episcopi titulares excluduntur, sed quare? Iidem Conferentiae episcopali interesse debent sicut Episcopi residentiales ratione characteris episcopalis et unitatis Collegii episcopalis. Praeterea, in nonnullis regionibus adsunt et Episcopi residentiales et Vicarii Apostolici (Episcopi titulares) (Seitz).

167 – l. 9: « Si invitentur, fruantur voto deliberativo, quia iure divino Episcopi aequales sunt et, propter universalem iurisdictionem, quae ex charactere episcopali eis derivat, collegialiter participes sunt, cum et sub Romano Pontifice, sollicitudinum universalis Ecclesiae.

Quinimmo peropportunum esset in Conferentiis Regionalibus, quae ob vastitatem territorii et discrimina religiosa, socialia etc. constitui possunt, Episcopos mere titulares cooptari » (Pirelli).

168 – *ibid.*: Substituatur: « Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis generalibus exceptis, necnon et Episcopi Coadiutores de iure ad Nationalem Episcoporum Conferentiam pertinent et cum suffragio deliberativo: ita tamen ut unicum tantum suffragium pro quacumque dioecesi dari possit, scilicet ab ipso

Ordinario loci si adsit aut eo absente ab eius Episcopo Coadiutore » (LYONS, Ep. Saliensis).

169 – *ibid.*: « Quaeritur quaenam sit Vicariorum Apostolicorum positio. Episcopis mere titularibus, sine iurisdictione, aequiparantur, an Episcopis residentialibus? » (BENEDETTI, Ep. tit. Tidditanus).

170 – *ibid.*: « Etsi de iure Episcopi mere titulares, in natione degentes, non pertineant ad Nationalem Conferentiam, possunt ex peculiaribus statutis in Conferentiam cooptari sed sine suffragio deliberativo » (LYONS).

171 – l. 9-12: Tota haec paragraphus supprimenda videtur (BAUDOUX; HERRERA).

172 – l. 13: « Cum merito affirmetur omnibus et singulis Praesulibus, de quibus in n. 19, 1, ius esse ut Conferentiae Nationali personaliter, et quidem cum voto deliberativo, intersint; et simul praevideatur ob nimium eorum numerum impossibile fore ut iidem omnes et singuli revera Conferentiae participent: de modo quo vere mens et vota omnium Praesulum in earumdem Conferent. Episcop. Nationalium decretis conficiendis innotescant, quae sequuntur vota proponuntur:

1) Consilium directivum et permanens, cui omnia incepta de re catholica in universo territorio nationali tribuuntur et commendantur, sex menses antequam decernat ea quae singulos Episcopos etiam iuridice obligent, scripto exponat singula deliberanda, congruis argumentationibus suffulta, ac uniuscuiusque Episcopi observationes, vota et suffragium sollicitet intra mensem a recepta communicatione remittenda. Omnibus a Consilio examinatis responsionibus, sententia quae prorsus a maioritate duarum saltem ex tribus partibus suffragium obtinuerit pro universo territorio adoptetur.

2) Quod si talis suffragiorum maioritas in primo scrutinio obtenta non fuerit. Concilium brevem relationem argumentationum redigat; et denuo ab unoquoque Praesule suffragium scriptum exposcat, usquedum maioritas duarum ex tribus partibus legitime obtineatur.

3) Numquam Nationalis Episcoporum Conferentiae decisiones, quae etiam iuridice singulos Episcopos obligent, decernantur suffragia eorum computando qui ex iure in Concilio permanenti episcopali collegium alicuius regionis vel provinciae ecclesiasticae repraesentant et oretenus tantum vota ceterorum suae

cuiusque regionis vel provinciae Praesulum conferre praesumat » (DADONE, Arch. S. Severinae).

173 – l. 5-20: In Oriente, ob Rituum diversitatem, in Conferentia Episcopali cooptandi essent Ordinarii singulorum Rituum. Conferentia autem Concilium permanens eligere deberet, cuius sit normas et instructiones cum singulis communicare (SIDAROUSS).

174 – *ibid.*: Non determinatur quis sit Conferentiae Praeses et quomodo sit eligendus. Quaestio magni momenti est pro iunioribus Ecclesiis, ubi Conferentia cooptare potest Episcopos plurium Statuum. Expedire videtur ut ibidem praesidentia auctoritati extra-nationali tribuatur, ut puta: vel Patriarchae, vel Delegato Apostolico (SEITZ).

175 – *ibid.*: Agunt de Conferentiae moderamine, sed nihil dicunt de Praeside Conferentiae. Hoc saltem hic statuatur, quod Praeses Conferentiam convocat eique praesidet. Quare ad textum n. 19, § 1 addatur: « Ad normam iuris a Nationali Episcoporum Conferentia conditi designandus est Praeses ad Conferentiam convocandam eamque praesidendam » (SCHÄUFELE).

176 – *ibid.*: Sic articuli textus reformetur: « Episcopi omnes, necnon et Coadiutores et Auxiliares, Vicariis generalibus et capitularibus exceptis, si dignitate episcopali non fulgeant, cuiuscumque ritus sint, de iure et cum suffragio deliberativo ad Nationalem Episcoporum Conferentiam pertinent » (HERRERA).

177 – *ibid.*: Ita dicatur: « Ex peculiaribus statutis Episcopi Auxiliares, in Natione degentes, possunt... ». Iisdem enim magis competere videtur, quam ceteris Episcopis titularibus, ut partem habeant in Conferentia Episcopali (DAMMERT BELLIDO).

N. 20. [*Consilium et Commissiones constituendae*]

178 – l. 23: « 1) Competentia iuridica Consilii permanentis, de quo in n. 20, 1; et Commissionum, de quibus in n. 20, 2 sit tantum praevia propositio, discussio et descriptio (non autem decretatio) earum animadversionum circa quas per universale Episcoporum totius nationis suffragium scripto datum deliberare oporteurit.

2) Repraesentatio in Consilio permanenti cuiusque coetus Episcoporum alicuius regionis vel provinciae ecclesiasticae non solum per Primatem vel Metropolitam fiat qui Conferentiae Re-

gionali praeest, sed etiam per alterum Episcopum eiusdem Regionis vel Provinciae suffragiis ceterorum Confratrum electum » (DADONE).

179 – *ibid.*: « Consilium tale permanens ex natura rei non postulatur (v. g. in Conferentiis Episcoporum Germaniae non habetur). Insuper hic determinari deberet, utrum Episcopi in hoc Consilio cooptati semper iidem sint necne. Praeterea notandum est, quod existunt Conferentiae ex paucis tantum Episcopis constantes; quare singulo Episcopo committi debet peculiare negotium in Conventu plenario tractandum. Inde textus fere ita mutetur:

« E gremio uniuscuiusque Conferentiae, in quantum opus est, constituatur:

§ 1. Consilium permanens, ex aliquibus Praesulibus per suffragiorum maioritatem relativam pro certo annorum numero eligendis, quod ...

§ 2. Commissiones ... titularis. Si autem Conferentia Nationalis paucis tantum constat Episcopis, possunt etiam uni ex membris Conferentiae peculiaria negotia committi, ut de iis in Conventu plenario tractet » (SCHÄUFELE).

N. 21. [*Secretariatus generalis*]

180 – l. 30-31: « Secretariatus generalis ex ipsa re non postulatur (v. g. Conferentia Episcoporum Germaniae non habet Secretariatum). Proinde post verbum " insuper " addatur: " in quantum opus est " » (SCHÄUFELE).

181 – *ibid.*: addatur: « Secretarius generalis constituitur ab ipsa Conferentia Episcoporum » (NÉCSEY).

III - DE CONFERENTIAE DECISIONIBUS

N. 22. [*Principium generale*]

182 – p. 16: n. 22 et 23 nimis coarctant ius Episcopi; textus hoc fere modo mutetur:

n. 22: « Firmo ... coadunatis, vim consultivam habent, quas tamen unusquisque Episcopus, nisi obstent peculiares rationes, accipiat et ad effectum deducat ad unitatem fovendam et bonum commune in universa Natione promovendum » (SCHÄUFELE).

183 – l. 1: Loco: « Firmo praescripto n. 24 » dicatur: « Firmis praescriptis nn. 23 et 24 », cum etiam n. 23 provideat pro casibus in quibus decisiones Conferentiae Episcoporum ad effectum non deducantur (CONWAY).

184 – l. 2: Sufficit dicatur, loco « Nationali », in « Conferentia Episcopali », quia etiam aliae dari possunt Conferentiae (WELYKYJ).

185 – l. 4: Omittantur verba: « et ad effectum deducantur » (AHERN, Ep. Cloynen.; FERGUS; O'CALLAGHAN; PHILBIN; HANLY; BROWNE; MURPHY, Ep. Limericien.; MORRIS, Arch. Cassiliensis).

186 – l. 5: « In fine nota 7 deleatur: Ipsa nota in p. 18 sub n. 7 adducitur ita, ut deductio ad actum singularum decisionum ad Episcopum relinquatur. Puto melius esset, ut decisiones a Conferentiis latae et acceptatae suam iuridicam vim habeant » (NÉCSEY).

N. 23. [*De Episcopo contra decisiones agente*]

187 – l. 9: In fine huius numeri 23 addatur: « necnon Apostolicam Sedem »; agitur de re gravissimi momenti (SCAPINELLI).

N. 24. [*Quandonam decisiones etiam iuridice obligent singulos Episcopos*]

188 – « Perutile esset, censeo, si in lucem clarius poneretur, singulos Episcopos etiam iuridice obligatos esse ad normas in hoc numero sancitas servandas, quia eas ipse Summus Pontifex, immediatus Pastor pastorum et fidelium, statuere dignatus est » (SCAPINELLI).

189 – *ibid.*: Si Conferentia rationes agendi sufficientes non invenit, quid faciendum? (BATANIAN).

190 – *ibid.*: Episcopus ob peculiares rationes contra decisiones Conferentiae in sua dioecesi agere intendens, Conferentiam per ipsius Praesidem hac de re certiorem faciat (SCHÄUFELE).

191 – *ibid.*: Sermo praeferendus: « Episcopus agere non debet contra decisiones Conferentiae in casu particulari in sua dioecesi nisi ob graves rationes ». Reliqua omittenda (LANE).

192 – l. 8-10: Haec provisio mihi non placet, nam videtur esse indebita incursio in gubernium dioecesis Episcopo residentiali con-

creditum, interponit auctoritatem inter Sanctam Sedem et Episcopum et moras aliaque inconvenientia inducere potest (SHEHAN).

193 – l. 12: Addantur haec verba: « Conferentiae Nationali Episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum Conciliorum plenariorum in regione » (FERGUS, Ep. Achadensis; HANLY; PHILBIN; MURPHY; CONWAY; MORRIS; O'CALLAGHAN).

194 – l. 13: Sufficitne maioritas duarum ex tribus partibus? (SEITZ).

195 – l. 14: « Ad verba " necnon ab Apostolica Sede recognitae ". Onerosior videtur recursus ad Sanctam Sedem pro omnibus ac particularibus regionis rebus. Haud simile " Concilio Nationali " (quod statuta stabilia fert hac approbatione indiget Summi Pontificis), " Conferentia " saepe saepius de hic et nunc agendis sententiam practicam determinat. Si igitur approbatio Sanctae Sedis requiratur, eadem necessaria statuatur solummodo si sententia Conferentiae haud fuit moraliter unanimis vel sit contra ius commune. Aliter adhuc cumulatior fiet congeries rerum in Capite " centralizatio " quam Sacrosanctum Concilium potius cupit alleviare, sparsis per diversa membra oneribus » (COORAY).

196 – l. 15: « Schema bene exaratum mediam inter maximalistas et minimalistas tenet viam. Optimum Episcopis fecit donum summa saltem iuridica lineamenta definiendo. Sine enim decisione iuridica quaestio proposita inanis esset.
In linea 26-28, supprimantur vocabula: « simulque » usque ad « communiendam ». Ratio: Sensus iste iam in lineis 13-15 subintelligitur. P. 18, supprimatur nota 7, quia non est necessaria (GAWLINA, Arch. tit. Madytensis).

197 – l. 22: « In n. 23 statuitur Episcopum in casu aliquo particulari ob graves rationes contra decisiones Conferentiae in sua dioecesi agere posse. At vero, in n. 24 casus taxative enumerantur in quibus decisiones Conferentiae singulos Episcopos iuridice obligant, dum e contra in n. 22 affirmari videtur eosdem obligatione adstringi quaslibet Conferentiae decisiones semper et sine ulla exceptione ad effectum deducendi » (MORRIS).

198 – *ibid.*: Accuratius determinetur quaenam sint declarationes maioris momenti, dicendo: « b) quando agatur de declarationibus, quae per quattuor saltem ex quinque partibus suffragiorum iudi-

cantur maioris esse momenti et inde publice faciendae nomine Nationalis Episcoporum Conferentiae » (SCHÄUFELE).

199 – *ibid.*: « Quando agatur de declarationibus maioris momenti... ». Proponitur sequens mutatio: « quando agatur de declarationibus nomine Nationalis Episcoporum Conferentiae publice faciendis, quas duae saltem ex tribus partibus Praesulum iudicant esse maioris momenti ».

Ratio: ut evitentur conflictus circa id quod in casu concreto habendum sit ut declaratio maioris momenti (Ep.i Indonesiae).

200 – l. 21-24: « Deleantur ea quae sub (b) et (c) habentur, quippe quae sufficienter generali modo sub (d) praevidentur. De iuribus ac de obligationibus Episcoporum " minoritatis " aliquid clarius statuatur » (Episcopi Africae Meridionalis).

201 – l. 25: « Minime placent omnes provisiones n. 24, speciatim eae quae sub littera « d » declarantur, in quantum iuridice ligare Episcopos dissentientes intendatur. Et quidem, etsi unitas in Episcopatu alicuius nationis magnopere optanda sit, speciatim in relationibus cum Gubernio civili, confundi tamen non debet haec unitas cum uniformitate. Et si Episcopus dissentiens, seu Episcopi dissentientes, ex eo quod non sit unus eorum qui duas ex tribus partibus efformant, iuridice cogeretur opinionem maioritatis sequi, videretur contradicere naturae monarchicae episcopatus residentialis, quae natura monarchica esse iuris divini apparet.

Praeterea, praefata provisio est nimis ambigua; nam et ipsa maioritas ex sese declarare potest quaenam res ut graves considerari debeant, quin aliis Episcopis dissentientibus uti graves appareant. Et sic practice regimen alicuius dioecesis particularis, in his rebus saltem, transiret ex regimine monarchico in regimen aristocraticum: quod doctrinae catholicae repugnare videtur. Singuli Episcopi solum Sanctae Sedi directe subditi sunt: non corpori aut maioritati aliorum Episcoporum. Provisiones n. 24, uti in textu iacent, videntur nimis periculosae et abusibus aut aptae aut faventes » (KROL).

202 – l. 26: Ne semper qualificata minoritas victas manus dare debeat, textus sic mutandus est: « Quando ... simulque quattuor saltem ex quinque partibus Praesulum ... communiendam » (SCHÄUFELE).

IV – De relationibus inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum

N. 25 [*Relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum*]

203 – p. 17, l. 3: addatur: « ... Nationum vel rituum ad maius ... » (Welykyj).

204 – *ibid.*: Relativa quaedam centralizatio est revera valde desideranda. Dicere solummodo « foveantur », parum esse videtur. In nota 10 plures opportunae declarationes ponuntur (Seitz).

Caput IV

DE DIOECESIUM AC PROVINCIARUM CONGRUENTI CIRCUMSCRIPTIONE

N. 26. [*Prooemium*]

205 – p. 20, l. 1-26: Textus brevietur et stylo conciliari aptetur. Est potius quaedam iustificatio, immo excusatio (Welykyj).

206 – l. 1-12: « Normae optimae sunt et necessarium est quod hic statuitur. Continuatio condicionis, quae in eadem natione tolerat dioeceses minimas quoad territorium et fidelium numerum, sine possibilitate parandi ea quae ad vitam actuosam et gubernium dioecesis necessaria sunt, et dioeceses enormes in quibus efficax regimen impossibile est, maximi videtur esse damni ad vitam christianam fovendam et regnum Dei aedificandum.

Sed haec consilia pia et irrita desideria manebunt si praeiudicia sic dictae traditionis et ambitiones praevalebunt; si non vitam quaeremus et appetemus, sed historiam, quae vita non est sed vitae haud fida magistra. In hoc rerum discrimine, dum omnia mutantur et semper novae et graves quaestiones oriuntur, sistere non potest Ecclesia, timens rumores manantes per compita, et fallaces fucos » (Santin, Arch. Ep. Tergestinus).

207 – l. 5-7: Veritas rei hanc mutationem textus postulare videtur: « ... Episcopi impares sint personaliter, uti opus est, singulos sacerdotes bene cognoscere paroeciasque interdum visitare; at pariter... » (Schäufele).

208 – l. 7-9: « Prorsus necessaria videtur dioecesium nimis parvarum unio. Perdifficile enim est istarum dioecesium regimen propter carentiam personarum, conlaborationis, mediorum apostolatus, etc. Multa problemata in parvis dioecesibus sunt paene insolubilia » (CAMINADA, Ep. Ferentinus).

209 – l. 23: Praeter rationes geographicas, demographicas et sociales hic consideratas, oportet ut etiam rationes psychologicae et historicae considerentur (MEOUCHI).

N. 27. [*Principium generale*]

210 – l. 29: « Magnopere exoptatur ut in novarum dioecesium erectione non amplius obligatio statuatur canonicorum Capituli Cathedralis erigendi, et ut in Codice reformato institutio Coetus Consultorum dioecesanorum ex communi iure efficiatur, neque consideretur ut creatio ad tempus, i. e. dum Capitulum Canonicorum Cathedrale instauretur (cc. 391, § 1 et 423). Optandum etiam videtur ut Episcopi Praesides, quibus id placeat, possint cum omni prudentia Capitulum suum Canonicorum abolere, aut desinere vacantias occurrentes complere, ita ut haec institutio paulatim decidat cum in plurimis dioecesibus absit, neque iam exigentiis hodiernis neque mentibus hominum praesentium correspondeat » (BAUDOUX).

211 – *ibid.*: « Haec paragraphus maximi interest, quia statuit ut dioeceses quae nimis magnae sint in plures minores dividantur. Reapse hodie multae dioeceses nimis magnae sunt, plerumque ratione incolarum numeri, ut, v. g., dioeceses, quae easdem fere circumscriptiones ac maximae urbes habent.

Quamquam quidem magna dioecesis — praesertim si urbs sit etiam caput nationis — saepe difficiliter nec sine incommodis in plures minores dividitur, multo tamen graviora incommoda dioecesis pateretur si pastorali curae unius Episcopi committeretur multitudo nimis magna clericorum, religiosorum et laicorum. Bonum animarum nimirum postulat ut, incommodis quibuscumque posthabitis, strenue certaretur eas circumscriptiones definire quae curae pastorali magis aptae essent.

Perperam haec nova distributio censeretur, a priori, ut nimis difficilis; etiam in maximis urbibus quaedam naturales circumscriptiones inveniuntur. Ut exemplum proferam, duo dioeceses inveniuntur intra circumscriptiones civiles urbis Londonen-

sis, tres intra circumscriptiones eiusdem urbis " ad epistulas " (London Postal District). Experiendo invenietur, credo, aliquid simile in aliis urbibus fieri posse, e quo Ecclesia haud minima commoda compararet.

Opus hic est animo forti et voluntate nova exquirendi media novis condicionibus accommodata.

Plures minores dioeceses e tanta divisione oriundae in Conferentiam facile coadunari possent, quae coniunctio efficeret ut opera sua rite coordinarentur » (DOOLEY, Arch. tit. Macrensis).

212 – l. 27-32: « Estne aliquid ex iure stabiliendum de divisione bonorum ecclesiasticorum his in casibus? » (KROL).

213 – l. 32: « In nota 1, Seminarium proprium ut criterium necessarium ad dioecesis existentiam consideratur; quaerimus nonne hoc contradictorium sit cum schemate " De Clericis " quo Seminaria interdioecesana proponantur » (Ep. Prov. Aquensis etc.).

214 – l. 31: « Cautius loquerer de suppressionibus; non est in praxi Ecclesiae suppressio sedium Episcopalium, prout testantur fere omnes Sedes titulares in Oriente, quae hodie conceduntur. Imo, Sedes hae ad invicem unitae, possunt optime concedi in titulum Auxiliarium et Coadiutorum harum dioecesium. Hoc fuit in praxi in quibusdam Regionibus Orientalium » (WELYKYJ).

215 – p. 21, l. 1: Post verba: « Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptiones, ubi utilitas id suadeat, opportune recognoscantur » apponatur nota 2, quae in pag. 23 his verbis exprimatur: « Finito primo bello, quod in universo mundo flagravit, facies Europae centralis, omnino mutata est. Novae ortae sunt respublicae, resp. existentes sunt auctae (Cecoslovacchia, Iugoslavia, Romania) in quibus magnae regiones nec in dioeceses nec in provincias sunt coadunatae, quod valde desideratur » (NÉCSEY).

216 – *ibid.*: Textus ita aptius reddatur: « Ubi utilitas id suadeat, Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur, Provinciae vero in regiones ecclesiasticas componantur » (Ep. Africae Centro-Orient.).

217 – l. 5: « Optima regula, per se. At, melius esset, si possit aliquantulum temperari, ne sonet tamquam nimis absoluta, nullam exceptionem admittens » (SCAPINELLI).

218 – l. 8: Addere oportet: « Aut, si agitur de archidioecesi erecta in Urbe capite provinciae civilis, cooptetur provinciae ecclesiasti-

cae viciniori et Archiepiscopus cooptatus efficiatur Vice-Praeses provinciae ecclesiasticae » (BAUDOUX).

219 – *ibid.*: Adderem in fine: « ... iuris communis et exceptis excipiendis » ne videatur quod subiectio immediata Sedi Apostolicae est omnino sublata; adsunt enim circumstantiae, in quibus talis subiectio esset necessaria (WELYKYJ).

N. 28. [*Unio dioecesium*]

220 – l. 12: Addendum videtur: « Seu coetus consultorum dioecesanorum » (BAUDOUX).

221 – l. 14: Post verba: « Sedes Episcopalis », adderem haec verba: « Salva quadam praerogativa honoris Sedi principaliter vel ad invicem unitae ». Hoc modo forsan tranquillius haec unio perfici posset, saltem quod spectat populum, qui traditionibus saepe tenaciter adhaeret (WELYKYJ).

N. 29. [*Fines dioecesium*]

222 – l. 16-18: Supprimantur verba: « Si... ita fiat ut ».
Ratio: in eo est, ut omnino evitentur inserta territorialia in corpore dioeceseos unitatem et simplicitatem efficientis; quapropter suppressa prima parte textus, sufficit reliquum » (GAWLINA).

223 – l. 20: Post ultima verba: « pertineant dioecesim », adderem sequentia vel similia: « nisi agatur de eparchiis ecclesiarum Orientalium », vel etiam hoc modo: « nisi agatur de dioecesibus ritibus distinctis ». Et hoc ut salvum maneat quod proponitur in schemate « de Ecclesiis Orientalibus » (cf. n. 5, et in genere ubi agitur de tuitione rituum orientalium) (WELYKYJ).

N. 31. [*Dioeceses personales ratione ritus*]

224 – l. 25-28: « Optandum est ut dioecesis personalis non erigatur nisi numerus eius fidelium aequivaleat plus minusve numero fidelium alicuius dioecesis territorialis » (SCHÄUFELE).

225 – l. 27: « Condiciones dioeceseos personalis exactius determinentur ne dioeceses sine sufficientibus rationibus creentur » (Ep.i Africae Centro-Orientalis).

226 – l. 28: Addatur: « sive propriae dioecesis, sive alterius dioecesis finitimae » (BAUDOUX).

227 – l. 25-28: « Crediderim e contra Ecclesiae profuturum si iurisdictio localis ubique paulatim restituetur, vel instaurabitur. In non paucis locis nimiae oriuntur difficultates et admiratio inter fideles ob simultates inter duces eorum spirituales ratione rituum dissidentium. Instauretur iurisdictio exclusive localis, cum cautionibus ut necessitati spirituali, immo legitimis desideriis fidelium singulorum rituum plene satisfiat (ut puta per Vicarios generales pro variis ritibus, moderante unico Episcopo, vel bene multis aliis rationibus).

Omnibus ritibus permittatur apostolatus apud infideles (cogito praesertim de India) sub auctoritate unius Episcopi localis: multum favebitur diffusioni fidei catholicae, quin oriantur difficultates deprecandae » (JANSSEN, Praep. Gen. Societatis Iesu).

228 – *ibid.*: Schema admittit dioeceses personales ratione ritus; si id tanquam minus malum haberi potest ob peculiares circumstantias temporaneas, diasporam, tamen recipi nequit tanquam norma ordinaria, quia nocet manifestationi locali unitatis Ecclesiae. Adnotandum quod iam amplius non considerantur Ordinarii Castrenses (SEITZ).

229 – *ibid.*: « Comparetur cum textu schematis Comm. de Ecclesiis Orientalibus (n. 5, p. 6). Forsan non est opportunum ut hic determinetur personalitas Eparchiarum Orientalium; relinquendum Sedi Apostolicae ut determinet characterem harum Eparchiarum vel dioecesium » (WELYKYJ).

230 – *ibid.*: Ex experientia in Aegypto constat quod dioeceses personales causa sunt damnorum et difficultatum. In Oriente necessaria est unitas directionis in regimine et quoad externas relationes cum Gubernio civili. Optatur ut pro diversis Ritibus solummodo Vicarii generales constituantur (SIDAROUSS).

231 – *ibid.*: « Experientia patet saltem in Indiis Orientalibus duplicem iurisdictionem, territorialem scilicet et personalem, ubi viget, ansam dare invidiae, rixis, et dispersioni inutili virium. Cum Orientales etiam ius habeant evangelizandi et simul gaudeant maiore copia opum et hominum, territoria duplicis iurisdictionis sensim sine sensu se extendent ubicumque, cum consequentiis malis supra enarratis. Ad hoc praecavendum melius esset creare ritum nationalem e ritu Orientali et Latino adaptatum, qui inservire poterit et Orientalibus et Latinis, cum iurisdictione una territoriali communi » (SIMONS, Ep. Indorensis).

N. 32. [*Commissio de dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum mutationibus*]

232 – l. 30-35: « Talis Commissio minime desideratur; si huiusmodi quaestio oritur, tunc de re videant — et videbunt — Episcopi, quorum interest. Ideo textus iste deleatur » (SCHÄUFELE).

233 – *ibid.*: « Optimo cum consilio haec statuuntur. Utinam et pro eligendis Episcopis, hoc criterium in posterum etiam sequatur. Immo, et cum interventu Cleri et fidelium, saltem illorum qui apostolice adlaborant plus immediate cum Hierarchia ac proinde melius quam alii possunt supradictum interventum aestimare. Ita Episcopi ministerium inde ab initio valido adiutorio gauderent quod in dies magis ac magis adaugeretur et quidem maximo cum profectu animarum et in bonum Ecclesiae. Sic etiam abs dubio perplures difficultates superabuntur » (HERRERA).

234 – *ibid.*: « Opportunius videtur relinquere iudicio Sedis Apostolicae constituere hanc Commissionem iuxta necessitates locorum et temporum. Etenim eiusmodi Commissio vix respondet necessitatibus permanentibus uniuscuiusque Nationis. Quando circumstantiae hoc requirant, aptius et congruentius inceptum relinquatur Sedi Apostolicae, cuius est de condicionibus iudicare, eo magis quod semper Ordinarii locorum audiuntur in his casibus » (RAIMONDI).

235 – l. 31: Dictio « permanens » videtur superflua et inutilis, quia non est negotium tam frequens permutatio dioecesium. Et esset institutum quasi mortuum. Sufficit ut dicatur « peculiaris Commissio » (WELYKYJ).

CAPUT V

DE PAROECIARUM ERECTIONE DEQUE EARUMDEM CONGRUENTI CIRCUMSCRIPTIONE

N. 33. [*Prooemium*]

236 – p. 24, l. 1: « Quamvis magni momenti sit paroecia, certe, in hoc prooemio, augetur; minuenda ergo ibidem sunt verba ut interparoeciales suum locum habeant institutiones, tam necessariae quidem nunc, praesertim in urbibus » (Episc. Prov. Aquensis etc.).

237 –l. 2: « Deleatur " omnis " et substituatur: " ordinaria ". Omittantur in lin. 3 et 4: " instimulatur atque ordinatur " » (Conf. Africae Centro-Orient.).

238 – *ibid.*: « Verba " dioecesis veluti cardo " deleantur, quia nimis efferunt paroeciam.

Eadem de causa ponatur loco " omnis pastoralis navitas " haec expressio " ordinaria pastoralis navitas " » (SCHÄUFELE).

239 – l. 5: « Verbum " ampliores " deleatur, quia vi huius Decreti Episcopis auctoritas de hac materia per se decernendi simpliciter recognoscitur » (Conf. Africae Orient.).

240 – l. 5-6: Substituantur verba: « ... ampliores habuerint Episcopi facultates » verbis « ampliore fruantur Episcopi potestate » (BAUDOUX).

241 – l. 1-15: Prooemium brevius fiat, quia explicationes sunt obviae et patent, et non sunt necessariae pro decisionibus Concilii (WELYKYJ).

242 – l. 23: Quod optime dicitur in Cap. IV, n. 29, de continuitate territorii dioecesani, maxime applicandum esse videtur paroeciis (PIRELLI).

N. 35. [*Qua auctoritate id fiat*]

243 – l. 26: Completiorem sensum efficere his verbis: « auditis Capitulo Cathedrali seu consultorum dioecesanorum coetu et iis, ... » (BAUDOUX).

244 – *ibid.*: « Cur obligatio audiendi Capitulum Cathedrale, cuius membra manent extra functiones paroeciales et in hoc negotio utilem non praebent competentiam? » (RICHAUD).

245 – *ibid.*: « Mihi utile videtur si inter eos quorum interest speciatim nominentur fideles qui audiendi sunt vel singulatim vel per suos praecones.

Praeter paroecias personales (n. 36) forsan utile erit si in Concilio consideretur opportunitas erigendi etiam paroecias secundum aetatem vel professionem, e. g. iuvenum vel praeceptorum vel opificum » (MASON).

246 – l. 26-27: Loco « auditis Capitulo cathedrali et iis, quorum interest, si qui sint, praesertim rectoribus ecclesiarum » dicendum

est: « auditis Capitulo cathedrali et parochis vel rectoribus ecclesiarum, quorum interest... » (SCHÄUFELE).

247 – *ibid.*: Omittenda verba: « Capitulo cathedrali etc. » ita ut reddatur paragraphus: « Episcopus valet auctoritate propria, auditis iis, quorum intersit, si qui sint, etc. » (LANE).

248 – *ibid.*: « Difficultates in hac materia semper surgunt, qua de causa melius esset si affirmetur simpliciter quod Episcopus auctoritate propria paroecias dividere potest. Immo, et graviter eius onerata conscientia hoc fiat, in quo et Capitulum vel Consultores dioecesani et illi quibus interest plane voto favorabili acquiescant tamquam veri coadiutores Episcopi in regimine dioecesis » (HERRERA).

249 – l. 27: Viso praescripto can. 1422 CIC in voto est ut haec paragraphus includat haec vel similia verba: « Episcopus ... quaslibet paroecias etiam illas commissas Religiosis exemptis ... » (KAVANAGH, Ep. Dunedinensis).

250 – l. 29: Addatur post verbum « unire » phrasis « etiam unione extinctiva ». Ratio: ut clarius exprimatur auctoritas Episcopi (SHEHAN).

251 – N. 35 et 36, p. 24-25: pro « audito Capitulo cathedrali », legatur: « auditis Consilio suo et suis cooperatoribus in cura pastorali » (WEBER).

N. 36. [*Paroeciae personales*]

252 – p. 25, l. 1: Nulla iam adest ratio multiplicandi paroecias personales. In regionibus ubi plures alius stirpis vivunt cum populo eiusdem loci, occasio *razzismo* dari potest. Ipsa Actio Catholica specializata gravia problemata creat propter divisiones quae exoriuntur in paroecia (SEITZ).

253 – *ibid.*: « In praxi pastorali, saltem in quibusdam regionibus (v. g. Asiae, Africae ...), nonnisi aegre et non sine plurimis difficultatibus habentur paroeciae simpliciter personales. Forsan optandum est ut possint erigi paroeciae quae sint simul territoriales quoad omnes in territorio degentes et personales quoad determinatas personas, quas etsi in aliis territoriis degentes, ab eadem paroecia iuridice pendant » (JACQ).

254 – l. 2: Ita recognoscatur: « Paroecias personales pro fidelibus diversi sermonis aut stirpis etc. ... ».

Non videtur opportunum quod Episcopus erigere valeat paroeciam diversi ritus, inconsulta Sede Apostolica (NICODEMO).

255 – l. 2-4: « Expungatur: " stirpis "; dicatur " diversi sermonis et praesertim ritus ".

Expungatur " immo erigere studeat ", ita ut linea 4-5 textus sonet: " erigere valet, quoties et quamdiu ".

Restringatur ergo tota paragraphus ad diversitatem ritus, quia pro diversitate sermonis et a fortiori stirpis provideri potest per vicarium cooperatorem vel missionarium » (Conf. Ep. Africae Centro-Orient.).

256 – *ibid.*: Addatur: « Ubi agitur autem de novis paroeciis fundandis propter diversitatem sermonis vel stirpis, hae erigi non debent sine vera necessitate ».

Ratio: multiplicatio paroeciarum sic dictarum nationalium raro videtur esse in verum commodum animarum (SHEHAN).

257 – l. 3: « Placet quod Episcopus auctoritate propria paroecias personales erigere valet. Sed Episcopus etiam debet habere ius supprimendi vel mutandi in paroecias territoriales paroecias personales iis in locis ubi olim plures fideles diversi sermonis aut nationalitatis stabiliter commorati sunt sed nunc fere omnes fideles sunt eiusdem sermonis et nationalitatis. Saepe accidit in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis et in aliis nationibus ad quas plures immigrantes venerunt quod filii immigrantium facti sunt cives novae patriae, loquentes eamdem linguam ac alii cives illius nationis. His in casibus, paroeciae personales non sunt necessariae nec utiles » (SPELLMAN, Arch. Neo-Eboracen.).

258 – l. 4: Addenda sunt post verba « auditis Capitulo cathedrali » sequentia: « seu consultorum dioecesanorum coetu » (BAUDOUX).

259 – l. 5: Supprimatur: « vicarium cooperatorem ».

Ratio: Opus pastorale pro fidelibus diversi sermonis aut stirpis per modum vicarii cooperatoris exercendum omnino inefficax evenire potest, quod in Commissione Praeparatoria non pauci Patres (RUPP, KHOREICHE, MENSA, BRIZGYS, GAWLINA, SZRANT) indicaverunt. Vicarius enim cooperator semper iussibus et disposi-

tionibus parochi territorialis, i. e. non compatriotae emigratorum obnoxius esse debet; ideo normaliter, experientia teste, detrimentum capit pastoralis cura emigratorum.

Veram solutionem praebet paroecia personalis aut mixta aut missionarius, non vero nimis impeditus vicarius cooperator (GAWLINA).

260 – l. 1-7: « Hic textus vindicat Episcopo ius erigendi paroecias personales; analogice ad n. 35 Episcopo etiam ius competere debet paroecias personales iterum supprimere, si inutiles evaserint. Inde ad n. 36 fere hoc addendum esset:

« ... nequeat. Si autem sufficiens fidelium numerus respective sermonis aut ritus aut stirpis non iam exstat, Episcopus valet paroecias personales iam erectas, auditis capitulo cathedrali et parochis consultoribus, supprimere » (SCHÄUFELE).

261 – l. 7: « In fine huius capitis adderem, si hoc possibile sit, ut parochi paroeciarum, praesertim ruralium, quae inter se non longe distant, in unum presbyterium uniantur, ad fovendam vitam spiritualem et intellectualem sacerdotum saltem iuniorum, et ideo ad provehendam eorum actionem pastoralem; iidem enim, pro necessitate, statim — per hodierna instrumenta communicationis et locomotionis — se conferre possunt quocumque proprium munus exercere debeant.

Quae res non taxative esset statuenda, sed potius Episcopi iudicio relinquenda, ita ut, pro necessitate paroeciarum et sacerdotum, facultas id disponendi Episcopo recognoscatur, absque necessitate ad Sanctam Sedem recurrendi pro dispensatione a lege residentiae » (SCAPINELLI).

N. 37. [*Ecclesiae religiosorum pro paroecialibus fungentes*]

262 – l. 8-14: Expedire videtur ut iste numerus supprimatur quia graves exorirentur difficultates. Forsitan religiosorum Superiori maiori proponi posset ut vel ad tempus cedant usum propriae suae ecclesiae, vel iidem ad tempus acceptent officium paroeciale (RUSSO).

263 – l. 13-14: Idem dicendum esset de ecclesiis propriis religiosarum, ideoque derogatio fieri deberet can. 609 § 2 CIC; in pluribus locis enim aliae ecclesiae desunt. Debitae cautelae essent utique adhibendae (DAMMERT BELLIDO).

264 – *ibid.*: « Textus de " ecclesiis religiosorum virorum " loquitur. Sed aliquando religiosae feminae habent sat grandem, praesertim proprium chorum religiosarum, ecclesiam semi-publicam. Bonum mihi videtur si ea in certis casibus uti, ut ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali, ex iure liceret » (MÉNAGER).

265 – l. 14: « Post ultima verba: " paroeciales ", addatur haec clausula: " salvis necessitatibus communitatis religiosae ". Saepe est unicus locus cultui communitatis religiosae destinatus, qui cultus normis praecisis regitur; esset fons dissidiorum, si non habetur debitus respectus harum necessitatum » (WELYKYJ).

3 – INTRODUCTIO EM.MI P. D. PAULI CARD. MARELLA *Praesidis commissionis de episcopis ac de dioecesium regimine*

Em.mi Praesides, venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Per schematis Decreti « De Episcopis ac de Dioecesium regimine » disceptationem Concilium Vaticanum II nunc argumenta proprie et stricte pastoralia pertractare incipit, quae deinde — favente Deo — accuratius ac plenius evolventur, cum de schemate agetur Decreti « De Cura Animarum ».

1. In schemate Decreti, quod in praesenti attente perpendendum Concilii Patribus proponitur, deliberato consilio nulla expressa et directa consideratio facta est de his quae pertinent ad doctrinam theologicam de Episcopatu, de qua — sane — iam accuratissime disceptatum est in examinando schema Constitutionis dogmaticae « De Ecclesia »; et patet profecto quod, postquam eiusmodi doctrina rite determinata et approbata fuerit, eidem plene et perfecte aptabuntur notiones et conclusiones quae in schemate Decreti « De Episcopis ac de Dioecesium regimine » continentur et ordinem seu relationem habent cum doctrina theologica de Episcopatu.

2. Normae iuridicae et pastorales de munere Episcoporum statuendae proponuntur, quarum plures in iure divino — firmo semper et immutabili ex sua propria natura — utique fundantur, sed in se iuris tantum sunt ecclesiastici, quod evolvi et perfici potest, eaedemque communiter omnes Episcopos in universa Ecclesia respiciunt, quamvis nonnullae non ubique statim ad exsecutionem mandari poterunt, ob

diversas locorum et personarum condiciones ac praecipue ob nondum plenam perfectamque organizationem sacrae hierarchiae alicubi constitutam.

3. Decretum inscribitur « De Episcopis », sed in ipso non de omnibus quaestionibus agitur, quae ad personam Episcopi attinent qua ipse est magister et pastor et rector fidelium; agitur tantummodo: de rationibus inter Episcopos et Sacras Congregationes Curiae Romanae; de Episcopis Coadiutoribus et Auxiliaribus; de nationali Episcoporum Coetu seu Conferentia; de dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione; de paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione. Quinque eiusmodi Decreti capita intime inter se cohaerent.

In suo territorio Episcopus omnia apostolatus opera regit, cum Petro et sub Petro, gregis sibi commissi rationem Deo redditurus. Exercitium spiritualis actionis Ecclesiae in toto orbe terrarum mirabiliter connectitur et necessariae rationes intercedunt inter Romani Pontificis et singulorum Episcoporum potestatem. Per Curiam Romanam Successor Petri negotia expedit in quibus et ipsius potestas exercenda est ad servitium Episcoporum in suae cuiusque dioecesis regimine administrando.

Hodiernis autem temporibus apta et tempestiva esse potest opera Curiae Romanae in commodum Episcoporum, cum celerrimum sit epistularum commercium, et brevissimo tempore longissima itinera conficiantur, et quamplures Episcopi ex toto orbe catholico ad limina Apostolorum sine intermissione accedant: quo fit, ut in Curia Romana certa et accurata habeatur singularum dioecesium notitia, et usus ac mores, indoles mentisque ingenium apprime cognoscantur cuiusvis regionis; quae omnia inter se valde differunt, pro diversitate populorum, de quibus Pius Pp. XI, f. r., perbelle dixisse fertur: « I popoli li ha fatti Iddio attraverso la geografia e la storia ».

Sed insuper adnotare iuvat Nuntios et Delegatos Apostolicos, qui in quamlibet mundi partem mittuntur, quamplurimum prodesse ad Sanctam Sedem certiorem reddendam de singularum regionum statu et ad ipsius servitium Ordinariis locorum praestandum in negotiis spiritualibus et temporalibus suae cuiusque dioecesis gerendis. Per Legatos enim Romani Pontificis faciliores et expeditiores fiunt Ordinariorum relationes cum Sede Apostolica, integro servato libero propriae eorum cuiusque iurisdictionis exercitio (cf. CIC, can. 269, § 1). Nuntiis autem committitur praeterea ut, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes foveant inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur, ut iura Ecclesiae eiusdemque libertas

et autonomia tutentur ad bonum fidelium melius et efficacius promovendum: quod, profecto, etiam in magnum commodum cedit Ordinariorum locorum in munere suo rite explendo. Propria igitur Episcoporum auctoritas qui Apostolorum sunt Successores, ab hac Sacrosancta Synodo publice et aperte rursum asseritur et vindicatur, iisque proinde ampliores facultates ipso iure exercendae recognoscuntur, quibus et aliae recognoscendae libere proponi poterunt a Concilii Patribus, dum huius schematis Decreti « De Episcopis » disceptatio fiet. Praeterea vero, ipsa Curia Romana non est quaedam organizatio, quae nullam instaurationem umquam admittat; sicut in temporum decursu plures habuit innovationes, ita pariter et in futuro evolvi et perfici poterit.

4. Episcopus idoneos et efficaces collaboratores habeat oportet, qui cum ipso sint corde uno et anima una in cura pastorali exercenda: presbyteros dicimus et parochos praecipue, qui coniunctissime vivunt cum populo Dei, cum fidelibus scilicet, in quorum memoriam et Episcopum et Romanum Pontificem continuo revocant eosdemque apud illos quodammodo repraesentant. De parochis quamplura exponuntur, in schemate alius Decreti « De cura animarum », quod postea, suo ordine, disquirendum erit.

In capite secundo schematis Decreti, de quo mox in praesenti disputatio fiet, de Episcopis Coadiutoribus et de Episcopis Auxiliaribus agitur, quorum potestas augenda proponitur, ut bono communi fidelium aptius prospiciatur. Hinc, forsan pluribus Concilii Patribus videbitur quod minuatur auctoritas et potestas Episcopi, cui Coadiutor vel Auxiliaris constituitur, quae sarta tecta semper esse debet; at tamen, si res attente perpendetur, certum apparebit quod dioecesis regimen ipse unus Episcopus adiutus vere conservat.

Ceterum, normae quae in hoc schemate Decreti proponuntur de amplioribus facultatibus Episcopo Coadiutori et Episcopo Auxiliari tribuendis, universam Ecclesiam respiciunt, nec simpliciter eo ipso reiciendae sunt eam tantummodo ob causam quod in quibusdam regionibus hucusque in usu et more fuit Episcopos Auxiliares paucis dumtaxat et minimis facultatibus potiri. Illud etiam notetur oportet, quod saepius certa quaedam statuta, valde utilia et opportuna decurrente tempore comprobata sunt, quae ab initio inepta, vel difficiliora, vel impossibilia, vel etiam noxia videbantur.

5. Inde a pluribus saeculis, in iure ecclesiastico normae definitae et praescriptae sunt de Conciliorum sive Provincialium sive Regionalium celebratione, quorum etiam natura et finis et competentia atque auctoritas accurate constituta et designata sunt. At vero, ut facilius et

expeditius et frequentius aptae et tempestivae provisiones collegialiter adhibeantur de negotiis quae attinent ad bonum commune fidelium in pluribus dioecesibus, aut in tota aliqua republica, respectivi Episcopi peropportune in Conferentia regionali vel nationali congregantur ut communi consilio deliberent et decernant, prouti fert adagium illud: « Responsabilità comune a problemi comuni ». Normae igitur proponuntur de Conferentiae Episcoporum constitutione, de eiusdem competentia, et de vi iuridica decisionum quae ab ipsa proferuntur.

6. Cura et regimen pastorale Episcopi in determinato territorio exercetur, eiusque effectus salutares intimum nexum habent cum eiusdem territorii amplitudine et physica geographica conformatione, aëris qualitate, aliisque loci condicionibus: praecipue vero cum apta et aequa totius dioecesis divisione in paroecias. Difficilius esse non videtur ut — magna quidem cum prudentia — ad exsecutionem rite mandentur ea quae in praesenti schemate Decreti statuenda proponuntur de erectione et circumscriptione paroeciarum; idem autem certe dici non potest de nova dioecesium et provinciarum ecclesiasticarum erectione vel de earum nova circumscriptione, iis praesertim in regionibus ubi iam ab antiquitus plena et perfecta organizatio hierarchica constituta est. Nec pauca enim nec levia obstacula submovenda sunt ob rationes historicas vel politicas, ob pacta concordata, ob iura aliis quaesita, ob traditiones vel consuetudines locales, ob fidelium mentem et voluntatem, et alia similia. Multum tamen obtineri poterit si, magna cum prudentia et sine ulla inopportuna festinatione, sedula cura adhibebitur ad tantum negotium feliciter expediendum. Quod quidem melius, facilius, citius continget si Episcopi, quorum praecipue interest, secundum principia et normas Sociologiae Religiosae, Geographiae Missionariae, Actionis Pastoralis Communitariae, sive singulatim sive in Conferentiis Episcopalibus coadunati, Apostolicae Sedi propriam sententiam hac de re proferre non omittent.

Em.mi Praesides et venerabiles Patres,

De singulis capitibus schematis Decreti « De Episcopis ac de Dioecesium regimine » plura mox exponentur ab Exc.mo Relatore designato. Quaestiones quae in eo determinandae proponuntur maximi momenti sunt ad bonum Ecclesiae universae efficaciter promovendum, et ex earum disceptatione, ob sapientiam et prudentiam et experientiam, quibus praefulgetis, conclusiones certo statuentur valde utiles et opportunae.

4 – RELATIO EXC.MI P. D. ALOISII M. CARLI
Episcopi Signini

Venerabiles Patres,

Historiam schematis Decreti « De Episcopis et dioecesium regimine » Vobis vel brevissime recolere operae est pretium, ut et difficultatum quae Commissioni nostrae in illo adparando occurrerunt aequam habeatis rationem, et lacunarum, quas fortasse aliquis Vestrum deprehenderit, veniam detis benignam.

Commissio Praeparatoria « de Episcopis ac de dioeceseon regimine » prae oculis habitis votis ab universae Ecclesiae Episcopis, a Superioribus Religiosorum, a Sacris Romanae Curiae Dicasteriis et ab Universitatibus catholicis de hac materia propositis, quinque laboriose confecerat schemata Decretorum, quae a Pontificia Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in sessionibus mense februario et mense maio anni 1962 celebratis examinata fuerunt, et deinde ad ipsam Commissionem Praeparatoriam remissa ut recognoscerentur, habita ratione animadversionum, consiliorum ac votorum eiusdem Commissionis Centralis Patrum.

Schemata igitur denuo redacta sunt et examini subiecta Patrum Cardinalium Pontificiae Subcommissionis Centralis de schematibus emendandis, quae tamen, ob angustiam temporis magnamque laboris molem, munus demandavit alteri Subcommissioni Centrali de materiis mixtis.

Haec autem Subcommissio de materiis mixtis schemata iterum iterumque attento studio examinavit, expolivit et in unum composuit Decretum, quod, die 6 decembris anni 1962, Secretariae Generali Concilii remisit, mentem suam eidem significans, nempe:

1) ut de huiusmodi schemate Decreti ageretur in Concilio, absoluta disceptatione schematis Constitutionis dogmaticae « De Ecclesia », in qua pertractanda erat doctrina « De Episcopatu »;

2) ut opportunae notae apponerentur ad illustrandum unumquodque schematis caput, et praesertim ad enucleandas innovationes vel immutationes propositas in iure canonico vigenti.

Hoc autem opus perfici poterat ab ipsa Commissione Conciliari de Episcopis et dioecesium regimine nuper constituta, quae constabat dimidia fere ex parte ex Membris vel Consultoribus Commissionis Praeparatoriae.

Iamvero schema Decreti « De Episcopis et dioecesium regimine », a

Subcommissione de materiis mixtis recognitum, ad Commissionem Conciliarem nostram pervenit die 12 decembris anni 1962, et cito selecti Commissionis Periti, Romae degentes, conficiendas curaverunt adnotationes ad illustrandum unumquodque caput schematis.

Sic igitur, mense ianuario anni 1963, schema iudicio Patrum Commissionis de laboribus Concilii coordinandis subiici potuit. Quae Commissio, Em.mo Card. Iulio Döpfner referente, argumenta omnia in schemate pertractata adprobavit et in Concilio proponenda esse censuit, sed nonnullas etiam animadversiones et consilia proposuit simulque indigitavit sive ea quae in textu a Patribus disceptando manere deberent, sive ea quae ad Appendices remittenda essent in Aula Conciliari non disceptandas.

Huiusmodi decisiones litteris diei 31 ianuarii 1963 Em.mo Cardinali Paulo Marella, Commissionis Conciliaris Praesidi, significatae fuerunt.

Itaque, cum tempus urgeret atque nova schematum redactio apparari deberet ante diem 10 mensis martii, acceptis mandatis ab ipsa Commissione de Concilii laboribus coordinandis, munus recognitionis commissum est peculiari Subcommissioni, quae aliquibus ex vicinioribus Commissionis nostrae sodalibus et nonnullis viris peritis constabat. Huiusmodi Subcommissio, habita quoque ratione votorum interim a Sodalibus Commissionis Conciliaris scripto prolatorum, novam schematis redactionem confecit eamque ad Commissionem de laboribus Concilii coordinandis die 20 martii remisit, praemonendo quod ad totam hanc quaestionem definitive expediendam iam indicta erat sessio plenaria Commissionis Conciliaris de Episcopis et dioecesium regimine, die 30 aprilis 1963 celebranda.

At Commissio de laboribus Concilii coordinandis schema noviter recognitum pleno consensu die 26 martii 1963 adprobavit atque laudibus cumulavit simulque non expectandam esse censuit discussionem Commissionis Conciliaris, sed schema Decreti statim typis imprimendum decrevit ut omnibus Concilii Patribus quam citius remitti posset.

Quod, prout videre est in prima pagina fasciculi, Em.mus Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis, die 22 aprilis 1963, iussu Ioannis Pp. XXIII v. m. faciendum curavit.

Schema vero Decreti, dum iam typis imprimebatur, iterum expoliri et emendari potuit nonnullis in locis, a quibusdam Commissionis nostrae Sodalibus plurium Nationum in Urbe praesentibus.

Postquam haec breviter attigimus ad schematis historiam quod attinet, fas est ad eiusdem textum proponendum atque declarandum gressum facere.

I

Ut probe nostis, schema Decreti in duas dividitur partes, quarum prior Decretum constituit in hac Aula discutiendum, altera vero Appendices praesefert, de quibus nulla fiet in hac Aula disceptatio. De iis autem omnibus quae in Appendicibus continentur ac proponuntur, unusquisque Pater animadversiones suas scripto facere poterit et ad Secretariam Generalem Concilii remittere, ita ut earumdem animadversionum debita habeatur ratio tempore opportuno, sive a Commissione de recognoscendo Codice Iuris Canonici sive ab aliis Commissionibus quae, Concilio absoluto, certo certius constituentur.

Brevis introductio (art. 1) propositum ac limites Decreti praefinire intendit. Sermo enim fit in hoc Decreto de Episcopis non quatenus sub respectu dogmatico, aut in exercitio actuali pastoralis curae animarum considerantur (ad id alia Constitutio, aliud Decretum prospicit), sed quatenus sunt praediti iurisdictione sua ad actum deducenda. Iamvero haec iurisdictio amplianda in genere affirmatur atque idoneis instrumentis fulcienda, ut finem suum aptius expeditius fructuosius consequi valeat.

II

In specie, caput primum quod « *De rationibus inter Episcopos et Sacras Romanae Curiae Congregationes* » inscribitur, omnium quidem brevissimum est, ast longe alia superat gravitate materiae et consequentiarum inde manantium; unde illud merito totius schematis cardinem appellare possumus. Agit enim de Episcoporum facultatibus ampliandis, de maiore Episcoporum participatione sollicitudinis Romani Pontificis in Ecclesia universa regenda, ac de necessitudinibus inter Episcopos et Romanam Curiam.

Quandoquidem autem iam in prooemio (art. 2) huius capitis et postea frequens de Orientali Ecclesia fit sermo, semel animadvertisse iuvat Commissioni Praeparatoriae haec duo in conficiendo schemate maxime cordi fuisse ob eaque opiniones suorum Membrorum Orientalium semper magni fecisse: *a*) ut facultates et iura quae Episcopis latinis ampliora recognoscerentur, eadem Orientalibus confratribus non denegarentur; *b*) ut sarta tecta manerent et disciplina et iura et privilegia Orientalium Rituum, ea praesertim quae ad venerandum Patriarcharum institutum spectarent. Quod si haec duo forte non usquequaque ad effectum deducta aut amice composita in schemate quis invenerit, velint Patres Orientales

id neque menti neque cordi Commissionis sodalium adscribere, sed humanae tantum fragilitati, ac propterea suas emendationes proponere velint.

1) *Principium primum fundamentale* (art. 3) talibus formulis ac vocabulis exaratum consulto fuit, ut a quaestionibus theologicis, in schemate « De Ecclesia » tractandis abstineret. At profecto abstrahere neque potuit Commissio neque debuit a veritatibus iam in pacifica Ecclesiae possessione, scilicet a definitionibus Concilii Vaticani I et a doctrina iam a Pio VI declarata: schismaticum nempe esse, et ad minus erroneum quod Pistorienses dictitarent, « *episcopum accepisse a Christo omnia iura* « *necessaria pro bono regimine suae dioecesis,* perinde ac si ad bonum « regimen cuiusque dioecesis necessaria non sint superiores ordinationes « spectantes sive ad fidem et mores sive ad generalem disciplinam, qua- « rum ius est penes Summos Pontifices et Concilia generalia pro uni- « versa Ecclesia » (DB 1506); item inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis et erroneum esse « *iura episcopi a Iesu Christo* « *accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et ubi* « *contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum,* « *posse semper episcopum ac debere in originalia sua iura regredi, quo-* « *tiescumque id exigit maius bonum suae ecclesiae*: in eo, quod innuit, « iurium episcopalium exercitium nulla superiore potestate praepediri « aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio iudicio censue- « rit minus id expedire maiori bono suae Ecclesiae » (DB 1508).

Unde clare patet cur, licet in obliquo, schema ius affirmet quo Romanus Pontifex gaudet sibi reservandi, pro suo prudenti iudicio et pro variis temporum locorumve circumstantiis, sic dictas « causas maiores ».

Ex una enim parte, iurisdictionis potestas quam Episcopi iure divino consequuntur, natura sua neque plena neque universalis neque summa esse potest, sed debet definiri et ad effectum deduci per mandatum canonicum (cf. Litt. Encycl. « Satis cognitum » Leonis XIII in *ASS,* 1896, p. 732 et Pauli Pp. VI sermonem diei 20 octobris 1963); ex altera vero parte, plenae et universalis ac summae potestatis primatialis exercitium nullam umquam coarctationem pati potest quam quae lege ipsa divina, sive naturali sive positiva, statuatur.

Simul tamen in schemate clare indicatur ratio pastoralis ob quam Concilium Oecumenicum statuendum censet ut Episcopi residentiales (quibus, quoad facultates et iura, vi can. 294 CIC Vicarii et Praefecti Apostolici, et vi can. 323 CIC Abbates et Praelati nullius aequiparantur) omnes facultates ipso iure, non amplius ergo ex semper renovandis concessionibus, habeant, quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium hodie expostulare usu comprobatur;

Episcopi vero titulares eas habeant, quae characteris episcopalis dignitati congruunt.

Igitur, cum ex primo principio sponte sua fluat quaedam facultatum et iurium episcopalium amplificatio, haec ad concretam determinationem deducitur per APPENDICEM PRIOREM (pp. 27-36). Elenchus, non quidem taxativus sed mere exemplificativus, novarum facultatum proponitur, quae — sine ullo praeiudicio facultatum sive ex iure communi aut particulari, sive ex aliis huius Concilii decretis Episcopis spectantium — stabiliter et ipso iure Episcopis erunt recognoscendae. Insuper in eadem Appendice (p. 27) quaedam criteria practica enuntiantur quibus Romana Curia peropportune uti posse videtur in revisenda sua competentia; quae criteria veluti explicativa accipiantur eorum verborum quae Paulus Pp. VI ad officiales Romanae Curiae die 21 septembris 1963 fecit, inquiens: « *Non sarà la Curia Romana... avara di sue facoltà che, senza ledere l'ordine ecclesiastico universale, oggi l'Episcopato può da sè e localmente meglio esercitare. Nè giammai scopi e vantaggi economici avranno peso nel suggerire qualche riserva e qualche accentramento da parte di organi della Santa Sede, se ciò non sia richiesto dal bene dell'ordinamento ecclesiastico e dalla salute delle anime* ».

2) *Principium alterum fundamentale* (art. 4) pressius attingit relationes inter Episcopos et Romanam Curiam, quae iuxta citatum mox Pauli Pp. VI sermonem, est « ... *organo d'immediata aderenza e di assoluta obbedienza del quale il Romano Pontefice si serve per esplicare la sua universale missione... lo strumento di cui il Papa ha bisogno, di cui il Papa si serve per svolgere il proprio divino mandato* ».

Munus igitur Romanae Curiae est quidem servitium specifice administrativum, consultivum et exsecutivum; at servitium in quo fulgeat oportet imago supernaturalis vinculi vigentis inter Caput — cuius nomine et auctoritate ipsa Curia agit — et sacratum Episcoporum corpus. Inde multiplex manat auxilium quod Curia afferre valet Episcopis, et vice versa.

Hac luce suffulta, quae in art. 5 textus et quae in APPENDICE ALTERA (pp. 37-38) ad instar exempli leguntur, accipi possunt tamquam anticipatio quaedam (a Patribus profecto scripto complenda) illorum votorum quae Episcopi in Concilio Vaticano II coadunati, animarum bono unice inspecto et sine ullo ecclesiasticae unitatis praeiudicio, reverenter ac fiducialiter Romano Pontifici proponunt ad reformandam, simplificandam, « decentralizandam », ut aiunt, Curiam Romanam et ad ampliandam cooperationem Episcoporum in responsabilitate gubernii Ecclesiae universae.

Ad haec vota promenda fidentiore animo Episcopi accedunt post-

quam Successorem Petri die 21 septembris 1963 audierunt talia dicentem: « *Quando il Concilio Ecumenico mostrasse desiderio di vedere associati in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica, qualche rappresentante dell'Episcopato, particolarmente tra i Presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà certamente la Curia a farvi opposizione* ».

Immo ad id proponendum ipse Summus Pontifex Conciliares Patres suaviter invitare videtur per allocutionem die 29 septembris 1963, dum alteram Concilii sessionem auspicatur, habitam: « *Inter varias* — inquit ille — *diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote Episcopos Ecclesiae Dei. Haud dubitamus asseverare Nos magna spe ac sincera fiducia huiusmodi disceptationem expectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis Oecumenici Concilii Vaticani primi ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de Episcopatu, de eius muneribus, deque eius cum Petro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus, ad doctrinam et usum vitae quod spectat, in apostolico munere Nostro obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in Episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam* ».

Quibus verbis dilucide indigitari non dubitamus et fundamentum doctrinale et limites intra quos Romanus Pontifex ab Episcopis in suo universali munere magis ac magis adiuvari possit. Modi autem ac rationes quibus in praesens id concrete fiat, ab Eo statuentur penes quem harum rerum auctoritas residet, prae oculis profecto habitis consiliis ac votis ab Episcopis proferendis.

Venerabiles Patres,

Tempus est ut orationi meae finem tandem imponam.

Fusiore data schematis illustratione, Commissio Conciliaris de Episcopis et Dioecesium Regimine, de cuius mandato locutus sum, haud sane praesumit omnibus se optatis vestris satis fecisse — utinam id foret! — sed plures difficultates vestras, ideoque forsan nonnullos in Aula interventus praeoccupasse.

Quod ad statum quaestionis clarius cognoscendum, et ad Concilii labores expeditiores reddendos, haud inutiliter factum sperat atque confidit.

Moderator: Discussio nunc fiet, sed fiet tantummodo *de schemate in genere.* Loquentur ergo tantum qui de schemate in genere locuturi sunt.

Rogantur ergo Patres, quorum nomina initio congregationis proclamata sunt, ut hodie non loquantur si non agitur de schemate in genere.

Post disceptationem in genere, fiet suffragatio an schema admittendum sit ad ulteriorem disceptationem singulorum capitum.

5 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Dilectissimi Fratres,

Laudanda est commissio conciliaris de episcopis quia in schemate *de episcopis ac dioecesium regimine* dispositiones multas desideriis ab episcopis saepe expressis conformes, proposuit; et quia in istis propositionibus bonum Ecclesiae et salutem animarum pro lege suprema semper prae oculis habuit.

Sed nunc, postquam in disceptatione schematis *de Ecclesia* magis in lucem educta est doctrina de episcopatu eiusque muneribus, sive personalibus sive collegialibus, necesse est, meo sensu, aliquid addere praesenti schemati eiusque textum accommodare ita ut melius consonet cum principiis istis.

Additionem quam Patribus Concilii proponere audeo mihi suggesserunt verba quaedam Summi Pontificis Pauli VI feliciter regnantis. Ipse enim dixit in allocutione sua membris Curiae Romanae nuper directa: « Siquando Concilium Oecumenicum desiderium manifestaret videndi aliquo modo et pro certis quaestionibus... quosdam episcoporum repraesentantes, ex his praesertim praesulibus qui dioecesim administrant, Capiti supremo ipsius Ecclesiae consociatos in studio et in responsabilitate gubernii ecclesiastici, certe non esset Curia Romana quae obstaret ».

Quando Concilium Oecumenicum desiderium istud manifestaret.

Nonne hora est ut nos Patres Concilii, qui fidem nostram in potestatem, iure divino collegio episcoporum pertinentem, ad gubernium Ecclesiae Universalis una cum successore Petri exercendum tam explicite, modo indicativo, professi sumus, *nonne hora est ut*[1] responsum demus invitationi paternae a Summo Pontifice sic expressae; reverenter postu-

lantes quod in nostro schemate antequam tractetur de relationibus inter episcopos et Curiam Romanam, novum caput inseratur relationes definiens inter Summum Pontificem et collegium episcoporum, iuxta Ecclesiae doctrinam et Summi Pontificis supremum iudicium elaborandum?

Hoc est votum meum praecipuum, dilectissimi Fratres. Quod si a vobis subscriberetur, *et hoc suffragiorum ope forsan ostendi posset,*[2] Summo Pontifici manifestaret voluntatem nostram unanimem illi obsequium praestandi, secundum plenitudinem muneris nostri, in sollicitudine sua tam gravi omnium Ecclesiarum; esset etiam attestatio unitatis Ecclesiae per totum mundum diffusae sed capiti suo amanter et organice coniunctae.

Missioni Ecclesiae apud homines huius temporis insuper maxime utilis esset, media praebens optima ut ad diversas populorum indoles et particulares necessitates, fructuosa fiat adaptatio; denique Oecumenismo faveret, fratribus nostris seiunctis, praesertim orientalibus demonstrans quod apud nos sicut apud eos episcopi plenitudine muneris sui gaudent, intacta manente auctoritate capitis nostri Petri Successoris.

Emendationes autem quas proponere intendo, scriptis secretariatui Concilii referam...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Ad cap. I. - Ad mentem praecedentis schematis *de Ecclesia* vitentur omnes expressiones illae quibus videntur episcoporum facultates pendere a SS. Romanae Curiae Congregationibus. Proponitur enim ut benigne recognoscantur aliae opportunae facultates episcopis. Re vera tamen, non tam de ampliatione favoris in his agitur quam de restitutione iurium pridem a Romana Sede sibi reservatorum. Ad cap. II. - Utilis est enumeratio facultatum earum quae episcopis ex tunc recognoscentur. Utilior tamen foret, ac brevior, et ideo exoptabilis, series causarum illarum maiorum quae « sive ex natura sive ad unitatem Ecclesiae conservandam » sibi reservaret Romanus Pontifex. Sic clarius appareret quomodo, his paucis ac determinatis exceptis, episcopi omnibus suis iuribus et privilegiis gaudent ad aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium. Ideo talis series addatur priori.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. McINTYRE

Archiepiscopus Angelorum in California

Venerabiles Fratres, carissimi Periti, Observatores et Auditores,

Schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* est maxime administrativa in suis operationibus. Hae operationes sunt: relationes inter episcopos et congregationes; status auxiliarium et coadiutorum; et erectio paroeciarum.

Etiam capitulum inseritur quod dicitur « De nationali episcoporum coetu seu conferentia ». Verum est quod hae conferentiae iam exsistunt et operantur. Nunc tamen propositum est ut illis dentur status iuridicalis vel quasi-iuridicalis.

Hoc punctum est maximi momenti in decisionibus Concilii. Antiqua et recens historia offeret argumentum quod iuridicalis constitutio harum conferentiarum potest considerari cum aliqua anxietate.

Iuridicalis constitutio harum conferentiarum trahet secum multas graves sequelas. Haec pugnabunt cum discussionibus nostris de collegio episcoporum.

Hae conferentiae videntur agere maxime de quaestionibus administrationis Ecclesiae et de ordinatione praxium dioecesium inter pastorem et populum. Videtur quod suprema et exaltata consideratio salutis animarum in theoria et praxi hic non consideratur.

Materia huius schematis videtur favere solae sapientiae humanae in relationibus inter populum Dei et pastorem; pastorem et episcopum; et episcopum et Papam.

Interiectio novi gressus — nempe relationis inter episcopos et coetus episcoporum — etiam cum approbatione S. Sedis et cum fundamento iuridicali secum introducit multa problemata. Adoptio iuridicalis status non est sine anxietate et possibili periculo.

Ideo propono quod, si haec propositio includitur in considerationibus Concilii, precemur Spiritum Sanctum modo speciali ut nos ducat.

Hoc problema potest introducere radicalem mutationem in structuram regiminis Ecclesiae. Haec mutatio esset adeo radicalis ut posset adducere unitatem Ecclesiae in periculum. Hac de causa commendo vestrae considerationi et orationi verba S. Pauli, in epistola prima ad Corinthios (2, 5), quando dicit: « Fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei ». Dixi.

3

Em.mus P. D. VALERIANUS card. GRACIAS

Archiepiscopus Bombayensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Loquor de schemate in genere. Prae oculis habentes « introductionem » a praeside commissionis factam, et « relationem » episcopi Carli,[1] ambo documenta claritate tum cogitationis cum dictionis conspicua, schema mihi *quoad substantiam* acceptabile fateor. Si hoc schema *sub-*

stantialiter a Sacrosancta Synodo approbetur, *et spero quam primum approbabitur,*[2] mihi videtur dioecesium *regimen*[3] novum quoddam tempus videbit, *novum quoddam aevum videbit;*[4] in quo Curia Romana, viris competentia et experientia praeditis roborata, plus auxilii episcopis praestabit; in quo relationes inter episcopos eorumque coadiutores et auxiliares iuxta propositum modum agendi regetur; in quo conferentiae episcopales personalitate iuridicaque auctoritate induentur, quae ad uniformitatem conducent actionis; in quo episcopis ampliores facultates concedentur...[5]; in quo dioeceses et paroeciae rationabiliores videbunt mutationes, sub luce animadversionum a commissione episcoporum factarum, salvo *tamen, spero,*[6] principio fundamentali unitatis *regiminis,*[7] nonobstante diversitate rituum ac sermonum; in quo denique religiosi, *sarta tecta manente*[8] sua exemptione, in servitio paroeciarum melius incumbere queant.

Sed[9] ex experientia tamen scimus, optimas quidem regulas ineffectivas remanere nisi bona voluntas, mutua comprehensio, et *imprimis*[10] « sensus Ecclesiae » praevaleant. Magnus etenim exercitus canonistarum semper aderit, qui interpretationes legis diversissimas proferent. Hac in re recordare iuvabit verba Caietani, quando commentavit in II-II, quaest. 185, in art. 3, n. 4.

Non legam hoc commentum, ne inscienter iterum agam contra regulam 33.[11]

II. Nonobstantibus animadversionibus tum in introductione cum in relatione factis, quod in schemate non agitur de materia quae in schemate *de Ecclesia* statuenda est, nec anticipatur quod nondum in schemate *de cura animarum* tractatum est, omnino censeo in schemate aliquo generali, ut in schemate praesenti de dioecesium *regimine,*[12] breviter claram quamdam definitionem — tum iuridicam tum dogmaticam — tradendam esse: *a*) de *idea ipsa*[13] « dioecesis »; *b*) de episcopo in sua propria dioecesi. Quod per longum et latum in schemate *de cura animarum* dicitur, non est definitio, sed descriptio; et inter utramque magna certo adest differentia.

Codex leges, non definitiones, dat quando de dioecesi, vel de episcopo in sua dioecesi loquitur. Multa a theologis modernis de hac re scripta sunt, quorum aliqui inter peritos huius Concilii adnumerantur. Nullam video rationem cur hoc in Concilio tantum Patres antiqui et documenta pontificia citentur, et non etiam isti auctores moderni...[14]

III. *In schemate est aliqua phrasis nimis dura S. Augustini*[15]: « Nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius ». Si hanc phrasim ita simpliciter in schemate relinquimus, timeo ne

faciliter clericum invenire possimus, qui libero animo officium episcopale suscipiat...[16]

Haec phrasis, itaque, vel totaliter deleri debet, vel iuxtaponi alicui ideae magis splendidae, magis benignae, magisque positivae; ideae, e. g., ex epistolis S. Pauli sumptae, vel ex ritu consecrationis episcopalis. Quaero vobis, venerabiles Patres: Estne aliquis textus Sacrae Scripturae plus commovens quam ille in Actibus Apostolorum...[17] ubi S. Paulus, plurium « ecclesiarum particularium » fundator, ultimas suas instructiones episcopis impartit? Est veluti suum ultimum testamentum.

IV. Si proponitur Romanam Curiam roborare, ut episcopis plus sit auxilii, puto idem, mutatis mutandis, etiam Legationibus Pontificiis applicari posse; et quidem propter hanc rationem, quia Romana Curia Sanctaque Sedes multum a relationibus ab illis factis dependent. Reformatio autem in melius hoc importabit:

1. Requisita moderna in Legationes condendo, et in diplomaticos pontificios instruendo, apte consideranda sunt.

2. Ii, quorum interest, nullatenus vacillare debent ediscere ex methodis, quae in servitio diplomatico magnarum nationum...[18], adhibentur.

3. Oportet ut repraesentantes pontificii, modernis nationibus, speciatim in oriente, accreditati, necessario cognoscant non tantum nonnullas linguas Europae, verum etiam saltem unam ex illis, quae in oriente loquuntur.

4. Antequam in aliqua determinata regione mittuntur, oportet ut repraesentantes pontificii generalem quamdam ideam de philosophia, cultura, rationeque vitae populi huius regionis habeant.

5. Oportet etiam ut auxilio utantur sacerdotum, competentia et experientia praeditorum, qui in omni natione praesto sunt, quique optime in rebus quae ad educationem, scientiam socialem, oeconomiam, vitam politicam, incrementum populationis, etc. spectant, versantur...[19] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] I. In contextu « introductionis » a praesidente commissionis facto, et in « relatione » episcopi Carli. [2] deest. [3] gubernatio. [4] deest. [5] ne tempus teratur pecuniave inutiliter versetur in litteris per publicos tabelarios Romae expediendas. [6] deest. [7] gubernii. [8] intacta. [9] deest. [10] deest. [11] Quaestioni respondendo utrum oporteat episcopum doctorem esse theologiae vel iuris canonici, commentator iste contra eos loquens episcopos canonistas defendentes, ait: « Longe aberrant: tum quia officium episcoporum... est praedicare — materia autem praedicationis non est ius, sed Evangelium —; tum quia magis tenetur episcopus ad docendum populum servare ea quae ad bonos mores spectant... quam docere homines sacros

canones, quos non ipse Dominus, sed homines ediderunt. Constat autem quod docere servare mandata dominica spectat ad theologicam scientiam... Et ideo episcopi tenentur omni tempore esse theologi ». Veritas forsan, sicut virtus, in medio stat. Nam non necessario doctor theologiae vel iuris canonici debet esse episcopus, sed pastor, administrator, orator et scriptor; uti anglice dicimus: " a jack of all trades, and master of one ". [12] gubernatione. [13] vocabulo. [14] Haec est enim ratio cur, data occasione, saepe card. Newman in hoc Concilio citavi. [15] In « introductione » ubi de officio episcopali agitur, phrasim aliquam nimis duram S. Augustini invenimus. [16] Adducetur potius exemplum S. Francisci ex Assisi aemulari, qui sacerdos fieri renuit. [17] (20, 17-38). [18] Russiae non excluso. [19] 6. Habitualis et arcta cooperatio adesse oportet inter Legationes Apostolicas et coetus episcoporum, ita ut libere et fructuose opiniones et experientias inter se permutare queant. 7. Et tandem, ubi repraesentantes pontificii, sub instructione S. C. de Religiosis, hominum mulierumque conferentias religiosas condiderunt — est enim haec optima quaedam in vita religiosorum evolutio — intima ac arcta debet esse cooperatio inter istas conferentias religiosas et conferentiam episcopalem.

4

Em.mus P. D. PAULUS M. card. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

De schemate decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine,* velim disserere tantum in genere, sine decursu ad puncta particularia quae tractantur in diversis capitibus.

Hoc schema verum meritum praestat a parte eorum qui laboraverunt ad suam confectionem: novos enim conceptus et quasdam felices latitudines practicas offert. Ideo multa eius elementa particularia servanda sunt.

Attamen, *salvis quae dixit optime em.mus relator card. Marella,*[1] duas observationes propono: 1. circa fundamentum doctrinale huius schematis; 2. circa eius compositionem.

1. Non videtur tale schema perfecte convenire cum intentionibus fundamentalibus quoad sententiam de episcopatu quam, hebdomada praecedenti, maxima pars Patrum admisit.

Hoc patet non solum iam in introductione, sed etiam in cap. I et in cap. III. In cap. I, quando agitur de facultatibus episcoporum quae proveniunt ex eorum missione ordinaria et non possunt omnes apparere ut merae concessiones; in cap. III, quando agitur de conferentiis episcopalibus quae debent clarius defluere a collegialitate episcoporum.

2. In sua compositione, hoc schema videtur indigere aliquo vinculo

satis manifesto. Hoc ligamen logice deveniret e doctrina, iam delineata, de collegialitate et de sacramentalitate episcopatus.

Sic oporteret quod noster textus, in aliquo primo capitulo aperte definiret structuram fundamentalem Ecclesiae localis seu dioeceseos in Ecclesia universali, revocando praecise quod dioecesis pendet ab existentia ac missione alicuius episcopi. Deinde multum utile esset quod istud primum caput indicaret quas notas principales aliqua dioecesis debet praebere ut episcopus suam missionem possit fructuose adimplere.

Post hoc primum caput successive et congruenter venirent alia capitula, scil.: *a*) de relationibus dioeceseos cum provincia ecclesiastica, cuius, in hoc loco, functio et qualitas in Ecclesia bene definirentur; *b*) de relationibus dioeceseos cum conferentiis episcopalibus, praesertim nationalibus; *c*) de relationibus cum Sede Apostolica per Sacras Congregationes.

Sic talis ordo in meliorem lucem manifestaret practice auctoritatem propriam episcoporum. Exinde appareret etiam, ni fallor, quod cap. V *de paroeciarum erectione ac circumscriptione* non in hoc schemate locum habere deberet, sed potius forsan in schemate *de cura animarum,* in quo tractatur de mediis concretis quae permittunt unicuique episcopo in sua dioecesi suam missionem pastoralem exercere. Nam totum regimen dioecesium non sistit in paroeciis et in earum delimitatione.

Relate ad conferentias episcopales, de quibus nuper locutus sum, observo quod, in nostro schemate, fere nullam notionem generalem satis accuratam invenimus. Post declarationes praecedenter emissas de sacramentalitate et collegialitate episcopatus, revera videtur facilius aliquod fundamentum doctrinale pro hac institutione explanare, quod imo necesse est.

In eadem linea, oportet etiam conferentiarum episcopalium competentiam determinare et primo declarare earum potestatem decernendi res de quibus episcopi possunt antea convenire ut omnes maioris partis sententiam sequerentur, et ideo nullum adest detrimentum pro alicuius auctoritate.

Extra hanc competentiam, regionalem vel nationalem, remanent certo certius illa negotia maximi momenti pro tota Ecclesia, praesertim si ad fidem, ad bonum universale, ad unitatem disciplinae catholicae spectant. Nam in his casibus, absque dubio, sola S. Sedes Apostolica potest statuere.

Sed, experientia constat, sunt aliunde multae res concretae ac particulares quae, de facto, non possunt bene aestimari, nisi ab eis qui habent earum cognitionem immediatam ac practicam, i. e. episcopis. Sunt etenim tam diversae indoles et possibilitates in universa terra. Ergo, sine re-

cursu ad Congregationes Romanas, episcopi possunt collegialiter decernere quasdam regulas practicas et speciales, v. g. de Actione Catholica, de usu iam recognito linguae vernaculae in officiis liturgicis, de adaptatione singulari rationibus studiorum ac disciplinae in seminariis etc.

Quapropter sunt in textu laudabilia quae enumerantur in appendicibus quoad facultates episcoporum. Absque ullo dubio omnes episcopi accipient cum gratitudine illas novas facultates. Sed cur plures inter eas praebentur ut potius concessae a S. Sede, dum saepe videntur defluere e normali conceptu missionis ordinariae episcoporum?

Praeterea, si volumus nihil alicuius momenti derelinquere quando agitur de episcopis in genere, aliquod capitulum, vel saltem aliqua paragraphus, debet reservari ad episcopos qui non sunt neque coadiutores, neque auxiliares. Eorum characterem et functionem episcopalem debemus respicere, habita consideratione sacramentalitatis et collegialitatis episcoporum. Hoc est casus praesertim si tales episcopi sint rectores alicuius universitatis, seminarii et cuiusdam praestantis institutionis, et, non volumus etiam eos oblivisci, sed cum veneratione dicimus, si episcopi sint in Curia Romana egregie laborantes.

De Curia Romana, quando venit in nostro textu quaestio de relationibus episcoporum cum Sacris Congregationibus, schema, ni fallor, debet respondere ad exoptationem a Sancto nostro Patre, feliciter regnante, prolatam die 21 septembris *secundum quod dixit circa hunc punctum em.mus card. Liénart.*[2] Sic, ad vitandas difficultates quas possunt episcopi invenire, reverenter possumus in aula conciliari submittere quasdam concretas suggestiones: e. g., ut Dicasteria Romana non solum magis internationalem figuram praebeant et partim constituantur a pastoribus diversarum dioecesium, sed etiam: ut haec Sacra Dicasteria aliter distribuantur secundum ordinem magis logicum, cum appellationibus melius adaptatis, cum competentia pro unoquoque stricte determinata et ratione habita necessitatis hodiernae in evangelisatione et in actione pastorali; ut denique Sacra Dicasteria accuratius per diversa media inter se coordinentur.

His perpensis ac dictis, existimo, humillimo meo sensu, quod istud schema *de episcopis,* aliunde studiose exaratum, debet pro...[3] parte recognosci. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] magna.

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARGITTER

Episcopus Brixinensis

Venerabiles Patres,

Schema *de episcopis et dioeceseon regimine,* de quo nunc agitur, praebet quidem materiam aptam et bonam pro disceptatione in hac aula conciliari, sed prouti nunc exstat variis emendationibus etiam substantialibus, *ut mihi videtur,*[1] indiget.

Imprimis dicendum est, quod schema morbo quodam laborat, qui toti schemati plus minusve inest, nempe quod ex una parte de variis quaestionibus etiam maximi momenti (uti quaestiones de relationibus inter episcopos et Curiam Romanam, de coadiutoribus et auxiliaribus, de dioeceseon circumscriptione), solutiones modo nimis generico et non satis clare definito proponuntur, ita ut hae quaestiones quoad eorum substantiam insolutae maneant et res in futuro esse pergent sicut usque nunc se habebant; et quod altera ex parte ad nimis particularia descendatur, quae in discussione conciliari omitti possunt et debent, v. g. particularia quaedam circa coadiutores et auxiliares, circa conferentias episcopales. Oportet ut Concilium circa principaliora problemata, quae sunt obiectum huius schematis, principia solutionis concreta, clara et in forma brevi redacta, statuat, quae dein inserviunt tamquam normae directivae in ulteriori labore postconciliari, cum de definiendis et decernendis singulis particularibus quaestionibus agendum erit.

Quaestiones autem, de quibus Concilium supra dicta principia solutionis praebere debet et quae in schemate partim non tanguntur vel *partim*[2] insufficienti modo tractantur, mihi videntur esse praesertim sequentes:

1. Munus et momentum organorum centralium Curiae Romanae pro bono regiminis totius Ecclesiae. Nemo non videt utilitatem et necessitatem Officiorum et Congregationum Romanae Curiae, quibus Summus Pontifex utitur in gubernio universalis Ecclesiae, et nemo non videt, praesertim in hodiernis temporum adiunctis, necessitatem unionis, coordinationis, subordinationis pro bono communi in explicando apostolatu Ecclesiae.

Opportune in tali contextu mentio fieri poterit de spiritu caritatis, quo Curia Romana missionem suam explicat, quia sicuti munus episcopale est ministerium seu servitium pro populo Dei, sic etiam organa centralia Curiae Romanae sunt in servitium episcoporum et dioeceseon et ultimatim populi Dei.

2. Sana quaedam, sed vera et efficax decentralizatio. Schema loquitur quidem de facultatibus episcopis tribuendis, sed de facto ansam praebet maioris centralizationis et augmenti officiorum centralium. Si de hac quaestione sermo fit, non agitur simpliciter de ampliandis facultatibus episcoporum vel de restringendis competentiis Curiae Romanae, sed agitur de hoc, ut ea quae in schemate dogmatico *de Ecclesia* in campo doctrinali de munere episcoporum habentur, applicationem concretam in campo pastorali, iuridico et practico, inveniant, consideratis conditionibus vitae huius temporis.

Servata semper integra constitutione divina a Christo Ecclesiae data et servata eius indole et structura propria, etiam in Ecclesia valorem suum habere debet sic dictum principium subsidiaritatis, quod necessariae unitati in Ecclesia nullo modo damnum infert et quod vitae et apostolatui Ecclesiae in singulis partibus et nationibus vim et efficaciam confert.

3. Internationalisatio, sic dicta, Curiae et participatio competens episcopatus catholici in regimine centrali Ecclesiae. Quae de hac quaestione in schemate habentur, omnino insufficientia sunt. Agitur de hoc, ut Ecclesia etiam in suis organis centralibus tamquam universalis, omnes gentes amplectens appareat, quin una natio vel etiam nationes sic dicti occidentis christiani positionem privilegiatam habeant respectu populorum aliarum nationum et aliorum continentium. Pro participatione episcopatus catholici in gubernio centrali providendum posse videtur vel per commissiones stabiles episcoporum ad certa problemata tractanda vel per constitutionem alicuius consilii seu coetus episcoporum electorum ex variis orbis partibus, quos Summus Pontifex ad certa argumenta tractanda Romae convocat et quorum consilio et adiumento ipse in gubernio universalis Ecclesiae utitur.

4. Institutio conferentiarum episcopalium nationalium et internationalium sicuti in schemate provisum est. Sed non sufficienter tractatur et urgetur creatio organorum et coetuum etiam internationalium et intercontinentalium ex episcopis vel delegatis conferentiarum episcoporum ad communia problemata studenda, ad actuosam communionem episcopatus variarum nationum fovendam et ad magis conformanda incepta pastoralia necessitatibus mundi hodierni.

5 et ultimo. Conveniens circumscriptio dioeceseon et provinciarum ecclesiasticarum prouti salus animarum id postulat. De hac re proprium caput in schemate habetur, sed principium in forma clariore enunciandum esse videtur, ut vere aptum et efficax sit ad problema de dioeceseon congruenti circumscriptione solvendum. Tale principium initium sumere debet a definienda, ut ita dicam, functione dioeceseos in opere

aedificationis Corporis Christi, ita ut dioeceses quantum possibile est quoad amplitudinem et numerum animarum tales constituantur, ut finis pastoralis dioeceseos quam optime consequi possit.

Venerabiles Patres,[3] cordi mihi erat, ut vobis ideam magis completam quam ut ex praesenti schemate elucet darem de quaestionibus, quae a commissione praeparatoria discussae et de solutionibus quae propositae fuerunt et ut mentem meam sincere aperirem, quomodo, secundum meam humilem sententiam, hoc schema conficiendum esse videtur. Rogo ergo humiliter, ut schema clarum et breve secundum argumenta et secundum principia quae modo exposui conficiatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Venerabiles Patres,

Quaedam de schemate decreti in genere. Schema *de episcopis et de dioecesium regimine* romana brevitate fulget. Multa debet humili iudicio ex-membri commissionis competentis, dilectissimo Patri Cappello, e Societate Iesu, qui vir fuit ingenio et virtute praestans. Ubi a benemerita commissione textus confectus est pluria continebat et quidem pretii.

Hodie, post operationes chirurgicas a variis organismis peractas, ad statum actualem redactus est qui parum audax et virilis est.

Ut lingua gallica, quae mea est (quia Ioannes Rupp sum, nec Ioannes « *Roupp* »*), ut lingua gallica loquar qua hic, hac in aula, ante paucos dies tam pulchra pulchre dicta sunt, ut verbulum tantum faciam,*[1] multae quaestiones tractantur « du bout des lèvres ». Saepe saepius ubi novae afferuntur solutiones, statim ipse textus media indicat quibus facilius *non* applicentur. Liceat mihi aliqua exempla afferre:

...[2] In cap. II, coadiutores sat multis iuribus ornantur, *confiteor,*[3] auxiliares vero paucis; et quaestio de renuntiatione sedi propter nimiam aetatem, quae oculis omnium christianorum tamquam gravissima apparet, in aere pendet!

c) In cap. III, aliquid novi laudabiliter ponitur relate ad conferentias episcopales ubi ius aliquod inchoativum conficitur. Attamen aequalitas et libertas episcoporum quae plus minusve affirmatur, statim

variis modis minuitur. Electio praesidis ab episcopis non instituitur, ubi patriarchalis non viget dignitas, *sed patriarchalis dignitas*[4] electiva est.

d) In cap. IV, aliquid de partitione vel suppressione dioeceseon ponitur principium quod generale vocatur; sed generalissimum vocari deberet. Sic *practice*[5] sonat: Dioeceses nec nimis parvae nec nimis magnae sint!

e) In cap. V, aliquid ponitur ad adiumentum spirituale dilectissimorum emigrantium et exsulum qui pauperes sunt etiam inter pauperes. Sed statim solutio valde diversa proponitur, dioecesi minus onerosa, sed missionariis emigrantium magis onerosa.

f) *In fine,*[6] nihil omnino dicitur de collegialitate quadam intra dioecesim et ibidem de iure electivo quodam, forsan etiam ad candidatos pro episcopatu proponendos, *ubi, more solito, per cooptationem quamdam practice ab episcopis efficitur.*[7]

Haec sufficiunt. In schemate doctrinali *de Ecclesia* magna cum claritate *iura nostra,*[8] iura episcoporum, promulgata sunt. Eadem claritate, eodemque animo, agendum est nunc de iure aliorum, ante oculos universi mundi et praesertim dilectissimorum presbyterorum qui hoc a nobis exspectant.

In textu scripto tradito: [1] Ut gallice loquar. [2] *a*) In Cap. I ubi agitur de rationibus inter episcopos et Congregationes romanas, fere omnia remanent in statu quo ante Concilium. *b*). [3] deest. [4] quae aliunde. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

7

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Venerabiles Patres,

Schema nostrum, Patrum disceptationi nunc propositum, meritis certe non caret. *Merita* autem, praeter alia, sunt haec: *a*) quaestionem aggreditur maximi momenti, scil. conferentias nationales episcoporum, quarum exsistentia in documentis pontificiis saec. XIX cognoscitur, sed quarum natura iuridica nullibi definita invenitur; *b*) alias quaestiones sufficienter innuit, quarum momentum in ordine pastorali nemo est qui non videat: e. g. quaestionem de episcopis in Ss. Congregationum consilium cooptandis (n. 5); quaestionem de episcoporum renuntiatione a munere (n. 14); quaestionem de ecclesiis religiosorum pro paroeciis (n. 37), etc.

Attamen unum adest quod, ex Patrum disceptatione, abs dubio sanabitur: textus nempe schematis — cuius natura *iuridica* negari non potest — non videtur apprime respondere ipsi titulo sub quo schema apparet inscriptum, scil. « de episcopis ac de dioecesium regimine ». Sane regimen dioecesium alia supponit praeter ea quae in nostro textu includuntur: quae tamen *inveniuntur iam, saltem aliqua, in schemate potius pastorali, quod inscribitur « De cura animarum »*.[1]

Quare in *nostro schemate aliqua*[2] videntur melioranda, alia diverse ordinanda, alia autem addenda. Finis enim ...[3] est hic: illa principia iuridica proponere, quoad exercitium iurisdictionis *episcopalis,*[4] *quae ex doctrina theologica episcopatus derivantur.*

Unde sequentes observationes *humiliter propono*[5]:

1. *Titulus schematis* leviter videtur mutandus. Revera, Concilium Vaticanum I, formulam Concilii Florentini retinens, sub nomine *potestatis pastoralis* vel *iurisdictionis episcopalis,* munus proprium episcopi intellexit: *episcopus* scil. simul est et *pastor*. Iamvero in hoc munere, duo ministeria episcopalia continentur, tamquam species in genere: scil. *potestas docendi* et *potestas regendi ac gubernandi*. Has vero, Concilium Vaticanum I explicare non potuit. Quare nostrum schema, mentem illius Concilii sequens ac veluti complens, intitulari non possit « de episcoporum munere regendi ac gubernandi », cum hanc potestatem *praecise*[6] et hoc ministerium exponere contendit?

2. *Ordo quaestionum,* in schemate expositarum, alius esse deberet, et quidem conformior cum doctrina dogmatica circa episcopatum, *iam a Patribus admissa. Fundamentaliter adhaereo iis quae dicta sunt in hac aula ab em.mo card. Richaud, paucis tamen exceptis.*[7] Revera triplex pars concipi posset:

Prima ageret « de episcopo, gregis sibi commissi sacro pastore ». In hac vero parte successive agendum esset, et de dioecesis territorio (*circumscriptione scil.*[8]), atque de episcoporum cooperatoribus. Inter autem hos cooperatores, successive et logice pertractari deberet *a*) de episcopis coadiutoribus et auxiliaribus (cap. II); *b*) de organis gubernii dioecesani; *c*) de episcopi relatione cum parochis (cap. II schematis *de cura animarum,* in iis quae naturam iuridicam induunt); necnon *d*) de rationibus inter episcopum et religiosos, quoad apostolatus opera (cap. IV schematis *de cura animarum*).

In secunda parte quaestio unica aggrederetur de coetibus seu conferentiis episcoporum, quae certe hos supponunt, cum et sub Romano Pontifice, participes « supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam », iuxta verba secundi schematis *de Ecclesia* in Concilio Vaticano I ...[9]. Immo et talis quaestio ita pertractanda *esset*[10] ut aperta

via *pateret* [11] ad coetus seu conferentias *efformandas,*[12] iuxta S. Sedis iudicium, in plano nationali et internationali, non excluso regionali, *iuxta* [13] commendationem factam *iam* [14] a Leone XIII et a S. Congregatione Consistoriali anno 1919.

Tertia pars agere debet « de episcopo Romani Pontificis cooperatore », secundum ipsissima verba n. 11 schematis *de cura animarum.* In hac autem parte, *tractaretur* [15] successive et de episcopis in Dicasteria Romanae Curiae cooptandis et de relationibus inter episcopos et S. Romanam Curiam, de quibus iam multa habentur in cap. I nostri schematis.

3. Una est quaestio, *mihi videtur,*[16] non praetermittenda, de qua multi Patres spectant, ut saltem aliquid in Concilio dicatur, quaestio scil. de *organis gubernii dioecesani.* Duo ...[17] notanda:

a) eo quod presbyteri, iuxta verba Pii XII ...[18], sunt episcopi « socii vel consiliarii », ideo lex voluit ut in regimine dioecesis episcopi ditarentur Capitulis canonicorum *in munere fungendo* [19] « senatus vel consilii episcopalis » ...[20]. Multi autem sunt *episcopi* [21] qui efficaciorem senatum *exspectant.*[22]

b) Praeter *munus administrativum, iudiciale vel exsecutivum episcopi ministerium exercendum habent praesertim* [23] pastorale proprie dictum. De *Curia autem pastorali in dioecesi nihil absolute* [24] in iure habetur. Et tamen quam maxime desideratur!

4. Convenientia ut, quando de nostri schematis definitiva redactione agatur, quaestio de rationibus inter episcopos et religiosos quoad apostolatus opera hic inseratur, statim apparet. *Sane,*[25] ex una parte, de essentia vocationis religiosae est ut *haec* [26] sit simul apostolica ...[27], ex alia parte, iuxta verba Pii XII, « sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut episcopi auxiliator adsit et subsit »...[28]. Immo et si de ipsa religiosorum exemptione cogitetur, hoc notandum est, iuxta verba Leonis XIII, quod huius privilegii sic « temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati, sive ordinariae sive delegatae »...[29].

Unde clare apparet *convenientissimum* [30] esse quaestionem de rationibus inter episcopos et religiosos includi in parte, quae « de episcoporum cooperatoribus » agit.

Concludendo: schema aptum est ut, post debitam textus emendationem, a Patribus suo tempore definitive approbetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] saltem aliqua inveniuntur in schemate quod inscribitur *de cura animarum,* potius naturam pastoralem induente. [2] schemata alia. [3] nostri schematis. [4] pastoralis episcopi. [5] proponendas

censeo. [6] deest. [7] deest. [8] (de dioecesium scil. ac provinciarum ecclesiasticarum circumscriptione, cap. V, necnon de paroeciarum erectione ac circumscriptione, cap. VI). [9] (P. Kleutgen). [10] est. [11] pateat. [12] constituendas. [13] secundum. [14] et. [15] pertractanda esset quaestio. [16] deest. [17] ad hoc. [18] (Alloc. 31 maii 1954, *A.A.S.*, 1954, 313-317). [19] ad munus fungendum. [20] (can. 391). [21] deest. [22] episcopalem desiderant. [23] ministerium administrativum atque executivum — de quo unice agit C.I.C. quando Curiam dioecesanam explicat — episcopi curare debent ministerium. [24] huiusmodi autem curia pastorali nihil. [25] Revera. [26] deest. [27] (cf. *Sponsa Christi, A.A.S.*, 1951, pp. 5-24). [28] (Alloc. 8 dec. 1950, *A.A.S.*, 1950, pp. 26-36). [29] (Const. ap. *Romanos Pontifices* 8 maii 1881; *Acta Leonis XIII*, v. 2, p. 234). [30] conveniens atque opportunum.

Animadversiones additae:

APPENDIX. - *Nova proposita ordinatio schematum « De episcopis ac dioecesium regimine » necnon « De cura animarum »*.

Schema I - *De episcoporum munere regendi ac gubernandi*
- Pars I - *Episcopus, gregis sibi commissi sacer pastor* [1]
  - Cap. I - *De dioecesis territorio*
    - Art. I - De dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.
    - Art. II - De paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione.
  - Cap. II - *De episcoporum cooperatoribus*
    - Art. I - De episcopis coadiutoribus et auxiliaribus.
    - Art. II - De organis gubernii dioecesani.[2]
    - Art. III - De episcopi relatione cum parochis.[3]
    - Art. IV - De rationibus inter episcopum et religiosos, quoad apostolatus opera.[4]
- Pars II - *Episcopus, Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor*
  - Cap. un. - De episcoporum coetibus seu conferentiis.[5]
- Pars III - *Episcopus, Romani Pontificis cooperator* [6]
  - Cap. I - De episcopis, in Dicasteriis Romanae Curiae cooptandis.
  - Cap. II - De relationibus inter episcopos et S. Romanam Curiam.

Schema II - *De episcoporum munere pascendi* [7]
- Cap. I - De pastorali episcoporum munere.
- Cap. II - De pastorali parochorum officio.
- Cap. III - De pastorali cura peculiarium quorumdam fidelium coetuum.
- Cap. IV - De catechetica populi christiani institutione.

---

[1] Tituli partis I et II desumuntur ad litteram ex litt. enc. *Fidei donum.*

[2] Hic art. est novus.

[3] Hic art. partim desumitur ex cap. II sch. « De cura animarum ».

[4] Hic art. est cap. III eiusdem schematis.

[5] Cap. hoc ita concipi debet ut sufficienter consulatur futurae Conferentiarum constitutioni, sive regionalium, sive nationalium, sive internationalium.

[6] Titulus hic est eadem rubrica n. 11 cap. I schematis « De cura animarum ».

[7] Hoc schema hodie venit sub nomine « De cura animarum » e quo tamen aliqua detrahuntur, indolis iuridicae, in favorem prioris schematis.

8

Exc.mus P. D. LUDOVICUS M. FERDINANDUS DE BAZELAIRE DE RUPPIERRE

Archiepiscopus Chamberiensis

Venerabiles Patres,

In schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine* clare et aperte exprimitur voluntas episcoporum iurisdictionis potestatem asserendi, roborandi et ampliandi. Hoc vero mihi et, ni fallor, multis aliis episcopis non displicet.

Attamen plures sunt textus, qui obscuritate, confusione et etiam quadam contradictione laborant et quorum emendationem mihi liceat proponere.

1. Hoc schema magis est iuridicum quam pastorale. Sive agatur de relationibus inter episcopos et Ss. Congregationes Curiae Romanae, de relationibus inter episcopos residentiales et coadiutores et auxiliares, de diversis episcoporum conferentiis, modus dicendi et, ut ita dicam, stylus schematis ordinis praesertim iuridici est. Saepe saepius verbis utitur iuridicis, sicut: statuere, decernere, edicere. Quando scil. de episcoporum conferentiis loquitur, declarat: « Quapropter Sacrosancta Synodus harum episcoporum conferentiarum summa saltem iuridica lineamenta communiter in hunc, qui sequitur, modum definienda statuit ». Omnia quae proponuntur, modo iuridico enuntiantur, ita ut vis pastoralis harum conditionum non clare appareat. Aspectus iuridicus primus videtur esse, ex quo aspectus pastoralis tamquam consequentia oriatur. Atqui episcopi potestatem suam in regimine dioecesium et in participatione collegiali boni communis universae Ecclesiae secundum aspectum pastoralem considerari cupiunt. Etsi hoc schema non praecipue sub respectu dogmatico et sub respectu exercitii pastoralis curae animarum elaboratum fuerit — quia hoc agendum sit in aliis schematibus *de Ecclesia* et *de cura animarum* — debet tamen cum aliis schematibus consonare et ab eis non alienum videri.

2. Diversa huius schematis capita inter se vinculo rigido non connectuntur, *sicut iam dixit em.mus card. Richaud.*[1] Unum *caput*[2] sequitur alterum, sed qualis est unitas, qua omnia in unum coniunguntur? Nullum est centrum unitatis, quod ex principiis generalibus fluat. Deest ratio superior ad quam unumquodque caput referri possit. V. g., caput

de paroeciarum erectione, etsi magni momenti, in alio schemate vel potius in correctione C.I.C. locum habeat oportet.

3. Amplificatio potestatum, quae in hoc schemate episcopis tribuuntur, *magis est fictiva quam* [3] realis. Etenim maior pars harum facultatum, quae in appendice priori enumerantur, iam in facultatibus quinquennalibus continentur et ordinarie episcopi eas obtinent. Hae potestates decursu temporis a Ss. Congregationibus reservatae sunt. Nullus est qui neget Romani Pontificis potestatem sibi causas reservandi quas sive ex natura rei sive ad Ecclesiae unitatem conservandam, ad se avocare iudicaverit. Sed haec reservatio, quae olim necessaria aut utilis fuit, saepe hic et nunc eandem necessitatem vel utilitatem amplius non habet. Quando reservatio cessat, non agitur de vera amplificatione episcoporum iurisdictionis potestatis, quasi hae facultates novae et gratuitae concessiones essent. Nam, in maiori parte saltem, ex immediata et ordinaria episcoporum docendi, sanctificandi et regendi potestate defluent, sicut in schemate *de Ecclesia* explicatur.

4. Denique, hoc schema ...[4] inter duas opiniones fluctuare videtur, quod est alicuius confusionis occasio. Ex una parte, schema affirmat in introductione: « Episcopi tanquam veri pastores... tales in munere gerendo se habeant, sicque eorum iurisdictionis potestas asseratur, roboretur ac vindicetur oportet ». Unde eruitur episcopos, vi muneris sibi commissi, potestatem ad huius exercitium necessariam *habere,* salvo tamen primatu iurisdictionali Romani Pontificis. Ex alia parte, in n. 3 schematis affirmatur: « Episcopi residentiales iure communi omnes *habeant* facultates, quas aptius et expeditius eorum ordinariae et immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat. Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae amplificentur ». Unde eruitur has facultates a Ss. Congregationibus datas vere esse concessiones et amplificationes, ex quibus iure communi fiunt. Quae interpretatio a rev.mo D. Carli in relatione super hoc schema evolvitur. Hae duae opiniones modo una modo altera in toto schemate inveniuntur, ita ut mens anceps maneat et qualis anteponi debeat nesciat.

Conclusio: Optandum est hoc schema in sensu magis pastorali reformetur et sic melius ad mentem Summorum Pontificum Ioannis XXIII et Pauli VI erga Concilium respondeat. Affirmandum est etiam hoc principium fundamentale: Firma semper Romani Pontificis potestate sibi reservandi causas quas ipse ad se advocare iudicaverit, episcopi residentiales habent iure communi integram potestatem quam, ex divina institutione, eorum munus pastoris, pontificis ac doctoris fidei in dioecesi ipsis

commissi, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] non est vere. [4] — et est maior difficultas —.

9

EXC.MUS P. D. PAULUS CORREA LEÓN
Episcopus Cucutensis

Rev.mi Patres,

Eo in primis doleo quod propter circumstantias ab exc.mo relatore narratas, plus quam dimidia pars huius Commissionis conciliaris « de episcopis ac de dioecesium regimine » non fuerimus auditi pro redigendo schemate quod cunctorum nunc Patrum studio submittitur.[1]

Magis adhuc eo doleo quod praedictae commissionis membrorum mens non fuerit exquisita circa relationem hodierna die factam, contra praescriptum Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi in art. 65, par. 5, statuentis: « Commissio relatorem designat, qui schema proponat atque declaret in congregatione generali iuxta mentem commissionis vel eiusdem maioris partis... ».

His praemissis,[2] nomine 60 Patrum conciliarium ad diversas Americae Latinae nationes pertinentium, animadversiones quasdam propono circa schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* in genere.

Schema hoc plures innovationes in vigenti iure canonico inducendas proponit, eo scopo ut episcoporum auctoritas roboretur atque facilius et expeditius reddatur episcopalis muneris exercitium. Quae intentio sane laudanda est, utpote quae revera uberiorem Ecclesiae activitatem fovet.

Dolendum tamen est quod schema in sua generali dispositione duplici laboret defectu, cuius causa minus efficaciter supra laudatum propositum consecuturum videtur.

1. Imprimis schema de illis tantum agit quae ad episcopum quatenus rectorem seu gubernatorem communitatis attinent, et fere unice sub adspectu iuridico, disciplinari et administrativo.

Iamvero, episcoporum potestas regiminis non est nisi pars quaedam sui muneris pastoralis, quod tres functiones mutuo sese complentes comprehendit, magisterialem nempe, sanctificatricem et gubernativam. Iurisdictio enim ecclesiastica non est nisi medium seu instrumentum

sociale pro hominibus, fide instructis ac supernaturaliter vivificatis, per sanctitatis semitas ad aeternam salutem ducendis. Eius ultima ratio in essendo ac suprema in exercendo norma non alia est ac animarum salus ex missione Christi procuranda.

Unde, ut dixit Pius XII, « nulla veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter indivisibilem, quam vocant, Spiritus Sancti missionem, ac iuridicum pastorum doctorumque a Christo acceptum munus; quippe quae — ut in nobis corpus animusque — se invicem compleant ac perficiant, et ab uno eodemque Servatore nostro procedant » (Encyclica *Mystici Corporis Christi* ...[3]).

Si autem normae disciplinares quasi per se stantes et non tamquam pars muneris pastoralis Ecclesiae concipiantur, speciem habebunt corporis sine anima, sic dictum « iuridicismum » sapient funestoque eorum errori favebunt « qui — *aiente eodem Pio XII*[4] — commendaticiam Ecclesiam sibi somniant, utpote societatem quamdam caritate alitam ac formatam, cui quidem — non sine despicientia — aliam opponunt, quam iuridicam vocant » ...[5].

Si, e contra, ius Ecclesiae normativum in vera luce ponatur, erit quidem corpus, necessarium pro conditione humana peregrinantis Ecclesiae, sed salutifera caritate animatum et huic revera inserviens, ac promptiorem intellectuum voluntatumque obsequium merebitur.

2. Summus Pontifex Paulus VI, f. r., cum hanc secundam Concilii Oecumenici sessionem inchoabat, nobis alloquens, « inter varias, inquit, diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote episcopos Ecclesiae Dei ».

Principia doctrinalia de conditione et muneribus episcoporum Ecclesiae Dei in schemate *de Ecclesia* discussa et enucleata satis fuere, ea quidem ratione quae in ecclesiologia gressum sat magnum inducet. Erit munus schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* ius canonicum cum eiusmodi doctrina componere.

Quapropter necessarium videtur quod episcoporum iuridicae facultates, quae in hoc schemate ampliandae proponuntur, concipiantur et exhibeantur tamquam quid promanans ex natura muneris episcopalis, et non tamquam privilegia eidem extrinseca, solius praecellentiae gratia cumulata.

Si, proinde, nunc episcoporum potestas ita ampliari proponitur ut iura ac privilegia aliis in praeterito concessa quodammodo restringantur, sic schema componendum est ut hoc non quasi ambitioso vel hostili conatu factum iudicetur, sed tamquam sequela practica a pastoralis muneris natura et valido exercitio subsecuta.

Praeterea haec ampliatio episcopalium potestatum non debet enun-

tiari veluti gratiosa quaedam elargitio, sed tamquam affirmatio in ordine disciplinari facta, illius divinae episcopatus missionis, quam utique iuxta superiores Summi Pontificis ordinationes exercendam profitemur (quia nullus nostrum schismatica Pistoriensium suspicione dignus putandus est).

Itaque, cum schema quoad haec non placeat, nomine supradictorum pastorum Americae Latinae postulo:

1. Quod tractatio disciplinaris *de episcopis ac de dioecesium regimine* non seiungatur a tractatione de pastorali animarum cura, sed potius cum *ea arcte coniungatur,*[6] quod melius congruet cum indole pastorali huius Concilii, *et iam alii Patres, praesertim exc.mus Jubany, aux. Barcinonensis, qui membrum iam est nostrae commissionis, opportune suggesserunt.*[7]

2. Quod principium fundamentale pro amplioribus facultatibus episcopis agnoscendis hoc sit: « Episcopus iure communi omnes habet facultates quae necessariae sunt ad exercitium sui muneris doctoris, pontificis ac rectoris, salvo iure Summi Pontificis sibi reservandi ea quae opportuna sint ad bonum commune totius Ecclesiae. Quapropter reservationes hucusque vigentes deminuantur et reducantur ad negotia maioris momenti ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Qua membrum commissionis conciliaris *de episcopis et dioecesium regimine* eo revera doleo quod plus quam dimidia pars nostrorum, i. e. praedictae commissionis membrorum, propter circumstantias ab exc.mo relatore enarratas, non fuerimus auditi pro redigendo schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine* quod nunc cunctorum Patrum studio submittitur. [2] deest. [3] *A.A.S.,* 25, 1943, p. 224. [4] deest. [5] (Pius XII, *ib.*). [6] schemate de hac agente refundatur. [7] deest.

[*Consenserunt*] Raimundus Bogarin, Michael Angelus Builes, Candidus Rada Senosiain, Alfonsus Uribe J., Petrus J. Rivera Mejía, Raphael Sarmiento, Maximianus Valdes Subercaseaux, Joseph M. Carrizo, Placidus Crous et Salichs, Ioseph Santos Ascarza, Angelus M. Ocampo, Ioannes Fresno Larraín, Emmanuel Larraín, Emmanuel Sanchez Beguiristain, Ioseph Castro, Raul Zambrano, Michael Antonius Medina, Eusebius Septimius Mari, Ioseph Joachim Florez, Hector Rueda Hernández, Albertus Rencoret Donoso, Alexander Menchaca Lira, Henricus Bolaños Quesada, Franciscus Gillmore Stock, Georgius Manrique, Franciscus Valenzuela R., Alexander Durán, Robertus Caceres, Carolus Parteli, Sergius Méndez Arceo, Aloisius Baccino, Ioseph Antonius Perez, Iesus Martínez Vargas, Moyses Blanchoud, Vincentius Zazpe, Georgius Kémérer, Antonius Aguirre, Albertus Devoto, Arturus Duque, Antonius Quarracino, Georgius Giraldo, Eduardus Boza M., Augustus Salinas, Bonaventura Jauregui, Albertus Uribe Urdaneta, Ioseph Leon Rojas, Gulielmus Escobar Vélez, Alexander Fernandez Feo, Crispulus Benítez Fontúrvel, Ioseph Dammert Bellido, card. Raul Silva Henríquez.

10

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres,

Quaedam proponere vellem de schemate in genere, de ordine scil. eius, et etiam animadversionem addere de situatione praesenti rerum, a qua in hoc schemate abstrahere non licet.

1. *De ordine et simul de prooemio.* Schema, *uti iam dictum est,*[1] quoad dispositionem partium et ordinem deficiens videtur: capitula enim eius sibi succedunt sine sufficienti nexu.

Hoc autem facile obtineri posse videtur, *ut etiam dictum est,*[2] si totum schema sub luce ponatur in schemate *de Ecclesia* affirmata, etiamsi, ut exc.mus relator dixit, nondum sit absolutum schema *de Ecclesia.* Haec doctrina *filum necessarium* [3] offerret ut omnia clara et ordinata appareant et etiam ut ex ipsa fidei luce canonica agendi ratio inveniretur. Quod fieri posset et expediret imprimis *saltem* [4] recognoscendo prooemium schematis: ...[5] « Ut aptius, expeditius, fructuosius exerceri valeat episcoporum munus, quale in schemate *de Ecclesia* nuper denuo claruit, praecipue quoad unitatem collegii episcoporum sub Petro, Sanctae Synodo sequentia statuere visum est de modo se habendi episcoporum: 1. ad Sedem Apostolicam; 2. inter se, per conferentias nationales et meliores in territoriis partitiones; 3. in ipsa sua dioecesi, quoad cooperatores episcopales et quoad dioecesis pastoralem divisionem ».

Haec prooemii recognitio non tantum ordinem ...[6] afferret, sed etiam omnia *ad novam conditionem non iam* [7] mere iuridicam attolleret.

2. *De integranda appendice altera.* Salvo superiori iudicio, saltem quoad essentiale appendix altera *de praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos,*[8] ad ipsum schema pertinet et intra ipsum integranda videtur. Non enim de applicationibus tantum agit sed continet vel supponit principia quae Patres conciliares explicitanda censent, sine dubio, et optant, circa relationes inter episcopos et Curiam Romanam. Textus ipse schematis potius in hac re exhortando procedit dum de principiis enuntiandis agitur, et probabiliter de methodis quibusdam mutandis.

3. *De consideranda condicione praesenti mundi.* Agens de relationibus inter episcopos schema theoretice procedit. Atqui abstrahi non potest in praesenti ab ordine et quidem irreversibili rerum in mundo et praecise ab hoc facto universali de quo tam lucide locuta est Encyclica

Mater et Magistra, scil. de intricatione et complexitate crescente rerum, quod etiam sub vocabulo socializationis exprimi solet.

Quaestiones enim maiores et graviores a quibus cuiusque dioecesis vita pendet necnon et exercitium muneris episcopi iam non intra dioecesim solutionem suam invenire possunt: condiciones istas evangelizatio ignorare non potest quin ipso facto quaestiones istae vel sine solutione *indefinite* [9] maneant vel absque episcopo solutionem qualemcumque inveniant, ita ut in utroque casu episcopus ab officio suo deficit. Hic rerum status in novam lucem ponit exigentiam coniungendi et organizandi tum opus episcopale tum opus episcoporum in relatione ad Summum Pontificem. Conferentiae episcopales, quarum necessitatem renovatio Liturgiae nuper ostendit, nedum officium episcopale impediant, ut condicio necessaria apparent sive exercitii muneris episcopalis, *in sua dioecesi* [10] sive etiam efficacis Apostolicae Sedis actionis directivae.

Collegialitas, dogmatice aliunde probata, necessitas vitalis dicenda est etiam sub respectu situationis Ecclesiae in mundo hodierno, ita ut definitio ipsa doctrinalis providentialiter opportuna esse constet.

Conclusiones hae sunt igitur:

1. Ut recognoscatur prooemium, *saltem hoc,*[11] ita ut ex eo manare possit in totum schema lux doctrinae de Ecclesia ut principium ordinis, unitatis et vitae, quae omnia in praesenti schemate desiderantur.

2. Ut introducantur in *ipso* [12] schemate quae ad appendicem alteram remissa sunt, de modo procedendi Ss. Congregationum ad episcopos.

3. Ut in schemate ratio habeatur de praesenti condicione mundi, magis ac magis in dies in se solidi, et ideo urgentis ad bonum Ecclesiae et Evangelii quaecumque virtualiter in Ecclesia latent, *quoad* [13] sanam et organicam communionem operis sive *inter episcopos, sive inter episcopos et Sedem Apostolicam.*[14] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] veluti filum. [4] deest. [5] Par. 3 sic igitur v. g. sonaret: [6] et unitatem. [7] supra conditionem. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] circa. [14] episcoporum inter se, sive episcoporum ad Sedem Apostolicam.

11

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Patres,

Dicitur in schemate quod episcopi debent esse « veri pastores in peculiaribus ecclesiis ». Hoc verum est, sed affirmatio collegialitatis in schemate *de Ecclesia* nova essentialia affert. Praesens schema debet de exercitio collegialitatis agere:

1. Affirmando quod munus pastorale locale melius exercetur in ministerio collegiali.

2. Proponendo regulas practicas ad exercitium collegiale.

De primo, ad brevitatem, textum mittam ad secretariatum, quia iam dictum est a pluribus.

Ad secundum, scil. criteria exercitii muneris collegialis.

Affirmatio, etiam firma, missionis collegialis non sufficit. Servandae sunt quaedam regulae fundamentales et rationes procedendi. Institutiones iuris in se possunt collegialitati proficere aut nocere.

Regula I. Collegiale ministerium episcopi per se exerceant; quisquis episcopus decisionibus communibus debet personaliter interesse.

Regula II. Exercitium ordinarium potestatis collegialis requirit conventus multos, temporibus determinatis et omnibus gradibus, ubi decisiones communes sumendae sunt.

Regula III. Multifariae collegialitatis institutiones inter se connecti debent, vinculis organicis, ita ut in omnibus gradibus adhibeatur par sollicitudo omnium Ecclesiarum et sociae earumdem missionis erga omnes homines. Speciatim foveatur mutuum commercium inter diversas conferentias episcopales.

Regula IV. Relationes inter potestatem supremam et conventus episcoporum clare definiantur. Speciatim declaretur quibusnam in causis decurrendum est vel decurrendum sit ad S. Sedem, secundum potestatem supremam et competentiam collegialem episcoporum.

Tandem *Regula V.* Ex ipso collegiali exercitio ordinario ministerii episcopalis requiritur institutio quorumdam coetuum stabilium paucorum virorum: v. g. centralis comitatus, commissiones generales, generalis secretariatus, etc. Hi organismi debent realiter episcopos repraesentare.

Conclusio: Postulo ut schema funditus recognoscatur secundum mu-

nus collegiale episcoporum, et enuntiando regulas huius exercitii, quod facile est in prooemio novo. Sufficit.

Textus scripto traditus:

In introductione schematis, pag. 5, lin. 7, dicitur quod episcopi debent esse « veri pastores in peculiaribus ecclesiis ». Haec missio pastoralis episcoporum evolvi debet secundum collegialitatem essentialiter approbatam in schemate *de Ecclesia.*

Titulus schematis melius esset « De munere episcoporum ».

Postulo ut in schemate exponatur:

1) ministerium episcopale fundari in collegialitatem;

2) regulas practicas ad ministerium collegiale.

Primo: Revera oportuit ostendere quod ipsum regimen dioecesium, seu munus pastorale locale, ipso iure requirit ut episcopi ministerium collegialiter adimpleant, et quod exercitium ipsius iuris nostris temporibus urget.

Ex una parte. Collegiale exercitium ministerii pastoralis non est nisi ratio « evolvendi » munus pastorale locale. Ubi est episcopus, ibi Eucharistia, ibi Ecclesia universalis. Episcopus cuiusdam loci munus suum locale non implebit, nisi in quantum erit ei « sollicitudo omnium Ecclesiarum ». Missio universalis fit res propria omnium episcoporum.

Ex alia parte. Hodiernis hominum conditionibus non solum commutatur conspectus concretus episcopi in sua dioecesi agentis, sed etiam requiritur omnino ut ministerium episcopale vere collegialiter exerceatur, et hoc quidem ordinarie. Oves enim dioecesanas, quas episcopus pascere debet et cognoscere totaliter in vita earum, subiiciuntur influxibus quorum magna pars oritur extra ipsum territorium iurisdictioni cuiusque episcopi commissum. Hodierni homines ut revera sunt attingere episcopi non poterunt nisi eos *simul* attingere conabantur.

Iura episcoporum in dioecesibus non minuuntur ex exercitio collegialitatis, sed melius pleniusque exercentur.

Exercitium muneris episcoporum, quodammodo per conferentias episcopales, apparet ex historia, tum in antiquo cum in hodierno tempore, tum in oriente cum in occidente, ubi episcopi, fraterne et sicut unum corpus agentes, ex maximis periculis fidem ovium servaverunt et servant, fidei confessores fuerunt et sunt, sane vi gratiae Dei sed etiam vi actionis communis et mutui auxilii.

Secundo. Affirmatio, etiam firma missionis collegialis non sufficit. Servandae sunt quaedam regulae fundamentales et rationes procedendi. Institutiones iuris in se possunt collegialitati proficere aut nocere.

Regula prima. Collegiale ministerium episcopi, per se ipsi exerceant, non per alios. Episcopus personaliter partem habeat quoties aliquid communiter decernatur quod ad ipsum pertineat.

Regula secunda. Certis temporibus episcoporum conventus instituantur, prout requirit ordinarium exercitium collegiale ministerii episcopalis, in omnibus scilicet gradibus instituendi ubi quidquam communiter decernendum sit. Fieri enim nequit ut omnes directe partem se capere sentiant in rebus decernendis, nisi episcopi certis temporum intervallis convenerint. Hoc fieri debet sive Conciliis, sive Commissionibus, sive Conferentiis nationalibus.

Regula tertia. Vinculis organicis connectantur multifariae illae collegialitatis institutiones, ita ut in omnibus gradibus adhibeatur par sollicitudo omnium eccle-

siarum et missio salutis erga universos homines. Speciatim foveatur mutuum commercium inter conferentias episcopales sive nationales sive internationales.

Regula quarta. Relationes inter potestatem supremam et conferentias episcopales clare definiantur. Speciatim declaretur quibusnam in causis decurrendum sit ad Sanctam Sedem. Oportet enim profiteri realem collegialem episcoporum competentiam, et determinare causas potestati supremae reservatas.

Regula quinta. Ex ipso collegiali exercitio ordinario ministerii episcopalis requiritur institutio quorumdam coetuum stabilium paucorum virorum: videlicet centralis comitatus aut commissiones speciales rebus particularibus tractandis, aut generalis secretariatus, etc. ... Laboris autem talium coetuum lex suprema sit ut reapse vices gerant eorum episcoporum a quibus sunt instituti. Unde mihi videtur requiri ut talium coetuum socii legitimis suffragiis eligantur; atque lex communis sit ut ad tempus eligantur.

Conclusio. Postulo ut introductio huius schematis funditus recognoscatur, enuntiando regulas et rationes procedendi secundum principia collegialitatis in schemate *de Ecclesia* posita. Ex nova introductione recognoscantur etiam diversa capita schematis.

12

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

Venerabiles Patres,

Schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* evidenter exaratum est antequam *distributa* [1] fuit secunda redactio schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Exinde, etsi in eo inveniuntur multa quae bona in se et practica sunt, ideoque laudanda, attamen quia caret perspectivis fundamentalibus, nonnisi quoad modum placet mihi et *quibusdam* [2] episcopis canadensibus, quorum instantia et nomine etiam nunc loquar.

Nonnisi quoad modum placet schema hoc propter multas rationes ex quibus principaliores tantum, aut — ut melius dicam — urgentiores seu evidentiores nunc proferam.

1. Omnibus patet praesens schema non sequi, ne quidem in substantia *seu structura,* [3] praeclarissimum cap. II schematis constitutionis *de Ecclesia,* nempe « de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu ». Hoc evidenter necessarium esset, siquidem concordantia inter constitutionem dogmaticam et decretum de eadem materia invenienda est. Hanc conformitatem omnino exigit natura ipsa decreti, cuius est in praxim legislationis et actionis deducere principia merito instaurata in supradicto cap. II constitutionis *de Ecclesia.* Ceteroquin, fasciculi nota 3, sub pag. 7 posita, hoc insinuare videtur.

Quapropter, prae oculis habitis ...[4] quae dicta sunt in cap. II constitutionis *de Ecclesia,* non intelligitur sub quonam respectu schema decreti *de episcopis* muneris episcopalis perfunctionem in concreto concipere velit. Praesertim, *v. g.*[5] non videtur cur incipiat tractando « de relationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes ». Nonne maxime conveniret imprimis considerare exercitium supradicti nativi muneris, relate ad Ecclesias particulares et Ecclesiam universalem, quas regere Spiritus Sanctus episcopos posuit, duce indubitanter ipso capite collegii, sed etiam realiter una cum eo, et quidem in mutua Papae et omnium episcoporum collaboratione? Deinde tantum, schema congrue tractaret de Apostolicae Sedis Dicasteriis, quae instrumenta apta sunt executiva auctoritatis ecclesiasticae pro universa Ecclesia, scil. Summi Pontificis et Consilii Apostolici de quo pluries diserte iam dictum est.

2. Sicut in schemate constitutionis de Ecclesia clare affirmatur, adest munus episcopale ex se indivisibile, ex quo secundum traditionem tres *potestates,* nempe sanctificationis, magisterii et regiminis efflorescunt. Quod munus, in se unum, per ipsam consecrationem episcopalem recipitur. In praesenti autem schemate, de ipso exercitio illarum episcopalium potestatum agitur. Ideo omnino elucere debet ligamen reapse vigens inter triplicem *potestatem* et sacramentale munus episcopale, et non solummodo nexus inter exercitium huius *potestatis* et institutionem canonicam hodie vigentem in Ecclesia latina, quae (institutio canonica) veluti conditio sine qua non plenae efficaciae potestatis et unitatis in Ecclesiae regimine esse videtur.

Quapropter, verba « habeant seu concedantur facultates » valde inadaequata sunt, et proinde eis substituenda sunt verba « polleant potestatibus ». Etenim, in modo loquendi hodierno, verba priora, nempe « concedantur facultates », *delegationem* aliquam ab extrinseco datam connotant, cum vero posteriora verba, nempe « polleant potestatibus », connotant proprium exercitium potestatum in ipsa consecratione episcopali collatarum, quibus nativam liberamque operationem obtinere sinit aut restringit Summus Pontifex, in quantum principium unitatis in Ecclesia, quodque secundum necessitudines temporum conditionumque ad bonum commune facit.

Applicatio tandem immediata huius puncti esset mutatio simplex vocabularii usus hodierni, nempe ubi dicitur de episcoporum amplioribus facultatibus, potius dicatur eorum *potestates* quasdam a Summo Pontifice reservari.

3 et ultimo. Schema constitutionis *de Ecclesia* profert ...[6], episcopum tamquam pollentem, consecratione sua, munere animarum et grege, dum vero in schemate decreti de episcopis adhuc loquitur de episcopis

titularibus, i. e. nullo grege iure et saepe de facto sibi concredito. Ut pressius constitutionem sequatur, non amplius loqui oportet de residentialibus aut titularibus, saltem pro illis episcopis qui ad curam animarum in aliqua dioecesi eliguntur. Unicuique dioecesi proinde assignetur numerus episcoporum quem exigit munus animarum aut bonum fidelium. Unus simpliciter appellaretur « episcopus sedis » talis loci, ceteri, « episcopi adiuncti » aut « auxiliarii » *eiusdem sedis*. Ita reditus fieret ad disciplinam Chorepiscoporum quae passim iam viguit in Ecclesia, sive occidentali sive orientali, a saec. II ad XIII, sed nunc cum significatione pleniore quae melius correspondeat conceptui proprio pastorum et gregum suorum, prout definitius tempore nostro intelligitur.

Conclusio: His dictis, *totum*[7] schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* funditus recognoscendum *nobis*[8] videtur, ita ut cap. II schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* in omnibus adhaereatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cognita. [2] 50. [3] sua nec structura neque perspectivis. [4] ea. [5] deest. [6] et quidem optime. [7] deest. [8] deest.

Moderator: Audiatur secretarius generalis pro aliqua communicatione.

Ista communicatio fiet crastina die. Congregatio proxima erit feria tertia, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Feria quarta!... Feria quarta! Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXI
6 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXI

6 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 61 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Communico Patribus piissimam mortem duorum exc.morum Patrum, nempe Danielis Mannix, arch. Melburnensis, et Ferdinandi Piontek, ep. tit. Barcaei. Oremus pro eis!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT, alternatim cum Patribus, psalmum « De profundis » recitavit, additis versiculis et oratione.

Secretarius generalis: Audiant Patres! Communicatio, quam heri in fine em.mus moderator dixit faciendam a secretario generali, fit hodie per litteras ipsius secretarii generalis personaliter Patribus quorum interest. Hi Patres durante congregatione recipient litteras.

Circa schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* in genere verbum facere petierunt pro hac hodierna congregatione em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia, Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia, Augustinus Bea, Michaël Browne; exc.mi DD. Petrus Veuillot, arch. coad. Parisiensis in Gallia, Ferdinandus Gomes dos Santos, arch. Goianiensis in Brasilia, Petrus Dib, ep. Cahirensis in Aegypto, Carolus Bandeira de Mello, ep. Palmensis in Brasilia, Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis in Germania, Alexander Olalia, ep. Lipensis in Insulis Philippinis, Franciscus Simons, ep. Indorensis in India, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia, Ioseph Hodges, ep. Vhelingensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Raphaël González Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P.; exc.mi DD. Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico.

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Quae hesterna die in hac aula audivimus fere omnia tam graviter a schemate nobis proposito dissident ut — si praevaleant — schema ipsum penitus reficiendum vel saltem funditus recognoscendum sit; cum mihi pluribusque aliis videatur — nonnullis insertis emendationibus — dignum esse quod adprobetur.

Etenim rationes quae contra afferuntur non satis firmae et validae sunt.

1. Asseritur deesse in schemate verum episcopalium facultatum fundamentum, nempe episcoporum collegialitatem, sed hac assertione ponitur iam habendum esse pro explorato episcopos collegium, quod proprie vereque dicitur i. e. iuridicis facultatibus praeditum, constituere et quidem ex Conditoris Ecclesiae voluntate; e contra, tantum abest ut de re tanti momenti claritas, quae requiritur, habeatur, ut etiam postquam — cum de schemate Ecclesiae ageretur — per plures dies disceptatum est, magis magisque apparuerit necessitas amplioris investigationis et diligentioris studii.

Profecto paucis ante diebus, a nobis votum exquisitum est: « an placeret ita apparari cap. II schematis *de Ecclesia* ut dicatur corpus seu collegium episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedere collegio apostolorum etc. ».

At, em.mus card. Lercaro, tunc moderator, aperte praemisit ex voto nostro nullum praeiudicium fore ut consequeretur ad doctrinam de episcoporum collegialitate quod attinet; deinde a commissione conciliari res attente examinaretur atque in novo schemate iterum Patrum disquisitioni et suffragationi opportune subiceretur.

2. Altera causa quae contra schema inducitur haec est: de episcoporum conferentiis earumdemque iuribus in schemate exigue et subobscure dici; quae causa cum prima, scil. de episcoporum collegialitate, arcte coniungitur.

In schemate equidem plures agnoscuntur episcopis facultates quae hactenus manifestae non erant; conferentiarum autem episcopalium utilitas pro salutari regimine dioecesium et, indirecte, universae Ecclesiae, satis declaratur; quod ceterum, nemo in dubium umquam vocare ausus est.

Si vero ingredi vellemus quaestionem de conferentiarum episcopa-

lium auctoritate, in multos scopulos nunc incideremus, quia si — exempli gratia — memoratis conferentiis, praeter potestatem quae consultiva dicitur (consilia nempe praebendi vel Summo quoque Pontifici ea proponendi, quae bono Ecclesiae faventia censeantur), tribuitur insuper facultas leges ferendi, faciliter via sterneretur immodicis libertatibus et malis multis quae timenda esse em.mus card. ...[1] McIntyre heri magna cum prudentia significavit; quin dicam de periculo introducendi in varias provincias ecclesiasticas et nationes tot discrimina ut christifidelibus plures Ecclesiae differentes, immo inter se discrepantes, viderentur.

Praeterea nemo est qui non perspiciat quam difficile idemque arduum esset Vicario Iesu Christi, Petri successori, *non recipere,* pro libertate ipsi agnita, quae a conferentiis nationalibus et praesertim internationalibus deliberata ac statuta essent. Exinde primatus iurisdictionis, qui ad Summum Pontificem in bonum Ecclesiae universae et maxime pro eiusdem unitate, iure divino pertinet, *re et usu* quasi evanesceret vel saltem multum debilitaretur. Accedit quod sola *libertas recipiendi aut non recipiendi* quae ab episcopis *statuantur*[2] non sufficeret ad supremam Papae potestatem iurisdictionis servandam, cum ad ipsam supremae potestatis naturam pertineat ius certum ac definitum *probandi aut non probandi.*

3. Subinde recte — ut reor — deploratur cunctas ...[3] facultates quae in schemate recensentur exhiberi veluti S. Sedis concessiones seu largitiones; cui parvae immoderationi expedite temperaretur si facultates episcoporum in duas species dispertiantur, quarum una eas enumeret quae ad episcopos ex sacro episcopatus ordine pertinent, altera comprehendat tantum illas facultates quibus episcopi fiunt quodammodo participes supremae potestatis Summi Pontificis propriae.

Ideo, qua par est animi submissione, propono, ut schema, suetae disceptationi prouti est subiciatur, aut, si praeferatur, prius accurate definiatur *tandem aliquando,*[4] quo sensu episcopi collegium *constituant*[5] et quaenam potestas inde pro episcopis, collegialiter vel singillatim sumptis, vere effluat, prae mente tamen firmiter habendo apostolos, quorum successores sunt episcopi, habuisse praerogativas extraordinarias (e. g. amplissimam in orbe terrarum potestatem), quas successores, seu episcopi, hereditate non accipiunt (potestas enim episcoporum secundum doctrinam catholicam, est certis circumscripta finibus nec plane sui iuris).

Ex praefata subtili ac diligentissima investigatione, tum dogmatica, cum iuridica et historica, plane *eruetur*[6] utrum praesens schema in universum accipi possit, an — ut plures exoptant — ante retractari debeat quam trutina conciliari examinetur.

Denique episcopos, sive in mundo dispersos sive Romae in modum commissionum peculiarium congregatos, pro populorum cognitione qua pollent et multarum rerum usu quo experti sunt, si a Curia Romana de rebus maioris momenti consulantur et audiantur, multum pro efficaciore Ecclesiae universae regimine, in omnium animarum salutem adiuvare posse, dum persuasissimum mihi est, ardenter expeto ut id in schemate praesenti vel in *schemate*[7] futuro, secundum Pauli Pp. VI fel. regn. voluntatem, diserte affirmetur et quam primum ad effectum adducatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ioannes Franciscus. [2] statuta sint. [3] episcoporum. [4] deest. [5] constituunt. [6] erueretur. [7] deest.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KOENIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres conciliares,

Schema in genere ...[1] placet et magna laude dignus est labor in commissione impensus. Ad schema in genere adhuc perficiendum, humiliter proponere audeo quae sequuntur:

1. *Quoad cap. I.*

a) In prooemio praevideatur et postea, i. e. quando schema *de Ecclesia* adprobatum fuerit ad normas Concilii, tunc curetur verbum de collegialitate episcoporum ad mentem cardd. Liénart, Richaud et aliorum Patrum addi.

b) Ordo primi capitis aliquantulum immutetur, i. e. prooemio absoluto dicatur: 1. De episcopis cum et sub Romano Pontifice collaborantibus in Ecclesiae universalis regimine; 2. (uti habetur in schemate pag. 7) De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos; et 3. De episcoporum facultatibus (quod habetur in pag. 6 schematis). Ratio huius distributionis est: opportunum mihi videtur ut aliquid dicatur de collegio internationali episcoporum et quomodo episcopi universi cum et sub Romano Pontifice in universalis Ecclesiae regimine collaborare possunt, i. e. quod et quomodo Romanus Pontifex, v. g. praesides conferentiae episcoporum, vel etiam quosdam alios, semel vel bis in anno — si tempora tranquilla sunt — convocet, eorum consilia audiat et eorum sententias exquirat in rebus quae Ecclesiam universalem spectant. Tali vel simili modo unio inter centrum et peripheriam, communicatio

inter Summum Pontificem et collegium episcopale intima, adiutorium episcoporum in regimine Ecclesiae universalis esset verum; maior esset intercommunicatio inter regiones missionum et alias terras, quia etiam inter conferentias episcoporum intimior fieret nexus.

c) Ad n. 4 (pag. 7, lin. 1), ubi de principio fundamentali agitur, addatur et paulisper evolvatur illud in vita sociali principium pretiosum, i. e. principium subsidiaritatis, scil. quod inferior suis viribus commode, licite, et valide facere potest, non adsumatur a superiore; et in hoc consentio cum episcopo Gargitter.

2. De conferentiis episcoporum, in pag. 14 ss., caute et prudenter procedatur, *sicuti modo adhibemus,*[2] quia systema quod viget apud hierarchiam in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, apud episcopos linguae germanicae optimos fructus hucusque producit, i. e. consensus unanimis vel quasi unanimis in istis conferentiis tantum obligationem moralem et non iuridicam creat. Sed in rebus maioris momenti quasi semper adest unanimitas, et pondus obligationis moralis numquam a singulo episcopo parvipenditur. *Ideo, desideranda esset maior libertas pro conferentiis episcopalibus.*[3]

Quoad n. 24, pag. 16, mihi videtur in rebus magni momenti, *sicut in casu*[4] v. g. in lin. 21 sub littera *b*), *in hoc casu*[5] maioritas melius exprimenda esset, fortassis quatuor ex quinque partibus.

Sub eodem numero post litteram *d,* addatur alia littera, i. e. qualis est vis decisionis quando consultum *episcoporum*[6] exstat unanime, quia sub hoc n. 24 de iis tantum decisionibus agitur, quae duas ex tribus partibus obtinent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] omnino. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

3

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Omissis, brevitatis causa, omnibus laudibus quae pro hoc schemate decreti *de episcopis* iure meritoque proferri possunt, quasdam observationes generales facere liceat, quae ex una parte forsan repetunt quae alii iam dixerunt, ex altera autem parte easdem res sub alio aspectu respiciunt.

1. Postquam in schemate *de Ecclesia* de collegialitate episcoporum sermo factus est et de potestate qua collegium episcoporum iure divino

pollet, iam in hoc schemate *de episcopis* Concilium loqui deberet de *exercitio* huius potestatis. Ideoque plane adhaereo propositioni quam heri in hac aula exposuit em.mus Liénart, scil. quod huic schemati novum caput addatur, quod erit cap. I, in quo de exercitio huius potestatis collegii episcoporum — i. e. Summi Pontificis cum episcopis totius Ecclesiae, cum S. Sede unitis — quaedam dicuntur.

Quod *exercitium* huius potestatis attinet, plures iam episcopi — sive oraliter in aula sive scriptim in emendationibus — locuti sunt de organo quodam centrali, ex episcopis Ecclesiae in mundo dispersis constituendo, quod cum et sub et in unione cum Summo Pontifice, et ab Eo statutis temporibus convocandum, regimen collegiale Ecclesiae ad actum deducat.

Hoc autem organum centrale — sive sit ex membris Sacri Collegii dioecesium Ordinariis compositum, sive alio modo formatum secundum Summi Pontificis beneplacitum — non est idem ac corpus episcoporum. Neque est huius collegii repraesentatio sensu — ut ita dicam — parlamentario, quia membra huius organi centralis non sunt mandatarii episcoporum per orbem dispersorum. Est autem hoc organum centrale « signum quoddam regiminis collegialis totius Ecclesiae » — sicut mea humili opinione optime *exposuit exc.mus* [1] D. Baudoux, ep. S. Bonifatii in Emendationibus, pag. 11 — et insuper et simul est instrumentum quo regimen collegiale Ecclesiae quodam modo exerceri potest. Ita etiam extra Concilium Oecumenicum character collegialis supremae potestatis in Ecclesia clarescit.

Tale organum centrale unitatem Ecclesiae manifestabit, et quodammodo « centralizationem » regiminis Ecclesiae fovebit, quod forse non sine momento est, si per conferentias episcopales nationales certa « decentralizatio » inducitur. Insuper tale organum centrale mutuam fiduciam inter centrum Ecclesiae et eius peripheriam augebit.

2. Si autem ex beneplacito Summi Pontificis organon tale centrale instituendum est, in nostro schemate *de episcopis* etiam quaedam mutanda videntur, quae de Curia Romana dicuntur. Si enim organum tale centrale instituitur, Curia Romana sub hoc aspectu fungetur ut instrumentum executivum potestatis legislativae collegii episcoporum. Proinde sub hoc respectu Curia Romana non habebit suum locum *inter* Summum Pontificem et episcopos per orbem dispersos, sed erit in ministerium collegii episcoporum. Ordo in Ecclesia Christi non erit: primo Summus Pontifex, deinde Curia Romana, et tertio loco episcopi. Sed si collegialitas episcoporum iuris divini est, ordo erit: Summus Pontifex, quem nos omnes libenter ut primum et solum primum in Ecclesia credimus, cum ceteris episcopis Ecclesiae constituens collegium episcopo-

rum, et deinde Curia Romana quae ut instrumentum executivum huius corporis episcoporum fungitur, etsi simul ut organum executivum Summi Pontificis ipsius in Ecclesia munus suum exercet.

Non loquor — ut patet — de loco dignitatis (omnes nos episcopi reverentiam et honorem et gratias Curiae Romanae libenti animo exhibemus). Loquor de loco theologico et — et ita dicam — de loco organizatorio ...[2].

3. Maxima satisfactione omnes episcopi residentiales viderunt quod in hoc schemate maiores et ampliores facultates eis tribuuntur. Sine dubio laeto animo has facultates accipient ut munus suum episcopale sine incommodis non-necessariis exerceant.

Ex altera autem parte modus quo de ista materia in nostro schemate sermo fit, innuere videtur acsi hic de gratiis specialibus agatur, quae episcopis benigne tribuuntur, dum e contra plerumque sermo est de muneris episcopalis exercitio *normali*[3] quod episcopis natura sua competit. Bene hoc explicatur ex evolutione historica tot saeculorum. Insuper nemo dubitat quin Summus Pontifex ex summa sua potestate sibi reservare possit quae ad utilitatem Ecclesiae sibi reservare velit. Sed quaerere vellem, an non — respectu habito ad dignitatem episcoporum, successorum apostolorum — tota haec materia melius sic ordinetur, ut statuatur episcopum munus suum plene et libere, sine incommodis exercere valere, dum ex alia parte solummodo ea enumerantur quae Summus Pontifex quacumque ex causa sibi reservare velit.

Hae sunt quaedam quaestiones quas humillime nomine episcoporum nostrae provinciae ecclesiasticae commissioni et Concilio proponere liceat, ut iudicent si quid utilitatis Ecclesiae afferre possint. Dixi. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] vocatum est ab exc.mo. [2] Humillime rogo commissionem quae hoc schema magnis laboribus optime exaravit, ut has ideas examinet et videat an post constitutionem *de Ecclesia* alio forse quodam modo in hoc schemate *de episcopis* de Curia Romana sit loquendum. [3] deest.

4

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres conciliares,

Omnino consentio exc.mo relatori non esse huius schematis, theologiam de relatione episcoporum ad Romanum Pontificem exponere. Haec e schemate *de Ecclesia* supponi debet. Tamen ex doctrina in illo sche-

mate proposita quaedam principia fluunt quae actionem *practicam* determinant et quae maximi momenti sunt ac vere fundamentalia in re nostra. Hic enim, *notandum est,*[1] non agitur de associatione vel institutione quacumque, cuius actio pro *maiore vel minore opportunitate vel utilitate*[2] libere statui *possit,*[3] sed de Ecclesia a Christo fundata et ab eius Spiritu divinitus gubernata. Principia ergo organizationis et actionis ex divina *revelatione* hauriri debent. Haec ...[4] *principia* multo magis Concilii intersunt quam *quaedam*[5] applicationes practicae, quae secundum circumstantias *temporis,*[6] loci, personarum variae esse possunt. Liceat igitur primum haec principia paucis verbis delineare ...[7].

...[8] *a*) Primum ac fundamentale principium *divinitus revelatum*[9] est Ecclesiam secundum doctrinam S. Pauli esse *corpus vivum,* varietate membrorum instructum ...[10] quodque aedificationem sui facit, *ut apostolus dicit,*[11] in caritate « secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri », i. e., in mensura qua unumquodque membrum pro suo munere opus habet. ...[12] Notetur aedificationem secundum apostolum fieri non tantum per opus hierarchiae vel auctoritatis *supremae,*[13] sed per operationem *uniuscuiusque* membri. Si aliquod vel *plura*[14] membra propriam partem non implent vel in propria parte implenda impediuntur, Ecclesia ipsa *summum damnum patietur.*[15] Omnia *ergo*[16] membra necessaria sunt ...[17].

b) Quia Ecclesia corpus est, omnia membra arcte *inter se*[18] connexa sunt et ita unita etiam operari debent, « ut — *ut iterum dicit apostolus*[19] — non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra » ...[20]. Ecclesia autem agitur de membris, quae entia libera sunt, immo quae per Christum in libertatem vocata sunt ...[21]. Sequitur *igitur*[22] omnia membra maxima cura in bonum aliorum membrorum tum in bonum totius corporis agere debere.

c) Quatenus autem Ecclesia societas visibilis est, suprema in ea potestas tradita fuit collegio apostolorum cui Dominus Petrum praefecit et cui successit collegium episcoporum cui praeest Romanus Pontifex. Insuper decursu temporum ab Ecclesia, tamen Spiritu Sancto duce, ulteriores quaedam organizationes creatae sunt, *ut v. g. constitutio patriarchatuum, provinciarum ecclesiasticarum, conferentiae nationales et supranationales, gubernium ecclesiasticum centrale per Sacras Congregationes Romanas.*[23] Patet etiam has entitates suo modo naturam « membrorum » Ecclesiae induere; sunt ergo organa ad aedificationem Corporis *Christi,*[24] et in illis qui eas dirigunt agit Spiritus Sanctus. Ergo ad ipsas quoque doctrina supradicta de membris eorumque mutua habitudine applicari debet.

d) Sicut autem in qualibet societate, ita etiam in Ecclesia non

est munus auctoritatis se singulis membris substituere in iis, quae ipsa per se efficere possunt, sed tantum potest supplere ea quae ipsa non possunt; *potest ea* [25] adiuvare et efficere, ut diversorum membrorum actio et inter se coordinetur et in bonum *totius* [26] dirigatur. Idem valet deinde suo modo de quacumque ...[27] auctoritate relate ad *inferiores*.[28]

...[29] *a*) *Singula membra* maxima qua valent vi ad bonum totius corporis cooperari debent, ut *et* [30] bonum aliorum membrorum *et* [31] maxime bonum totius corporis quam efficacissime promoveant. Pateat tamen libertatem ...[32] singulorum *aliquomodo* [33] restringi debere praecise *ideo* [34] ut actioni aliorum membrorum et actioni totius corporis respondeat.

Non ulterius exsequor haec, sed simpliciter consentio cum iis quae antea de hac re dixit em.mus card. Alfrink et em.mus card. König.[35]

b) Patet *haec* [36] modo dicta specialissime valere de illis membris praecellentibus Corporis mystici, quae sunt membra collegii episcoporum ...[37], uti in schemate *de Ecclesia* egregie dicebatur: « Neque (episcopi) vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, antistites dicuntur » (*in schemate de Ecclesia, pag. 31*).[38] Unde maxima qua possunt sollicitudine bonum *etiam* [39] totius Ecclesiae, immo totius mundi curare debent, quippe qui sint missi ad Evangelium praedicandum universae creaturae ...[40] Unusquisque autem episcopus *non tantum permittitur, sed* [41] obligatur, ut quae *ipsius* sunt, ipse faciat eorumque responsabilitatem in seipsum assumat, ne ...[42] ei rescribi debeat: « Episcopus utatur iure suo ».

c) Haec singulorum membrorum libera pro ....[43] totius Ecclesiae navitas *et operatio* [44] ab omnibus summa reverentia prosequenda est, nam ipsa est maximi momenti ad bonum *totius* [45] Ecclesiae ...[46].

Etiamsi auctoritas suprema aliquam libertatem restringit, item id etiam magna reverentia prosequendum est, immo agnoscendum est ipsam debere tueri et proprii eius officii esse [47] bonum Ecclesiae procurandi. *Unde* [48] unica ratio ob quam haec libertas ab auctoritate immediata vel mediata restringi potest et debet ...[49] est tuitio boni Ecclesiae, pro quo bono haec libertas data est.

Ex iis quae dixi sequuntur aliqua principia de facultatibus, quae dicuntur, episcoporum quae in cap. I schematis tractantur.[50]

...[51] Episcopi, *ni fallor*,[52] in sua quisque dioecesi omnia exercere possunt, quae ipsis vi consecrationis episcopalis et ut membris collegii episcoporum competunt et ut officium incumbunt, iis solis exceptis, quae propter maius bonum commune eos nonnisi simul cum aliqua superiori auctoritate immediata ...[53] vel mediata exercere convenit ...[54].

Sic agendo in sua quisque dioecesi, episcopi eo ipso iam operantur

ad universale Ecclesiae bonum. Ad fraternam tamen collegii episcoporum — *ad fraternam collegii episcoporum*[55] — cum Romano Pontifice collaborationem etiam exterius monstrandam summe convenit, ut aliqui episcoporum ex variis nationibus oriundi in partem sollicitudinis Romani Pontificis effective exercendae vocentur, iis modis quos ipse Summus Pontifex in variis quaestionibus et temporibus magis convenire censuerit.

Patet in hac tota re practice ad effectum deducenda multa pendere ex circumstantiis locorum, temporum, personarum et praxim propterea variis in locis et in variis historiae periodis variam esse posse ...[56].

Licet adhuc unum verbum addere de momento[57] sub aspectu sic dicto oecumenico. Notum est Ecclesiam catholicam romanam saepe accusari de desiderio, immo de cupiditate dominandi, de sic dicto « imperialismo », de nimia centralizatione, de curialismo, et ita porro. His accusationibus verbis solis obviari nequit. Neque remedium sufficiens sunt blanda verba de caritate, de auxilio episcopis ab auctoritate *superiori praestito, etc.*[58] Remedium efficax *unicum est*: *profunda*[59] reverentia iustae illius *competentiae et*[60] libertatis ...[61] singulorum tum omnium auctoritatum inferiorum et tum maxime episcoporum. Dixi. [*Plausus*].

Moderator: Ne fiant, rogantur Patres, ne fiant plausus.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] opportunitate. [3] potest. [4] igitur. [5] plures. [6] deest. [7] ut dein brevi formula enuntietur quae inde pro schemate nostro sequuntur. [8] I. *Principia practica doctrinalia.* [9] deest. [10] (cf. *1 Cor.* 12, 12-31; *Rom.* 12, 4 s.). [11] deest. [12] (*Eph.* 4, 16). [13] deest. [14] aliqua. [15] damnum patitur. [16] enim. [17] immo S. Paulus non dubitat affirmare: « Multo magis, quae videntur membra corporis inferiora esse, necessariora sunt » (*1 Cor.* 12, 22), id quod certe non tantum de corpore humano dicit, sed ex contextu etiam de corpore Ecclesiae intelligi vult. [18] deest. [19] deest. [20] (*1 Cor.* 12, 25). In. [21] ut « per caritatem Spiritus » serviant invicem (cf. *Gal.* 5, 13). Inde. [22] deest. [23] uti sunt constitutio provinciarum ecclesiasticarum, conferentiae nationales vel supranationales, gubernium ecclesiasticum centrale per SS. Romanas Congregationes etc. [24] mystici. [25] eadem. [26] commune. [27] superiore. [28] inferiorem. Munus superioris auctoritatis non est, sese inferiori substituere in iis quae illa operari potest, sed eandem iuvare, variarum auctoritatum inferiorum actiones inter se ordinare ac in bonum commune dirigere. [29] II. *E dictis sequitur magis presse pro re nostra*: [30] tum. [31] tum. [32] actionis. [33] quoad quasdam res. [34] deest. [35] Omnia igitur membra ultro et libenter se et suam actionem ab auctoritate in Ecclesia constituta ad bonum totius Ecclesiae dirigi sinent. Patet idem et multo magis valere de iis qui in quacumque auctoritate positi sunt, cum etiam auctoritates suo modo naturam membri in Ecclesia induant: valet ergo de episcopis, de conferentiis regionalibus, nationalibus, et Congregationibus Romanis etc. [36] ta-

men. [37] quippe quibus Christus Dominus ipse supremam in Ecclesia auctoritatem et proinde responsabilitatem pro Ecclesia traditam voluerit. [38] (pag. 31, linn. 14 ss.). [39] deest. [40] Proinde maxima « caritate spiritus » inter se cooperari et, in unione cum collegii episcoporum capite, Romano scil. Pontifice, collaborare debent. [41] deest. [42] Roma. [43] bono. [44] deest. [45] deest. [46] Agitur enim hic non solum de dignitate personae humanae, sed etiam, immo magis, de reverentia Spiritui Sancto eiusque actioni debita. Nam omnes Ecclesiae filii, utpote filii Dei, Spiritu Dei aguntur (cf. *Rom.* 8, 14), idque in singulis casibus supponendum et agnoscendum est, nisi in aliquo casu peculiari rite probatum sit Superiorem sub influxu alterius spiritus egisse. [47] Sed etiam quaecumque *auctoritas* hanc libertatem magna reverentia prosequi, immo et tueri debet vi proprii officii. [48] deest. [49] — supposito eandem libertatem non peccare contra fidem aut contra bonos mores —. [50] Concrete autem haec libertatis restrictio eo spectat, ut diversorum membrorum actiones inter se ordinentur et ut efficaciter ad maius et universale Ecclesiae bonum dirigantur. Tantum hoc bonum maius et universale Ecclesiae eos qui in auctoritate positi sunt, movere debet, ut in certis circumstantiis libertatem singulorum restringant, etsi hoc quandoque displiceat. [51] III. E dictis sequitur principia de « *facultatibus* » *episcoporum quae in primo capite schematis* tractantur fere sic annuntiari debere:. [52] deest. [53] (ut puta conferentia provinciali, nationali, etc.). [54] Unde iidem episcopi omnem habent auctoritatem et ad bonum omnia possunt, dummodo eorum actio non vertat in damnum alicuius membri, non impediat maius et magis universale Ecclesiae bonum, et dummodo vere efficaciter in bonum totius Corporis Ecclesiae dirigatur. [55] deest. [56] Quae ita exposui, uti videre erat, ex natura ipsius Ecclesiae immediate sequuntur. [57] Addere tamen liceat eadem simul maximi momenti esse. [58] centrali praestando, aut etiam de eis serviendo. [59] tantum profunda est. [60] deest. [61] tum.

Animadversiones additae:

Etsi uti dicitur in relatione de schemate non tractatur tota materia, tamen ordo procedendi potius logicus et magis naturalis esse deberet. Nonne prius agendum esset de dioecesi, ut ita dicam « constituenda » et proinde de congruenti eiusdem circumscriptione (cap. IV). Deinde aliquid dicendum esset de dioecesium regimine, ubi tractari deberent ea, quae episcopus proprio iure et auctoritate facere potest (id est de iis quae habentur pag. 6 n. 2 s.) sequerentur, ob connexionem materiae, ea quae habentur cap. II. Item ad eamdem materiam et idem caput pertinerent, quae habentur cap. V: De paroeciarum erectione ... circumscriptione. Deinde ageretur de cooperatione plurium dioecesium, id est de conferentiis episcoporum regionalibus, nationalibus, vel etiam supranationalibus. Totum demum concluderetur agendo de relationibus episcoporum ad auctoritatem Ecclesiae centralem id est ad Summum Pontificem et ad Sacras Romanas Congregationes.

5

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Patres Praesides, venerabiles Patres,

Revera, de multis aliquis possit hic dicere respectu huius quaestionis gravissimae, sed me limito ad unum pro hoc momento.[1]

Mihi videtur quod non potest obiici, contra schema *de episcopis*, ipsum non tenuisse rationem sufficientem de collegialitate episcoporum.

Haec notio non est adhuc sufficienti modo conciliariter ad trutinam revocata quoad sensum exactum in quo vox collegium hic intelligi forsan possit.

Quaedam ...[2] audita in hesterna discussione mihi ingerunt suspicionem quosdam Patres venerabiles opinari vocem *collegii* hic sumi posse in quodam sensu iuridico stricto. Talis saltem sensus, ut mihi omnino videtur, admitti non potest.

Problema adhuc est sub examine commissionis *de doctrina fidei et morum*. Unde exspectanda sunt ea quae haec commissio referet Concilio, antequam nostrum schema aliquid collegialitatem episcoporum respiciens supponat vel decernat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] a me.

Animadversiones additae:

Etsi episcopatus sine dubio sit iuris divini in Ecclesia, non potest affirmari, stricte saltem loquendo, dioecesim ut talem esse iuris divini.

Iuris divini est quod in Ecclesia universali adsint Ecclesiae locales seu potius particulares. Attentione facta ad Epistolas S. Pauli et ad Actus Apostolorum sicut etiam, ni fallor, ad historiam primitivae Ecclesiae hodierna paroecia est unitas illa ecclesiastica quae magis assimilatur antiquae ecclesiae locali. Episcopus hodiernus est pastor proprius omnium paroeciarum seu omnium Ecclesiarum particularium suae dioeceseos, et parochus est eius adiutor pro cura proxima paroecianorum.

Ab aliquo viro erudito accepi vocem dioeceses in quodam periodo historiae Imperii Romani significasse complexum provinciarum; in alia autem periodo dioeceses fuisse partes seu regiones in quas provincia dividebatur.

Vox dioecesis in iure ecclesiastico videtur esse desumpta ex iure Romano secundum posteriorem sensum supra allatum.

His consideratis, nulla apparet difficultas fundamentalis quominus aliqua magna urbs divideretur ecclesiastice in varias regiones urbanas. Unaquaeque posset regi a proprio Episcopo regionali cuius dioecesis posset denominari ab aliqua ecclesia principaliori.

Archiepiscopus conservaret propriam dioecesim magis centralem et esset Metropolita totius civitatis.

6

EXC.MUS P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis

Venerabiles Patres,

Cum doctrina de episcopatu et exercitium ipsum episcopalis muneris inter se arctissime connectuntur, de hoc praesenti schemate disceptatio, ac praesertim conclusio, praematura esse videtur, antequam doctrina de episcopatu in plenam lucem proferatur.

Hoc dicens, mihi sum conscius consentire cum em.mo card. Marella, quippe qui, in introductione ad huius schematis disceptationem, nobis his verbis alloquatur: « In schemate decreti... deliberato consilio nulla expressa et directa consideratio facta est de his quae pertinent ad doctrinam theologicam de episcopatu; ... et patet profecto — *dixit em.mus* [1] — quod, postquam eiusmodi doctrina rite determinata et approbata fuerit, eidem plene et perfecte aptabuntur notiones et conclusiones quae in schemate decreti *de episcopis* continentur et ordinem seu relationem habent cum doctrina theologica de episcopatu » (pag. 5 ...[2]).

Sed [3] quid sonant illae plenae et perfectae aptationes, quas em.mus commissionis praeses aestimat necesse in posterum huic decreto adhiberi, i. e. « postquam... doctrina rite determinata et approbata fuerit »? Nonne hic de doctrinali fundamento et generali mente huius decreti agitur?

Haec est autem maximi momenti difficultas et quae in plura schematis capita vim suam exercet, v. g., et in rationes instituendas inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes ...[4], et in auctoritatem tribuendam nationali episcoporum coetui seu conferentiae ...[5], et in instaurandam organizationem ecclesiasticarum provinciarum ...[6].

In hoc loco satis mihi videtur exemplum ex conferentiis episcopalibus sumptum vobis, Patres, praebere.

Oportetne ut illae *conferentiae* [7] fundentur in principio theologico collegialitatis, sicut *explicite* [8] em.mus card. Döpfner, *iudicans ad mentem commissionis de laboribus Concilii coordinandis,*[9] mandabat mense ianuarii huiusce anni commissioni *de episcopis ac dioecesium regimine?* Quo in casu, illae conferentiae auctoritate propria vigere posse censerentur.

E contrario, oportetne ut, ad verba cuiusdam relatoris nostrae commissionis mense martii huiusce anni, Patres aestiment — *sicut dicebat relator* [10] — « non posse — neque theologice neque iuridice — fun-

dari institutum conferentiarum super principium collegialitatis episcoporum »? Quo in casu, standum esse censetur principio essentialiter pastorali, *i. e., practico,*[11] ut scriptum est in relatione exc.mi D. Carli, quam sub oculis omnes habemus, pag. 19.

His omnibus perpensis, patet quod, *utcumque res evenerit de constitutione de Ecclesia et de episcopatu,*[12] materia plurium capitum huius decreti, praesertim I et III, non eadem mente, non iisdem argumentis, non iisdem dispositionibus tractabitur secundum quod alterutram opinionem Patres secuti fuerint.

Patres autem, die 30 mensis octobris, mentem suam de doctrina episcopatus clare significaverunt in dandis quattuor responsionibus *de episcopatu.*[13] Hae responsiones iam a pluribus Patribus teneri possunt ut non consonantes praesenti schemati decreti. Et aestimare possumus ampliora firmioraque adhuc principia hoc Concilium esse prolaturum postquam de constitutione dogmatica *de Ecclesia* explicite statuerit.

Quibus principiis *clare determinatis,*[14] Patres decernere poterunt et utrum collegialitas emanet an non in relationes instituendas episcoporum cum Romana Curia, et quibus modis eadem collegialitas in Ecclesia exerceri queat.

Conclusio. Quae cum ita sint, certe sententiae multae ac perutiles in hac aula promi possent de singulis rebus in hoc schemate tractatis ...[15]. Sed non videtur quomodo in praesenti hoc decretum in forma sua ultima conscribi possit.

Et ideo timeo ne singulorum capitum disceptatio in praesenti praematura sit, antequam doctrina de episcopatu in plenam lucem proferatur.[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] n. 1. [3] deest. [4] (cap. I). [5] (cap. III). [6] (cap. IV). [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] suffulti. [15] quod multum interest omnium membrorum commissionis *de episcopis ac de dioecesium regimine.* [16] deest.

7

Exc.mus P. D. FERDINANDUS GOMES DOS SANTOS
Archiepiscopus Goianiensis

Venerabiles Patres,

Nomine 60 episcoporum brasiliensium vobis loquar. Postquam schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* accurate examinavimus, dicere debemus propositum schema, ex pluribus causis, prout est, non

placere, quamvis multa et quidem optima in eo, laudanda sint. *Et non placet quia*:

1. *Generali perspectione caret.* Episcopus ex natura sua est apostolorum successor, collegii membrum, est pastor, pontifex, magister, pater, iudex, Christi Vicarii cooperator. Unumquodque ex his muneribus episcopalibus tractationem ampliorem postulat, quae ab ipsa episcoporum electione originem sumens, deque eorum immediata praeparatione agens, in lucem claram apostolatum, quatenus nova postulant tempora, urgeat.

Hodie quidem minime sufficit, ut munere suo rite fungatur, habere episcopum tantum dioecesis sibi commissae problematum visionem et ad eadem persolvenda sese ardue consecrare. Opus est enim ut et perspectionem generalem de quaestionibus ipsius regionis, immo et totius nationis, et universi orbis habeat, seque omnibus omnia factum esse intellegat. Demum, dioecesium regimen non est tantum de dioecesium et paroeciarum divisione agere.

2. *Aperte contradicit schemati dogmatico de Ecclesia.* Decreta conciliaria magni equidem momenti sunt, cum principia dogmaticarum constitutionum in praxim deducere ipsis competat. Ecclesia autem, in sua quoque practica et iuridica constitutione, societas non est prout quaelibet alia, sed e contra essentialiter supernaturalis est, et ius positivum quo regitur, in theologicis principiis fundari oportet, eaque ad praxim traducere debent. Generalis vero huius schematis perspectio episcopos adhuc ostendit nimis Ss. Congregationum dependentes, non raro etiam in minimis. Doctrinae theologicae numquam satis laudandae de episcopatu, quatenus schematis *de Ecclesia* disputationes proiecerunt, nova positio et iuridica et pastoralis respondeat oportet.

3. *Favet positioni quae hierarchiam Ecclesiae sub respectu mere iuridico firmat.* ...[1] Hora enim est, venerabiles Patres, penitus relinquendi figuram episcopi mere administratoris et gubernatoris sicut « dominus » constituti, quasi a longe regius providens et gubernans, a suis ovibus separatus, seiunctus et segregatus a proprio suo « presbyterio », ratione timoris, minime vero amoris causa acceptus, qui ab omnibus ministratur, cum, e contra, ipse debeat in medio populi stare et omnibus ministrare.

4. *Ad appendices quaestiones magni momenti remittuntur.* ...[2] Hoc nobis videtur obvia « diminutio capitis » relate ad Patres conciliares, convocatione Romani Pontificis adunatos ad hoc ut de Ecclesiae quaestionibus propriam mentem manifestent. Nobis enim, in schemate, tollitur competentia quoad discussionem, in aula conciliari, rerum magni momenti pastoralis et practici, facultate tantum concessa scripto prae-

sentandi animadversiones quae nescimus utrum admittentur vel non a commissione pro novo iure canonico conficiendo vel a Dicasteriis Romanis.

Quibus consideratis sequentia proponenda censemus:

1. Praesens decretum *de episcopis ac de dioecesium regimine,* prout habetur, non est acceptandum, vero tamen ample discutiendum ut in eius reformulationem redactores veram mentem Patrum noscant.

2. Eius reformulatio fiet prae oculis habitis his quinque sequentibus principiis fundamentalibus:

a) Unicum decretum conficiatur, mutua mediante integratione schematum *de episcopis ac de dioecesium regimine* et *de cura animarum,* nam cura animarum ratio ultima et *primo* [3] movens pastorale exercitii muneris episcopalis est.

b) Figura spiritualis et apostolica « episcopi », quae eminet dignitate essentialiter pastorali, distinctionibus et titulis mere honoris omissis, tantum bonum animarum considerantes, totaliter restauretur.

c) Maxime insistendum in visione realistica et missionaria mundi hodierni, ita ut clare appareat necessitas actionis pastoralis complexive sumptae ...[4] tum in singulis pascendis dioecesibus tum quoad quaestiones et problemata regionalia, nationalia et universalia.

d) Practice in re deducatur principium collegialitatis:

Primo: *universalis,* ope immediatae collaborationis et subordinationis episcoporum Vicario Christi. Congregationes Romanae aptentur ita ut sint organa tantum consultiva et executiva decisionum Summi Pontificis et collegii episcopalis, ut Romanum Pontificem et episcopos, melius et efficienter, iuxta necessitates pastorales nostri temporis, adiuvent (cf. allocutiones S. D. Pauli VI diebus 21 et 29 septembris ...[5]).

Secundo: *internationalis vel nationalis,* ope conferentiarum episcopalium institutarum ubique terrarum, cum sufficienti potestatis amplitudine ad necessitates pastorales providendas in suo ambitu, ita ut, inter necessariam « decentralizationem » et vitandam dispersionem, debitum aequilibrium inveniatur.

e) Expresse dicatur in textu: episcopos non tantum ea facere posse quae ipsis permittuntur, sed, e contra, omnia ad bonum et salutem animarum posse, his exceptis quae ex natura rei vel pro suo arbitrio ad firmandam unitatem Ecclesiae, Summus Pontifex sibi personaliter reservaverit. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Multitudo et disparitates titulorum et insignium quae sub praetextu episcopalis dignitatis omnibus patefaciendae in dies a saeculis augentur, omnino aboleantur, siquidem potius minuunt, et non leviter, veram

episcopi maiestatem et plerisque scandalo sunt. [2] Sunt enim in schemate quaestiones quae, tandem aliquando, discutioni conciliari subtrahuntur et deliberandae Dicasteriis Romanis « quibus interest » remittuntur. [3] primum. [4] (pastorale d'ensemble - Pastoral de conjunto). [5] A. D. 1963.

8

Exc.mus P. D. PETRUS DIB
Episcopus Cahirensis

Em.mi et venerabiles Patres,

...[1] Liceat mihi aliquas animadversiones circa episcoporum facultates facere.

1. Schema decreti *de episcopis* explicat et magna ex parte instaurat episcopalem potestatem, quam variae leges et decreta minuerant atque restrixerant. Attamen plures remanent exceptiones. Videtur quod illud vetus proverbium seu adagium « in episcopo Ecclesia est » ...[2] oblivioni fuisse traditum. Quam *longe*[3] abest illud tempus in quo hoc adagium in usu positum erat! At causae quae Romanos Pontifices, praesertim Gregorium VII, adduxerunt, prout morum conditio exigebat, ad levandam atque infirmandam vim illius adagii, necnon ad tenendam penes se omnium summam rerum, iam non exstant. (Videatur « Dictatus Papae » ...[4]).

Itaque nobis liberum est vota facere ut episcopalis potestas a Christo Domino data, quantum fieri potest et bonum Ecclesiae et animarum postulat, restituatur et instauretur. Magna nos spes tenet fore ut ius hac super re amplius extendatur, idque eo magis quod illa instauratio inter opportuna, immo primaria media quae unitati Ecclesiae, ab omnibus exoptandae, conducunt, computari potest et debet. Quapropter primum schema *de Ecclesia,* a Summo Pontifice ...[5] approbatum, declarat in capite *de episcopis residentialibus* id quod sequitur: « Minime auctoritate Vicarii Christi iura episcoporum minuuntur, cum e contra a supremo et universali pastore asserantur, roborentur ac vindicentur ».

Ad orientem speciatim quod attinet, Leo XIII, in disciplinae conservatione, spem reconciliationis fovebat (*Litterae « Orientalium Dignitas Ecclesiarum »* [6]). *Atqui*[7] episcopalis exercitium auctoritatis ...[8] in disciplina inseritur.

2. S. Gregorius Magnus dicebat quando loquebatur de episcopis: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur » ...[9].

Liceat nobis instanter petere ut idem honoris et auctoritatis tam latinis quam orientalibus episcopis in Ecclesia *aeque* tribuatur. *Dico, aeque tribuatur!* [10]

Haec aequalitas, quod dolendum est, aliquando deficit. Exempla.

a) Comparentur in Codicibus utriusque iuris latini et orientalis, a Summo Pontifice approbatis et promulgatis, iura et privilegia episcopis data vel agnita, in capite « de episcopis » ...[11]; inter haec privilegia aliqua dantur praelatis latinis, non orientalibus ...[12].

b) Non admittuntur litterae dictae « Celebret » datae ab episcopo orientali suis sacerdotibus sicut admittuntur quando dantur ab episcopo ritus latini. En textus Codicis Iuris Canonici ...[13]: « Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas ...[14] litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel S. C. pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad missae celebrationem admittatur ». Quare hoc discrimen inter ordinarios latinae Ecclesiae et ordinarios Ecclesiae orientalis? ...[15].

c) Non permittitur presbyteris et episcopis ritus orientalis ut missam celebrent super altare Calvarii in Sancta Ierusalem Urbe et super altare Praesepis in civitate Bethlehem, dum id ample permittitur omnibus praelatis et sacerdotibus latini ritus ...[16].

Moderator: Pater, haec omnia non pertinent ad schema in genere; velis ad schema in genere loqui.

Orator: Haec sunt inter plura aliqua exempla, quae in praesentia sufficiunt.

Finem dicendi facio verbis Leonis XIII: « Muneris nostri est — *dicit Papa* [17] — vigilare et conniti, ut divina episcoporum potestas omnino incolumis et inviolata consistat » ...[18].

Fas sit mihi concludere et conclusionem meam prudenti iudicio vestro submittere:

1. Perutile est potestatem episcopalem magis etiam amplificare.
2. Necesse est ut aequalitas in omnibus, positis ponendis, reficiatur, pro gratiis, privilegiis necnon iuribus, inter praelatos latinos et praelatos ritus orientalis. *In Christi Ecclesia iura et obligationes debent esse inter se aequales et pares.*[19] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema decreti de episcopis ac de dioecesium regimine, in genere conspectum, mihi placet iuxta modum. Nonnulla enim praescripta in quaestionem vocari possunt, et de quibusdam iam disceptatum fuit. Nolo ea quae dicta sunt iterum dicere. [2] cuius applicatio fuit magno adiumento ad nationes evangelizandas ac fidem christianam propagandam. [3] mul-

tum. [4] in libro Augustin Fliche, *Histoire de l'Eglise* (Fliche-Martin), t. VIII, Paris 1940, pp. 79-80. [5] A. D. 1962. [6] (cf. Suas Litteras Apostolicas *Orientalium dignitas Ecclesiarum,* 30 novembris 1894). [7] deest. [8] et potestas. [9] (Epist. *ad Eulogium ep. Alexandrinum,* I, 8, c. 30, PL 77, 933). [10] deest. [11] v. g. C.I.C. can. 349 et codificationis orientalis (de personis can. 415), recensentur aliqua privilegia episcoporum. [12] Datur enim episcopis latinis, non episcopis orientalibus, facultas celebrandi super aram portatilem in domo propriae habitationis et ubicumque degunt, et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur. Quare hoc ius non conceditur vel agnoscitur quando agitur de orientalibus episcopis? [13] (can. 804). [14] et adhuc validas. [15] Hoc discrimen veram de orientalibus praelatis diffidentiam, immo suspicionem, immerito continet et indicat. [16] Nemo non animadvertit contumeliam quam ista agendi ratio habet et contemptum quem, in conspectu populi, praelatis et presbyteris ritus orientalis, immo ipsimet ritui orientali, affert. *d*) Lex de onerum missarum transmissione notat etiam inaequalitatem in iure inter orientales clericos et occidentales, idque cum orientalium detrimento et iniuria. Etenim C.I.C. (can. 838) missarum stipendia de quibus sacerdotes libere disponere possunt, traducere sinit ad presbyteros benevisos, dummodo ipsi transmittenti constet eos esse omni exceptione maiores, i. e. omnino dignos vel testimonio proprii Ordinarii esse commendatos. Quod est licitum facere cum presbyteris ritus latini, illicitum fit quando agitur de sacerdotibus orientalibus, etiam optimis et commendatis a propriis Ordinariis seu episcopis. Vetitum enim est missarum stipendia directe committere orientalibus presbyteris. Sed, ut eis committi possint, debent mitti per S. C. Orientalem vel per episcopos eorum (Alb. Blat, Commentarium textus C.I.C., Liber III de Rebus, Pars I, de Sacramentis, Romae 1924, pp. 167-168). Quare haec limitatio quae infamiam et dedecus infert in sacerdotes benemeritos, qui pro salute animarum et se et vitam suam devovent. In Christi Ecclesia, iura et obligationes debent esse inter se aequales et pares. [17] deest. [18] (Epist. *Est sane,* 17 dec. 1888). [19] deest.

9

Exc.mus P. D. CAROLUS E. SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Venerabiles Fratres,

Quae dicere vel proponere volebam, praesidentiae tradidi, iam enim fere omnia dicta sunt et quidem vehementer. Propterea desisto a loquendo de eis rebus quae tradidi exc.mo D. secretario, et solummodo quaedam particularia proponere rogo.

E. g. Prooemium non exprimit desiderium Concilii circa ea quae nos desiderabamus ut diceretur de auctoritate, servitio, etc. episcoporum.

In nn. 1 et 2 cap. I, secundum meam opinionem, expositio valde vaga est; nihil promittit, etiamsi episcopi ad gubernandam Ecclesiam apud Romanum Pontificem stabunt vel ad Congregationes Romanas as-

sumantur. Omnia manebunt sicut sunt hodie, nam basis deest, basis doctrinalis ut hoc faciamus.

In cap. II, lin. 10 et deinceps, sicut etiam in n. 16, censeo quod non debet consuli episcopo veteri ut renuntiet. Hoc non solum ex rationibus psychicis, quamquam et hae maxime valent. Qui volunt, ut episcopi renuntient, eos interrogo, num sciverint, qui fuerint ultimi anni Leonis XIII vel amantissimi Papae Pii X? Eodem aequalissimo modo res se haberent in episcopo vetere si deberet renuntiare sine ulterioribus motivis. Si episcopus quidam revera incapax est ob permanentem defectum vel ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, Apostolica Sedes pergat facere, sicut ...

Moderator: Pater, non pertinent ad schema in genere; velis loqui de schemate in genere.

Orator: Gratias.

Textus scripto traditus:

Hoc schema totaliter refundendum est, impossibile acceptari.

1. Textus non consonat cum epigrapho. Dicitur enim « de episcopis ac de dioecesium regimine », ast loquitur de facultatibus tantum, quas Apostolica Sedes episcopis concedere consuevit. Consistitne in hoc « episcopus » et « regimen dioecesis »? Nonne species datur, quasi episcopi essent meri vicarii Sedis Apostolicae?

2. Iterum atque iterum repetitur (quod in aliis quoque schematibus saepe repetitum est) suprema potestas Romani Pontificis. Ex hoc suspicio oritur redactores schematis non credere in animum subiectissimum episcoporum erga S. Sedem. Et quae erunt commentaria tum christifidelium cum inimicorum religionis catholicae, quando haec legerint? Aut episcopos, existimabunt, inoboedientes esse et ad suam obligationem revocandos, aut S. Sedem auctoritatem suam supremam omni modo et omni occasione in hoc Concilio incutere voluisse.

3. Non est expositio conciliaris nec oecumenica, sed tantum canonica. Ad canones recipiendos et observandos semper praesto sumus, ad facultates recipiendas idem. At propter hoc non sumus coadunati in Concilio; omni hora Sedes Apostolica voluntatem suam nobis imponere poterit et amanter oboediemus.

4. Quaestio autem non est, cum doctrinam de episcopatu petimus, num facultates ab Apostolica Sede concessae retinendae, ampliandae, alio modo concedendae sint; sed, utrum facultates revera soli Sedi Apostolicae competant, an de ipsa potestate ordinaria episcoporum sint; in quantum ad S. Sedem recurrendum sit, ut episcopi eas exerceant; quaenam in regimine ecclesiarum S. Sedes sibi reservaverit, etiam in futuro. Scimus enim benissime Apostolicam Sedem plus adhuc sibi de potestate episcoporum reservare posse. Sed de hoc non est quaestio. Concilium percupit prae oculis ferre, quae sit propria episcoporum auctoritas. Hoc iam in Concilio Lateranense V desiderabatur, hoc in Vaticano I prostabat, hoc in nostro hodierno Concilio clare exponi flagitamus. Redactores schematum autem videntur circumire quaestionem. Quare? Verentur episcopos? Timent, ne auctoritas Romani Pontificis imminuatur? Non est periculum. Habemus constitutionem di-

vinam Ecclesiae. Catholici sumus. Persuasum nobis habemus, vim potestatis episcopalis in firma et totali adhaesione ad Petri Cathedram residere; a primatu et infallibilitate Romani Pontificis nostram auctoritatem roborari et sustineri, sicut dixit Summus Pontifex Pius IX occasione Vaticani I. Ergo.

5. Nec intellegitur, cur de facultatibus speciale schema elaborandum sit. Si necesse est, remittatur res ad schema de hierarchia ecclesiastica.

10

EXC.MUS P. D. HERMANNUS SCHAEUFELE
Archiepiscopus Friburgensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine Patrum conciliarium linguae germanicae et conferentiae episcoporum Scandinaviae.

Quoad schema de episcopis et de dioecesium regimine in genere consideratum alia putamus laudanda, alia adhuc perficienda, alia mutanda.[1]

Laudanda sunt:

1. Quae in cap. III de nationali episcoporum conferentia proponuntur. Hisce talis conferentia constituitur verum iuridicum institutum, quod in circumscriptis (art. 24) materiis verum ius dicit. Et haec materiae circumscriptio ita redacta est, ut ordinaria potestas episcopi residentialis tunc tantum tangatur, si promovendum sit *bonum altius, bonum totius,*[2] bonum commune totius nationis. Et hoc modo etiam satisfit principio subsidiaritatis, quod Pius Papa XII etiam *in Ecclesia valere bis proclamavit.*[3]

2. Bene quoque accipitur, quod in cap. V agnoscitur ius episcopi residentialis, paroecias, etiam personales, erigendi, de novo circumscribendi, dividendi et uniendi. Addatur *quoad paroecias personales potestas et supprimendi, si casus ferat.*[4]

3. Principia quae in par. 26 pro congruenti dioecesium circumscriptione enuntiantur, conditiones concretas paribus ponderibus respiciunt.

4. Approbo etiam, quae de renuntiatione episcopi residentialis in art. 16 proponuntur, *quamvis sit novum in traditione*[5]; nam rationes habent et boni dioecesis et venerationis episcopo debitae.

Perficienda sunt sequentia:

1. Principium fundamentale facultates episcoporum respiciens in art. 3 *allatum*[6] aliter puto esse concipiendum. Exoriundum est potius ex principio hoc: episcopus residentialis vi officii sui episcopalis omnes ha-

bere debet facultates, quas ipsi ut pastori ordinario et immediato ad gregem suum pascendum competunt, firma semper Romani Pontificis potestate reservandi. Quare restituenda sunt episcopo residentiali sua iura originaria. Detur in futurum non « Index Facultatum », sed potius « Index Reservationum ». Principium modo prolatum non laborat errore Pistoriensium; essentialis differentia est in hoc, quod Pistorienses denegabant Romano Pontifici ius reservandi.

2. Quod attinet maiorem episcoporum participationem sollicitudinis Romani Pontificis, nova addatur paragraphus, quae *respondet verbis vel invitationi Summi Pontificis, i. e., quae dicit* [7]: « Constituatur apud S. Sedem Consilium Apostolicum, in quod a Romano Pontifice cooptantur praesertim episcopi residentiales Ecclesiam per totum orbem terrarum diffusam repraesentantes ».

Mutanda sunt sequentia, sed quoad haec non possum loqui nomine conferentiae, tamen quoque plurium episcoporum. [8]

1. *Puto* [9] in schemate coadiutor et episcopus auxiliaris nanciscuntur novam figuram iuridicam, quae tamen *uti putamus* [10] minores reddit conditiones episcopi residentialis. Coadiutor habet secundum art. 8 vi officii eamdem potestatem easdemque facultates ac Vicarius Generalis, dempta facultate episcopi residentialis sibi quidpiam reservandi. Inde practice duo capita in dioecesi; et unitas regiminis dioecesani iam in radice tollitur ...[11].

2. Officit etiam episcopo residentiali, si secundum art. 12 iura et facultates auxiliaris a iure definiuntur, et non unice ab episcopo residentiali; pariter si episcopus residentialis non absolute liber manet in sua dispositione, cuinam officia dioecesis habitualiter deleget ...[12].

3. Immutatum retineatur *vetustissimum* [13] ius capituli cathedralis libere constituendi vicarium capitularem ...[14].

Inde concludo. Schema decreti de episcopis ac de dioecesium regimine est retinendum, tamen amplius recognoscendum, ita ut opus iuridico-disciplinare Vaticani II correspondeat eius operi doctrinali. [15] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Quoad schema *de episcopis et de dioecesium regimine* globatim inspectum alia sunt laudanda, alia perficienda, alia mutanda, ut puto. [2] deest. [3] pro Ecclesia bis reclamavit. [4] et supprimendi. [5] deest. [6] cap. I. [7] correspondet his quae Summus Pontifex gloriose regnans tum in oratione ad officiales Curiae Romanae die 21 septembris habita, cum in oratione augurali alterae sessionis Concilii die 29 septembris habita. Paragraphus sic sonare posset: « Ut muneri Summi Pontificis auxilii et praesidii maiores vires adiungantur (sunt verba S. P.). [8] Mutanda sunt: [9] deest. [10] deest. [11] Quare supprimatur textus schematis art. 8-10, et maneat in vigore can. 351 C.I.C.! [12] Ut ad haec vota respondeat, componendus est textus art. 12 et 15

paragraphi 1. [13] deest. [14] (C.I.C., can. 432). Inde deleatur textus art. 15 paragraphi 2! 4. Ne minuatur officium vicarii generalis can. 368, 369 C.I.C. definitum! [15] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Arkfeld, vic. ap. Vevaken.; Aufderbeck, ep. aux. Fulden.; Baken, ep. aux. Monasterien.; Bernarding, vic. ap. Montis Hagen; Brechter, praes. Congr. Ottiliensis O.S.B.; Bühl, ep. tit. Methon.; Biestle, sup. gen. M.S.F.; Buchholz, praef. ap. Shihtsienen.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; card. Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Emanuel, ep. Spiren.; Etspüler, prael. null. Bangueden.; card. Frings, arch. Colonien.; Ferche, ep. aux. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercoren.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Graber, ep. Ratisbonen.; Hartl, vic. ap. Araucaniaen.; Haene, ep. Guelen.; Hasler, ep. S. Galli; Hengsbach, ep. Essendien.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Jäger, arch. Paderbornen.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; Haelg, abb. null. Ndandaen.; Hascher, prael. null. Iuruensis; Häring, ep. Scioceuven.; Höffner, ep. Monasterien.; Grüter, ep. Umtatan.; Jobst, vic. ap. Kimberlisien.; Kempf, ep. Limburgen.; Kempf, ep. aux. Herbipolen.; König, praef. ap. Shaovuen.; Kelleter, ep. Bethlehem; Kemerer, ep. Posaden.; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Köstner, ep. Gurcen.; Kurz, praef. ap. Yungchoven.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Nordhues, ep. aux. Paderbornen.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheinen.; Pietsch, ep. aux. Secovien.; Pietrulla, ep. Tubaraoen.; Przyklenk, ep. Januarien.; Reetz, praes. abb. Congr. Beuronen. O.S.B.; Reuss, ep. aux. Moguntin.; Rosenhammer, vic. ap. Chiquitosen.; Riha, abb. praes. Congr. Austriacae O.S.B.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rusch, adm. ap. Oenipontanus; Rintelen, ep. aux. Paderbornen.; Schäufele, arch. Friburgen.; Schneider, arch. Bambergen.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schilling, vic. ap. Gorokaen.; Schoiswohl, ep. Secovien.; Schweizer, sup. gen. S.D.S.; Sedlmeier, ep. aux. Rottenburgen.; Senner, ep. Cochabamben.; Splett, ep. Gedanen.; Spiess, abb. null. Peramihoen.; Stein, ep. aux. Treviren.; Spülbeck, ep. Missnen.; Stangl, ep. Herbipolen.; von Streng, ep. Basileen. et Luganen.; Schmitt, ep. Metens.; Talleur, prael. null. Rondonopoliten.; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Thijssen, ep. Larantukan.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Weber, ep. Iceuven.; Westermann, ep. Samalpuren.; Wittler, ep. Osnabrugen.; Wember, vic. ap. Norvegiae Sept.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

11

Exc.mus P. D. ALEXANDER OLALIA

Episcopus Lipensis

Venerabiles Patres,

Nomine aliquorum episcoporum Insularum Philippinarum liceat mihi de schemate decreti *de episcopis et de dioecesium regimine* breviter loqui.

Schema prout iacet, etsi valde commendandum sit, tamen videtur adhuc *aliquid amplius* [1] desiderari in illo ut spiritus collegialitatis episcoporum in vera et sincera caritate et unitate fundatus magis vivificet rationes quae vigere debent inter omnes ad quos regimen Ecclesiae spectat. Sic enim regimen non solius Ecclesiae universalis sed etiam dioecesium et aliarum circumscriptionum ecclesiasticarum apparebit non ut mere iuridicum sed potius amore Christi animatum qui pro suis apostolis praesertim oravit « ut sint consummati in unum » ...[2].

Ad hunc finem obtinendum *sequentia proponuntur* [3]:

1. Schema nostrum, loco « de rationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes » dicere debet: « de rationibus inter episcopos et S. Sedem ». Sic enim nota collegialitatis episcoporum cum Romano Pontifice clarius elucebit, et hoc modo episcopi apparebunt coniuncti cum Romano Pontifice in negotiis Ecclesiae, non solum mediantibus Romanae Curiae Dicasteriis, sed etiam immediate et intimius.

2. Schema nostrum tractare etiam deberet de Legatorum Romani Pontificis iuribus ac officiis, eorumque relationibus cum episcopis locorum ubi destinantur. Hoc magni momenti nobis videtur ut melius ac clarius definiantur eorum iura et officia et sic firmiores stabiliantur vinculo caritatis relationes inter episcopos singulos et ipsos Legatos Romani Pontificis, in aedificationem tum cleri tum populi.

3. Schema nostrum, in agendo de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus, magis quam in aliis eius partibus, inculcare deberet vinculum caritatis et unitatis quod inter episcopos coadiutores et auxiliares et suos episcopos residentiales vigere oportet. Sacrosancta Synodus enixe exhortare debet pastores qui regimen alicuius ecclesiae particularis quocumque modo comparticipant, ut in omnibus vinculum caritatis et pacis servent, etiamsi hoc saepe exigat sacrificium proprii iudicii in rebus maioris momenti, ad aedificationem totius gregis. Pro ipsis enim episcopis potius quam pro ceteris christianis valet illud S. Pauli ad Colossenses: « Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, ...[4] supportantes invicem ... Super omnia autem haec caritatem habete quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore » ...[5].

4 et ultimo. Tandem, desiderandum est, salvo meliori iudicio, ut una Sacra Suprema Romana Congregatio (vel aliquid simile) instituatur ex nonnullis episcopis etiam diversarum nationum a conferentia episcopali nationali designandis et a Romano Pontifice nominandis: cui competat immediate Romano Pontifici assistere in aliquibus negotiis maximi momenti pro bono Ecclesiae universalis. Haec Sacra Suprema Romana Congregatio inservire posset etiam data occasione tamquam Tribunal

Appellationis in rebus maximi momenti, v. g. in recursu contra sententiam alicuius Congregationis Romanae Curiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Io.* 17, 23). [3] quatuor sequentia proponimus. [4] modestiam, patientiam. [5] (*Col.* 3, 12-15).

12

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Ni fallor, sum decimus tertius qui loquor, et loquor nomine 13 episcoporum!

Schema in genere, sicut iam dictum est, non sufficienter consentire videtur cum institutione a Christo facta, de collegio apostolico. Nec videtur consentire cum realitatibus, quae habentur.[1]

Omnes firmiter credimus Romanum Pontificem, successorem Petri, pollere summa in Ecclesiam potestate. Haec potestas autem, suprema cum sit, non est absoluta, i. e. non sine diversimodis limitationibus. *Iuvabit pauca de natura limitationum dicere.*[2]

Plures limites ex ipsa rerum natura profluunt: *a*) haec potestas enim imprimis limitatur legibus divinis, quae etiam a Summo Pontifice observari debent. *b*) Limitatur etiam ex fine propter quem a Christo instituta fuit. Inde Romanus Pontifex obligatione tenetur — *de qua tamen ipse iudicat*[3] — res sedulo investigandi, et decernendi ea tantum quae ad mentem Christi vere conferunt ad bonum et fines Ecclesiae. *c*) Demum potestas Summi Pontificis quam maxime limitatur ex ipsis angustiis ingenii, facultatum, virium, et temporis quibus etiam Romanus Pontifex restringitur ita ut *pauciora*[4] tantum ita cognoscere potest ut de iis sapienter ...[5] decernere queat. Haec tertia limitatio eo magis urget propter multitudinem et difficultatem problematum, quae continuo oriuntur, et propter ingentem multitudinem fidelium qui sumpti sunt ex omni tribu et lingua et populo et natione et cultura et *qui*[6] non omnes iisdem necessitudinibus laborant. *d*) Insuper, sicut infallibilitas Summi Pontificis ita eius suprema potestas personae Romani Pontificis inhaeret, nec cum aliis communicari potest. Ex his omnibus patet Romano Pontifici multorum adiutorum opus esse qui cum eo et sub eo Ecclesiam ut pastores regant.

Haec videntur esse rationes maioris momenti propter quas Christus

Dominus Ecclesiam suam non imprimis super unum hominem sed super collegium apostolicum fundavit quod cum incremento et dispersione fidelium per totum orbem simul crescere poterit — cui collegio tamen, ut fundamentum unitatis, Petrum eiusque successores ut caput praefecit.

Ex dictis elucet, ex rerum natura et ex ipsa institutione Christi, Summum Pontificem nonnisi cum episcopis regere posse et *etiam*[7] debere Ecclesiam Christi ...[8].

Cetera quae scripsi, secretariatui tradam seu tradidi. Unum tantum addere velim. Adhaereo iis multis, *inter quos em.mi DD. Liénart, König, Alfrink, Bea,*[9] qui opinantur Curiam Romanam, praesertim sicuti nunc constituta est, non esse instrumentum *aptius* quod leges condat et summa in Ecclesia gaudeat potestate iudiciali, sicut de facto in pluribus nunc est. Quamquam relator asseveraverit Curiam optime cognoscere conditiones Ecclesiae in universo orbe, hoc vix affirmari posse videtur. Ab altera parte Curia non sufficienter repraesentat episcopatum per orbem dispersum qui vere cognoscit necessitudines Ecclesiarum et observationem legum urgere debet. Saepius, *Dicasteria non sunt*[10] tantum instrumentum Summi Pontificis, sed regunt suo iudicio et *sunt*[11] ut paries inter Summum Pontificem et episcopatum constituta. *Quae heri iam in aula audivimus et quae extra aulam confirmatum habuimus,*[12] quae facta sunt in praeparatione huius schematis in qua contra manifestam voluntatem Concilii, maioritas membrorum novae commissionis *studio et*[13] consulto a praeparatione exclusa est, *est magnum scandalum et timendum est ne*[14] multis Patribus *hoc iam*[15] symbolum methodorum curialium *apparere incipiat.*[16] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema in genere minus placet, quia non bene consentire videtur cum realitatibus quae habentur, nec cum institutione a Christo facta. [2] deest. [3] deest. [4] pauca. [5] diiudicare et. [6] deest. [7] deest. [8] Hoc fit imprimis eo quod partes minores Ecclesiae per orbem dispersae committantur episcopis locorum qui potestate ordinaria oves sibi concreditas pascunt. Ipsi cognoscunt oves suas et ab iis cognoscuntur. Vere pertinet ad eos de ovibus. Ergo patet episcopos locorum — et singulos pro suis dioecesibus, et plures in unum collecti pro suis regionibus — esse aptiores qui cognoscant et pascant gregem Christi... Pascunt tamen sub auctoritate suprema Summi Pontificis, qui ad unitatem et efficaciam fovendam, tum — vel solus vel maxime cum collegio episcoporum — leges generales condere, tum maiora quaedam ad se trahere, tum etiam, si ipse id utile iudicaverit, intervenire potest.

Ex rationibus enarratis patet tamen etiam ipsos episcopos esse cooperatores aptiores et necessarios qui ipsum Summum Pontificem immediate adiuvent, ut recte perficere possit munus suum curandi de universa Ecclesia... Inde modus aliquis reperiendus est opportuni et personalis commercii inter Summum Ponti-

ficem et episcopos quo Romanus Pontifex problemata urgentiora et necessitudines graviores Ecclesiae universae bene cognoscere et cum episcopis de iis providere possit. His diebus, propter media moderna communicationum et iter faciendi, hoc generatim iam faciliter fieri poterit.

Curia Romana, quae nunc habetur, quae constat ex viris, eminentissimis quidem, qui permanenter vel semi-permanenter ei accrediti sunt, qui oriuntur ex regione et cultura circumscripta, cum experientia limitata, qui non bene cognoscere possunt conditiones valde diversas in toto orbe, nec habent responsabilitatem personalem de fidelibus dispersis per omnes nationes et culturas, quamquam in multis bonum laborem fecit temporibus peractis, iam non videtur esse instrumentum *aptius* quo Summus Pontifex uti possit ad bonum totius Ecclesiae. Non est hic quaestio de bona voluntate, sed de modis aptioribus regendi Ecclesiam qui nunc haberi possunt et Ecclesiae magis congruunt... Nam modus gubernii talis esse debet qui congruit tum characteri pastorali Ecclesiae et muneris Summi Pontificis, tum institutioni collegii apostolici a Christo factae, tum necessitatibus ingentis et diversae multitudinis fidelium ac evangelizationis mundi universi perficiendae, tum — nam et de hoc curari debet — menti fidelium qui in diem gaudent maiore educatione, cultura, intellectuali maturitate et independentia. Ecclesia, cuius est omnes homines in unum congregare in Christo, gaudere debet gubernio aliquo pastorali vere catholico, quod, inquantum fieri potest, semper magis satisfacere queat desideria legitima omnium populorum, linguarum, culturarum et conditionum. [9] deest. [10] Curia non est. [11] est. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] sicut. [16] apparet et est maximum scandalum.

[*Subscripserunt etiam*] Jorge Kemerer, ep. Posadensis (Argentina); E. D'Souza, arch. Bhopal; Stanislaus Tigga, Raigh-Ambikapur; C. Dubbelman, bish. of Jabalpur; O. Sévrin, S.I., ep. tit. Mossina; J. Malenfant, Benares; Th. v. d. Tillaert; Aug. Olbert, ep. Zimtaovensis; G. Bernarding, ep. tit. Belabitene.

13

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus-S. Mariae Leucadensis

Schema de episcopis ac de dioecesium regimine *plerumque* [1] placet; tamen apparet frigidum et aridum; ad ipsum reddendum magis ...[2] acceptum, haec, *exc.mi Patres,*[3] humiliter propono.

1. In introductione aliquid exponatur de episcopi *perfectione,*[4] de qua pauca dicta sunt in ipso schemate de sanctitate.

Episcopus iuridice est perfectior sacerdotibus et laicis, sed perfectibilis semper remanet sicut ceteri homines bona voluntate, adiuvante gratia divina, ita ut perfector animarum magis magisque evadat.

Scimus quod fundamentum perfectionis christianae est humilitas, quam ipse Iesus laudibus extulit et dixit de seipso: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde » ...[5].

Dictum est ab aliquo scriptore: « Crucifixio et gubernatio nomine, non re differunt ». Et verum est practice, sed etiam theoretice, quia episcopus est hostia una cum Christo Iesu ad salvandas animas. Ritus consecrationis episcopalis imaginibus propriis novum praelatum repraesentat sicut victimam, quae ducitur ad necem. Martyrium sanguinis aliquando est pretium zelus eius, sed martyrium cordis est alimentum fere quotidianum ministerii. Tamen episcopus obstacula vincit fiducia in Deum, ut aiebat apostolus Paulus: « Omnia possum in eo, qui me confortat ».

Fortitudo spiritualis acquiritur oratione ad Deum, ad Christum eucharisticum, ad B. Virginem. S. Bernardus ad Eugenium III papam scribebat de praelatis: « Orandi studium gerant et usum habeant ac de omni re orationi plus fidant quam suae industriae et labori »...[6].

2. Praeterea episcopus praestare debet amore erga Summum Pontificem, visibile fundamentum Ecclesiae et Christi vicarium, quem S. Catarina Senensis vocabat « il dolce Cristo in terra ».

Unio cum Papa in fide et unio in caritate fovent munus docendi, munus sanctificandi et gubernandi, quae faciliora reddunt documenta pontificia, ut sunt Litterae Encyclicae, Litterae Apostolicae, Decreta, Constitutiones, etc.

3. Demum caritas Christi urget nos erga totam hierarchiam Ecclesiae:

a) Urget nos caritas erga episcopos universos, ita ut vera amicitia instauretur ad apostolatum faciliorem et utiliorem reddendum, ut S. Paulus a Timotheo requirebat his verbis: « Collabora mecum in Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta » ...[7].

b) Urget caritas erga episcopos guberniis atheis subiectos: amor et oratio pro ipsis levamen affert uti evenit inter primos christianos, quando apostoli a Synedrio vexabantur. Scriptum est enim in Actibus Apostolorum: « Multitudo credentium erat cor unum et anima una » ...[8].

c) Urget caritas erga fratres separatos, ut in communione orationis hora festinetur, quam Iesus ardenter a Patre petiit, quando ait: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos » ...[9].

4. Quoad cap. I huius schematis mihi videntur aliqua adiungenda quae ita synthetice expono:

Congregationes Romanae immediatum auxilium praestant Romano Pontifici in dioecesium regimine totius Ecclesiae. Ipsae nostrum animum et curam aliquo modo laxant in negotiis maioris momenti. Sicut Summus Pontifex vocatur et est Servus servorum Dei, omnes episcopi et omnes officiales Congregationum sunt in servitium populi Dei.

Unde: *a*) mutua concordia et reverentia fovendae; *b*) nimia sollicitudo praestetur ex utraque parte ut negotia agantur sine mora praesertim si bonum familiare vel sociale ipsa *attingunt*[10] ut e. g. petitio et concessio dispensationum ab impedimentis matrimonialibus; *c*) mutuum adiutorium in exsecutione operum ad bonum animarum obtinendum.

5. Quoad facultatum amplificationem meam opinionem synthetice expono, *sed eam tradam scriptam secretario.*[11]

Conclusio. Ut relationes inter episcopos et Curiam Romanam semper fraternae sint, oportet spiritum catholicitatis habere mutuo concursu membrorum Corporis Christi mystici, sicut ait apostolus in epistola ad Ephesios ...[12]: « Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus ».

Dum errores hodierni hominem in effrenata sui ipsius cupiditate relinquunt, ad angorem impellunt et quandoque ad desperationem, fides nostra, coniuncta spei et caritati, totam Ecclesiam copulat et roborat et solatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] comprehensibile et. [3] deest. [4] sanctitate. [5] (*Mt.* 11, 24). [6] (*De Cons.*, IV, 4). [7] (*2 Tim.* 1, 3). [8] (*Act.* 4, 32). [9] (*Io.* 17, 11). [10] attingant. [11] In paroeciarum provisione saepe multum tempus requiritur et aliquando cum aerumnis sacerdotum et populi damno ob *concursum specialem*, a iure canonico praescriptum ad normam can. 459 § 4. Scriptam trado meam opinionem, quae in hoc consistit: *a*) introducatur in totam Ecclesiam *concursus generalis* uti evenit in Germania, Austria et aliis regionibus; *b*) ipse episcopus habeat facultatem dispensandi a quolibet concursu, si doctrina et aliae qualitates requisitae in sacerdote beneficium petente aliunde clare pateant. [12] (4, 15).

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH HOWARD HODGES

Episcopus Vhelingensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Loquar in nomine *aliquorum*[1] episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

Schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* nobis videtur multam habere materiam quae possit esse fundamentum ulterioris discussionis. *Gratias agimus pro laboribus commissionis.*[2] Attamen, ordinatio huius schematis non videtur nexum ostendere cum doctrina de episcopatu quatenus apparebit eadem doctrina in schemate *de Ecclesia.* Haec lacuna

non est culpa commissionis quae schema praeparavit sed nunc suppleri debet.

1. ...[3] In hac aula, Patres conciliares bene manifestarunt mentem suam de propositione: « ... *Corpus hoc seu collegium episcoporum,*[4] una cum capite suo, Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite ...[5] plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollere ». Logice mihi videtur ut hoc schema, quod de pastorali ministerio et (iurisdictionis) potestate episcoporum tractat, debeat habere uti cap. I: « *De relationibus inter episcopos et Summum Pontificem, caput corporis episcoporum* ». In hoc capitulo tractaretur de exercitio duplicis formae supremae potestatis in Ecclesia ...[6].

In hoc capite etiam explicari posset quid significant haec verba: « plures facultates *Romano Pontifici* (quod aliud est quam verbum " Apostolicae Sedi ") reservatas » de quibus loquitur in *prooemio* ...[7].

In hoc capite posset declarari quomodo ultimatim suprema potestas remaneat in Christo, Filio Dei, qui plenam et supremam potestatem ad Ecclesiam regendam Petro et apostolis dedit eorumque successoribus, Summo Pontifici et episcopis.

2. Quando relationes inter duplicem formam potestatis supremae statutae fuerint, tunc, in cap. II, tractari potest « *de Ss. Romanae Curiae Congregationibus* ». Divisio in capite ita haberi possit:

1. De relatione earundem ad Summum Pontificem.
2. De relatione earundem ad corpus episcoporum.
3. De relatione earundem ad episcopos per mundum dispersos.

In hoc capite, bene et perspicue statui debet natura et principium Congregationum auctoritatis nempe, quod a Summo Pontifice dependent, ad eius beneplacitum creantur et durant, quod non existunt pro seipsis, nec in seipsis suprema potestas divina institutione ullatenus manet, quod hae congregationes existunt ad Summum Pontificem et episcopos adiuvandos in Ecclesiae regimine. Debet etiam explicari quid velint dicere termini « Sancta Sedes » vel « Apostolica Sedes ». Possunt explicari verba in pag. 7, lin. 4 « nomine et auctoritate illius munus suum explent ».

Proponitur igitur ut cap. I sit « *de relationibus inter episcopos et Romanum Pontificem, caput corporis episcoporum* », et cap. II sit « *de relationibus inter Ss. Romanae Curiae Congregationes et Summum Pontificem, corpus episcoporum et singulos episcopos* ». Alia capita retineri possunt et decursu discussionum emendari.

Schema deficiens et claudens, opinione mea et multorum aliorum episcoporum ex Statibus Foederatis, debet retineri et poni in discussione.[8] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] plurium. [2] deest. [3] Die 30 oct. h. a. [4] ipsum (scil. corpus seu collegium episcoporum). [5] (cuius salvum et integrum manet ius primatiale in omnes pastores et fideles). [6] secundum *c* inter propositiones die 30 octobris approbatas in qua dicitur « modus practicus et concretus quo duplex forma supremae potestatis in Ecclesia exercetur, ad ulteriorem determinationem theologicam et iuridicam pertinet... ». [7] in pag. 6, lin. 5. [8] deest.

Moderator: Velint audire Patres! Moderatores rogant utrum placeat Patribus finem imponere discussioni de schemate in genere. Qui finem volunt, surgant!

[*Breve intervallum*].

Gratias! Fiet nunc statim suffragatio in schedulis utrum schema in genere placeat ut basis pro ulteriori disceptatione quoad singula capita. Responsio erit: *placet* vel *non placet.*

Interim prosequatur dissertatio de schemate in genere.

15

Exc.mus P. D. RAPHAEL GONZALEZ MORALEJO
Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Venerabiles Patres conciliares,

Quatuor sunt, mea humili sententia, praecipui defectus nostri schematis.

1. Schema nimis empiricum et pragmaticum apparet, ita ut, omni fundamento doctrinali praetermisso, normas tantummodo practicas accumulet, non perspicuo ordine seu connexione inter se coniunctas.

2. Schema est parum pastorale: eius normae, nimium administrativae vel iuridicae, non satis videntur originem sumere ex indole eminenter pastorali ministerii episcoporum.

3. Schema deficit a spiritu oecumenico: nihil enim dicens de notissima structura patriarchali in Ecclesia orientali vigenti, videtur ad solam Ecclesiam latinam sese referre, potius quam ad universalem Ecclesiam sicut in Concilio Oecumenico oportet.

4. Schema proinde remanet incompletum, et quidem ex tribus capitibus supra recensitis.

Iam vero, ne verba proferam mere critica seu negativa, votum meum ostendere intendit illos aspectus in quibus schema positive melius reddi possit.

Definitio dogmatica de Primatu Romani Pontificis et ea quae iam sufficienter a Concilio enucleata sunt circa dignitatem episcoporum et eorum collegialitatem sub Primatu Successoris Petri, solidum praebent fundamentum doctrinale quod informare debet totum schema, eique unitatem conferre.

Papa enim, Vicarius Iesu Christi in terris, sua condicione episcopi romani, certo habet iurisdictionem ordinariam in propria dioecesi; sed cum idem sit caput collegii episcoporum et eius principium unitatis, habet quoque, ut talis, ius primatiale in omnes pastores et fideles.

Episcopi autem, ex eo quod legitime consecrati sunt et communionem habent cum reliquis episcopis et cum Sede Apostolica, assumpti sunt in partem Romani Pontificis sollicitudinis in apostolico Ecclesiae universalis munere perfungendo ...[1]. Illi vero qui designantur episcopi residentiales, Ecclesiis particularibus praeficiuntur tamquam veri ac proprii pastores, atque ordinaria iurisdictione praediti sunt, et quidem iure divino, unusquisque super uniuscuiusque ecclesiam.

Ex iis clarissimis principiis ...[2] effluunt transcendentales consequentiae ordinis iuridici et pastoralis. Nostrum vero schema evolvit tantummodo aliquas. Sed neque eas deducit ex principiis doctrinalibus, ut clarius *appareat*[3] quid in ipsis contineatur et qualis eorum integra vis sit, neque evolvit alias, quae sunt maximi momenti. Liceat mihi praecipuas enumerare: ...

Moderator: Velis exspectare per momentum!

Secretarius Generalis: Audiant Patres! Cum em.mus moderator iusserit fieri suffragationem, velint omnes Patres, ubivis degunt, ad sua loca redire!

Post quinque momenta, quaestio posita a moderatore iterum repetetur et postea fiet suffragatio. Ergo Patres se abstineant pro nunc a suffragatione facienda. Post quinque minuta, repetam quaestionem positam. Gratias.

Moderator: Velis pergere.

Orator: Gratias. *Liceat mihi praecipuas materias enumerare, quae non inveniuntur in hoc schemate, ex principiis doctrinalibus deductae*[4]:

1. Si Papa, quatenus est Pastor Supremus Ecclesiae Universalis, caput quoque est collegii episcoporum et ius primatiale habet in omnes pastores et fideles, evidens est pertinere ad eum, iure quidem et personaliter, designationem episcoporum. Schema igitur agere debet de designatione episcoporum, tum residentialium tum titularium, atque specifice statuere media quibus Romanus Pontifex noscere possit aptos candidatos

ad episcopatum: similiter, innuat oportet normas generales quibus ius illud Summi Pontificis in tuto ponatur, salvis tamen sed non obstantibus legitimis traditionibus tam Ecclesiarum orientalium quam Ecclesiae latinae, nec non circumstantiis cuiusque nationis.

2. Si Papa est, non solum Romanus episcopus sed etiam Pastor Supremus Ecclesiae universalis, evidenter videtur electionem eius pertinere, praeterquam ad collegium cardinalium quod aliquomodo Ecclesiam Romanam repraesentat, ad totum corpus episcoporum authentice repraesentatum. Videtur igitur principium hoc recipiendum esse in nostrum schema, sive collegium cardinalium ita apparando ut vere repraesentet universum episcopatum, sive aliter providendo ad opportunam repraesentationem collegii episcopalis.

De tertio puncto, i. e. de facultatibus episcoporum vi eorum consecrationis radicaliter acceptis, non adhuc loquar quia iam satis dictum est a multis.[5]

4. Si bonum Ecclesiae exigit ut, ad debitam curam pastoralem aliquarum dioeceseon aut propter alias specificas necessitates, vel dioecesanas vel supradioecesanas, ordinis tamen pastoralis, designentur episcopi mere titulares, evidens est illas normas, quae ad hos episcopos spectant, oblivisci non posse eos, vi legitimae consecrationis, partem habere in corpore seu collegio episcoporum, sub Capite Supremo, Romano Pontifice. Instituta igitur coadiutoris et auxiliaris, ita iure communi definienda ac congruentibus facultatibus instruenda sunt ut, salva dioecesani regiminis unitate, eorum activitas efficacior reddatur et dignitas characteri episcopali inhaerens in tuto ponatur ...[6], habita quoque ratione eos cum proprio episcopo constituere velut unam eamdemque personam, et esse proinde supra quemcumque alium sacerdotem, non excluso ipso Vicario Generali nec Capitulo Cathedrali. Pari modo tutanda erit aequa participatio episcoporum titularium in coetibus seu conferentiis episcoporum, eo vel magis quod ratione sui specifici ministerii aut quia saepe saepius partem habent in certis commissionibus episcopalibus, tractare ordinarie debent negotia quae maxime afficiunt aspectus quosdam summi momenti in vita religiosa totius nationis vel regionis ad quam pertinent.

5. Si corpus vel collegium episcoporum plena et suprema potestate pollet in universam Ecclesiam una cum Capite suo et numquam sine hoc Capite, salvo semper et integro remanente iure primatiali Romani Pontificis in omnes pastores et fideles, evidens est *posse* idem collegium et quidem iure divino, partem habere in redigendis normis canonicis vel disciplinaribus, quae bonum totius Ecclesiae respiciunt ...[7]. Igitur, cum in nostro schemate agitur de Curia Romana et de collaboratione quae expectanda est a collegio episcopali, perspicue enuntiandum est fun-

damentum doctrinale earum dispositionum quae ad rem proferantur, ita ut clare appareat utrum participatio episcoporum sit iure divino fundata, aut e contrario, consistat in iure more ecclesiastico. Simili modo, quando sermo fit in nostro schemate de conferentiis episcoporum, necesse est ut institutum patriarchatus apte consideretur; sed plane apparere debet quonam iure episcopi, sive orientalium Ecclesiarum sive Ecclesiae latinae, ad patriarchales Synodos vel ad conferentias legitime convocentur.

6. Denique, si quotquot ad corpus seu collegium episcoporum pertinent, assumpti sunt in partem Romani Pontificis sollicitudinis in apostolico Ecclesiae universalis munere perfungendo, evidens est, cum distributio sacerdotum et religiosorum in Ecclesia universa non respondeat gravissimis necessitatibus quas secum fert cura pastoralis animarum in multis mundi regionibus, ferendas esse normas iuridicas efficaces ut, salvis semper salvandis in ordine instituti incardinationis vel convenientis adaequationis sacerdotum ad culturam, linguam et traditiones cuiusque nationis, possibilis fiat distributio magis adaequata illis necessitatibus.

Humanissime ergo peto ut schema *de episcopis* ita reformetur ut normae iuridicae in ipso contentae quam accuratissime defluant ex principiis doctrinalibus, arctius aptentur fini pastorali officii episcoporum, compleantur iis additis quae supra innuimus, et tandem totum schema ad unitatem reducatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (In prooemio, ad cap. I, pag. 6, linn. 10-11 nostri schematis). [2] recte. [3] appareret. [4] deest. [5] 3. Si episcopus residentialis legitime consecratus et electus pastor est propriae dioecesis iure ecclesiastico, evidens quoque est iure divino possidere ipsum omnes facultates necessarias ad exercitium sui ministerii, firma semper in omnibus Romani Pontificis potestate sibi reservandi causas quas ipse, sive ad Ecclesiae unitatem conservandam sive ad eius universale bonum melius promovendum, pro locorum temporumve adiunctis, ad se avocare iudicaverit. Quod principium recipiendum est modo satis perspicuo in nostrum schema, ubi agitur de facultatibus episcoporum et de eorum relationibus cum Dicasteriis Sedis Apostolicae. [6] (ex cap. II, n. 6, pag. 9, linn. 14-18). [7] idque in nostris temporibus valde conveniens est.

Secretarius generalis: Audiant Patres! Em.mus moderator hoc quaesitum proposuit et proponit: Utrum schema *de episcopis et de dioecesium regimine* placeat ut basis pro ulteriori disceptatione quoad singula capita.

Patres, qui volunt ut ulterior disceptatio quoad singula capita fiat, suffragium ferant *placet*; alii, vero, *non placet*.

Repeto. Imprimis quaesitum: Utrum schema *de episcopis et de dioecesium regimine* placeat ut basis pro ulteriori disceptatione quoad singula capita.

Qui vult ut disceptatio quoad singula capita fiat, respondeat *placet*; alii, vero, *non placet.*

Ad fugandas autem aliquas sollicitudines, exortas ex suffragatione facta per sessionem et erectionem — nam multi Patres erant extra suum locum —, em.mus moderator certiores facit Patres quod disceptatio circa principia generalia schematis iam per se finita quasi est, quia iam locuti sunt Patres qui verbum facere petierunt. Igitur, nulla praeoccupatio et nulla sollicitudo.

Fiat nunc suffragatio in schedulis distributis circa quaesitum quod bis legi et explicavi. Gratias.

16

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O.P.

Venerabiles Patres,

Pauca velim dicere de aliquo puncto magni momenti de quo nihil dicitur in schemate, nempe de unione inter, sic dictos, duos cleros, saecularem seu dioecesanum et religiosum, quibus in procuranda animarum cura, episcopus praeest. De hac unione, collaboratione, aliquid dicitur in schemate de cura animarum, sed melius esset in hoc schemate ponenda vel saltem innuenda propter eius momentum; et in hoc velim insistere.[1]

Norunt *Patres*[2] quod unio virium apostolicarum in Ecclesia vel maxime hodie necessaria est, immo et *numquam sicuti in diebus nostris*[3] urgentior. *Attamen valde facilis et uberrima esse potest.*[4]

...[5] Immorari igitur hic ad huiusmodi fructus uberrimos explanandos haud opus est, *dummodo haec mutua*[6] collaboratio in spiritu sinceritatis et caritatis progrediatur.

Tantum pauca addam de medio efficaciori[7] ad hanc sanctam necnon in visceribus Christi desideratissimam unionem obtinendam, *vel saltem fovendam.*[8]

Nullum, de facto, datur medium ita efficax ad unionem inter homines ...[9] stabiliendam sicut *amor.*[10] Iam vero: amor praerequirit cognitionem; cognitio autem supponit experientiam, communicationes videlicet, colloquia, contactus, conventus.

Quapropter *esset*[11] utilissimum, ad praedictam unionem *assequen-*

dam,[12] fovere, creare, promovere quasdam nationales provincialium et episcoporum — vel sacerdotum ab episcopis delegatorum — *commissiones.* Hae *enim* [13] commissiones:

a) Possunt modum aptiorem quaerere ut in praxim facilius perfectiusque reducantur normae aut mandata, necnon problematum solutiones, a conferentiis episcoporum *nationalibus* [14] proposita, *vel ab episcopo residentiali.*[15]

b) Possunt *insuper et ipsas* [16] quaestiones pertractare et solutiones inventas conferentiis episcoporum *vel episcopo,*[17] qua par est reverentia, suggerere.

c) Possunt *denique* [18] promovere ac praeparare conventus vel conferentias ut religiosi et sacerdotes dioecesani habeant colloquia — « symposia » — ut sese ad invicem melius intimiusque mutua problemata et problemata animarum cognoscant; atque Christi amore tracti, ut ea solvere curent.

Exemplar optimum valde laudandum et imitandum, est commissio quae iam habetur in Gallia inter episcopos et superiores provinciales.[19]

Similiter, huiusmodi commissiones institui valent in unaquaque dioecesi vel curia dioecesana. Praesertim hae commissiones mixtae sacerdotum saecularium et sacerdotum religiosorum vitae activae aut mixtae instituendae erunt ad opera communia apostolatus complenda. Evidens enim est quod semper *procedere opus est* [20] sub auctoritate, directione necnon approbatione episcopi residentialis ...[21].

Praecipuae utilitates, ut de ceteris taceam, ex pacifico et actuoso commissionum labore *promanantes* [22] enumerantur, ex una parte ...[23] munus pastorale episcopi sic expeditius ac fructuosius *evadere potest.*[24] Et, ex alia, ...[25] maior obtinetur collaboratio religiosorum, quin ipsorum vita religiosa ullum detrimentum patiatur.

Si exemplum innuere licet de horum conventuum utilitate *multiplici,*[26] illum famosum congressum Matriti actum, sub praesidentia ac moderamine em.mi card. Valeri, afferam, in quo, *magno cum gaudio et praesertim magno cum fructu,*[27] sacerdotes dioecesani una cum sacerdotibus religiosis strenue adlaboraverunt in pace et unitate, sed *etiam* [28] in amore Dei et animarum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Inter quaestiones quae ex natura sua vel maxime pastorales — ideoque et indoli peculiari huius Concilii Vaticani II respondentes — enumerari possunt, haec, procul dubio, recensenda est. Agitur enim « de regimine dioecesium », cuius « pastoralitas » in omnium promptu apparet. Triplex vero ratio hoc suadet: *a*) tangitur hic res practico-practica, in qua haud de principiis dogmaticis, sed de *agibilibus* et *factibilibus* materia a Patribus Concilii pertrac-

tanda proponitur; *b*) uberrimi fructus pro vita populi christiani ex dispositionibus Patrum in hac etenim materia exspectantur; *c*) nonnullae « structurae » iuris ecclesiastici in hac parte indigent reformatione: ut melius hodiernis mundi condicionibus necessitatibusque aptentur, opus est eas radicitus recognoscere, verum etiam et mutare, innovare, re-facere.

His enim variis rationibus laudandum est schema decreti « De episcopis ac de dioecesium regimine » propositum.

Relate vero ad tanti momenti materiam, iuvat mihi aliquas observationes Patrum considerationi subiicere.

Prima: Forsitan melius esset *integrare* in uno corpore organico — in uno eodemque schemate — quae disiunctim habentur in illo « de cura animarum », in alio « de sacris alumnis efformandis », et quae hic, in praesenti schemate, habentur. Sic, ex una parte, character nimis iuridicus huius schematis vitaretur, et, ex alia, indoles pastoralis Concilii uberius ac utilius innotesceret. Patet enim quod diversae tractationes ad unum eundemque finem spectant, ad maiorem nempe animarum salutem et maius servitium procuranda. Entia non sunt inutiliter multiplicanda; nec tempus, cum Concilium non paucum iam expenderit, inutiliter terendum. Ratio nihilominus praecipua ex unitate materiae ac ex unitate finis sumitur.

Secunda: Quoquo modo hoc fiat, in schemate non deesse deberet caput initiale ubi muneris pastoralis natura delinearetur, seu, aliis verbis, « figura pastoralis » episcopi, quae ita intime connexa cum ipso munere episcopali apparet. Haec etenim consideratio non omnino sub aspectu dogmatico — de quo aliunde, in schemate *de Ecclesia* actum est —, sed magis sub aspectu principiorum practicorum.

Quatuor mihi videntur principia theologica « practica » quae summatim peropportunum esset innuere, videlicet:

1. « Missio pastoralis » episcoporum est quaedam continuatio ministerialis, in determinatis tempore et locis, operis salvifici Christi Domini cum et ipsi sint successores apostolorum. Praeter munus « regendi Ecclesiam Dei » (de quo in schemate *de Ecclesia* plura dicta sunt) habent munus regendi « ecclesiam suam ». Ad hoc etiam, et quidem principaliter « missi sunt », *forma facti gregis* (*1 Pt.* 5, 3), « ipsorum (apostolorum nimirum) formam tenentes » (*Contra imp. Dei cultum,* n. 83). Relate ad hoc pulcherrima est imago episcopi quam S. Paulus tradidit (cf. *Act.* 20, 17-38). Inter praecipuas facultates episcopi enumeratur illa quae facultas seu potestas pascendi dicitur.

2. Sed haec « missio pastoralis », quae « amoris est officium », ut aiebat S. Augustinus (*In Io. 21, 17, tract. 123*: PL 35, 1967), est quasi *causa finalis* ipsius episcopatus, iuxta sanctum Thomam, qui totum tractatum de episcopis exponit sub luce huius finalitatis, etiam illud S. Pauli: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*1 Tim.* 3, 1; *Summa Theol.* II-II, 185, 1), i. e. suam vitam impendere pro animabus suae curae commissis.

3. Etiam ex hoc fine — amor animarum — depromitur argumentum ad extollendum statum episcopalem ad « statum perfectionis »: « perfectio episcopalis status in hoc consistit quod aliquis ex divina dilectione se obligat ad hoc quod saluti proximorum insistat » (II-II, 185, 4).

4. Denique, hoc servitium animarum, haec « utilitas Ecclesiae » considerari opus est ut supremum criterium ad electionem episcoporum. Verum etiam ad voluntariam vel impositam exonerationem ab episcopali regimine alicuius dioecesis.

Si enim haec principia theologico-practica prae oculis habentur, schematis pro-

positi decisiones, quae nonnullae novae in iure, illae etiam et graves, melius patefient, nec tonus nimis iuridicus apparebit; ex principiis ad praxim: en ordo procedendi. Simul quaedam repetitiones aut etiam quaestiones ad rem non pertinentes e medio evolabunt.

Tertia: Unum liceat verbum adiicere circa modum reddendi efficaciorem omnium unionem. [2] omnes. [3] deest. [4] Et, aliunde, valde facilis. [5] Inter sic dictos duos cleros, clerum saecularem seu dioecesanum et religiosum, quibus praeest in procuranda animarum cura episcopus, haec unio uberrima esse potest. [6] si revera. [7] Velim tantummodo innuere medium efficax. [8] fovendamque. [9] resarciendum seu. [10] exstat amor christianus. [11] mihi videtur esse. [12] fovendam. [13] autem. [14] deest. [15] deest. [16] etiam et ipsae. [17] deest. [18] insuper. [19] deest. [20] deest. [21] huiusmodi commissiones erunt. [22] deest. [23] quod. [24] evadit. [25] quod. [26] deest. [27] deest. [28] praesertim.

17

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Venerabiles Patres,

Brevissime,[1] liceat mihi sequentia principia generalia reverenter proferre de modo procedendi quando tractandum erit de Dicasteriis Curiae Romanae.

1. Ex una parte, si adsint defectus in illis Dicasteriis, certe Concilium Oecumenicum tempus opportunum praebet ad eos corrigendos, et itaque Patribus debet concedi mentes suas aperiendi libertas.

2. Ex altera parte, cum illa Dicasteria nomine et auctoritate Romani Pontificis agunt, quid de illis dicitur, indirecte saltem de exercitio auctoritatis ipsius Romani Pontificis dicitur.

Est autem res experientiae, nempe quando aliqua auctoritas publice crisi subiicitur, etiamsi sit propter validas rationes, secundum psychologiam humanam, reverentia apud populum erga talem auctoritatem generatim diminuitur. In casu praesenti, quod disceptationes in congregationibus generalibus habitae iuris publici evadent, est res evidens.

Liceat mihi hac de re exemplum citare. Si de defectibus Curiarum episcopalium publice a sacerdotibus discutiuntur et in ephemeridibus divulgantur, quid sperandum de auctoritate ipsorum episcoporum?

Via ad talia incommoda, relate ad auctoritatem Summi Pontificis, nullo modo est aperienda. Si tamen defectus adsint, media reficiendi ab intrinseco — non autem destruendi ab intrinseco vel extrinseco — sunt invenienda.

Unde ad utrumque finem supradictum (sub numeris 1 et 2) simul consequendum, sequentes suggestiones humiliter propono:

1. Loco disceptationum in congregatione generali hac de re habendarum, liceat Patribus suas observationes debita cum libertate in scriptis proferre, saltem si quaestio erit de defectibus concretis Dicasteriorum Curiae Romanae.

2. Constituatur, servatis servandis, commissio et quidem specialis, si ita optetur, ad has observationes examini subiciendas.

3. Rebus bene perpensis, ab eadem commissione exarentur emendationes textus schematis si sint necessariae.

Et 4. Illae emendationes in congregatione generali iudicio Patrum subiciantur secundum consuetum modum votandi.

Ista proposui, *non sine multa reluctatione quia forsan sententia mea* [2] non erit nimis, ut ita dicam, popularis, *sed ista proposui* [3] propter honorem Ecclesiae et reverentiam erga auctoritatem Summi Pontificis cui nos episcopi omnes, oboedientiam et fidem iuravimus in ipsa nostra episcopali consecratione. Regimen enim Ecclesiae, ex institutione Christi Domini, non democraticum sed *familiale* est dicendum, profluens ex Paternitate divina. Nos episcopi eo quod per Ordinem episcopalem una cum Summo Pontifice eamdem paternitatem participamus, non ideo debemus illam *auctoritatem* [4] minus honorare in eo qui Summus est Pater visibilis in Ecclesia Christi etiamsi ipse consilium nostrum petit. Est modus in rebus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quamquam sententia mea forsan. [3] deest. [4] deest.

18

EXC.MUS P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres conciliares,

Schema huius decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* placet iuxta modum.

Schema hoc *placet* nobis quia:

1. Clare affirmat episcopos ...[1] iure communi debere habere omnes facultates, quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Summi Pontificis explendum, postulat ...[2].

2. Ad rem catholicam in universo territorio alicuius nationis fruc-

tuosius et efficacius promovendam atque ordinandam, schema hoc felicissime proponit, ut episcopi eiusdem nationis unum coetum seu conferentiam episcoporum nationalem, cum propria constitutione, moderamine et potestate aliquando *quidem* [3] iuridice obligandi singulos episcopos, constituant ...[4].

3. Pro meliore cleri populique christiani bono et ipsi recto dioecesium et provinciarum ecclesiasticarum regimini schema hoc valde opportune proponit congruam dioecesium et provinciarum ecclesiasticarum circumscriptionem.

4. Tandem uberrimos fructus possumus sperare in futuro ex deductione in praxim propositionum istius schematis de erectione et congrua circumscriptione paroeciarum, cum scimus *omnes* [5] paroeciam esse veluti cardinem dioecesis, circa quem omnis pastoralis navitas vertitur, stimulatur et ordinatur ...[6].

Attamen, ut schema hoc accipi possit, meo humili iudicio, in quibusdam *emendari* et *perfici* deberet. Et ita:

1. Cum schema hoc intime connectitur cum cap. II const. dogmaticae *de Ecclesia,* ubi agitur de constitutione hierarchica Ecclesiae, et imprimis de episcopis successoribus apostolorum, de eorumque munere collegiali et particulari docendi, sanctificandi et regendi Ecclesiam Christi, in introductione quadam generali ad schema hoc *de episcopis ac de dioecesium regimine* deberet clare affirmari episcopos ut collegium episcopale habere simul cum capite suo, Summo Pontifice, plenam et universalem potestatem docendi, sanctificandi et gubernandi super totam Ecclesiam Christi; ut pastores Ecclesiarum particularium eos frui potestate sua apostolica *limitata per bonum commune* totius Ecclesiae *et necessitates Ecclesiarum particularium.*[7]

Hoc principium generale potestatis episcoporum deberet fundari *in illo schemate* [8] in textibus Scripturae Sanctae, *quia agitur ibi de quaestione gravissima. Possim citare, e. g., textum evangelicum* [9]: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo, docete omnes gentes » ...[10]; et *textum S. Pauli* [11]: « Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo », *et aliis textibus.*[12]

2. Simul, in aliqua alia paragrapho eiusdem introductionis generalis, oporteret clare affirmare potestatem apostolicam episcoporum, tam in Ecclesiam universalem, quam in Ecclesias eorum particulares, sensu supra dicto, esse iuris divini et eis datam a Domino cum ipsa dignitate episcopali et incardinatione in collegium episcopale.

3. ...[13] Oporteret *eodem modo* [14] clare statuere, quod episcopi ut pastores Ecclesiarum particularium habent, sub auctoritate suprema

Summi Pontificis, plenam potestatem docendi, sanctificandi et gubernandi suas Ecclesias, cum solis limitibus impositis illis, sive a Summo Pontifice ut capite collegii episcopalis, sive a Summo Pontifice simul cum membris huius collegii, secundum exigentias tam boni communis totius Ecclesiae, quam varias necessitates generales Ecclesiarum particularium.

Principia haec sunt fundamentalia et debent esse clare affirmata et distincte enunciata in initio schematis huius, si volumus in sequentibus capitibus claram doctrinam exponere de toto ambitu potestatis episcopalis tam in gubernio supremo Ecclesiae universalis, quam in regimine particulari alicuius dioecesis.

Ultimum: *Quae cum ita sint,*[15] post affirmationem *nempe*[16] obligationis pro toto collegio episcopali curare simul cum Capite suo, Summo Pontifice, et sub eius suprema auctoritate, tam de bono communi Ecclesiae universalis quam de bono generali Ecclesiarum particularium, logice ibi adducitur quaestio de *organo quodam collegiali, composito ex delegatis totius collegii episcopalis,* quod sub ductu et auctoritate suprema Summi Pontificis, capitis collegii episcopalis, posset statutis temporibus et in determinatis conditionibus, videre et statuere de omnibus necessitatibus tam Ecclesiae universalis quam Ecclesiarum particularium.

Collegium tale esset et signum visibile et signum efficax verae catholicitatis Ecclesiae Christi, quia esset repraesentativum omnium populorum, ex omnibus linguis, et ex omni mundo christiano.[17]

In hoc loco auderem renovare propositionem meam, factam in observationibus generalibus schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* creationis, nempe, cuiusdam consilii apostolici, vel collegii apostolici, cuius compositionem eodem tempore modo generali iam indicavi.

In hoc articulo sufficeret affirmare *magnam utilitatem similis consilii vel collegii apostolici* pro bono communi totius Ecclesiae et bono particulari omnium Ecclesiarum localium, relinquendo practicum et concretum modum organizationis, compositionis, constitutionis et moderaminis ad ulteriorem determinationem theologicam et iuridicam ...[18]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] residentiales. [2] (pag. 6, n. 3). [3] deest. [4] (cap. III). [5] deest. [6] (cap. V). [7] deest. [8] deest. [9] ut e. g. [10] et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-23). [11] deest. [12] (*Act.* 20, 28-29). [13] Per modum conclusionis. [14] deest. [15] *In particulari*: Quae cum ita sint, tota materia cap. I huius schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* deberent esse, meo humili iudicio, distributa in alio ordine, praesentata in alia forma et cum novis aliis titulis. Quae omnia possent fieri, e. g. sequenti modo:

1. Praesens cap. I sub titulo « de rationibus inter episcopos et SS. Romanae Curiae Congregationes », deberet habere alium titulum « de munere episcoporum regendi Ecclesiam Christi », quia talis titulus introduceret quaestionem generalem huius decreti, nempe omnes aspectus potestatis episcopalis, et non tantum relationes episcoporum cum variis Congregationibus S. Sedis. A. v., in hoc schemate agitur non solum de relationibus episcoporum cum variis Congregationibus S. Romanae Curiae, sed etiam, et imprimis, de possessione ipsius potestatis episcopalis et de ambitu eius exercitii.

2. Prooemium in pag. 6, n. 2, linn. 1-12 deberet esse substitutum alio prooemio, ubi clare affirmaretur obligatio collegii episcopalis cum suo capite Summo Pontifice, simul curare tam pro bono communi Ecclesiae universalis quam pro bono peculiari Ecclesiarum particularium.

3. Art. 2 huius cap. I in pag. 7 sub titulo « de praxi SS. Congregationum relate ad episcopos » deberet venire in locum art. 1 huius capitis in pag. 6 et habere titulum « de relationibus inter episcopos membra collegii episcopalis cum capite suo Summo Pontifice, in regimine Ecclesiae universalis et Ecclesiarum particularium ». Ratio est, quia. [16] deest. [17] deest. [18] 4. Post hoc articulum, sequeretur praesens art. 1 schematis, in pag. 6, cuius titulus « de episcoporum facultatibus » deberet esse substitutus alio titulo, plus correspondente totae doctrinae relate ad potestatem apostolicam episcoporum, nempe: « de potestate episcopi pastoris Ecclesiae particularis », ubi potestas talis episcopi pastoris Ecclesiae particularis praesentaretur non ut facultas quaedam ei ab aliqua auctoritate humana concessa, sed ut potestas eius apostolica ex iure divino ei cum ipsa dignitate episcopali ab ipso Domino collata, cum tali limitatione, quam auctoritas suprema Ecclesiae universalis necessariam pro bono communi totius Ecclesiae iudicaverit. Ratio est, quia in assignatione alicuius episcopi ad aliquam dioecesim particularem non tam agitur de collatione ei potestatis episcopalis in hanc dioecesim, quam potius de determinatione et de limitatione eius potestatis apostolicae ad illam.

Secretarius generalis: Dum exspectatur exitus suffragationis factae, de mandato em.mi moderatoris, incipit subordinate disceptatio circa cap. I, de quo iam lecta est heri relatio.

Verbum igitur facere postulaverunt circa hoc caput: Sua Beatitudo Maximus IV, patriarcha Antiochenus Melchitarum; exc.mus D. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, etc.

19

Beat.mus P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Frères,

Le chapitre I de ce schéma sur les Evêques et le gouvernement des diocèses n'envisage, autour du Souverain Pontife et pour l'aider dans son ministère primatial à l'égard de l'Eglise universelle, que les Congré-

gations, les Tribunaux et les offices dont l'ensemble forme ce que l'on est convenu d'appeler la « Curie Romaine ». Au n. 5, il est vrai, notre texte propose une petite réforme timide, en envisageant la possibilité d'inviter des évêques du monde entier à faire partie des dicastères de la Curie Romaine à titre de membres ou de conseillers.

Il me semble que cette façon de limiter à la Curie Romaine la collaboration de l'épiscopat catholique au gouvernement central de l'Eglise ne répond ni aux besoins réels de l'Eglise de notre temps, ni à la responsabilité collégiale de l'épiscopat à l'égard de l'Eglise.

Aussi, qu'il me soit permis de proposer une solution nouvelle qui me parait répondre davantage aux exigences de notre temps et aux sains principes théologiques.

Pierre avec les apôtres, c'est le Pape avec le corps épiscopal. Le Pape est aussi Evêque du diocèse de Rome, Primat d'Italie et Patriarche d'Occident. Mais ces qualités sont secondaires — quoique réelles — par rapport à la Primauté universelle.

Cela étant, il s'en suit que lorsque le Pape gouverne l'Eglise universelle, il s'adjoint, pour partager sa responsabilité, le Collège des Evêques qui succède au Collège des Apôtres, et non pas les prêtres, les diacres et autres clercs du diocèse de Rome. La cour particulière de Rome, propre au diocèse de Rome, ne doit pas se substituer au Collège des Apôtres vivant en leurs successeurs les Evêques. Il appartient donc à ce saint Concile de prendre les moyens nécessaires pour mettre au clair cette vérité obnubilée par une pratique séculaire s'enveloppant de nuages qui sont allés en s'épaississant toujours davantage, au point que beaucoup, même *d'entre* [1] nous, ont fini par trouver la situation comme normale, quoiqu'elle ne le soit pas; car la cour de l'Evêque de Rome est une chose, et le Collège Apostolique du Successeur de Pierre est une autre chose. Avec la cour actuelle du Pape, il est difficile à ceux qui sont en dehors de l'Eglise Catholique et *même* [2] à plusieurs du dedans, de voir l'œcuménicité de l'Eglise, mais plutôt le particularisme d'une Eglise particulière, à laquelle les hommes, le temps et les circonstances favorables ont donné un apport humain et temporel considérable de grandeur, de force et de richesse. Le fait même de la nomination des Cardinaux à des églises particulières de Rome montre bien que les Cardinaux appartiennent à l'Eglise particulière de Rome, et non pas à l'Eglise universelle du Christ.

Il va de soi que tous les évêques du monde ne peuvent pas être constamment réunis en Concile. C'est à un groupe restreint d'évêques représentant leurs collègues que doit donc revenir cette charge concrète d'aider le Pape dans le gouvernement général de l'Eglise. C'est ce

groupe qui pourrait former le vrai *Sacré Collège* de l'Eglise universelle. Il comprendrait les principaux évêques de l'Eglise. Ce serait d'abord les Patriarches résidentiels et apostoliques, tels que reconnus par les Conciles œcuméniques des premiers siècles; ce serait ensuite les Cardinaux-Archevêques *ou Evêques*,[3] au titre de leur Cathédrale, et non au titre d'une paroisse de Rome; ce serait enfin des Evêques choisis dans les Conférences épiscopales de chaque pays. Cette dernière suggestion devrait être étudiée pour être mise au point. Ce Sacré Collège universel pourrait être convoqué par le Pape à temps fixe et quand le besoin s'en fait sentir pour débattre les affaires générales de l'Eglise.

Mais naturellement cela ne suffit pas. Il faudrait qu'il y ait constamment à Rome ce que l'Eglise Orientale appelle la « Synodos endimousa », c.-à-d. quelques membres de ce Sacré Collège apostolique et universel se succédant à tour de rôle pour être aux côtés du Pape, leur Chef, qui a toujours, de droit primatial, le dernier mot. C'est là que sera le Conseil Suprême de l'Eglise, « la Suprema », Conseil Suprême exécutif et décisif de l'Eglise universelle. Tous les bureaux romains doivent lui être soumis. Cette Suprema aura son règlement spécial concernant sa constitution. Elle rayonnera le Christ à travers le monde entier, surtout le monde païen. N'étant pas bloquée dans un centre fermé sur lui-même, il ne lui viendra même pas à l'idée de vouloir tout accaparer, tout régler, tout régenter, d'une manière uniforme et quelquefois tatillonne. Elle comprendra que *les problèmes des peuples doivent être réglés par eux-mêmes ou avec eux-mêmes, mais jamais sans eux-mêmes.*

En résumé, nous disons que pas plus le Saint-Père que n'importe quelle autre personne au monde, quelle qu'elle soit, ne peut gouverner avec ses familiers une institution aussi grande que l'Eglise universelle, où se joue l'intérêt du christianisme dans le monde entier. Et tout cela est conforme à l'Evangile; car si l'Eglise a été confiée spécialement à Pierre et à ses successeurs, elle a aussi été confiée aux Apôtres et à leurs successeurs; et si ce gouvernement est confié à des personnes non constitutionnelles, comme le sont les familiers et le clergé local, le bien général serait déficient et de vraies catastrophes pourraient s'en suivre. L'histoire donne des exemples.

Dans les temps actuels, ces vérités d'ordre théologique, constitutionnel et pratique revêtent un caractère d'urgence et de gravité.

Dans les pays de civilisation méditerranéenne de l'Ancien Empire Romain d'Orient et d'Occident, *et*[4] dans les pays qui en sont issus, les choses pourraient continuer à aller pour un temps indéterminé, si l'on se contente d'accorder de grandes compétences aux Conférences épiscopales qui, somme toute, sont une forme moderne des Patriarchats

historiques. Mais, dans les pays de grandes agglomérations humaines, comme dans la Chine et dans les Indes, pays de grandes et antiques civilisations et qui n'ont rien de commun avec la civilisation méditerranéenne, il faut quelque chose de plus et qui doit être trouvé avec l'aide de la chrétienté elle-même. La même chose doit être dite par rapport aux Eglises africaines *au dynamisme si riche.*[5] Il y a là un grand travail de fond à faire pour que ces Eglises se sentent chez elles par rapport à la langue, à la mentalité, aux us et aux coutumes. Il faut qu'elles sentent que le Christianisme n'est pas étranger pour elles, qu'il pourrait être l'âme de leur âme. Ces peuples devraient encore jouir d'une autonomie intérieure plus grande que celle des pays méditerranéens, en conservant, par le sommet, le lien nécessaire avec le Siège de Pierre. Il ne faut leur imposer que ce qui est essentiel à la constitution de l'Eglise, comme l'a décidé jadis le Premier Concile de Jérusalem par rapport aux gentils. Après tant de travail, de dévouement, de dépenses et de sacrifices très méritoires, peut-on dire que le christianisme a empoigné ces pays par le cœur? Il faut cependant y arriver.

C'est au nouveau Sacré Collège à élucider ces grands problèmes et à leur donner avec la prière, l'étude, le temps et la prudence nécessaire la solution qu'ils comportent. Les membres du Sacré Collège venant de toutes les parties du monde et ayant aussi une mentalité œcuménique, seront plus à même de venir à bout de ce travail pour doter l'Eglise d'un organisme capable de bien diriger tous les peuples dans l'Unité Catholique.

Si le Saint-Esprit, par l'intermédiaire du Pape Jean XXIII, de sainte mémoire, a suggéré de tenir ce Concile pour l'ouverture et le dialogue de l'Eglise avec le monde entier, et si ensuite, après son décès, il a suggéré de choisir notre Saint Père Paul VI pour continuer et organiser cette œuvre divine, c'est qu'il est toujours dans son Eglise pour le guider et la vivifier. « Envoie ton Esprit et il renouvellera la face de la terre ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] parmi. [2] deest. [3] deest. [4] ou. [5] deest.

Translatio in linguam latinam:

Venerabiles Patres,

Cap. I huius schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* non praevidet, circa Romanum Pontificem et illum adiuvandum in primatiali suo ministerio erga universam Ecclesiam, nisi Congregationes, tribunalia et officia, quorum complexus constituit sic dictam « Curiam Romanam ». Verum est quod, sub n. 5, textus noster proponit aliquam timidam parvam reformationem, cum loquitur de possibi-

litate adnumerandi episcopos ex toto orbe inter membra vel consultores dicasteriorum Curiae Romanae.

Verum tamen, ni fallor, huiusmodi limitatio collaborationis episcopatus catholici in gubernium centrale totius Ecclesiae ad solam Curiam Romanam non videtur respondere nec veris necessitatibus Ecclesiae nostri temporis, nec collegiali responsabilitati omnium episcoporum circa Ecclesiam.

Propterea, liceat mihi proponere solutionem novam, quae videtur magis respondere necessitatibus nostri temporis simul ac sanis principiis theologicis.

Petrus cum apostolis: hic est Romanus Pontifex cum corpore episcopali. Summus Pontifex est praeterea episcopus dioecesis romanae, primatus Italiae atque patriarcha occidentis. Sed huiusmodi tituli, etsi reales, secundarii sunt relate ad primatum suum universalem.

Inde sequitur quod cum Romanus Pontifex regit universam Ecclesiam, sibi tunc adiungit, ut suae fiat particeps responsabilitatis, collegium episcoporum, non autem presbyteros, diaconos vel ceteros clericos Romanae dioecesis. Curia propria dioecesis Romanae non debet se substituere collegio apostolorum qui adhuc vivi manent in episcopis, eorumdem successoribus. Opus erit huius sacrosanctae synodi necessarias statuere normas ut ad rem deducatur haec veritas quae a saeculari praxi contraria ita obnubilata ut plures, etiam inter nos, statum vigentem rerum normalem invenerunt, licet normalis omnino non videtur. Alia enim est Curia episcopi Romani, aliud collegium apostolicum quod Petri successorem circumdat. Stante Curia actuali Summi Pontificis, illi qui sunt extra Ecclesiam catholicam, necnon plures qui sunt intus, facile non vident oecumenicitatem Ecclesiae, sed potius particularismum alicuius Ecclesiae peculiaris, cui homines, tempora atque fausta adiuncta magnam addiderunt humanam atque temporalem praestantiam, vigorem et divitias. Ipsa nominatio cardinalium ad determinatas peculiares Ecclesias urbis Romae clare demonstrat quod cardinales pertinent ad particularem Ecclesiam Romanam, non ad universalem Christi Ecclesiam.

Iamvero patet omnes episcopos orbis terrarum non posse continuo in statu concilii remanere. Competit ergo alicui restricto episcoporum coetui illorum personam gerere atque munus sumere adiuvandi Summum Pontificem in generali regimine Ecclesiae. Ille coetus constituet verum *Sacrum Collegium* universae Ecclesiae, quod complectitur praecipuos Ecclesiae episcopos, scil. imprimis patriarchas residentiales atque apostolicos, prouti eos agnoverunt concilia oecumenica priorum saeculorum; deinde archiepiscopos-cardinales, non titulo alicuius paroeciae romanae, sed ipsorum ecclesiae cathedralis; denique nonnullos episcopos in conferentiis episcopalibus suae regionis electos; quae ultima suggestio acriori studio iam subiici debebit. Huiusmodi sacrum et universale collegium a Romano Pontifice convocari poterit certis temporibus fixis, necnon toties illum utile videtur ad discutienda generalia Ecclesiae negotia.

Haec autem, ut plane patet, non sufficit. Oportet enim ut continuo habeatur Romae illa quam Ecclesia orientalis vocat « Synodos endimousa », quae nempe amplectitur aliqua membra huius sacri apostolici et universalis collegii quae sibi ordinate succedunt ut eorundem capiti, Summo Pontifici, semper praesto sint. Summus autem Pontifex, iure suo primatiali, omnibus negotiis ultimam decisionem per se sumet. Hoc erit Supremum Ecclesiae Consilium, tum decisivum tum executivum, pro universa Ecclesia. Omnia officia romana illi subduntur. Quod Supremum Consilium certe habebit suam peculiarem agendi rationem, nempe con-

stitutionem suam. Ipsum Christum annuntiabit per totum orbem terrarum, speciali autem modo per orbem infidelium. Amplius non erit restrictum ad centrum aliquod obclusum, nec amplius cogitabit de omni re sibi reservanda, de omni re disponenda, de omni re regenda, modo uniformi et aliquoties etiam rigido. Mox intelliget problemata populorum componi debere ab iisdem populis vel cum ipsis, nunquam autem sine ipsis.

Recapitulando dicimus Summum Pontificem, non magis quam quisvis alius in hoc mundo, non posse regere cum suis tantum familiaribus institutionem tam magnam quam Ecclesia universalis, in qua ponitur bonum totius religionis christianae in orbe terrarum.

Solutio autem quam proponimus conformis est S. Evangelio. Si enim Ecclesia speciali modo concredita est Petro eiusque successoribus, hoc non impedit quominus concredita quoque fuisset apostolis eorumque successoribus. Si autem huiusmodi gubernium relinquitur personis non constitutionalibus, uti sunt familiares et clerus localis, bonum generale in discrimen vertitur et verae catastrophae inde sequuntur, quarum historia plurima praebet exempla.

Tempore nostro, huiusmodi veritates indolis theologicae, constitutionalis et practicae, characterem secumferunt urgentiae et gravitatis.

In regionibus ubi viguit cultura mediterranea veteris Imperii Romani, sive orientalis sive occidentalis, vel in regionibus ab illo derivatis, res possunt prosequi adhuc uti sunt usque ad tempus indefinitum, dummodo magna concedatur competentia conferentiis episcopalibus quae tandem aliud non sunt nisi forma hodierna patriarchatuum historicorum. Sed, in regionibus ubi immanes inveniuntur agglomerationes humanae, uti China vel India, in quibus magna et antiqua perdurat cultura quae nihil communis habet cum cultura mediterranea, veteres institutiones nostrae amplius non sufficiunt. Aliquod novi debet inveniri ope ipsius christianitatis. Idem dicatur de Ecclesiis africanis. Magnum et fundamentale opus ibi fieri debet ut illae Ecclesiae se sentiant in domo sua relate ad linguam, ad mentalitatem, ad usus et consuetudines. Sentire quoque debent quod christianismus nedum sit ab illis extraneus, considerari e contra debet uti anima ipsarum animae. Illi populi pollere debent maiori autonomia interna quam illa qua fruuntur regiones mediterraneae, servato, per summum caput, necessario legamine cum Sede Apostolica Petri. Illis autem imponendum non est nisi quod indispensabile sit in constitutione Ecclesiae, uti iam decrevit primum Concilium Hierosolymitanum relate ad conversos ex gentilitate. Post tot labores, talem devotionem, tot expensas et meritoria sacrificia, possitne dici quod christianismus illorum populorum ipsum cor sibi attraxit? Haec autem erat finis consequenda!

Pertinet novo Sacro Collegio elucidare maiora illa problemata eisque dare, per orationem, studia, tempora atque necessariam prudentiam, solutionem quam exigunt. Membra Sacri Collegii, cum ex omnibus regionibus terrae venirent et mentalitatem vere oecumenicam haberent, facilius poterunt dare Ecclesiae organismum convenientem ut omnes populi recte regantur in unitate catholica.

Si Spiritus Sanctus, mediante sanctae memoriae Papa Ioanne XXIII, inspiravit convocationem huius Concilii ut Ecclesia se aperiat et dialogum resumat relate ad universum mundum, si postea idem Spiritus Sanctus inspiravit S. P. Paulo VI ut prosequatur et in formam organicam redigat hoc divinum opus, hoc demonstrat eum semper esse in Ecclesia sua, ut illam dirigat et vivificet. « Emitte Spiritum tuum... et renovabit faciem terrae ».

Secretarius generalis: Communico Patribus exitum suffragationis factae:

Praesentes votantes	2.100
Dixerunt *placet*	1.610
non placet	477
placet iuxta modum (ergo nulla) . . .	2
Vota nulla	11

Ergo disceptatio iuxta *Ordinem Concilii* prosequetur.

Moderator: Congregatio proxima: cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE IN GENERE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de episcopis ac de dioecesium regimine in genere *

1

Em.mus P. D. CLEMENS card. MICARA

Episcopus suburbicarius Veliternus

Post discussionem capitis secundi schematis *de Ecclesia,* et post votationem de quinque quaesitis moderatorum tot modis interpretatam, necessarium esse videtur ut Concilium quam primum clare et distincte doctrinam Ecclesiae exprimat de problemate, utrum et quo modo potestas suprema in Ecclesia collata sit collegio episcoporum. Cum enim quaestio ista iam incepit agitare mentes, si ipsa Ecclesia non docet id quod tenendum est, periculum est, ne omnibus erroribus diffundendis via aperta relinquatur, sub praetextu hac in re Ecclesiam docentem noluisse positionem sumere.

1. Pars prior quaestionis tertiae ita intelligi posset (et a quibusdam intellectum est), ac si eligendum esset inter has affirmationes: vel admittitur collegium episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedere collegio apostolorum ut subiectum potestatis supremae in Ecclesia, vel affirmatur episcopos tantum de bono propriae dioeceseos curare debere, sine respectu ad bonum universae Ecclesiae.

E contra, datur tertium: etenim, potest quis negare collegium episcoporum esse subiectum potestatis supremae, et tamen affirmare, episcopos debere curare bonum universale totius Ecclesiae; quisque enim episcopus ita debet propriam Ecclesiam gubernare ut bonum partiale bono universali cedat.

2. Multi etiam theologi et iuris canonici cultores (etiam inter eos qui interventiones in aula conciliari audierunt) putant, si negetur supremam potestatem in collegio episcoporum adesse, dicendum esse episcopos potestate propria et ordinaria carere et tantum potestate a Summo Pontifice delegata frui. Ideo, ut omnis aequivocatio eliminetur, Concilium declarare posse id quod iam in Concilio Vaticano I (Denz. 1828) secundum declarationem episcoporum Germaniae a Pio IX approbatam (*Acta Pii IX,* 1, VII, 29) explicatur, scil. collegium episcoporum in universa Ecclesia suprema potestate pollere eo sensu, quod singula membra collegii episcopalis, tum in orbe di-

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt.

spersa, potestate propria et ordinaria sub Romano Pontifice gubernant singulas Ecclesias sibi assignatas, tum, in Concilio Oecumenico adunata, una cum Romano Pontifice et sub Romano Pontifice, suprema potestate in universa Ecclesia pollent.

3. Doctrina in tertia et in quarta quaestione insinuata, secundum quam potestas suprema in Ecclesia iure divino collegio episcoporum competit, variis modis intelligi potest: vel ita quod suprema potestas est in Pontifice Romano et ab eo derivatur in collegium episcoporum; vel ita quod sint in Ecclesia duo subiecta supremae potestatis inadaequate distincta, scil. Summus Pontifex et collegium episcoporum sub Summo Pontifice; vel secundum sententiam nuper propositam, ita quod sit unum subiectum supremae potestatis, collegium episcoporum cuius caput et organum est Summus Pontifex.

Evitandum est, ne responsio Patrum conciliarium ita explicetur, ac si tertia ista sententia esset auctoritative declarata. Concilium enim non potest imponere fidelibus ad credendum opinionem theologicam quae in fontibus revelationis fundamentum non habet, neque cum veritatibus revelatis necessario coniungitur.

4. Plures scriptores ephemeridum etiam theologicarum iam ex affirmatione, potestatem supremam collegio episcoporum competere (quam affirmationem a Concilio in sensu tertiae sententiae declaratam esse putant), deducunt conclusionem, exercitium actuale huius potestatis fieri debere organo quodam a Romano Pontifice distincto.

Huic errori favet id, quod scribitur in Annotationibus quaesitis moderatorum adiunctis sub littera *b*), in quibus dicitur exercitium actuale potestatis collegialis habendum esse « invitante aut saltem libere recipiente Romano Pontifice » et sub littera *c*), in quibus affirmatur modum practicum et concretum, quo duplex forma supremae potestatis in Ecclesia exercetur, ad ulteriorem determinationem theologicam et iuridicam pertinere, et speratur a Spiritu Sancto ut harmoniam creet inter utramque formam exercitii supremae potestatis.

Nemo negat Romanum Pontificem posse invitare episcopos (sive in Concilio, sive extra Concilium) ut ad bonum Ecclesiae universalis agant, aut episcopos posse, Romano Pontifice libere acceptante, ad pascendum gregem dominicum concurrere.

Sed, etiam supponendo opinionem tertiam supra commemoratam (i. e. collegium episcoporum sub Romano Pontifice constitutum esse subiectum supremae potestatis in Ecclesia), nequaquam sequitur requiri organum quoddam speciale collegii episcoporum, a Romano Pontifice distinctum (ut e. g. commissionem quandam permanentem episcoporum), quod efficiat ut Romanus Pontifex in gubernanda Ecclesia collegialiter agat.

Etenim, ipsi defensores collegialitatis in sensu tertiae sententiae supra expositae, dicunt Romanum Pontificem ex voluntate Christi esse caput et organum ipsius collegii episcoporum, per quod collegium episcoporum suam potestatem exercet.

Cavendum est ergo, ne ex eventuali acceptatione conciliari tertiae sententiae deducantur consectaria quaedam practica, quae liberum exercitium primatus Romani Pontificis limitent, contra voluntatem Christi qui totum gregem suum Romano Pontifici pascendum tradidit.

5. Periculum diffusionis errorum in hac materia augetur eo quod iam interventus dicasteriorum, quibus Romanus Pontifex suam auctoritatem exercere solet, a multis valore carere affirmantur; dicitur enim potestatem docendi competere collegio episcoporum, collegium vero episcoporum (ut patet ex iis quae in Concilio dicta sunt) non approbare modum agendi dicasteriorum romanorum, speciali modo S. Officii. Hinc, si Concilium non vult, cum summo discrimine animarum, viam aperire ut errores in Ecclesia spargantur, providere debet, ne organa primatus post Concilium (immo propter Concilium), in propriis functionibus impendiantur.

6. Ut exemplum horum errorum adducimus quod in ephemeride quadam theologica ante paucas hebdomadas cum approbatione ecclesiastica scriptum est.

Verba Concilii Vaticani I, « Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles sunt » (Denz. 1839), ita explicantur: definitiones Romani Pontificis sunt irreformabiles « ex sese », i. e., collegio episcoporum non interrogato, dummodo de facto collegium episcoporum consentiat; sed, Romanus Pontifex non potest definire, quod collegium episcoporum iam prius non credidit, quia tunc non agit ut caput collegii, sed a collegio se separat.

Talis interpretatio certe est contra intentionem et sensum Vaticani I. Cavendum est ergo, ne approbatio quaesitorum de collegialitate supremae potestatis ita intelligatur, ac si tales errores a Concilio virtualiter acceptentur.

2

Exc.mus P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI
Episcopus Manziniensis

Quibus causis optandum sit ut episcopi e religiosis Ordinibus iisdem vestibus ac episcopi e clero saeculari utantur.

1. Quod, ut episcopi, Ecclesiam repraesentant, non Ordinem religiosum.

2. Quod saepe vulgus quaerit utrum regulares episcopi superiores an inferiores sint episcopis saecularibus.

3. Protestantes, in locis Missionum, argumentum etiam ex hac differentia vestium sumentes, dicunt episcopos regulares non esse revera episcopos, sed vices tantummodo gerere episcoporum.

4. Ipsi religiosorum episcoporum propinqui eosdem minus potestatis habere reputant quam alios episcopos.

5. Ex disceptationibus Concilii Oecumenici Vaticani II quaedam huius disparitatis reprehensio deducta est. Iustum enim videtur atque plurimum

decet eos qui pari eademque potestate iure consecrationis pollent, iisdem quoque exterioribus signis ornatos appareant.

6. Quod haec differentia, si quando opportuna exstitit, in praesentibus tamen rerum adiunctis omnino superflua videtur.

7. Apud unum de Dicasteriis in Romana Curia, quidam episcopus regularis, qui eo advenerat ut negotiis loqueretur suae dioecesis, salutatus est hisce verbis: « Sedeas hic, reverende Pater! ».

8. S. Congregatio de Propaganda Fide saepe episcopis religiosis facultatem facit easdem vestes gerendi, in territorio propriae dioecesis, quibus alii episcopi utuntur. Qua igitur ratione duos vestitus emere debent: pro sua dioecesi atque pro aliis regionibus; immo Romae, ubi unitas in omnibus refulgeat oportet.

9. Inde ab anno 1920, Benedictus Pp. XV, Motu Proprio, facultatem fecit episcopis e religiosis Ordinibus induendi rochetum, ad minuendam inter episcopos hanc vestium disparitatem (cf. *A.A.S.,* 12, 1920, p. 149).

10. Ceterum, adsunt iam in Ecclesia episcopi e Congregationibus religiosis assumpti qui vestibus pari eodemque modo utuntur ac saeculares episcopi.

3

EXC.MUS P. D. IACOBUS P. CARROLL

Episcopus tit. Ateniensis, aux. Sydneyensis

Animadversio I. Par. 23 et 24 deleantur. In par. 22 verbis adhuc fortioribus onus episcoporum ad unitatem actionis servandae in materiis maioris momenti urgeatur — e. g., post verba « *deducantur* », addantur: « nec sine causa sat magna, bene perpendenda, ob peculiaria adiuncta reiiciantur ».

Etenim virtus moralis, ut dicitur, potius quam vis iuridica conferentiae nationalis sive regionalis episcoporum valet eo fine ut singuli episcopi in effectum libenter deducant decisiones a maiore parte conferentiae prolatas, saltem cum res sit maioris momenti et unitas actionis ad bonum commune revera multum confert.

Sic retenta libertate exercendi potestatem episcopalem ordinariam in propriis dioecesibus gubernandis, sed et onere imposito episcopis ex ipsis verbis Concilii Oecumenici ut unitatem actionis in toto territorio foveat, sperari licet ut episcopi tum conferentiae ipsi multum conferant tum ut decisiones conferentiae uti proprias habeant.

Praeterea si vis iuridica conferentiae episcopali competat, etiam in casibus taxative enumeratis, sicuti in paragrapho 24, 1, *a, b, c, d,* aliae difficultates exoriundae praevidentur, sive ex diversitate omnimoda dioecesium (e. g., inter magnam civitatem et locum missionis eadem in natione), sive ex inaequalitate suffragiorum quae ab Ordinariis huiusmodi dioecesium proferuntur, quae vero aeque valeant ad maiorem partem aestimandam.

Tandem, propter conditionem appositam in par. 24, 1, « Decisiones... ab

Apostolica Sede recognitae fuerint », facile evenire poterit lapsus temporis, cum ipsa decisio statim deberet in effectum deduci. E contra, talis decisio conferentiae, cui moralis vis dumtaxat competat, generaliter ab omnibus et singulis episcopis sine mora deduci solet.

Animadversio II. Par. 21: loco « constituatur » dicatur « constitui potest », « vel suadendum ut constituatur ». Etenim secretariatus generalis facile crescere poterit, ita ut curia nationalis haberetur; cuius effectus esse posset ut auctoritas singulorum episcoporum reduci posset.

Praeterea, ut iam in emendatione quadam sapienter dictum fuit, aliter ac in Curia Romana, curiae nationali caput personale deesset; nec copia peritorum ad curiam nationalem constituendam pluribus in nationibus adesset.

Alia ex parte, secretarius e gremio episcoporum electus plurimum efficere valet ad notitias episcopis communicandas, et cetera. Insuper commissiones episcoporum pro materiis peculiaribus multoties vere efficaces sunt, dum, si necessitas quaedam exigat, liceat conferentiae dicasteria quaedam erigere ad nutum conferentiae.

Animadversio III. Par. 19, 1: post verba « episcopi coadiutores », addantur « et auxiliares ». Etenim episcopi auxiliares revera episcopi titulares sunt, non residentiales; attamen operam pastoralem alicuius dioecesis exercent, sub auctoritate equidem episcopi residentialis.

Insuper iam provisum est in schemate (par. 20, 2) ut episcopus titularis, sicut et residentialis, cooptari possit illis commissionibus quae a conferentia peculiaribus rebus praeficiuntur. Iamvero decet ut episcopus qui partes activas in quadam commissione episcopali habeat, suffragium deliberativum ferat in ipsa conferentia episcoporum.

Tandem, ut iam in aula Concilii dictum fuit, cum episcopi auxiliares ad Concilium Vaticanum II admittantur, equidem cum voto deliberativo, decet ut ad conferentiam episcoporum eodem modo admittantur.

Res fortasse melius hoc in sensu efficitur si potestas iuridica conferentiae non tribuatur.

Animadversio IV. Par. 18, 1: omittantur verba « decimo saltem quoque anno ». Etenim, dum maior pars ipsi conferentiae territoriali tribuitur, non videtur opportunum ut concilium provinciale celebretur iam saepius quam iure communi requiritur (C.I.C., can. 283).

Animadversio V. Par. 3: ad potestatem episcopalem clarius definiendam, necnon ad exercitium vitae pastoralis in bonum animarum facilius ac certius reddendam, recenseantur, quantum fieri possit, causae ad Sedem Apostolicam reservatae potius quam facultates ab episcopis exercendae.

[*Consenserunt*:] card. Gilroy Norman T., Sydney; Beovich Matthew, Adelaide; Cahill Thomas, Cairns; Doody Edward, Armidale; Farrelly Patrick, Lismore; Gallagher Bryan, Port Pirie; Goody Launcelot, Bunbury; Henschke Francis, Wagga Wagga; McCabe Thomas, Wollongorg; O'Brien Eris, Canberra Goulburn; O'Loughlin John, Darwin; Prendiville Redmond, Perth; Rush Francis, Rockhampton; Thomas Francis, Geraldton; Toohey John,

Maitland; Young Guilford, Hobart; Carroll James, Atenia; Cullinane John, Flumenzer; Muldoon Thomas, Fessei; O'Donnel Patrick, Pelusio; Prasko Ivan, Zigri; Joyce Edward, Christchurch; Kavanagh John, Dunedin; Delargey Reginald, Irina; Snedden Owen, Acheloo; Crawford John, Caffa; Lemay Leo, Agbia; Stuyvenberg Daniel, Dionisiade; Arkfeld Leo, Buccello; Copas Virgil, Bennefa; Dogget Ignatius, Mundinizza; Stemper Alfred, Eleuteropoli di Pal.; Deschamps Gérard, PA Daru; Pearce George, VT Attalea di Pamfilia.

4

EXC.MUS P. D. GERARDUS M. CODERRE

Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Loquor nomine plurimorum episcoporum canadensium.

1. De hoc schemate nobis dicendum videtur quod a defectu magno expurgari debet. Nam, cum, post magnum et praeclarissimum schema *de Ecclesia,* ubi clare expositum fuit totum collegium episcopale in sua unitate et indivisibilitate munus regendi universam Ecclesiam habere, hoc schema modo concreto de Ecclesiae regimine loqui sibi proponit, nihil, de ista et illustrissima Ecclesiae parte, quam orientalem vocamus, dicit.

2. Sic non solum permanet, sed amplius roboratur illa tendentia quae usque adhuc — proh dolor etiam in hoc Concilio — apparuit, scil. quod problemata considerentur solummodo ex parte Ecclesiae latinae. Nam, si de episcopatu tractando, qui dicitur esse et reapse est fautor unitatis Ecclesiae, nullo modo consideramus formam propriam, secundum quam episcopi orientales vere et authentice munus illud in ditione sua adimplent, videmur affirmare ecclesias orientales non vere et modo normali in Ecclesia universali locum suum habere. Hoc modo Ecclesiae orientales apparent ut aliquid extraordinarium, ut appendix quaedam, ex caritate ab Ecclesia latina admissa, vel exceptio aliqua, *dum e contrario,* Ecclesiae orientales in ipso corde Ecclesiae sistunt.

3. Ergo nobis videtur necessarium ut schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* non tantum per allusiones aliquas de Ecclesiis orientalibus loquatur, sed problemata illarum ecclesiarum quantum ad munus episcopale et regimen essentiale Ecclesiae attinet, in eodem momento et aequo pondere ac Ecclesiae latinae intersunt, ponat.

Hoc certe supponit novam expositionem totius schematis, ubi explicite pertractanda sunt:

1. Munus pastorale episcoporum prout a consecratione episcopali provenit, quod nunc in schemate *de cura animarum* consideratur.

2. In hac connexione bene, clare et adaequate monstretur quae sit authentica natura patriarchatus.

3. Quando fit quaestio de relationibus inter sic dictas conferentias episcopales et S. Sedem expositio clara fiat de peculiari modo quo hoc fieri

debet, consideratis scil. traditionibus illarum Ecclesiarum orientalium et praesertim facto maximi momenti, quod omnia quae in patriarchatibus apostolicis inveniuntur ad ipsum Ecclesiae mysterium pertinent.

[*Subsignaverunt etiam*:] Mauritius Beaudoux, René Audet, Aimé Decosse, Remy De Roo, Paul-Emile Charbonneau, J. M. Fortier, Emilien Frenette, John Lewis Jobidon, Camille Leblanc, Albert Leménager, Laurent Morin, William Power, Gustave Prévost, Marius Paré, Laurent Noel, Gérard Deschamp.

5

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Schema propositum apprime laudandum est ob ingentem laborem a commissionibus patratum et ob difficultates quibus intra scopulos navigare coactum est. Animadversiones quaedam proponuntur et exponuntur.

1. In prooemio. Verba prooemii, quae fere ex abrupto de difficultatibus missionis episcopalis agunt, minus apta ad rem reputantur. Melius erat ipsum prooemium inchoare cum aliquibus verbis S. Scripturae; textus non pauci adsunt.

Nec placet in linn. 7-12 illico de vindicatione potestatis loqui, dum et missio apostolica et pastoralis episcoporum immediate vel saltem concomitanter poterat in luce poni.

2. Item quae in cap. I, sect. II, n. 4, ubi sermo est de praxi Sacrarum Congregationum relate ad episcopos quae veluti « principium fundamentale » ponuntur, videtur alia forma exprimenda esse, ita ut e. g. tota phrasis a particula *cum* ... in exercenda, etc. regatur. Etenim agitur non de principio, sed de facto, et quidem contingenti, ex eo quod Romanus Pontifex potest alio modo, aliisque formis, suam exercere potestatem in Ecclesia. Immo ipse S.S. dominus Paulus VI, fel. regn., saltem quasdam innovationes faciendas in Dicasteriis Romanae Curiae praenuntiavit.

Pariter quae in eodem capite, sub n. 5 inveniuntur, de nonnullis scil. episcopis diversarum nationum cooptandis ceu consultoribus Romanae Curiae, substantialiter et probanda et laudanda videntur. Attamen res forsan alia forma enuntiari expediret ne videatur impositio dari Summo Pontifici. Ideo, e. g. dici posset: « Valde optabile et ad apostolatus incrementum perutile reputatur, quod nonnulli episcopi, etc. ».

3. Probanda et laudanda pariter videntur quae dicuntur in n. 12 de relationibus inter episcopum dioecesanum et auxiliares ipsius vel coadiutores, ita ut, servata episcopo adiuto plena libertate dioecesim dirigendi, aliqua munia in dioecesi, vel saltem in parte, auxiliari episcopo vel coadiutori revera demandentur.

In argumento de renuntiatione ob aegritudinem vel senectutem maxime attendatur ad ea quae in n. 16, § 2 innuuntur, scil. episcopo, renuntianti

regimini suae dioecesis, aliquod officium, si optat, libenter concedatur, ne a iugi operositate statim ad completam inactionem seu inertiam damnetur. Id enim depressionem animi non raro gignit.

4. His in particulari adnotatis, animadversiones ordinis generalis faciendas censemus, quae suum momentum habent sive ex ipsa materia seu argumento de quo agimus, sive ex propositionibus quas iam in aula audivimus.

Apprime convenimus cum pluribus Patribus, quod modo magis organico et colligato schema esset disponendum. Sed quaestio maximi momenti animum pulsat scilicet: quomodo potest ad examen revocari schema de episcopis et de eorum auctoritate, cum multae propositiones, ne dicam omnes, pendeant a constitutione *de Ecclesia* et praesertim a doctrina de collegialitate episcoporum? Nec ad hoc sufficit concordia fere omnium *in aliqua* collegialitate admittenda. Oportet: prius et ambitum et limites ipsius collegialitatis, non generice, sed in individuo definire, secus maior pars eorum quae dicuntur, et ea quae ceu emendationes proponuntur, super mobilem arenam fundata esse viderentur. Etenim si ambitus potestatis episcopalis collegialis definitus non est — non agitur enim de re disciplinari vel administrativa, sed theologica — quomodo possunt tam multa asseri *iure divino* episcopis competere vel tribuenda esse?

Res facilis evadit utique quando agitur de potestate Ordinis, immo forsan et de potestate magisterii, at quis non videt difficultates quando plurima determinanda sunt quae ad ampliorem iurisdictionem spectant?

An forsan remittenda erit huius schematis consideratio et examen postquam ea quae in constitutione seu schemate *de Ecclesia* sint clare et definitive proposita et approbata? Secus ad quid inquisitio quae ad finem deduci nequit?

5. Ultimo notare audeo, humili meo iudicio, in materia quae a nostro schemate tractatur quaedam contradictoria inveniri.

Nam in textu schematis et in doctis Patrum interventionibus sermo est de plena et ordinaria potestate episcopi in sua dioecesi quae potestas iure divino exercetur, etc. et episcopalia munera ut plurimum ex ipsa sacramentalitate episcopatus rite derivantur. Insuper schema et Patrum interventiones eo tendunt ut maior libertas in agendis, episcopis reservetur, praesertim in re pastorali.

Ex adverso tamen nostrum schema proponit facultates quasdam iurisdictionis tradendas conferentiis episcopalibus nationalibus, ita ut quilibet episcopus stare teneatur decisionibus datis, ita etiam recursus ad S. Sedem sit tantum in devolutivo.

Nonne hoc modo coarctatur episcoporum libertas et auctoritas quae iure divino affirmatur eisdem competere ex ipsa sacramentalitate episcopatus? Si delimitatio provenit a conferentiis nationalibus et non a Sede Apostolica, quaenam est differentia in praxi?

Ceterum quando agitur de decretis vel dispositionibus Dicasteriorum S. Sedis scimus ea vim habere ex suprema auctoritate Vicarii Christi, qui, iure

divino, supremam et independentem et ordinariam et immediatam potestatem in singulos fideles et episcopos habet, et hoc quidem de fide divina et catholica. Non videtur qua ratione conferentiae episcopales supra episcopos potestatem exercere possint. Utique hoc erit de iure condendo, at ius humanum nequit divinam auctoritatem episcoporum laedere. Quando leges ad animarum bonum pro regione vel natione sunt ferendae concilia provincialia et nationalia praesto erunt; ne ergo multiplicentur entia sine necessitate. Conferentiae episcoporum auctoritatem moralem utique habeant; hoc valde expedit, non vero iurisdictione gaudeant. Evidenter omnes episcopi zelo suorum gregum moti, multi facient commendationes conferentiarum regionalium et nationalium etiam ad uniformitatem in eadem regione vel natione habenda, quod ad fructus uberiores habendos perutile immo necessarium existimatur.

Insuper schema commendet saltem ut conferentiae episcopales nationales, cum nomine totius episcopatus illius nationis loqui ad fideles desiderant, qualiscumque sit numerus membrorum earumdem conferentiarum, semper modo idoneo exquirere debeant iudicium et mentem omnium et singulorum episcoporum ne aliqua oligarchia in Ecclesia exurgat.

6

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Ut audivimus, schema de quo nunc agitur, cum multo labore confectum est ab eis quibus eius cura fuerat demandata. Nemo est qui deneget hanc editionem schematis priorem longe superare. Si in eo adhuc multa desiderantur, praecipue ex eo provenit quod, cum textus componeretur, nondum constabat quae esset futura evolutio disceptationis circa schema *de Ecclesia.* Non poterant praesumi orientationes theologicae, spirituales et pastorales quae ultimis hebdomadis hac in aula patefactae sunt, et unde, ut ita dicam, hoc corpus iuridicum vivificari debebat.

Dolendum etiam est commissionem conciliarem de episcopis post primam sessionem non potuisse reunionem plenariam celebrare ut integrum schema ab ea recognosceretur. Rationes ob quas hoc evenit exc.mus relator exposuit. Et forse exstant adhuc aliae rationes cur in elaboratione schematis festinandum fuerit. Non est ergo mirum quod ut iacet schema multis non omnino placet.

Quibus dictis brevissime pauca puncta, quorum iam quaedam ab aliis tractata sunt, sublineare velim.

Primum punctum: *de titulo.* Propono ut fiat: « de episcopis et eorum regimine in Ecclesia ». Ob duplicem rationem hoc proponitur: 1. ob theologicam: corpus seu collegium episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedit, et quidem iure divino, collegio apostolorum, ut

nuper a Concilio est disceptatum; 2. ob rationem desumptam ex ipso schemate in quo non tantum de singulis dioecesibus sermo fit.

Secundum punctum: *de prooemio.* Ob rationes iam ab aliis allatas vinculum cum schemate *de Ecclesia* explicitius ponatur.

Tertium punctum: singula decreta quae haec Synodus latura est, Deo iuvante, in Ecclesia profundum influxum exercebunt. Puncta particularia, licet magni momenti sint, minus important quam id quod vocari potest « *imago totalis* » quae profertur.

Nos alloquitur Summus Pontifex ut « Venerabiles Fratres », quam salutationem etiam inter nos usurpamus. Ideo ex schemate apparere debet, ut et Ecclesiae et ipsis nobis inculcetur, imago episcopi qui est:

1. Frater minor Summi Pontificis cui adstat in sollicitudine omnium Ecclesiarum.

2. Frater aequalis et comes episcoporum totius mundi et speciatim eiusdem regionis.

3. Pater commissorum sibi fidelium et praesertim eorum qui cum ipso directe cooperantur in aedificationem Corporis Christi.

Quartum punctum: iuvat repetere quod alii iam dixerunt: Cum principium fundamentale ponitur, nempe in par. 3, clare asseratur episcopos, utpote, iuxta can. 334, ordinarios et immediatos pastores, habere omnes potestates ad munus exercendum ipso iure, non vero aliqua delegatione. Ideo non placent verba « facultates habeant ». Ex altera parte presse ponatur ius, immo et officium Summi Pontificis limitandi exercitium potestatis episcopalis ubi in bonum universalis Ecclesiae ei expedire videtur. Sed haec omnia positive ponantur, et in appendice enumerentur praecipuae applicationes utriusque potestatis.

Quintum punctum: Vos rogare volo, venerabiles Fratres, ut etiam iis, qui in schemate multa reprehendenda vident, placeat de illo in sequentibus hebdomadis discussionem fieri. Et quidem ob rationem quam vocabo psychologicam, seu potius ob fidelitatem spiritui.

Si enim de hac materia recte tractare volumus, fiat in eodem spiritu ac qui profuit disceptationi de Ecclesia. Ideoque valde prodest ut immediate cum hoc schemate coniungatur. Nam timendum est ne, si temporis intervallo sat longo seiungantur, genuinus spiritus qui discussionem vivificare debet, intepescat, aut saltem ne orientatio recta paulisper obnubiletur. Si sano modo rem tractare volumus, valde interest ut hoc vitetur.

7

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Animadversiones generales.

1. Ex simplici conspectu introductionis et indicis, apparet:

a) Quaedam contradictio inter propositum (salus animarum, lex suprema [!]) et schema: prior videtur pastoralis, altera est prorsus regiminis!

b) Pars pastoralis, vere pastoralis (magisterium et sacerdotale ministerium) non sufficienter illustratur et episcopi potius videntur « administratores » quam « pastores ».

c) Difficultates in regimine, si ita loqui mihi fas sit, hucusque oriebantur ex duplici capite: 1. ex Curia Romana; 2. ex Religiosis. De primo multum disseritur, sed de altero nullus sermo in schemate nostro!

2. Quando de orientali Ecclesia fit sermo, multoties verba apparent « privilegia » et similia (cf. prooemium, lin. 3).

Hoc mihi videtur non fovere unitatem, sed potius, ex distinctione frequenter repetita et hoc modo repetita, divisionem! Iam scriptum est: « L'Eglise serait-elle essentiellement latine et ouverte, par simple condescendance, aux Orientaux? » (Diocèse de Thèbes - A propos du Concile Œcuménique Vatican II, Deuxième session - Sohag (Haute-Egypte) R.A.U., 1963, pag. 5, n. 2, 1. *b*).

Unde proponerem fusionem schematis de orientali Ecclesia cum ceteris schematibus, ita v. g., vel melius:

a) quae de Ecclesia, in schemate de Ecclesia dicatur: « Les principales affirmations dogmatiques contenues dans le Décret de Eccl. Orient. qui traitent en fait de la structure de l'Eglise, doivent entrer dans la Constitution dogmatique de Ecclesia » (*Op. cit.*, pag. 5, n. 3). Nam Ecclesia est una: « Il faut donc reprendre la constitution dogmatique de Ecclesia dans un esprit œcuménique, *en tenant compte de ce que les Eglises orientales sont de l'Eglise au même titre que les Eglises latines* » (*Op. cit.*, pag. 6, n. 5);

b) quae de episcopis in tractatu de episcopis;

c) quae reduci possunt ad aliquod schema, ad illud reducantur.

Concludendo, verba referam ex opere citato (pag. 7, n. 1): « Dans ce cas, il devient inutile de parler de " droits et privilèges de l'Orient ": le droit commun et général doit être assez souple pour que chaque région ait légitimement ses coutumes et son droit. *De cette façon, l'Orient chrétien ne paraîtra pas comme un appendice toléré à un organisme essentiellement latin, mais comme un élément à part entière de l'Eglise universelle* ».

8

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Meo iudicio duae partes distinguendae essent, quamvis forsitan divisio non perfecte clara sit: 1. Decentralizatio et internationalizatio Curiae Romanae cum affirmatione, vigore et vindicatione potestatis episcoporum, amplificatione facultatum ipsorum, deminutione casuum in quibus adituri sint Dicasteria Romana et maiori participatione collegii episcopalis in regimine Ecclesiae universalis. 2. Normae, quae ad regimen dioeceseos referuntur, considerentur individualiter vel globatim attentis provinciis ecclesiasticis, regionibus, nationibus et etiam supernationibus.

Principia generalia quae enunciantur optima videntur, praxis, vero non est ita facilis. Fere omnes dispositiones ad episcopos residentiales referuntur.

Forsitan non nimis lucidus ordo in expositione apparet.

* * *

Schema, etsi ad disceptationem fundamentum bonum praebeat ideoque laudandum sit, tamen in aliquibus deficit, unde perficiendum est. Inter alia haec dicenda veniunt. Schema *deficit in fundamento theologico* praebendo, unde consequenter *sapit iuridicismo* in suis verbis et modo loquendi. Sic:

Ad n. 2: *prooemium*: dicit: « ... in partem R. Pontificis sollicitudinis assumpti ». Hic modus canonicus loquendi correspondet illi canonicae conceptioni secundum quam potestates a Papa recipiuntur ab episcopo, sicut et apparet in n. 3 ubi loquitur de « facultates... amplificentur ».

Modo loquendi theologico autem episcopus recipit potestates in et a consecratione episcopali, ut ipse Pp. Paulus VI in allocutione 20 sept. 1963 in consecratione episcoporum dixit, et ut in schemate *de Ecclesia,* cap. II, n. 14 sufficienter insinuatur et in n. 17 (*de Ecclesia,* pag. 28, linn. 16-37) expressius dicitur « de sollicitudine pro universa Ecclesia ex officio (proprio, i. e. ut membrum collegii) ».

Certe Papa potest aliquos episcopos « in partem *suae* sollicitudinis vocare vel assumere », unde expressio schematis sensu assertivo retineri potest; at non sensu exclusivo.

Unde redactio corrigenda est: « stabiliter *exerceant* », pro « habeant »; « et illi vicissim, *tum ut cooperatores vel coadiutores* in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti, *tum* utpote Apostolorum successores *seu membra collegii in proprio sollicitudinis officio pro universa Ecclesia perfungendo,* dignoscantur ».

Ad n. 3: (*Principium fundamentale*): ex iisdem rationibus de quibus supra, corrigatur: « omnes *exercere possint* facultates », pro « habeant »; « Quapropter facultates hucusque *Romano Pontifici reservatae,* tamen, inter alias, eae *episcopis tribuuntur* quae in Appendice ad caput recensentur ».

Postquam principium fundamentale sub n. 3 dictum fuit, *necessarium omnino videtur* ut tamquam principium theologicum *de episcopo in se* loquatur, de quo in schemate *de Ecclesia,* cap. II, n. 17 (pag. 28, linn. 5-37) actum fuit, ne totum schema *de episcopis* praeiudicetur et inaccuratius appareat. Quod ita, informationis causa, redigi posset: « Episcopi singuli *caput, principium et fundamentum et centrum* sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus, ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia universalis exsistit ».

« Qua de causa singuli episcopi suam Ecclesiam in Ecclesia universali, tum totam Ecclesiam in sua repraesentant ».

« Immo, episcopus, quoniam ut membrum collegii pro tota Ecclesia sollicitudine universali ex officio teneatur, omnem actuositatem suae Ecclesiae tum pro universali Ecclesia tum pro cura dilatandi Evangelium promovere debet ».

« Ad opus proprium suum adimplendum episcopus cooperatores habet presbyteros et diaconos omnes, sive saeculares sive religiosos, immo et laicos pro horum conditione sive religiosos sive non » (cf. *de Ecclesia,* n. 15 et n. 25).

Principio hoc statuto, pervenire potest in schemate de episcopis ad non paucas quaestiones de quibus schema omnino silet vel aliis in locis minus aptis loquitur, ut v. g.:

1. *De curia episcopali,* quae temporibus nostris et naturae episcopatus adaequata esse debet. In ipsa enim non solum munus episcopale regendi sed et *sanctificandi et docendi* exprimi debet per officia stabiliter statuta, et non tantum per delegatos vel Secretariatus.

Tamquam organon episcopi promovere debet et *unitatem,* omnes formas apostolatus coordinando, etiam religiosorum et laicorum, sub capite dioeceseos; et *sanctitatem,* omnes operas et motus promovendo (v. g. exercitia spiritualia, missiones...) et coordinando; et *catholicitatem,* sollicitudinem omnium Ecclesiarum et pro infidelibus fovendo; et *apostolatum* in omnibus suis formis ducendo et dirigendo et coordinando, etiam religiosorum.

Quod diversos delegatos generales pro unoquoque munere episcopali requirit.

2. *De cooperatoribus episcoporum*: in hoc schemate directe agendum etiam esset tum *de parochis* in se, de quibus in hoc schemate nihil dicitur, utique autem in schemate *de cura animarum,* sed sub aspectu pastorali; tum etiam *de religiosis,* de quibus eorumque relationibus cum episcopis in schemate *de cura animarum* tamquam in loco non proprio agitur, et quidem minus recte, praesertim cum loquitur de eorumdem apostolatus operis; cum locus proprius hic in hoc schemate esse debet, quia *episcopus* esse debet, et quidem ratione sua theologica, *principium a quo* desumi debent relationes religiosorum cum episcopo in omnibus quae *ad apostolatum* referuntur; *etsi* ea quae ad *vitam religiosam personalem* agendum esset *alio in loco.*

3. *De paroeciis et ecclesiis*: etiam in hoc schemate agendum esset non

tantum de circumscriptione limitum seu extensionis, ut hoc schema facit, sed et de paroeciis *in se,* et praesertim de earumdem sensu publico vel ecclesiali, ita ut vis sollicitudinis omnium ecclesiarum appareat etiam in paroeciis et ecclesiis publicis, statuendo saltem principium secundum quod unaquaeque ecclesia vel paroecia teneatur, vi etiam iuridica seu canonica; ad bonum tum totius dioeceseos tum Ecclesiae; ne dentur illa scandala secundum quae aliae in divitia aliae magna in paupertate sistant, vel aliae paroeciae erigi non possint ubi plures ecclesiae religiosorum sunt. Omnes ecclesiae sint in suo servitio Ecclesiae ita ut episcopus in bonum totius Ecclesiae suae et universalis illas ordinare valeat.

4. *Opera laicorum*: sive sint directae a presbyteris saecularibus, sive religiosis, sint directe sub episcopo, ne illa etiam scandala fidelium veniant, secundum quae pugna inter opera religiosorum et opera alia detur. Principium theologicum secundum quod episcopus *principium et centrum, caput et fundamentum* est unitatis et apostolatus, hic etiam vigore et sanctione canonica urgeatur. Quod dicitur in schemate *de cura animarum* sub hoc respectu, hic in hoc schemate tractandum est.

Haec valeant informationis causae dicta.

9

Exc.mus P. D. MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* quasi supplementum iuridicum constituit schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* Agit de quaestionibus quae magnum momentum habent pro pastorali activitate Ecclesiae quaeque omnes pro communi totius Ecclesiae utilitate a Patribus Concilii tractandae sunt. Quare schema tamquam fundamentum ulterioris discussionis admittendum videtur. *Forsitan ipsi etiam addendum est cap. II schematis decreti de clericis,* quod de distributione cleri agit ideoque quaestionem tangit, quae potius ad regimen dioecesanum et interdioecesanum pertinet.

Non omnia tamen in schemate nostro placent. Imprimis quaeritur, cur schema persaepe voce abstracta « Apostolica Sedes » utatur, loco vocis concretae « Summus Pontifex ». Solus enim Romanus Pontifex episcopis superior est. Curia autem Romana, ut utar verbis ipsius Summi Pontificis, est « organon immediatae adhaesionis et absolutae oboedientiae, quo Romanus Pontifex utitur ad explicandam suam universalem missionem », est « instrumentum, cuius Papae opus est et quo Papa utitur ad exercendum suum proprium divinum mandatum », est institutio cuius munus est « specifice administrativum, consultivum atque exsecutivum » (*L'Osservatore Romano,* CIII, n. 219). Si quae facultates episcopis competentes, iustis de causis, reservatae sunt, illae facultates ipsi Summo Pontifici reservantur. Si unum ex officiis Romanae Curiae est alicuius mentem diserte pandere, certe agi non potest nisi de mente

ipsius Summi Pontificis, capitis corporis collegii episcopalis, non autem de mente alicuius entitatis abstractae. Et similiter. *Loco expressionis abstractae « Apostolica Sedes » utamur proinde voce concreta « Summus Pontifex ».*

Quaeritur etiam, cur munus collegii episcopalis in regenda Ecclesia universali sub primatu iurisdictionali Summi Pontificis restringi videatur ad designationem episcoporum — a conferentiis nationalibus faciendam — qui in Ss. Congregationum consilio partes habituri sint. In prooemio cap. I dicitur quod episcopi « utpote apostolorum successores, in apostolico Ecclesiae universalis munere perfungendo in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti dignoscantur ». Quod principium melius in praxim deducendum est. Modus vero quo id fieri poterit, suggeritur nobis ab ipso Summo Pontifice. Ipse enim dixit: « Si concilium oecumenicum desiderium exprimit ut quidam delegati episcopatus, praesertim ex episcopis qui dioecesim aliquam regunt, aliquomodo et quoad aliquas quaestiones, iuxta doctrinam Ecclesiae et legem canonicam, Supremo Ecclesiae Capiti in studio et responsabilitate regiminis ecclesiastici adiungantur, certo certius Curia Romana huic desiderio non se opponet » (*L'Osservatore Romano,* CIII, n. 219). *Quare exoptatur ut Summo Pontifici praesto sit aliquod consilium episcoporum qui aliquomodo repraesentent conferentias episcopales nationales* vel internationales, vel saltem — ad modum unius — conferentias episcopales diversarum nationum, quae, pro locorum temporumve adiunctis, inter se viciniores relationes habent vel similibus condicionibus versantur. Desiderium hoc exprimatur in cap. I schematis. Ibique inter alia asseratur, si — approbante Summo Pontifice — Patribus Concilii id bonum videbitur, Consilium illud tali pollere auctoritate respectu Ss. Romanae Curiae Congregationum, ut cum praedictis congregationibus *de iis etiam tractare possit quae ad urgendum et in tuto ponendum bonum Ecclesiae per totum orbem dispersae pertinent.* A. v., consilium illud tali pollat auctoritate, qualis nunc — e mandato Summi Pontificis — competit commissioni de laboribus Concilii coordinandis respectu singularum commissionum conciliarium (cf. *L'Osservatore Romano,* CIII, n. 213). Adnotare enim iuvat episcopos illos, qui e qualibet mundi parte convenient, quamplurimum profuturos esse ad Summum Pontificem certiorem reddendum de singularum regionum statu sicque, consilio illo invigilante, Congregationes Curiae Romanae servitium suum Ordinariis locorum melius et efficacius praestabunt in negotiis spiritualibus et temporalibus suae cuiusque dioecesis gerendis. Tali quoque modo faciliores et expeditiores fient ordinariorum relationes cum Summo Pontifice, capite corporis episcopalis collegii.

Quaeritur deinde cur schema, quamvis maiores episcopis facultates tribuere intendat, ita tamen rem proponat — praesertim sub puncto tertio — ac si episcopi residentiales in dioecesium regimine non propria et ordinaria uterentur potestate, sed tantummodo facultatibus aliunde ipsis concessis fruerentur. Omnes autem scimus potestatem regendi episcopi divinitus constitutam et sacramentaliter collatam facultates illas comprehendere, quae ad regimen in Ecclesia, et in specie ad fructuosum regimen ecclesiae particularis

requiruntur. Ad hoc enim officium episcopale divinitus constitutum est — salvo utique ac semper tuto iure Summi Pontificis atque Conciliorum Oecumenicorum statuendi quaedam pro universa Ecclesia. Quare ita saltem mutetur formulatio puncti tertii, paragraphus prima: « Firma semper *Summi Pontificis* potestate causas sibi reservandi quas ipse, *propter bonum commune totius Ecclesiae,* pro locorum temporumve adiunctis, ad se avocare iudicaverit, singuli episcopi residentiales iure communi *illis facultatibus fruantur, quae vi potestatis regendi in Ecclesia divinitus constitutae et sacramentaliter collatae de se ipsis competunt. Facultates vero Summo Pontifici reservatae, inter alias, eae sunt quae in C.I.C. recognoscendo recensebuntur* ».

Ex hucusque dictis patet *caput primum schematis notabiliter immutandum esse, spiritu quidem et littera.* Quare merito quaeri potest utrum immutatio illa post discussionem cap. I in specie facienda sit, an discussionem illam, temporis oeconomiae causa, iam antecedere debeat, ratione habita observationum in discussione generali seu praeliminari prolatarum.

In schemate uti stat, praecipua novitas iuridica in cap. III de nationali episcoporum conferentia invenitur. Nullus dubitat institutum illud quam maxime utile esse, quamvis praecavendum sit periculum, ne decisiones conferentiarum — certis in casibus iuridice etiam singulos episcopos obligantes — obicem ponant exercitio propriae, ordinariae atque immediatae episcopi residentialis potestatis. Hac de re fusius loquendum erit, cum de cap. III in specie sermo fiet. Nunc sufficit, ut haec difficultas prae oculis habeatur, eo magis quod schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* nullum speciale caput continet de potestate iurisdictionis episcopi residentialis et quod idem prorsus problema exsurgere potest in casu cap. II.

Cap. II merito maiores et novas tribuit facultates episcopis auxiliaribus et praesertim coadiutoribus, quae facultates a Summo Pontifice adhuc augeri possunt. Sed hinc, pluribus Concilii Patribus videri poterit quod minuatur auctoritas et potestas episcopi, cui coadiutor vel auxiliaris constituitur, et quod per novam quasi coadiutoris figuram creeretur in dioecesi veluti quaedam regiminis dyarchia. Propterea, ne ius episcopi residentialis laedi videatur — animarum cum detrimento —, ne exercitium quoque eius officii difficilius appareat, praesertim tunc, cum unitas regiminis dioecesani aliquomodo debilior fieri videatur, *in introductione schematis affirmetur episcopum residentialem, tamquam unum dioecesis caput, plena cum responsabilitate, propria, ordinaria atque immediata cum potestate, regimen suum pastorale super portionem populi sibi commissi, sub Summi Pontificis auctoritate, iure divino exercere.*

Quapropter, in introductione schematis declaretur: 1. sub puncto schematis primo agi proprie de episcopis residentialibus, 2. qui plena cum responsabilitate dioecesim suam gubernant, 3. verumque sunt principium unitatis regiminis dioecesani.

Unde secundum et tertium alinea introductionis ita v. g. corrigendum videtur: « Episcopi ergo *residentiales,* cum peculiaribus praeficiantur eccle-

siis *et regimen suum pastorale plena cum responsabilitate super portionem gregis Domini immediate exerceant,* tamquam veri pastores, de omnium sibi commissarum ovium salute *"quasi rationem reddituri",* in munere gerendo se habeant, sicque eorum iurisdictionis potestas *propria, ordinaria atque immediata* asseratur, roboretur ac vindicetur oportet, ut finem illum divinum efficientissima qua possint ratione consequi valeant.

« Itaque, quo aptius, expeditius, fructuosius evadat episcopalis muneris exercitium, *salva semper et tuta propria episcopi potestate atque regiminis dioecesani unitate,* haec quae sequuntur, de episcopis ac de dioecesium gubernatione Sacrosancta Synodus enuntiat atque decernit ».

10

EXC.MUS P. D. MARCUS MIHAYO

Archiepiscopus Taboraensis

1. Officium praefecti apostolici originem suam ducit ex necessitate historica suppeditandi ordinarios ecclesiasticos cum potestate iurisdictionis sicuti episcopi habebant, quia principes Lusitaniae in India adhaerebant privilegiis dictis de « Padroado », recusantes admittendos alios episcopos in territoria sua. Quamobrem S. Sedes nonnullos sacerdotes cum potestate sicuti Ordinariorum nominabat in territoriis ecclesiasticis nuper ut talia erectis, nolens violare pactum de « Padroado ». Sacerdotes isti non erant et non vocabantur episcopi sed praefecti apostolici.

2. Praefecti Apostolici hodierni sunt ergo Ordinarii cum potestate iurisdictionis et privilegia sicuti episcopi gaudent. In conspectu populi episcopi aestimantur et in territoriis missionum paene impossibile est christianis differentiam praefectum apostolicum inter et episcopum explicare.

3. Rationes historicae quae occasionem instituendi officium praefecti apostolici praestabant, iam diu cessaverunt, attamen illud officium praefecti apostolici uti quasi-episcopi adhuc sustinetur propter traditionem et opportunitatem.

4. Videri episcopi habentes eandem iurisdictionem sicuti episcopi sed non esse episcopi, officium praefecti apostolici irrationabile reddit, quod ergo abrogandum est. Si territorium in missionibus uti iurisdictio independens constituitur, Ordinarius designetur, qui non tantum apparet episcopus esse sed in realitate, i. e. consecratione episcopus et verus pastor fidelium est.

Conclusio. Has ob rationes humiliter sed urgenter proponimus et rogamus ut officium praefecti apostolici abrogetur, ut praefecti apostolici qui nunc hoc officium peragunt, episcopi consecrentur et in futuro Ordinarii missionum semper sint episcopi.

[*Subsignaverunt etiam:*] Adam Kozłowiecki, arch. Lusaka; Emmanuel Mabathoana, arch. Maseruenus; J. Peeters, bish. Buea; John McCarthy, Kaduna; Thomas McGettrick, Ogoja; J. Whelan.

11

Exc.mus P. D. AEMILIUS PIROLLEY
Episcopus Nanceiensis et Tullensis

Circa schematis decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* propositum, agnita cum gratia commissionis conciliaris benevolentia, aliquas tamen observationes et optationes audeo exponere, cum ad huiusmodi interventum, episcopi, ab em.mo card. commissionis praesidente et ab exc.mo relatore, incitati fuerint.

Certo, post suffragationes die 30 octobris in aula peractas, textus schematis, ut in practicis suis ordinibus cum doctrinalibus Concilii orientationibus « de collegiali episcoporum potestate » conformetur, novis emendationibus eget.

Potestas enim dignitasque episcoporum, non in verbis tantum affirmari, sed in factis explanari debent, scil. in vera, reali et concreta Ecclesias locales regendi facultate — ut decet successoribus apostolorum — exceptis « maioribus causis » a suprema Summi Pontificis auctoritate reservatis. Sed quae et quot sint « causae maiores »? Non sane constituunt quasi totum et universale dioecesium regimen adeo ut episcopis parvae tantum muneris pastoralis micae, et quidem in minimis, « concedi » possent. Itaque, etsi « concessiones » a commissione praevisae, aliqua prudenti extensione — de hoc saltem quod attinet ad hodiernum rerum statum — frui videntur, crastina tamen, oculis omnium, episcopi strictiori tutela subiecti et in exercitio missionis nimis alligati semper apparebunt. Unde, si « centralizatio » romana, non solum ad bonum unitatis in Ecclesiarum gubernatione asserendum, sed insuper ad opus evangelizationis et conatum oecumenicum ubique et positive favendum concipitur, omnia, quae in exercitatione sua, obstaculum aut impedimentum Domini regni expansioni nuper obtulerunt, excludantur et reiiciantur oportet.

Quapropter in appendicibus, loco facultatum episcopis « concessarum » descriptionis, exoptarem ut « *causae maiores* » Pontifici Romano reservatae enumerentur, quae bono universali aut maiori utilitate communi reapse spectant, quod dici nequeat v. g. de minima testamenti mutatione alicuius religiosae! Sic etiam vitaretur sensus actualis praescriptionis negativus, nam « facultates episcopis concedere » aequiparat alia ista formula: « Episcopos nihil auctoritatis habere nisi concessam ». E contrario, reservatio causarum maiorum potestatem episcopalem positive intendit, quae legitime limitatur.

De momento et gravitate talis prospectum eversionis non sum oblitus, et attentissimum studium illam requirere fateor.

Allevare quidem Dicasteria multis negotiis quae rationaliter ad ordinariorum locorum responsabilitatem melius pertinent — quoniam ipsi ordinarii diversas casuum circumstantias peculiares et personales directe cognoscunt — non idem sonat ac primatum Petri, ab omnibus recognitum et ferventissime

servatum, attingere, vel eius supremam et plenam potestatem tantulum negare aut amputare.

In his, confusionem iniicere non admittitur. Si revera timendum est, ne intempestivae et inordinatae actiones individuales, hic aut illic, interveniant, conferentiae episcopales, congruenti auctoritate praeditae, huiusmodi periculis saepius occurrere valebunt.

Fere totum definitive pendet ex mutua fiducia, quae in praxi, ad relationes inter episcopos et Ss. Congregationes regendas vigebit, in communi et aequali submissione Petro.

12

EXC.MUS P. D. LEONARDUS IOSEPH RODRIGUEZ BALLÓN
Archiepiscopus Arequipensis

Liceat mihi quasdam innuere observationes in genere ad schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* cui in primis merita et adspectus positivos tribuo.

1. Attamen non satis respondet schematis titulus rei contentae. Quamvis inscriptio sit « de episcopis ac de dioecesium regimine » nequicquam in eo quaeritur persona idealis episcopi residentialis, suam dioecesim ut pastoris gubernantis, sed ordine non nimis logico exponuntur continuo: relationes episcopi cum Curia Romana, episcopi coadiutores et auxiliares, conferentiae episcopales nationales et internationales, geographicae circumscriptiones tum in ordine dioecesano et provinciae ecclesiasticae, tum in ordine parochiali.

Dicere auderem potius aptari titulum nostri schematis rei in schemate « de cura animarum » expressa, ubi principio loquitur de munere pastorali episcoporum necnon de munere pastorali parochorum; deincepsque loquitur de cura pastorali quorumdam coetuum specialium fidelium, et singillatim de instructione catechetica populi christiani, postquam ubertim disertum est — medium schema huic quaestioni tribuitur — de coordinatione cum episcopis officiorum apostolicorum religiosorum. Praeterea etiam statim apparet, ut in praevisione erat, non plane respondere theologiae episcopatus nuperrime in aula conciliari expositae, et circa quam clare et aperte in votationibus propositis a moderatoribus Patres conciliares decreverunt.

2. His bene perpensis, expedire proponimus ut haec duo schemata *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et *de cura animarum* in unum redigantur a commissione vel commissionibus pollentibus, quod forsan ita inscriberetur « de episcopis et de regimine Ecclesiae ». In illo his tribus gradibus progredi posset, in quibus omnis hodierna doctrina recolligeretur, et aliae nimirum quaestiones.

a) Primo ageretur de episcopis residentialibus, de munere pastorali in dioecesi, sive ex parte regiminis ut magisterii et sanctificationis, suum munus et auctoritatem in regimine omnis apostolatus in dioecesi significando. Causis vero personae, aut adiunctis singularibus dioecesis episcopus ordina-

rius iuvari potest a coadiutore, aut ab uno vel variis auxiliaribus. Quaestio sit deinceps de Curia dioecesana, sive illa classica et iuridica, sive pastorali, quae his postremis temporibus efformatur. Quaestio etiam erit in hac paragrapho de geographia dioecesis, finibus externis definiendis ex rationibus pastoralibus, et certis internis circumscriptionibus, parochiae maxime dico.

Nec sacerdotes negligantur, qui, licet in dioecesi munus parochiale commissum non habeant, efficaciter ad episcopum cooperantur apostolatui dioecesano sive in doctrina tradenda, sive in operibus caritatis, missionibus, domibus exercitiorum spiritualium. Neque catechesis sileatur, una ex primis curis pastorum; neque religiosi, qui ita episcopo in tot ordinibus opitulantur et possunt etiam parochiam gubernare.

b) Deinde relationes episcoporum inter se agerentur. Proprius etiam est locus patriarchatibus ex una parte, et ex alia conferentiis episcopalibus, sive nationalibus sive internationalibus, ad exemplum CELAM. Hic etiam loqui posset de conciliis nationalibus vel etiam plenariis.

c) Denique de relationibus episcoporum, vel singillatim, vel ut corpus sive collegium, cum Romano Pontifice, eiusque adiumentis gubernii, praecipue cum Congregationibus Curiae Romanae. Forsitan adumbrari possent etiam hoc loco munia Nuntiorum et Legatorum Apostolicorum. Neque de conciliis oecumenicis silendum.

3. Tamquam conclusio et summa harum rerum, haec humiliter propono:

a) Ut sic praesens schema aptetur ut theologiae episcopatus in constitutione *de Ecclesia* traditae respondeat.

b) Ut eo modo aptetur, ut ambo schemata « de episcopis » et « de cura animarum » in unum conflentur, cuius titulus, sive supra scriptus « de episcopis et regimine Ecclesiae » sive alius similis, vere rei expositae conveniat.

13

EXC.MUS P. D. VILLELMUS M. VAN ZUYLEN
Episcopus Leodiensis

1. Titulus schematis innuit de episcoporum officio et potestate in genere seu in universo, quaestionem esse in hoc schemate, scil. de eorundem officio et potestate quod attinet ad Ecclesiam universalem atque de eorundem officio et potestate quod attinet ad particulares Ecclesias seu dioeceses, quae ipsis in curam committuntur specialem a Suprema Ecclesiae auctoritate. Si enim schema respiceret solam competentiam episcoporum quod ad Ecclesias particulares ipsis commissas, eiusdem titulus esset: « De episcopis quoad dioecesium regimen ». Ceterum expedit ut in schemate de episcopis, de universo eorundem officio deque universa eorum potestate tractetur.

Itaque, in schemate desideratur caput — quod quidem ante omnia alia ponendum est — in quo agitur de episcoporum officio et potestate per respectum ad universalem Ecclesiam. Re quidem vera, cum, non secus ac ipse

Summus Pontifex, collegium episcoporum cum eodem Summo Pontifice et sub eiusdem praesidentia, suprema polleat in universali Ecclesia potestate, rationes seu modi quibus haec eorum suprema potestas exerceri potest definiri debent.

Potestas haec suprema qua episcoporum collegium una cum Summo Pontifice in universam Ecclesiam gaudet, exerceri potest: 1. ab episcopis in Concilio oecumenico congregatis (C.I.C., can. 228, § 1); 2. ab episcopis in orbe terrarum dispersis, actionem vere collegialem, invitante aut approbante Summo Pontifice, exercentibus: nihil impedit quominus Summus Pontifex omnium episcoporum sententiam vel suffragium in scriptis dandum exquirat, ut dirimat quaestiones maximi momenti, ad quas ordinandas Summus Pontifex eorundem sententiam vel suffragium exposcendum aestimat.

Praeterea quaestio moveri potest de Concilio Episcoporum centrali — quod vel Concilium episcoporum apostolicum nuncupari potest — quod cum minime exerceat potestatem collegii episcoporum, immo nec hoc collegium revera repraesentet, eiusdem tantum instrumentum ac signum esse potest, sed quod Romano Pontifici supremam primatialem potestatem in Ecclesia exercenti adiumento esse potest.

Quae omnia materia essent alicuius partis primae huius schematis (aut cap. I), dum pars eiusdem altera, per varia capita (aut cap. II, per varios articulos) tractaret de episcopis quod attinet dioecesium regimen, seu potius curam.

2. Pars altera schematis (vel cap. II) respicere deberet episcopos quoad curam dioecesium seu ecclesiarum particularium, atque eiusdem titulus esse deberet, non quidem « de episcopis quoad dioecesium regimen », sed « de episcopis quoad dioecesium curam », cum cura quam populi sibi commissi habent, complectatur sanctificationem, institutionem in doctrina christiana atque regimen.

Ad hanc curam quod spectat, inde ab initio enuntiari debet fundamentale principium, videlicet quod episcopi, sub suprema auctoritate Summi Pontificis, unitatis principii atque boni communis Ecclesiae universae tutoris, ecclesiam particularem sibi commissam seu dioecesim regit potestate propria, ordinaria et immediata, divinitus sibi collata.

3. Deficit in hoc schemate, etiam quoad potestatem episcoporum relate ad dioecesim ipsis commissam, fundamentum theologicum et unitas expositionis. Quae ut habeantur, oportet ut in introductione enuntientur tum fundamentalia haec principia theologica, quibus episcoporum officium et potestas nituntur, tum schematis logica divisio seu distributio.

Quae introductio e. g. modo sequenti concipi posset:

« Iuxta traditionem, quae ab apostolorum tempore est inducta quaeque constanter in Ecclesia viguit, ecclesiis particularibus, quae postea dioeceses vocatae sunt, praefecti sunt episcopi, ita quidem ut, regula saltem generali, unicuique particulari ecclesiae seu dioecesi praeesset unus episcopus, qui in eadem, ut eius pastor proprius, sub auctoritate Supremae in Ecclesia potesta-

tis, exerceret potestatem divinitus sibi collatam, scil. sanctificandi, docendi atque regendi populum sibi commissum (cf. Eusebius, *Historia Eccles.*, VI: 43, 11).

Raro quidem duo simul episcopi unam eandemque ecclesiam particularem regendam habuerunt — casus tamen regiminis unius dioecesis per duos simul episcopos citatur ab Eusebio (*Hist. Eccles.*, VII: 32, 21); frequentius vero inde a prioribus temporibus Ecclesiae (Eusebius, *Hist. Eccles.*, VI: 11, 1) et communius postea, episcopis infirmis aut aetate provectis dati sunt episcopi, qui eis ad regimen dioeceseos adiumento essent.

Attamen, a prioribus Ecclesiae inde temporibus, episcopi diversarum dioecesium eiusdem regionis in synodis convenerunt, atque ita constituta sunt particularia episcoporum consilia, provincialia, postea et regionalia, quae nationalia saepius fuerunt, in quibus omnes provinciae aut regionis episcopi potestatem suam episcopalem, praesertim docendi atque regendi, coniunctim seu collective vel collegialiter, sub auctoritate quidem Summi Pontificis, exercuerunt. Recentius praeterea, episcopi eiusdem regionis vel nationis congregati sunt in conferentiis episcoporum regionalibus aut nationalibus, immo vel supranationalibus, ut in iisdem de uniformi erga greges sibi commissos agendi ratione convenirent.

Huic traditioni se accommodans, sed praeterea ad nova rerum ac temporis adiuncta attendens, Sancta haec Synodus, haec sequentia statuit, quae respiciunt: 1. potestatem qua episcopi singuli, sub auctoritate Supremae in Ecclesia potestatis, quoad populum sibi commissum gaudent; 2. provisionem episcoporum coadiutorum et auxiliarium horumque conditionem; 3. ordinationem Conciliorum particularium atque praesertim conferentiarum nationalium episcoporum; 4. et tandem dioecesium, immo et provinciarum ecclesiasticarum determinationem seu circumscriptionem ».

14

Exc.mus P. D. PAULUS YÜ PIN
Archiepiscopus Nanchimensis

Schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* uti fundamentum discussionis retineri potest, sed in multis partibus compleri et perfici debet.

1. In primis, nexus huius schematis cum constitutione dogmatica *de Ecclesia* indicari oportet in prooemio. Nuper enim examinavimus munus episcoporum in suo fundamento theologico, seu de Sacramento ordinis episcopalis, nunc autem de exercitio huius ordinis agere debemus.

2. Schema nostrum absolute incipit de rationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes, ac dein de episcopis coadiutoribus et auxiliaribus et cetera. Mihi videtur hic locus est ponendi quaestiones de functione practica collegialitatis episcopalis, quam approbavimus modo cum maioritate quatuor quintae partis suffragiorum huius Sacrae Synodi. Unde

addendum est capitulum speciale de functione collegii episcopalis, sive in quantum organo consilii episcoporum pro Romano Pontifice, sive de ipsa functione Concilii Oecumenici in Ecclesia.

Aliud novum capitulum de Curia Romana et Nuntiis Pontificiis ponendum est.

Etsi Romanus Pontifex istas reorganizationes ecclesiasticas per se ac sine Concilio perficere possit, procul tamen dubio peropportunum et plane competens est has materias tractare in nostro Concilio. Nemo enim dubitat de competentia et potestate legislativa Concilii Oecumenici pro Ecclesia universali, ipsa Curia Romana inclusa.

Sane decisiones Concilii Oecumenici approbationi quidem Romani Pontificis submittendae sunt, tamen hae decisiones simpliciter vota aut desideria appellari non possunt.

Conclusio. His novis capitibus additis, schema totum conspectum reorganizationis Ecclesiae seu « aggiornamento » praesentabit.

15

Exc.mi PP. DD. QUIDAM EPISCOPI GALLIAE

1. Subscriptis Patribus videtur quod duo schemata decretorum a commissione de episcopis elaborata, nempe *de episcopis ac de dioecesium regimine* et *de cura animarum*: ambo esse debent indolis pastoralis ac canonicae; distincta vero remanere debent, quia materiae eorum diversae (quamvis intime connexae) principiis theologicis et canonicis diversis reguntur.

I decretum: *De exercitio muneris collegialis episcoporum.*

II decretum: *De exercitio regiminis episcopalis in dioecesi.*

2. Quoad primum decretum, hanc proponunt ordinationem materiae:

Cap. I - *De habitu collegii episcoporum ad universum orbem.*

a) Principia pastoralia generalia (excerpta, inter alia, a cap. I schematis *de cura animarum,* n. 7 Prooemium et 11 Episcopus Romani Pontificis cooperator).

b) De Concilio oecumenico (si quaestiones sint tractandae, v. g. quinam membra de iure?).

Cap. II - *De rationibus inter collegium episcoporum dispersum et Romanum Pontificem.*

a) De Consistorio apostolico (cf. intervent. card. Lercaro).

b) De habitudine episcoporum ad Curiam romanam.

Cap. III - *De formis minoribus collegialitatis.*

a) De Conciliis plenariis ac provincialibus.

b) De Conferentiis territorialibus permanentibus.

c) De provinciis ac regionibus ecclesiasticis.

d) De circumscriptione dioecesium (pertinet ad hoc capitulum, nam

tractatur de meliori repartitione territoriali ad fovendum exercitium responsabilitatis collegialis).

Cap. IV - *De rationibus inter episcopos et religiosos* (cap. III decreti *de cura animarum*, iis exceptis quae regimen dioecesis stricte concernunt). Ratio huc introducendi: vi structura canonica Congregationum religiosarum, problema hoc bene solvi non potest nisi per tractationes inter conferentiam territorialem et conferentiam superiorum maiorum.

Cap. V - *De rationibus inter episcopum residentialem et coadiutorem ac auxiliarem.* Ratio huc collocandi: tractatur de *episcopis,* membris corporis episcoporum, et non de simplicibus cooperatoribus episcopi residentialis; agitur ergo de forma elementari collegialitatis.

Cap. VI - *De cessatione a munere personali* (n. 16 primi decreti). Tota vita Ecclesiae demonstrat sic dictum « veluti matrimonium » episcopi esse cum *corpore episcoporum* (a quo mors sola separat) non vero cum dioecesi particulari. Hac in perspectiva problema hoc delicatissimum tractari debet. Salvo principio *stabilitatis* quod competit essentialiter muneri ordinario.

N. B. Cap. V actualis schematis pertinet ad 2 decretum.

Ambo decreta esse debent in intima relatione: regimen dioecesis non abstrahi potest a responsabilitate universali, quod valet particulariter quoad cap. IV (et app. VI) decreti *de cura animarum.*

[*Subscripserunt:*] Mouisset, ep. Nicensis; Tourel, ep. Montispessulani; Pourchet, ep. S. Flori; Marty, arch. Rhemensis; Béjot, ep. aux. Rhemensis; Pirolley, ep. Nanceiensis; de Bazelaire, arch. Chamberiensis; Sauvage, ep. Anneciensis; Jauffrès, ep. tit. Arsennaritanus; Dupont, ep. aux. Insulensis; Gouyon, arch. coad. Rhedonensis; Donze, ep. Tutelensis; Bréheret, ep. Cadurcensis; Boisguérin, ep. Sinfuanus in Sinis; Fauvel, ep. Corisopitensis; Pinier, ep. Constantinianus in Algeria; Lallier, arch. Massiliensis; Fourrey, ep. Bellicensis; Renard, ep. Versaliensis; Guyot, ep. Constantiensis; Bellec, ep. Elnensis; Ancel, ep. aux. Lugdunensis; Patria, ep. aux. Belloracensis; Johan, ep. Aginensis; Barthe, ep. Tolonensis; Puech, ep. Carcassensis; Pioger, ep. Sagiensis; Guilhem, ep. Vallis Guidonensis; Audrain, arch. Augustae Auscorum; Guerry, arch. Cameracensis; Urtasun, arch. Avenionensis; Hermil, ep. aux. Augustodunensis.

16

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI DITIONIS VENEZUELIENSIS

Schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* ut disceptationum fundamentum probamus, attamen ita emendari debere existimamus, ut:

1. Quaesitorum responsionibus a Concilio supra cap. II *de Ecclesia* prolatis magis ac magis concordet; speciatim in spiritu ad collegialitatem episcoporum.

2. Ut instituta iuridica quae statuuntur, necnon facultates, iura et munera

episcoporum, ac ipsorum cum Curia Romana relationes, ne optativo sed indicativo et praeceptivo modo enuntientur.

3. Ut facultates quae in appendicibus proponuntur, non ut concessiones et privilegia tradantur, sed ut prolatae ex ipso episcopali munere, ac proinde in schemate clare et aperte dicatur episcopos proprio iure eis pollere debere.

[*Subscripserunt*:] J. Humbertus card. Quintero, arch. Caracensis; Ioannes Ioseph Bernal, arch. Bolivariensis; Ioseph Pulido Mendez, arch. coad. Emerit.; Felicianus Gonzales, ep. Maracayensis; Ioseph Leo Rojas, ep. Truxillensis; Alejandro, ob. de San Cristobal; Luis E. Henriquez, ob. aux. Caracas; Chrysanthus Mata Cova, ep. Cumanensis; Crispulus, ep. Barquisimetensis.

CONGREGATIO GENERALIS LXII
7 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXII
7 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa cap. I *de episcopis et de dioeceseon regimine,* in hac 62 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Antequam legam nomina eorum qui verba facere postulaverunt circa hoc cap. I, communico Patribus nuntium, non tristem mortis, sed laetum longae vitae, nempe: sabbato proximo complebit centum et unum annos exc.mus D. Alfonsus Carinci. [*Plausus*].

Sabbato vespere, nempe hora 16,30, pro hoc anniversario, celebrabitur sollemne *Te Deum* in ecclesia S. Mariae ad Quercum (Santa Maria della Quercia), quae sita est in *Piazza della Quercia,* prope arcem Campi Florae, vel *Piazza Farnese.* Est ecclesia sita in illis locis, parva ecclesia sed pulchra. Omnes Patres humanissime invitantur.

Praesidentia em.ma proponit ut venerando confratri mittatur hic nuntius telegraphicus: « Exc.mo Alfonso Carinci. Tibi Fratri dilectissimo, qui centum et unum annos feliciter comples, Patres Concilii universi cuncta bona ominantur, adhuc longiorem vitam invocant, Deoque tecum gratias agunt quod ager tuus, Deipara praestite, centenos dederit uberrimosque fructus ». [*Plausus*].

Nunc lego nomina eorum, qui loqui postulaverunt circa cap. I schematis *de episcopis*: em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; sua Beat. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum; exc.mi DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania, Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis in Gallia, Petrus Kalwa, ep. Lublinensis in Polonia, Fidelis García, ep. tit. Sululitanus in Hispania, Audenus McCann, arch. Capetownensis in Africa Meridionali, Michaël Browne, ep. Galviensis in Hibernia, Antonius Ferreira, ep. Portugallensis in Lusitania, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico, Herculanus Van der Burgt, arch. Pontianakensis in Indonesia, Ignatius Ziadé, arch. Maronitarum Berytensis in Libano, Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaënsis in Rhodesia Septemtrionali, Ioseph Attipetty, arch. Verapo-

litanus in India, Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania, Eduardus Mason, vic. ap. de « El Obeid » in Sudan.

Moderator: Venerabiles Patres, em.mus card. Iulius Döpfner, e coetu moderatorum, leget nunc relationem conclusivam disceptationis circa cap. IV schematis *de Ecclesia*: « De vocatione ad sanctitatem ».

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Uti meministis, venerabiles Patres, die 31 octobris ii Patres de cap. IV schematis *de Ecclesia* locuti sunt, qui ad normam art. 57, § 6, Ordinis Concilii, post disceptationem clausam nomine saltem quinque Patrum verbum petierunt. In fine illius congregationis generalis,* annuntiavi interventus, qui adhuc superessent — numerus eorumdem erat 17 — a Moderatoribus examinatum iri ad normam art. 57 § 3 et 4, eo fine ut solummodo unus vel pauci Patres loquerentur et argumenta sua proferrent etiam nomine aliorum, qui similia argumenta propositurі fuissent. Quae examinatio propter dies feriales immediate sequentes heri denique fieri potuit, pluribus illorum Patrum in communi reunione praesentibus.

Illi 17 Patres omnes verbo faciendo generose renuntiaverunt eo vel magis, quod iam disceptatio de novo schemate his diebus coepta est. Sed *conventum est,*[1] ut in brevissima relatione heic in aula conciliari ...[2] nomina eorum necnon praecipuae orationum eorum lineae communicarentur.

Comprehensivo modo, in his interventionibus duae tendentiae inveniri possunt.

Prima tendentia sustinetur a sequentibus Patribus: em.mus D. card. Laureanus Rugambwa; exc.mus D. Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia; Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum; Adam Kozłowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia; Ioseph M. Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania.

Hi Patres admittunt structuram capitis, uti iacet, sed proponunt emendationes in evolvenda conceptione sanctitatis. E. g. extollitur unio cum Christo; fusior explicatio sanctitatis pro iis membris Ecclesiae, quae non sunt religiosi; enucleatio sanctitatis quae correspondeat melius S. Scripturae et Patribus orientalibus; accuratior et plenior evolutio

---

* Cf. pag. 76.

caritatis; nomenclatura magis adaequata quoad virginitatem Deo dicatam.

Secunda tendentia repraesentatur a sequentibus 11 Patribus: rev.mi PP. Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I., Gulielmus Van Hees, mag. gen. Ord. S. Cr., P. Athanasius Hage, archimandrita sup. gen. Ord. Basiliani; exc.mus D. Ioannes-Baptista Zoa, arch. Yaundensis in Camerun; rev.mus P. Ioannes Janssens, praep. gen. S. I.; exc.mi DD. Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia, Iacobus Corboy, ep. Monzensis, Aldo Patroni, ep. Calicutensis in India; rev.mi DD. Sighardus Kleiner, abb. gen. Ord. Cist., Antonius de Hornedo, praef. ap. Missionis S. Francisci Maranon in Peruvia; et ultimus, exc.mus D. Guilly, ep. Georgiopolitanus.

Hi Patres movent dubia magis fundamentalia quoad structuram capitis. Diversi proponunt caput proprium de religiosis et consequenter commendant, ut elucubratio de sanctitate universali remandetur in caput « de populo Dei ». Crisi subiciunt explicationem consiliorum evangelicorum in schemate datam et non sufficienter esse explanatam *iudicant* [3] specialem vocationem religiosorum atque huius status superioritatem in se consideratam. Nonnulli horum Patrum rogabant, ut dubia sua Patribus conciliaribus, *saltem hoc modo* [4] communicentur.

Ceteroquin omnes hi interventus, uti fieri solet, competenti commissioni in scriptis traduntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iis propositum est. [2] proferenda. [3] indicant. [4] deest.

Moderator: Nunc em.mus card. Michaël Browne, vice-praeses commissionis conciliaris doctrinalis, designatus relator universi schematis *de Ecclesia,* faciet verba conclusiva.

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Revera non exspectabam hodie ut verba deberem facere conclusiva respectu discussionis schematis *de Ecclesia*; habui aliquid praeparatum, sed putavi quod tota res fuisset transacta.

Sed illud quod volui dicere est quod scilicet de omnibus evidenter habebitur ratio in commissione. Praeparavi quoque brevem textum circa aliquam difficultatem quae frequenter prolata fuit in discussionibus respectu sanctitatis cleri, et per relationem ad sanctitatem vitae religiosae.

Et quomodo scil. possunt coarctari omnia ista quae includuntur in doctrina, quod scil. sacerdotes ut tales tenentur ad maiorem sanctitatem quam religiosi. Et tamen, stricte loquendo, non sunt in statu perfectionis, ut ita dicam, dum religiosi sunt in statu, et quandoque sunt in minori gradu perfectionis. Sed nolim loqui sine meis notis, neque necessarium puto, quantum ad hoc. Unde trado ea quae volui dicere ipsi commissioni, ut habeat ipsa illam relationem quam credo esse utilem. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quoad cap. IV eandem sollicitudinem habebit commissio *de doctrina fidei et morum* sicuti venerabilibus Patribus promisimus respectu priorum capitum. Plena pro posse habebitur ratio omnium observationum ab eis in aula congregationum factarum et in scriptis secretariatui traditarum.

Notavi, et quidem cum vera aedificatione, sollicitudinem Patrum circa perfectionem christianam sive clericorum ad Ordines religiosos non pertinentium sive laicorum in saeculo viventium. Haec sollicitudo coniuncta quandoque fuit cum quadam perplexitate circa eorum relationem ad statum religiosum proprie dictum.

Deo adiuvante, conabimur cum auxilio peritorum adhuc melius, si necesse sit, breviter clarificare hanc quaestionem, indicando quomodo v. g. sacerdos saecularis potest ad altam perfectionem pervenire si in praeparatione animae dispositus sit, Deo ita volente, ad viam consiliorum amplectendam.

Consilia enim, seu paupertas, castitas et oboedientia amplexatae sub votis religionis, sunt via melior ad spiritus paupertatem, ad cordis puritatem, ad humilitatem sub Dei manu, quibus anima disponitur ad amorem Dei perfectum. Sed non sunt via unica ad istas animae dispositiones, ut monstratur in vitis plurium sanctorum.

Via ad caritatem perfectam pro iis qui in saeculo degunt est illa intensi cultus, sub Dei gratia, istarum animae dispositionum.

Moderator: Gradus nunc fit ad disceptationem circa cap. I schematis *de episcopis et de dioecesium regimine*.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine meo et plurimorum ex episcopis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis. Emendatio, quam proponimus, valde simplex est; necesse est tamen eius rationes exponere.

In par. 3, linn. 18 ss., dicitur: « Episcopi residentiales iure communi omnes habeant facultates, quas aptius et expeditius eorum ordi-

nariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat ». Iure *divino* tamen iurisdictio episcoporum residentialium ordinaria ac immediata omnia quae ad exercitium effectivum requiruntur iam secumfert. Certissime haec iurisdictio solummodo « sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis » exercenda est. Sed recolendum est non ipsum Romani Pontificis primatum, sed eiusdem exercitium per legislationem restringere iurisdictionem episcopalem.

Actuales Ecclesiae necessitates, ut ipsum schema agnoscit, expostulant ut potestates episcoporum residentialium in multis materiis amplientur. Huiusmodi amplificatio perficienda est, non per concessiones facultatesque, sicut proponit schema, sed per abrogationem vel derogationem illarum legum quae potestates episcopales restrinxerunt. Non dentur facultates, seu indulta; sed restituantur potestates iuris divini episcopales quae — utique iustis de causis — hucusque ablatae sunt.

Proinde proponimus ut verba cap. I initialia sic mutentur ut dicant: « Censet Sacrosancta Synodus praeopportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae, episcopis in posterum restituatur exercitium suae iurisdictionis in multis causis hucusque, iustis de causis, Apostolicae Sedi vel patriarchis orientalibus reservatis ». Ceterum proponimus ut totum caput sic recognoscatur ut huic spiritui ac prospectui fiat conforme.

Venerabiles Patres! Hoc opus esse *perdifficillimum* [1] humiliter admittimus. Hoc opus solummodo in Codicis Iuris Canonici revisione perfectum iri similiter admittimus. Nil minus autem satis erit; nil minus, nostro iudicio, dignum erit ut doctrinam de episcopatu iam acceptam compleat. Certissime ipsum Concilium omnia perficere non poterit. Poterit tamen indicare et etiam enumerare materias in quibus canones recognoscendi erunt ...[2].

Aliud proponere velim. In hoc autem tantum pro meipso loquor. Titulus huius cap. I, meo iudicio, mutari debet. Rationes, seu relationes, quae exsistunt inter episcopos et Curiam Romanam, non sunt primariae et in se stantes, sed secundariae et derivatae. Exsistit Curia Romana solummodo delegata a Romano Pontifice. Proinde titulus, sicut et caput, de rationibus inter episcopos et Romanum Pontificem primario tractare debet. Deinde propono ut titulus mutetur ad « De rationibus inter episcopos et Romanum Pontificem » vel ad « De rationibus inter episcopos et Apostolicam Sedem ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] perdifficile. [2] Dum codicem recognitum exspectabimus, Curia Romana concedere poterit facultates, rescripta et indulta, quae libentissime recipiemus.

2

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

Schema decreti *de episcopis ac de regimine dioecesium,* post suffragationem generalem, admissum fuit tamquam basis ulterioris disceptationis.

Huic autem disceptationi ponendum est fundamentum dogmaticum super quod statui possint *rationes* [1] episcoporum ad Summum Pontificem, et consequenter ad Sacra Dicasteria, quae nomine et auctoritate eiusdem Summi Pontificis munus suum explent in bonum omnium Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Hoc vero fundamentum ponitur ipsius Christi verbis ad Petrum et Romanum Pontificem, successorem eius: « Pasce agnos meos, pasce oves meas ». Et explicatur in definitione dogmatica Concilii Vaticani I asserentis Romanum Pontificem habere « ... plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent »; potestatem quidem « ordinariam et immediatam in omnes ac singulas Ecclesias, in omnes et singulos pastores et fideles ».

Hoc fundamento posito, clare apparet potestatem istam iurisdictionis Romani Pontificis nulli restrictioni obnoxiam esse *ex iure vel facto humano.* [2] Ideoque quidquid in posterum de natura iuridica collegii episcopalis, vel de eius potestate in universam Ecclesiam, statuetur, minime coarctare debet exercitium primatialis huius potestatis nec limites ipsi apponere ... [3].

Unde ipsius Summi Pontificis est, nullo alio de iure interveniente, seligere cooperatores et determinare modum et ambitum cooperationis in regimine totius Ecclesiae.

Nobis vero, pastoribus Ecclesiae, competit sincere et obsequenter proponere quae forsitan efficaciora et utiliora nobis viderentur ad bonum Ecclesiae. Attamen, dum hoc facimus ne ansam praebeamus putandi quod Ecclesia, praesenti administrationis modo, reducta sit ad statum lamentabilem.

Cum autem arbor ex fructibus diiudicanda sit, fatendum nobis est Ecclesiam, non obstantibus calamitatibus quae mundum afficiunt, vivere

tempora gloriosa, consideratis vita christiana cleri et fidelium, propagatione fidei, et salutari eius influxu universali in mundum.

Hoc quidem obtinetur Dei gratia, certe, necnon tamen benefica actione Capitis eiusque cooperatorum. Hi enim cooperatores, qui sunt praesertim S. Romanae Ecclesiae cardinales, toto ex orbe selecti, constituunt Senatum Ecclesiae Romanae, quae « propter potentiorem eius principalitatem » ut ait S. Irenaeus, est caput omnium Ecclesiarum. Et hoc quidem titulo cooperatores fiunt Romani Pontificis in regimine universalis Ecclesiae.

Querimonias audivimus, ...[4] salva bona intentione oratorum, de administratione per cooperatores, et particulari modo per Ss. Congregationes Romanas. Fatendum est omnem institutionem humanam defectuosam esse posse; cavendum tamen ne defectus exaggerentur, neque critica attingat ipsum Caput, quod grave detrimentum afferre potest — et iam attulit *per commentaria ephemeridum*[5] ut refertur — principio auctoritatis et scandali esse populo christiano, quin ullo modo alliciet fratres separatos ad fovendum spiritum oecumenicum.

Concludendo, liceat mihi rogare ut in disceptatione schematis:

1. Prae oculis habeatur semper primatus Romani Pontificis, qui minime limitari potest quocumque modo.

2. Obiective et aequo animo procedatur in exprimendis observationibus circa modum actualem administrationis centralis Ecclesiae, ratione habita meritorum cooperatorum Summi Pontificis et obligationis evitandi scandala. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] relationes. [2] deest. [3] ex iure vel facto humano. [4] et quidem acerbas. [5] deest.

3

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT

Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Statim adhaereo quae modo audivi pleno corde. Exc.mus arch. Šeper dixit mihi in Iugoslavia vigere proverbium: « Deus adiuvat semper pro tertia vice ». Vocatus fui ter et nunc ecce quod possum loqui et quidem breviter, et iis quae ego dicturus sum adhaeserunt circa 50 Patres Itali et non-Itali, qui etiam nomina propria subscripserunt.[1]

In n. 5, pag. 7, consideratur opera ab episcopis in Curia Romana praestanda. Quocirca, ea videntur statuenda quae activitati communi episcoporum ad bonum totius Ecclesiae inserviendi apprime consentanea sunt.

Quapropter, huiusmodi intuitu, haec quae sequuntur adnotare *mihi* [2] liceat.

In dicto n. 5, sermo est tantum de episcopis ut membris vel consultoribus Ss. Romanae Curiae Congregationum cooptandis. Et hoc bene quidem.

Ulterius tamen tuto procedi potest, ex quo Summum Pontificem Paulum VI in nota allocutione ad Patres Concilii ...[3] illa verba audivimus dicentem quae in « relatione » super nostrum schema referuntur in pag. 14. In quibus verbis duo sane attendenda sunt: imprimis intentio manifestatur Summi Pontificis sibi associandi, aliquo modo, episcopatum in gubernio universalis Ecclesiae; secundo, iterata affirmatio fit *a Pontifice* [4] ut salvae maneant declarationes dogmaticae Concilii Vaticani I ad Romanum Pontificem attinentes, iuxta quas de fide tenendum est illum a Christo instructum esse plenitudine et iusta virtute potestatis.

Equidem nos omnes hanc fidem profitemur; at nunc etiam practice nulla ambiguitate eamdem proclamare oportet; nam iuxta illud Iacobi ...[5], « Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa ».

Attenta igitur mente Summi Pontificis, in suo integro contextu, proponere velim ut congrua de eadem habeatur ratio in nostro schemate.

Quare, post actualem n. 5, novus adiungi posset numerus sub titulo « de S. Congregatione centrali instituenda », hisce additis verbis: « Insuper exoptat sancta Synodus ut nonnulli episcopi, imprimis residentiales, a Romano Pontifice cooptentur in quamdam Congregationem centralem, omnes alias Ss. Congregationes praecellentem. Cuius Congregationis centralis erit Romano Pontifici validam et adiutricem praestare operam in illis ecclesiasticis negotiis quae eidem ab ipso committentur ».

Per additionem horum verborum (uti patet) in praxim deducitur doctrina qua asseritur episcopos quoddam corpus seu collegium constituere, vi cuius omnes, cum eorum capite Romano Pontifice, responsabilitate in solidum adstringuntur erga universalem Ecclesiam. Insimul etiam percipiuntur, *venerabiles Patres,*[6] limites quos ultra progredi non licet in affirmanda solidarietate episcopali in gubernio ordinario Ecclesiae, ne dogma primatus ullum praeiudicium patiatur.

Unde huiusmodi Congregatio centralis, quam instituendam petimus, collegialitatis episcopalis est concreta applicatio simul et iusta explicatio. Etenim ex una parte ipsa unitatem Ecclesiae plenius valet ostendere atque catholicitatem clarius manifestare. Ex altera autem parte,

indoles stricte collegialis eidem non competit, cum sive in ordine essendi sive in ordine agendi fine finaliter ab uno Summo Pontifice pendeat...[7]

Huiusmodi propositio nonnullis Patribus, qui etiam per manuum plausus hesterna die collegialitatem episcopalem nimis extollebant, forsan « minimista » apparet.

Sed, venerabiles Patres,[8] recordari nos oportet esse denique fines quos ultra citraque nequit consistere rectum. Nemini enim licet ad collegialitatem episcopalem sensu stricto provocare, eo usque haec doctrina a Concilio approbata non fuerit. *Et pro parte mea puto collegialitatem ita intellectam definibilem non esse.*[9] Pariter non licet qualecumque argumentum deducere ex suffragationibus circa collegialitatem ...[10] die 30 octobris peractis. Nam in praesentatione typis impressa, dicebatur quod « vota Patrum ... unice eo tendunt ut commissio (scil. *nostra*[11] commissio de doctrina fidei et morum) scire possit quae sit propensio congregationis circa propositas quaestiones ».

Propositio igitur nostra, *venerabiles Patres,*[12] est quidem facta cum humili « grano salis », scientes tamen sal esse symbolum sapientiae ac prudentiae.

Venerabiles Patres, meminerimus et nos, quos Dominus vult ut simus sal terrae, verborum ipsius Domini dicentis: « Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos » (*Mc.,* 9, 49). Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Cap. I huius schematis quaedam continet quibus principia doctrinalia circa episcopos, in cap. II schematis *de Ecclesia* enuntianda, in praxim deducuntur. Nominatim. [2] deest. [3] die 29 sept. h. a. [4] deest. [5] 2, 17. [6] deest. [7] Votum quoque liceat exprimere, ut in posterum SS. Congregationes Romanae denominationem habeant, quae cuiusque muneri et competentiae aptius respondeat. Hoc fieri poterit, si e. g. singulis applicabitur denominatio singularium actualium commissionum conciliarium; v. g. S. Officium: Congr. de doctrina fidei et morum; Consistorialis: de episcopis et dioecesium regimine; etc. [8] Ast. [9] deest. [10] (nimis festinanter). [11] deest. [12] deest.

Animadversiones additae:

Cap. I huius schematis duo continet quibus principia doctrinalia circa episcopos, in cap. II schematis *de Ecclesia* enuntianda, in praxim deducuntur. Agitur enim de episcoporum facultatibus amplificandis (n. 3, pag. 6), et de relationibus inter episcopos et Curiam Romanam, necnon de opera ab ipsis episcopis in Curia Romana praestanda (nn. 4-5, pag. 7).

Heic igitur statuenda videntur quae sive muneri episcoporum erga Ecclesias

sibi concreditas adimplendo, sive eorum activitati communi ad bonum totius Ecclesiae inservienti, apprime consentanea sunt.

Quapropter, huiusmodi intuitu, haec quae sequuntur adnotare liceat:

I. *Quoad n. 3,* ubi de episcoporum facultatibus. In hoc numero: ex una parte statuitur principium iuxta quod Romanus Pontifex potest, ad libitum suum, aliquas causas sibi reservare. Ex altera autem parte votum exprimitur ut episcopi illas omnes habeant facultates quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat; et consequenter petitur ut facultates hucusque recognitae ulterius amplificentur. Hoc autem idem est ac postulare ut causae a Romano Pontifice sibi reservatae numero minuantur.

Iamvero: diminutio causarum reservatarum ex parte Romani Pontificis haud necessario habet ut correlativum augmentum facultatum episcoporum. Immo, saepe saepius, ea quae obiectum fuerunt reservationis, reservatione papali deinceps sublata, eo ipso fiunt potestates muneri episcopali natura sua inhaerentes. Unde: potiusquam de facultatibus, loquendum est de pleniore exercitio potestatis ordinariae et immediatae qua quisque episcopus iure divino gaudet.

Aliis verbis: permulta quae, in Appendice adscribuntur episcopis, ab eisdem in posterum non vi merae concessionis pontificiae, quasi ex delegatione, at vi ipsius episcopalis muneris peragentur.

Videtur ergo schema, in hoc puncto, ita esse aptandum, ne voci « facultates » indiscriminatim significatio tribuatur alicuius concessionis vel delegationis superioris auctoritatis.

II. *Quoad n. 5,* ubi de opera ab episcopis in Curia Romana praestanda. In hoc numero sermo est tantum de episcopis ut membris vel consultoribus SS. Romanae Curiae Congregationum cooptandis. Et hoc bene quidem. Ulterius tamen tuto procedi potest, ex quo Summum Pontificem Paulum VI in Allocutione ad Patres Concilii die 29 septembris elapsi, audivimus dicentem: « Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis " Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam " » (ed. Typis Polyglottis Vaticanis 1963, pag. 23).

Et adhuc determinate idem Summus Pontifex suam aperuit mentem in Allocutione ad Curiam Romanam die 21 septembris, cum aiebat: « Quando il Concilio Ecumenico mostrasse il desiderio di vedere associati in certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica, qualche rappresentante dell'episcopato, particolarmente tra i presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà certamente la Curia a farvi opposizione » (cf. *Relatio* super schema, pag. 14).

Attenta igitur mente Summi Pontificis de sibi associando, aliquo modo, episcopatu in gubernio universalis Ecclesiae, proponere velim ut congrua de eadem habeatur ratio in nostro schemate.

Quare, post actualem n. 5, novus adiungi posset numerus sub titulo *De sacra Congregatione centrali instituenda,* hisce additis verbis: « Insuper exoptat sancta Synodus ut nonnulli episcopi, imprimis residentiales, a Romano Pontifice cooptentur in quamdam congregationem centralem, omnes alias sacras Congregationes praecellentem. Cuius Congregationis centralis erit Romano Pontifici validam et

adiutricem praestare operam in illis ecclesiasticis negotiis quae eidem ab ipso committentur ».

Per additionem horum verborum (uti patet), denuo in praxim deducitur doctrina qua asseritur episcopos quoddam corpus seu collegium constituere, vi cuius omnes, cum eorum capite Romano Pontifice, responsabilitate in solidum adstringuntur erga universalem Ecclesiam. Insimul etiam percipiuntur limites quos ultra progredi non licet, in affirmanda solidarietate episcopali in gubernio ordinario Ecclesiae, ne dogma primatus ullum praeiudicium patiatur.

Unde huiusmodi Congregatio centralis, quam instituendam petimus, collegialitatis episcopalis est concreta applicatio simul ac iusta explicatio. Etenim: ex una parte ipsa unitatem Ecclesiae plenius valet ostendere atque catholicitatem clarius manifestare. Ex altera autem parte, indoles stricte collegialis eidem nequaquam competit, cum sive in ordine essendi sive in ordine agendi fine finaliter ab uno Summo Pontifice pendat.

Votum quoque liceat exprimere ut in posterum sacrae Congregationes Romanae denominationem habeant, quae cuiusque muneri et competentiae aptius respondeat. Hoc fieri poterit si, ex. g., singulis applicabitur denominatio singularium actualium Commissionum Conciliarium; v. g. S. Officium: « Congregatio de Doctrina Fidei et Morum », Consistorialis: « Congregatio de Episcopis et de Dioecesium regimine », etc.

[*Subscripserunt*:] *a*) *quoad nn. 3, 4, 5 cap. I*: exc.mi PP. DD. Ugo Camozzo, arch. Pisanus; Macarius Tinti, Fabriano-Matelica; Victorius Cecchi, Fossombrone; Pacificus G. Vanni, arch.; Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis; nomine etiam Antonii Angioni, ep. tit. Ipponae; Nicolaus Margiotta, arch. Brindisi; Henricus Nicodemo, arch. Barensis; Raphael Calabria, arch. Benevent.; Iacobus Palombella, arch. Materanensis; O. De Liva; Carolus Zinato, ep. Vicentinus; V. Radicioni, ep. Montalto et Ripatransone; Giovanni Dadone, arch. Fossano; Federico Pezzullo, ep. Policastro: Luigi Rinaldi, ep. S. Marco e Bisignano; Dominicus Petroni, ep. Melfi; Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus; T. V. Benedetti, ep. Laudensis; Egidio Bignamini, arch. Ancona; Clemente Gaddi, Bergamo; Armandus Fares, arch. Catacensis, ep. Squillacen.; Carlo Baldini; Norberto Perini, arch. Fermo; Demetrio Moscato; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis; Ioseph M. Sensi, arch. tit. Sardianus; Robertus Massimiliani, ep. Civit. Castell., Hortan. et Gallesin.; Caietanus Michetti, ep. tit. aux. arch. Firmani; Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis.

b) *Quoad n. 5 cap. I*: Andreas Cesarano, arch. Sipontinus; Angelus Rossini, arch. Amalfitanus; Norbertus Perini, arch. Firmanus; Augustus Bertazzoni, arch. Potentinus et Marsicensis; Hector Baranzini, arch. Syracusanus; Guido Tonetti, arch. ep. Cuneensis; Paulus Babini, ep. Foroliviensis; Victorius De Zanche, ep. Concordiensis; Gulielmus Motolese, arch. Tarantinus; Aemilius Giorgi, Montis Politiani; Ioseph Lenotti, ep. Fodianus; Aemilius Baroncelli, ep. Recinetensis-Lauretanus; Caietanus Michetti, aux. Firmanus; Dinus Tomassini, ep. Isclanus; Horatius Semeraro, ep. Cariaten.; Secundus Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis; Nicolaus Capasso, ep. Acerrarum; Raphael Pelecchia, ep. Aliphanus; Antonius Cunial, ep. Lucerinus; Siro Silvestri, ep. Fulgin.; Paschalis Quaramba, ep. Gallipolitanus; Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis; Giov. Batt. Pardini, ep. Iesi; Lorenzo Basoli, ep. Ogliastra; Luigi Morstabilini, Veroli-Frosinone; Faustino Baldini, ep. Massa Marittima; Mauritius Raspini, ep. Oppidensis;

Antonius Catarella, ep. Platiensis; Marius Di Lieto, ep. Asculan. Apul. et Ceriniolensis; Raphael Baratta, arch. Perusin.; Ioseph Amici, arch. Mutinensis; Marinus Bergonzini, ep. Volaterr.; Abel Conigli, ep. Biturg.; Aloisius Carolus Borromeo, ep. Pisaurensis; Constantinus Caminada; Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres conciliares,

De cap. I schematis *de episcopis,* speciatim vero circa introductionem et prooemium collatum cum n. 3, fas sit mihi aliqua verba proferre in hac congregatione.

I. *Circa introductionem.* Perplacet et valde dignum laude censeo quod a limine proclametur regula suprema, in regimine Ecclesiae Christi, salus animarum, unde recte derivatur quod in n. 16 exprimitur de opportuno auxilio ferendo episcopis qui, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem, implendo suo sacro muneri minus apti evaserint seu inveniantur.

Profecto ad salutem animarum Christus Dominus Ecclesiam instituit in eaque sacram hierarchiam condidit per quam vita et operositas salvifica ipsius perpetuaretur in toto orbe terrarum usque ad consummationem saeculi. De hierarchica potestate atque missione apostolis collata nos quidem ex divina praedilectione participes facti sumus, prout SS. D. noster Paulus VI edixit die 29 septembris, nos appellans « agmen apostolicum ab universo terrarum orbe congregatum » et inquiens insuper: « Et vos apostoli estis et a collegio apostolico originem ducitis eiusque veri estis heredes ».

Iamvero cum ex verbis Domini, « cui multum datum est multum quaeretur ab eo », meminisse nos semper oportet sacrorum antistites, iuxta verba Pii XII in Encyclica *Mystici Corporis,* esse « eminentiora universalis Ecclesiae membra, singulari prorsus nexu cum divino totius corporis capite coniuncta, ideoque partes membrorum Christi primas », sicut iam dixerat S. Gregorius Magnus.

Proinde iure meritoque nobis proponitur salus animarum veluti suprema regula vitae pastoralis nempe: pervigilare, sicut monuit clarissimus Paulus in epistola ad Hebraeos, « supra gregem Christi quasi rationem pro animabus reddituri », animamque pro eisdem ponere ad exemplum magistri, et hanc specificam sanctitatis nostrae viam prosequi

eximiae scilicet sanctitatis, quam apostolus Corinthiis ut excellentiorem demonstravit.

II. *Circa prooemium et n. 3.* Legentibus prooemium cum n. 3 ex priore schematis appendice, ultro prodit in cordibus nostris grati animi sensus erga Summum Pontificem ob magnificam potestatum episcopalium amplificationem, sive concessae dicantur sive recognitae proclamentur, simulque ob novum decorem et facultates quibus etiam episcopi auxiliares donantur. Ita congruenter extollitur dignitas episcopalis, per sacramentalem consecrationem suscepta, qua episcoporum ordini seu collegio adnumerantur, et intimior fovetur consociatio dilectionis et collaborationis omnium episcoporum tam cum suo capite visibili quam inter seipsos.

Ita adimpletum videmus quod Concilium Vaticanum I praenuntiavit, nempe summam auctoritatem Romani Pontificis non officere potestati episcoporum qui in locum apostolorum successerunt, sed eadem potius a summo et universali pastore asseritur, roboratur et vindicatur.

Attamen in praedicto facultatum elencho, alia desideratur, et quidem, meo iudicio, magni pastoralis momenti, quae iam in prima sessione fuit postulata quamque commissio de sacra Liturgia benevole consideravit et commendare proposuit, concedendi scilicet christifidelibus maiorem facilitatem adimplendi obligationem praecepti festivi indulgendo ut ipsi satisfacere possint per assistentiam sacro in vesperis diei festi celebrato. Adsunt etenim rationes pastorales, sive ex parte fidelium sive ex parte animarum curatorum, nec desunt fundamenta historica et liturgica.

Cum iam secretariae talia argumenta tradiderim, aliquantisper prosequar materiam de cap. I et quidem de n. 3.

Quod attinet ad facultatum amplificationem in hoc numero propositam, sive in favorem episcoporum residentialium sive erga eos qui mere titulares dicuntur, duos audimus et legimus modos loquendi: pro quibusdam agitur de concessione potestatis, pro fere omnibus de simplici permissione exercitii facultatum ex consecratione atque missione ad ipsos sacros antistites pertinentium.

Puto vero quod non minuitur magnanimitas Apostolicae Sedis nec ratio gratissimi animi nostri ex relato duplici modo loquendi. Etenim sublatio ipsa reservationis, quam hucusque vigere scimus ex suprema et universali potestate primatiali successorum B. Petri, ob iustas causas a se competenter existimatas, ipsa — dico — sublatio reservationis est favor nobis elargitus, quo scilicet fas nobis erit illas recognitas facultates habitualiter possidere non tantum quoad substantiam rei sed in praxi quantum ad exercitium in bonum regimen dioeceseos, propriae

auctoritatis augmentum coram sacerdotibus et fidelibus nostris et proventum seu utilitatem ipsorum.

Ideo ex S. Sedis benignitate merito exspectatur, una cum multiplici efficaciorique iuvamine sacrorum Dicasteriorum in auxiliandis episcopis in suo pastorali regimine, alacrior observantia et vividior sollicitudo pastorum sacrorum erga Christi Vicarium eiusque Dicasteria et indefessa collaboratio illa quam exquisivit a nobis SS. Dominus noster Paulus VI, in solemni decurrentis sessionis conciliaris instauratione sic alloquens praedecessorem suum Ioannem XXIII sanctae memoriae: « Tu apostolorum successores coegisti... ut iidem se cum Summo Pontifice veluti in unum corpus redactos sentirent, ab eoque robur acciperent et moderationem: ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur ». Et prosecutus est, inquiens nobis relate ad munus suum papale: « Hoc munus universale poterit auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

Aliunde, certissime dum propriam dioecesim bene, auxilio divino suffulti, regamus, efficaciter conferemus ad bonum totius Corporis mystici, quod est etiam corpus Ecclesiarum.

Quibus reverenter expositis, votum duplex proponere audeo:

1. Ut Romano Pontifici gratiae maximae reddantur nomine totius episcopatus ob eius supra expressam benignitatem.

2. Ut in elencho facultatum quae habitualiter episcopis concedantur vel recognoscantur, illa quam dixi includatur, nempe indulgendi christifidelibus suis ut ad vesperam praecedentem, ubi Missa vespertina celebretur, anticipare valeant adimpletionem praecepti festivi.

Parcite mihi! Et dixi.

Textus scripto traditus:

Proposito considerationi et discussioni Patrum schemate *de episcopis et dioecesium regimine,* quod quidem cohaeret cum iis quae pertractavimus in cap. II schematis *de Ecclesia,* fas sit mihi aliqua proferre verba circa cap. I, speciatim vero circa introductionem et prooemium ipsius in relatione cum appendice priori eiusdem.

I. *Circa introductionem.* Perplacet et laude dignum duco quod a limine introductionis statuatur tamquam *suprema regula* in regimine Ecclesiae Christi *salus animarum,* unde recte derivatur quod in numero 16 praescribitur de auxilio opportuno ferendo pastoribus qui, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem, implendo sacro suo muneri minus apti evaserint.

Ad salutem animarum profecto Christus Ecclesiam suam condidit et in ea sacram hierarchiam instituit per quam vita atque operositas salvifica Domini per-

petuaretur in toto orbe terrarum usque ad consummationem saeculi. De potestate atque hierarchica missione apostolis collata, ex divina praedilectione atque liberrima electione, participes facti sumus, sicut, in doctrina suorum praedecessorum insistens, proclamavit Ss.mus Dominus noster Paulus VI, nos alloquens die 29 septembris: « Vos venerabiles Fratres, agmen apostolicum ab universo terrarum orbe congregatum, *et ipsi apostoli estis et a collegio apostolico* originem ducitis, eiusque *veri estis heredes* ».

Quia, ex verbis Domini, « cui multum datum est multum quaeretur ab eo », semper in memoria habeamus oportet Sacrorum Antistites, ut Ss.mus Pius XII edixit in Litteris *Mystici Christi Corporis,* esse « *eminentiora universalis Ecclesiae membra,* singulari prorsus nexu coniuncta, ideoque *partes membrorum Christi primas* », prout iam declaraverat S. Gregorius Magnus.

Proinde iure meritoque nobis proponitur salus animarum ut suprema regula vitae pastoralis: pervigilare, ut scripsit apostolus ad hebraeos (13, 17), supra gregem, quasi rationem pro animabus reddituri; animam pro eisdem ponere, quia agni et oves Christi sunt, et hanc sanctitatis nostrae prosequi viam, eximiae caritatis, quam Paulus clarissimus corinthiis ut excellentiorem demonstravit.

II. *Circa introductionem.* Legenti priorem schematis appendicem fieri non potest quominus gratitudinis sensus in corde uniuscuiusque prodeat erga Romanum Pontificem ob magnificam potestatum episcopalium amplificationem sive etiam ob novum decorem et facultatum complexum quibus episcopi auxiliares donantur. Ita congruenter extollitur dignitas episcopalis, per sacramentalem consecrationem suscepta, qua episcoporum ordini seu collegio adnumerantur, et intimior fovetur consociatio dilectionis et collaborationis omnium episcoporum cum suo capite visibili etiamque inter seipsos.

Sic recte applicare possumus Paulo VI verba Gregorii Magni, cum scripsit: Honor meus est honor universalis Ecclesiae, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque non negatur honor debitus.

Ita quoque adimpletum videmus quod Vaticanum I praenuntiavit, nempe summam auctoritatem Romani Pontificis haud officere potestati episcoporum, qui in locum apostolorum successerunt, sed eadem potius a summo et universali pastore *asseritur, roboratur ac vindicatur.*

Attamen in praedicto facultatum elencho, *una desideratur,* quae est magni momenti pastoralis, quae iam in prima sessione Concilii fuit postulata quamque commissio de sacra Liturgia benevole consideravit et commendare proposuit, concedendi scilicet fidelibus maiorem facilitatem adimplendi obligationem praecepti festivi indulgendo ut ipsi satisfacere possint assistendo Sacro in vesperis diei festi celebrato.

Adsunt rationes pastorales, sive ex parte fidelium sive etiam multoties ex parte animarum curatorum, nec desunt rationes historicae et liturgicae.

A) *Rationes pastorales* sunt praecipue sequentes:

1. Plures sunt christifideles, nostris temporibus, qui laboris necessarii vel itineris perficiendi causa, non possunt, sine gravi saltem incommodo, Missam audire in die festo. Possent autem faciliter in pervigilio eiusdem, ubi Missa vespertina celebratur.

2. Invaluit pluribus in regionibus consuetudo feriandi seu a cotidianis operibus cessandi a meridie sabbati, itemque requiete hebdomadaria fruendi diebus

dominicis longe a suo domicilio, verbi gratia in domo rusticana cum propria familia, vel in locis montanis vel ad ripas maris aut fluminis, ubi facilitas interveniendi Sacro non habetur.

3. Hoc autem magis contigit tempore aestivo et diebus aptioribus ad venationem et piscationem. Qui his operibus, sive relaxationis gratia sive ad victum conquirendum indulgent, valde mane, cum solis lux oritur, adesse tenentur in montibus aut prope aquas ad efficacitatem maiorem laboris sui.

4. Etiam pro animarum curatoribus valde proficua esset talis anticipatio, illis praesertim qui ter litare debent in locis multum inter se distantibus vel, tempore hiemali, ubi itinera, propter pluviam, copiosam nivem vel nimium frigorem difficilis, ne dicam quandoque impossibilis, transitus efficiuntur. His in casibus praedicti sacerdotes suis populis inservire possent celebrando unam Missam in pervigilio festorum in ecclesia difficilioris accessus et insequenti die in aliis duobus locis.

B) *Nec desunt rationes historicae et liturgicae*:

a) Primi christiani vigiliam diei dominicae coluerunt.

b) In schemate pro Ecclesiis orientalibus praelibatur illa concessio.

c) Concilia particularia, in saeculis octavo et nono, ita statuerunt, e. g. Foroiuliense et Francofordiense, etiamque Moguntinum, cuius statutum Gratianus et Gregorius IX retulerunt et edixerunt.

d) Pro indulgentiis quibusdam diebus adnexis, toties quoties, indulsit Sedes Apostolica ut tempus utile ad eas lucrandas incipiat a meridie diei praecedentis.

e) Et denique, ut omnibus compertum est, Officium divinum dominicarum et sollemniorum festorum incipit similiter a primis vesperis.

Propono ergo:

Primo, ut Romano Pontifici gratiae maximae proferantur nomine omnium episcoporum ob eius magnanimitatem supra expressam.

Secundo, ut in elencho facultatum habitualiter episcopis conferendarum illa quam dixi includatur, indulgendi scilicet fidelibus suis ut ad vesperam praecedentem anticipare valeant adimpletionem praecepti festivi.

5

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus tit. Pessinuntinus, coad. Rhedonensis

Venerabiles Fratres,

Art. 5 cap. I nostri schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* providet quod « nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali designandi, ab Apostolica Sede nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum ».

De tali ordinatione gaudio afficimur, ex duplici quidem ratione:

1. Quia hoc modo incipit, *incipit dico*,[1] exercitium collegialitatis episcopalis quae, ut nunc pernotum est, menti Concilii plene respondet ...[2].

2. Et quia bonum Ecclesiae, quoad sanctificationem fidelium, necnon quoad diffusionem Evangelii apud eos, qui Christum Dominum adhuc ignorant, omnino postulat, ut conditiones vitae populorum et eorum indoles perfecte cognoscantur, ut difficultates ministerii ex propria experientia percipiantur, ut in decretis statuendis quam cautissime procedatur: hoc autem nequaquam praestare potest unicus organismus coordinationis centralis. E contra, si adsunt in Consiliis Ecclesiae pastores ex omni tribu et lingua et natione, tunc certa scientia omnia ea decerni poterunt, quae aptissime accommodantur adiunctis tam generalibus quam peculiaribus variarum nationum.

Ut autem ordinationes quae hac de re statuuntur, talem scopum obtinere possint, plane oportet, ut mihi videtur, clarius et pressius exponere: 1. Conditiones praecisas in quibus ad praxim deducentur; 2. Ceteras conditiones prorsus necessarias ut efficaces evadantur.

1. *Conditiones praecisae in quibus huiusmodi ordinationes in praxim deducendae sunt.*

« Nonnulli episcopi, a conferentia episcopali designandi, nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum ». Etenim conferentiae episcopales quam rectissime diiudicare possunt de eorum capacitate.

Illi episcopi non solum consultores, sed etiam membra nominandi sunt, i. e. cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus nunc pollent membra Congregationum Curiae Romanae, ut iam aliunde factum est in commissionibus conciliaribus.

Statis temporibus convocandi sunt, saltem semel vel bis in anno, et ad tempus sufficiens ut labor utilis peragi possit, cura propriarum dioecesium commissa interdum episcopis auxiliariis.

« Ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda ». Ut vere dicam, illa pars textus anxietati paulisper ansam praebet. Nonne revera nimis restringit possibilitatem interventus episcoporum penes Congregationes Romanas? Libentius in schemate legeretur: « Ad ea omnia consideranda et solvenda, quae negotia tam extraordinaria quam ordinaria respiciunt, exceptione facta rerum minoris momenti ». Rogo igitur ut tollantur linn. 25-27 pag. 7 inde ab « convocentur », et eis praedictus textus substituatur.

Sed etiam si omnes illae conditiones adamussim adimplentur, timendum est ne labor episcoporum gravissimis difficultatibus obiciatur, si ordinationes de quibus mentio fit in par. 5, non pressius determinantur per alias dispositiones, ut revera efficaces evadant.

2. *Conditiones subsidiariae ut efficaciter hac in re procedatur.*

Prima conditio.[3] Nunc autem, quoad illos qui in Congregationibus officio funguntur, notanda est necessitas, ut consultores in dignitate episcopali non constituti ex variis nationibus deligantur. Forsan dicet aliquis, hoc iam factum esse. Sed reapse necesse videtur, ut cum peritis qui Romae degunt, adsint et alii qui in propria natione commorentur. Experientia enim constat, illos qui etiam ad breve tempus longe a sua regione absunt, eius problemata non amplius cognoscunt, illa non plene intelligere possunt, quia non sub eodem respectu ea considerant ac si domi remansissent. Tales consultores possent etiam in proprio loco interrogari, mediante hodierna possibilitate velocissimae communicationis, vel etiam ad Urbem statis temporibus convocari. Conferentiis episcopalibus competeret illos designare.

Secunda conditio.[4] Alia ex parte *multae oriuntur in Ecclesia quaestiones quae nulli ex singulis Congregationibus competit quaeque a coetu ampliori tractari debent. Immo Romani Pontificis est omnia in unum finem componere. Itaque*[5] opinamur id maxime profuturum esse, si Summus Pontifex Consilio apostolico — *aut Congregationi centrali, ut dixit exc.mus D. Florit*[6] — inniti posset, cuius membra episcopi essent a conferentiis episcopalibus designati. Sed iam aliqui hac de re locuti vel locuturi sunt, et quidem maiori cum auctoritate.

Dum haec omnia humillime proponimus, id solum prae oculis habuimus quod Summus Pontifex Paulus VI in sua concione ad membra Congregationum Romanae Curiae, die 21 septembris habita, clare expressit, necnon mentem Concilii Vaticani II, in scrutinio de collegialitate episcopali patefactam, quae intentionem certe exprimit, ut haec collegialitas in praxim deducatur, et quidem pro summo et unico bono Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nihil invenitur, nec in S. Scriptura, nec in doctrina primaevae traditionis, quod restringere possit exercitium collegialitatis ad adiuncta extraordinaria Concilii oecumenici. [3] Episcopi etenim ex una parte tanquam adiutores sibi adiungent illos, qui iam in Congregationibus operam praestant; et ex altera parte recursum habere debebunt ad arbitrum superiorem, qui eorum cogitata et proposita libenter et benigne perpendet. *a*). [4] *b*). [5] ipsa optima decreta ad nihilum reduci possunt, quando ultima decisio subiicitur quibusdam influxibus, etiam ex generosissima intentione inspiratis. Proinde. [6] deest.

6

EXC.MUS P. D. PETRUS KALWA
Episcopus Lublinensis

Interventio haec, nomine episcoporum Poloniae facta, animadversiones continet, quae referuntur ad *a*) introductionem, n. 1; *b*) cap. I, nn. 2, 3, 4, 5.

...[1] Schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* indolem habet iuridicam et est applicatio practica principiorum, quae in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* ...[2] inveniuntur. Principia *in hac constitutione*[3] contenta fontem constituunt unde profluunt normae iuridicae nostri decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* nunc examinandi. In specie vero decretum hoc complectitur normas, quae ab episcopo observari debent in munere suo pastorali adimplendo a Christo Redemptore sibi commisso. Proinde iam in introductione ad decretum de fundamento muneris pastoralis episcopi sermo est, de potestate nempe iurisdictionis, qua praeditus est ipse in sua dioecesi, ut opus salutiferum erga animas sibi concreditas efficaciter exercere possit.

Attamen accuratior definitio potestatis iurisdictionalis episcopi in propria dioecesi non datur, etsi talis definitio eiusdem potestatis iam in constitutione dogmatica Concilii Vaticani I *De Ecclesia Christi*, cap. III, habetur. ...[4] Dicitur in illa constitutione dogmatica *Vaticani I*[5] de potestate iurisdictionis episcopalis ipsam esse ordinariam ac immediatam. ...[6] Ideo propono ad pleniorem definitionem potestatis iurisdictionalis episcopi in sua dioecesi ...[7], ut in pag. 5, lin. 10, huius de episcopis schematis, post verba « iurisdictionis potestas » inserantur verba complementaria: « immediata ac ordinaria », quae naturam huius potestatis accuratius determinant.

...[8] *Cap. I: De rationibus inter episcopos et SS. Romanae Curiae Congregationes,* nn. 2, 3, 4, 5.

1. Titulus hic, quem cap. I prae se fert non placet, discrepat enim cum constitutione dogmatica *de Ecclesia*, ...[9] ubi loquitur de relatione Petri ac ceteros apostolos ad instar cuiusdam collegii institutos, cuius collegii Petrus est praefectus. Dicitur item in hac constitutione de episcopis successoribus apostolorum, qui corpus quoddam episcopale formant una cum ...[10] Romano Pontifice, huius corporis capite. Si ita res se habent in parte dogmatica, idem servandum est etiam in parte iuridica. Ideo praefatus titulus potius sonare debet: De rationibus inter episcopos et Romanum Pontificem, vel S. Sedem, non vero SS. Romanae

Curiae Congregationes, quia hoc melius concordat cum veritate dogmatica et etiam historica. Erat enim tempus in quo nullae rationes inter episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes erant quia Congregationes ...[11] adhuc non existebant. Ex notis historicis Annuarii Pontificii patet, ipsas non excedere ultra saeculum XVI. Non datur vero tempus in vita Ecclesiae Christi, in quo non essent rationes episcopos inter et Romanum Pontificem, rationes inter corpus episcoporum et eius caput. Ideo, meo humili iudicio, praeferenda est formula, quae in natura ontologica huius rationis inter episcopos et Romanum Pontificem fundatur, formulae ...[12] in facto momentaneo *et accidentali* [13] fundatae.

Non adest tandem difficultas ex parte terminologiae iuridicae, ut talis mutatio tituli in schema nostrum indicatur. Codex enim Iuris Canonici simili terminologia iam utitur, *uti ex can. 7 patet.*[14]

2. Dictis de titulo, nunc de argumento in hoc titulo contento tractabo, quod in nn. 2 et 3 continetur. Argumentum in his numeris contentum generaliter placet, exclusis partibus, quae suggerere intendunt, quod facultates, quae ex nunc, post Concilium scil., episcopi iure communi stabiliter habebunt, hucusque illis quasi ex concessione recognitae fuerint. Revera autem facultates illae et adhuc ampliores olim in praeteritis Ecclesiae saeculis ad episcopos in suis ecclesiis pertinebant et tantum tractu temporis, ob iustas fortasse causas, ipsis ademptae sunt per reservationes et ad exercitium traditae diversis Curiae Romanae Dicasteriis. Ideo usus facultatum, quem Concilium nunc hoc decreto episcopis adiudicat est potius restitutio quam recognitio seu concessio. Et hic ostenditur etiam finis practicus definitionis potestatis iurisdictionalis episcopi in sua dioecesi, quod ipsa nempe est immediata ac ordinaria ...[15] Si talis est enim potestas iurisdictionalis episcopi, sufficit levare reservationes positas, ut ipsa suum vigorem pristinum recuperet et in effectum deducat.

3. Nunc de titulo II, pag. 7 schematis, qui sonat: De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos ...[16].

Titulus ipse non placet, laborat enim iisdem defectibus ac titulus I. Ideo rationes ibidem allatae valent etiam hic ...[17]. Potius placet titulus quem propono: « De praxi S. Curiae Romanae relate ad episcopos ». Hoc enim titulo proposito comprehenduntur non solum Congregationes, sed etiam tribunalia et officia Romani Pontificis, quae relationes quoque habent cum episcopis, non tantum Congregationes. Propositus ergo titulus, uti magis adaequatus, praeferendus est titulo in schemate adhibito. Tali titulo tandem utitur praxis ecclesiastica, v. g. Annuario Pontificio. Quoad argumentum huius tituli nullae exsurgunt obiectiones. Exoptandum est tantum, ut officia vel commissiones, de quibus sermo est in n. 4 quamprimum constituantur ...[18]. Idem dicendum est de episcopis

in Ss. Congregationum consilium cooptandis, sed melius adhuc esset hanc cooptationem etiam ad officia Curiae Romanae extendere.

Attamen normae praevisae in schemate nostro mihi videntur non sufficientes fore. Hoc patet tum ex discussione in hac aula conciliari habita circa constitutionem dogmaticam *de Ecclesia,* tum praesertim ex suffragatione circa 5 Propositiones quoad cap. II schematis *de Ecclesia.* In hac suffragatione acceptae fuerint Propositiones 3 et 4 cum explicatione sensus earum in *N. B.* expresso, ubi dicitur « de modo practico et concreto, quo duplex forma supremae potestatis in Ecclesia exercetur ». Talem modum novae ...[19] inducendae in exercenda suprema potestate in Ecclesia videtur annuere ipsum Romanum Pontificem in sua famosa allocutione ad officiales Curiae Romanae nuper habita, *et ultimo in allocutione cum sessio Concilii Vaticani II inchoaretur.*[20]

Sed uberior dissertatio et complementum nostri capitis tunc tantum possibiles erunt, cum labores circa constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* perficientur, *quia tunc*[21] applicatio practica et fructifera principiorum in ea contentorum in forma iuridica possibilis fiet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] A) Introductio n. 1. [2] pars I, cap. II, iam a nobis examinata. [3] in hoc cap. II de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopis. [4] Comparando scil. potestatem S. Pontificis cum potestate episcopi in sua dioecesi. [5] deest. [6] Talis erat etiam opinio multorum Patrum in hac materia in praeteritis congregationibus huius Concilii manifestata. [7] quae est fundamentum eius muneris pastoralis. [8] B). [9] cum cap. scil. II de constitutione hierarchica Ecclesiae. [10] successore. [11] istae. [12] transitoriae. [13] non stabili. [14] cum in can. 7 statuit: « Nomine Sedis Apostolicae vel S. Sedis... veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam... Congregationes, Tribunalia, Officia... etc. ». Immo nomen propositum (Romanus Pontifex, S. Sedes) melius est, mea humili opinione, quam nomen in schemate exhibitum, quia hoc ultimum limitat rationes episcoporum ad Congregationes tantum, praetermissis Tribunalibus et Officiis S. Curiae Romanae, quod non concordat cum praxi administrativa Ecclesiae. [15] de qua sermo erat in initio huius interventionis. [16] et qui comprehendit nn. 4 et 5 schematis. [17] et ad titulum II item sunt applicandae. [18] ex viris peritis et revera undequaque adscitis compositae ad studium quaestionum hodierni ministerii pastoralis tam complicati in diversis nationibus. [19] formae. [20] deest. [21] Exspectandum est ergo, dum haec constitutio dogmatica perfecta erit et tunc tandem.

7

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Liceat quamdam observationem vel emendationem proponere in cap. I, n. 3, pag. 6, de facultatibus episcoporum, principium fundamentale.[1]

Recte quidem, iam in ipsa huius schematis introductione, dictum est: « Animarum salus, lex in Ecclesia Christi suprema »; et recte quoque, in hoc n. 3, ut « principium fundamentale » asseritur: « Episcopi residentiales iure communi omnes habent facultates quas aptius et expeditius eorum ordinariae et immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat ».

At, cum haec verba « facultates quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat » aliquantulum vaga seu indeterminata sint, formula seu regula magis concreta fulciri possent, ut non mere theoreticam, sed et practicam habeant efficaciam. Quam quidem regulam seu formulam ex ipso Ecclesiae magisterio haurire possumus.

Nam ab hoc magisterio docemur Romanum Pontificem iurisdictionem plenam habere in universam Ecclesiam et in omnes et singulos pastores et fideles; et simul docemur (cf. Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. 4, et Concilium Vaticanum I, const. *de Ecclesia Christi,* cap. 3) quod « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ». Quae quidem iuris divini sunt ac, proinde, immutabilia.

At modos seu determinationes particulatim exercendi hoc regimen et illam iurisdictionem, iuxta locorum et temporum et personarum varias circumstantias, haec Christus iudicio seu prudentiae reliquit ipsius sacrae hierarchiae, dummodo substantialia ab ipso instituta serventur, i. e., et regimen Ecclesiae per episcopos et iurisdictionis universalis Romani Pontificis. Hi modi seu determinationes exercitii regiminis episcopalis et iurisdictionis pontificiae ecclesiastici iuris erunt; et eorum influxus beneficus vel nocivus in vitam Ecclesiae et animarum, maior vel minor adaequatio Christi menti, prout haec ratione fide illuminata agnosci potest, horum omnium laus vel culpa in ipsos hierarchas decernentes recident, et quidem graviter.

Iam vero, in hoc iure ecclesiastico decernendo, quod obiectum est huius schematis, et circa « principium fundamentale », de quo in hoc n. 3, haec in primis, iuxta rationem fide illuminatam, prae oculis habenda esse videntur:

Cum Romanus Pontifex, in omnibus et singulis actibus regiminis universalis Ecclesiae, ipse personaliter, ex naturali humana limitatione, intervenire minime possit, nec per legatos id facere valeat, contra divinam episcoporum institutionem ad regendam Ecclesiam Dei, ratio illius supremae universalis iurisdictionis, Petro et eiusdem successoribus concessae, non quidem ea fuit, ut totum Ecclesiae regimen sibi reservarent, sed ut, quotiescumque in aliquo negotio seu materia intervenire, vel eam sibi reservare decreverint, nullus se ab hac iurisdictione exemptum putare, nec ulla a iudicio Pontificio appellatio dari possint in terris.

Ceterum, norma iuxta Christi mentem harum interventionum seu reservationum, satis clare nobis significata est ab ipso supremo magisterio Ecclesiae. En textus Concilii Vaticani I, cum de *definitione Romani Pontificis primatus* [2] ageret (cf. Denz., nn. 1821 et 1828): « Quemadmodum igitur apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre*: ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, B. Petrum ceteris apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum.

« Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati ... ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur ».

Iuxta hos textus, finis seu ratio specifica, ut ita dicam, institutionis a Christo in Ecclesia primatus Romani Pontificis, fuit conservatio unitatis fidei et communionis seu disciplinae in ipsa Ecclesia; unde hic primatus, potius quam ad potestatem episcopalem minus efficacem vel expeditam reddendam, ad eamdem asserendam et roborandam ordinari dicendum est.

Iam vero, cum iuxta effatum philosophicum « finis sit regula ceterorum », haec prima regula seu norma interventionum vel reservationum a S. Sede decretandarum dicenda videtur: ut potestatem episcopalem, ordinariam et immediatam, dioecesim regendi, nec minus efficacem nec minus expeditam reddat, nisi necessitas unitatem fidei et disciplinae servandi aliud expostulet.

Unde « principium fundamentale » huius n. 3 ...[3], sic emendandum proponimus: post verba « ad se avocare iudicaverit », haec addantur: « Episcopi residentiales, iure communi et sub iure communi sive divino sive ecclesiastico, plenam habeant potestatem dioecesim efficaciter et expedite in omnibus regendi; iis tantum exceptis quae a Romano Pon-

tifice, ratione fidei et disciplinae unitatem servandi, sibi reservata fuerint ».

Cetera huius n. 3, § 1, omittantur; et in appendice de qua agitur, potius quam facultatum, quae episcopis *recognoscuntur,*[4] elenchus fiat earum, quae S. Sedi reservatae maneant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] definiendo R. P. primatu. [3] par. I. [4] recognoscantur.

8

EXC.MUS P. D. AUDENUS McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Nomine episcoporum Africae Meridionalis et Rhodesiae Meridionalis loquor, secundum emendationem iam propositam a conferentia nationali.

Placent ea quae dicta sunt in par. 5, pag. 7 ...[1], de episcopis diversarum nationum a conferentia episcopali nationali designatis, in Ss. Congregationum consilium cooptandis tamquam membris vel consultoribus.

Primo quidem, quod ibi proponitur omnino concordat cum ideis ab ipso Summo Pontifice expressis in Allocutione ad Romanam Curiam die 21 septembris habita.

Secundo vero, tam evidenter ad bonum universalis Ecclesiae concurret et ad pastoralem Concilii Oecumenici finem attingendum, ut de hoc nemo dubitare possit. Etenim Romana Curia multo meliorem habebit opportunitatem mutuae consultationis et arctioris collaborationis cum episcopis, et ita, ditata thesauro experientiae ab episcopis in eorum pastorali ministerio cumulato, multo melius valebit munus suum explere « in bonum omnium Ecclesiarum et in servitium sacrorum pastorum ».

Nihilominus[2] proposita cooptatio quorumdam episcoporum in Ss. Congregationum consilium omnino non sufficit ad finem intentum.

Imprimis, practicis difficultatibus non caret. Episcopi dioecesani non poterunt coetibus Congregationum adesse tam frequenter quam membra et consultores Congregationum qui Romae degunt; nec magnam partem habebunt in praeparandis rebus tractandis; nec tempus facile invenient istas res profundius cognoscendi.

Praeterea, ad bonum Ecclesiae hodiernae in sua pastorali activitate ulterius procedendum esse videtur. Non tantum episcopi in Ss. Congregationum consilium cooptandi sunt, sed etiam constituendum est corpus

consultativum episcoporum, totum episcoporum collegium repraesentans, quod statutis temporibus (semel saltem in anno) Romae conveniat ad directe deliberandum cum ipso Summo Pontifice et cum principalibus eius curialibus officialibus de rebus ad universalem Ecclesiam spectantibus. Quae directa deliberatio cum ipso Summo Pontifice sponte sequitur ex iis quae iam saepius in hac aula dicta sunt de collegio episcoporum; nec aliena est a verbis ipsius Summi Pontificis ad Romanam Curiam loquentis de desiderio quod Concilium manifestare potest « di vedere associato in un certo modo e per certe questioni... qualche rappresentante dell'episcopato, particolarmente fra i presuli che dirigono una diocesi, al capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico » — en verba ipsissima Summi Pontificis.

Tale consilium episcopale seu corpus consultativum Summo Pontifici consilium praestaret circa maxima problemata pastoralia Ecclesiae universae, necnon circa ea quae Ecclesiae « aggiornamento » consequentur et quae spectant ad decisiones huius Oecumenici Concilii in effectum deducendas.

Immo, in opinione mea, ne nimis protrahantur Concilii disceptationes, plura quae ipsi Concilio tractanda in futuro proponi debent ab huiusmodi consilio episcopali tractari possent, i. e. ea quae spectant ad res disciplinares ordinandas. Ad istas quaestiones examinandas et solvendas mandatum acciperet ab ipso Concilio, ita omnia ageret secundum mentem Concilii iam clare manifestatam.

Praeterea, tale consilium episcopale Summum Pontificem immediate certiorem faceret de statu mundi catholici, sive quod spectat ad res pastorales, sive quod attinet ad cetera omnia; item nota faceret incepta ad problemata solvenda in cunctis mundi partibus cum felici exitu excogitata. Denique Summo Pontifici eiusque Curiae multum inserviret ad rationem agendi inveniendam diversis temporibus ac locis maxime convenientem.

Propono igitur ut in schema inseratur nova paragraphus seu sectio in qua corpus consultativum episcoporum, Summo Pontifici in gubernio Ecclesiae universalis associatum, claris verbis praesentetur, et in qua, secundum invitationem ipsius Summi Pontificis Concilium Oecumenicum Vaticanum II suum desiderium clare manifestet associandi quosdam collegii episcopalis repraesentantes cum Capite supremo ipsius Ecclesiae in studio et responsabilitate gubernii ecclesiastici. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] linn. 21-27. [2] Attamen.

9

EXC.MUS P. D. MICHAËL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plurium episcoporum de Hibernia.

1. Multum audivimus heri de necessitate doctrinae collegialitatis episcoporum tamquam fundamentum huius schematis. Non consentio.

Per centum annos, episcopi in Hibernia habuerunt conferentiam episcopalem nationalem quin unquam audirent de collegialitate.

Sed est doctrina quae est vere fundamentalis, nempe iurisdictionem episcopi residentialis esse ex divina institutione.

Apparet tendentia in hoc schemate diminuendi figuram et auctoritatem episcopi residentialis per imponendum coadiutorem, extorquendum renuntiationem et inserendum auctoritatem collectivam. Haec tendentia pessimos fructus, mea opinione, produceret quoad unitatem populi et disciplinam cleri. Necesse est auctoritatem episcopi residentialis asserere et confirmare. Hinc propono ut pag. 5, lin. 7, introducantur verba « ex divina institutione ». Haec doctrina recepta est in Ecclesia, invenitur in C.I.C., can. 329.

2. De facultatibus episcoporum disceptandum non est in Concilio. Hoc est mandatum commissionis de coordinandis laboribus Concilii. An habet commissio auctoritatem determinandi quid in Concilio Oecumenico disceptandum sit vel non? Solus Supremus Pontifex hanc auctoritatem habet. Si dedit potestatem commissioni, acquiescendum est.

Sed sunt plures quaestiones quae ad bonum pastorale dioecesium maxime pertinent: de causis matrimonialibus, de reservatione censurarum, de taxis pro dispensationibus.

Dolendum est in hoc Concilio non permitti opiniones Patrum de his materiis libere et aperte communicare.

De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos. Haec materia non ad Congregationes tantum pertinet sed etiam ad Tribunalia et Officia, cum quibus episcopi frequentes relationes habent. Romanus Pontifex supremam potestatem legislativam, exsecutivam et iudiciariam habet. Utique...

Moderator: Exc.me Domine, de hoc iam alii Patres locuti sunt!

Orator: Bene! Sed distinctio inter organa exsecutiva et iudiciaria est valde confusa. Tribunalia sunt iudiciaria, sed Congregationes etiam

exercent functiones iudiciales, etiam de matrimoniis. Officia potestatem exsecutivam habent sed quaedam Officia nullam pastoralem functionem exercent, e. g. Dataria de reservationibus beneficiorum occupatur. Hae reservationes in certis tantum regionibus urgentur, non in omnibus. Hoc non est aequum. Praeterea nulla ratio pastoralis pro his reservationibus dari potest.

Nihil in capite dicitur de charactere internationali Curiae, nec de qualitatibus requisitis. Sed certe valde requiritur ut in tribunalibus, sicut Rotae et Poenitentiariae, et in Congregationibus adsint viri qui de linguis et conditionibus variarum nationum bene versantur. Sed quaestio est num hic, hi veri sint episcopi. Schema proponit ut nonnulli episcopi diversarum nationum membra vel consultores Congregationum fiant. In hoc aliqua inconvenientia vel etiam pericula oriri possunt. Si episcopus est membrum activum et non mere dormiens Congregationis, debet habere cognitionem et vocem et influxum in omnibus casibus ad suam nationem pertinentibus, e. g. in Consistoriali partem habebit in nominatione episcoporum et in determinandis negotiis suae nationis; in Congregatione de Religiosis partem habebit in quaestionibus inter religiosos ipsos vel inter religiosos et episcopos. Inde video inconvenientiam in associatione episcoporum cum Sacris Congregationibus.

Mihi videtur locum episcoporum esse in participatione potestatis legislativae Supremi Pontificis, in formando Concilio permanenti quod Romanum Pontificem adiuvaret ut leges ecclesiasticae bonum commune magis promoverent et pericula nova emergentia efficacius et celerius averterent. Hoc opus consultivum etiam nunc a Sacro Collegio cardinalium facilius exsequi potest, si Sacrum Collegium vere senatus esset qui conventus regulares haberet ad leges universales Ecclesiae perpendendas et renovandas. In temporibus anteactis Sacrum Collegium fuit vere senatus consultivus per modum consistorii. Forsitan bonum esset adiicere aliquos episcopos, si Sanctissimus vellet. Sed functio episcoporum et cardinalium propria est adiuvare Summum Pontificem in legislativa, non in exsecutiva. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. Propono ut in introductione, pag. 5, lin. 7, introducantur verba « iure divino », ita ut legatur « Episcopi ergo, cum iure divino peculiaribus praeficiantur Ecclesiis tanquam veri pastores ».

2. De facultatibus episcoporum disceptandum non est in Concilio. Hoc est mandatum commissionis de coordinandis laboribus Concilii. Solus Romanus Pontifex habet auctoritatem determinandi quid in Concilio agendum sit vel non. Dolendum est in hoc Concilio non permitti opiniones Patrum libere et aperte com-

municare de pluribus materiis maximi momenti, quae ad bonum pastorale pertinent, e. g. de causis matrimonialibus, de reservatione censurarum.

De praxi Congregationum erga episcopos. Haec materia extendit etiam ad Tribunalia et Officia. Supremus Pontifex utitur Curia in exercitio potestatis executivae et iudicialis. Distinctio inter organa iudicialia et administrativa est valde confusa. Quaedam officia nullum laborem pastoralem exercent e. g. Dataria.

Nihil dicitur de internationali charactere Curiae, de qualitatibus curialium. Valde requiritur ut in tribunalibus sicut Rotae et in Congregationibus adsint viri qui in linguis et conditionibus variarum nationum versantur.

Proponitur ut episcopi fiant membra vel consultores SS. Congregationum. Si hi episcopi cognitionem vocem et influxum in rebus apud Congregationes disceptatis, potest esse inconvenientia vel periculum. In Consistoriali partem haberent in nominatione episcoporum et in rebus ad dioeceses pertinentes; in Congr. de Religiosis partem haberet in quaestiones inter religiosos ipsos vel inter religiosos et episcopos.

Mihi videtur locum proprium episcoporum esse in participatione potestatis legislativae Summi Pontificis, in formando consilio permanenti quod Romanum Pontificem adiuvaret ut leges ecclesiasticae bonum commune magis promoveant, et pericula nova emergentia efficacius et celerius avertant. Hoc opus consultivum etiam nunc in Sacro Collegio cardinalium faciliter exsequi potest, si Sacrum Collegium vere senatus esset qui conventus regulares haberent ad leges universales Ecclesiae perpendendas et renovandas.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS FERREIRA GOMES
Episcopus Portugallensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres et Fratres,

1. Schema, quod nihil dicit de episcopo in se, sed est totum in relativo, habitudines episcopi ad omnes fere sursum ac deorsum considerans, necesse est incipiat, ut mihi videtur, a relatione et habitudine, non ad Curiam, sed ad ipsum Summum Pontificem tum episcopi tum collegii episcopalis.

Nec dicatur hoc esse theologicum, in schemate ideo dogmatico *de Ecclesia* recondendum. Quod ibi theologice, hic iuridice, *personaliter* [1] et quasi vitaliter ad rem est deducendum.

Nec impossibile nec admodum difficile hoc ...[2] videtur. Sufficit, e. g., ut sumantur maiora capita illius Declarationis collectivae ab episcopatu germanico anno 1875 editae contra falsas interpretationes tum primatus tum infallibilitatis ab auctoritate civili prolatas, quae Declaratio, a Summo Pontifice Pio IX quasi gloria Ecclesiae et laetitia cordis sui laudata, praebet verum sensum Concilii Vaticani ea claritate et integritate ut nihil addendum desideretur, sicut idem Pontifex iterato expressit.

Quae ibi dicuntur contra falsam notionem Ecclesiae quasi monarchiae absolutae si in mentem omnium, non tantum principum saecularium et acatholicorum, verum etiam et maxime catholicorum et doctorum altius defingerentur, opimi fructus in *tota* [3] reali vita Ecclesiae exspectandi essent. Idem dicatur de negata functione episcopi quasi vices gerentis papae, scil. exterae potestatis, immo maxime ...[4] de illa perlucida proclamatione, nempe non admitti in Ecclesia principium *illud* [5] immorale et tyrannicum quod mandatum superioris *eliminet* [6] sine restrictione responsabilitatem personalem.

Etiam in ipsis relationibus *ad Deputationem* [7] Fidei in Vaticano I factis non pauca *invenirentur* [8] quae ad hanc habitudinem clarificandam pertinerent.

Tandem aliquando ...[9] non videretur absonum nec alienum a Concilii natura, *post iuridica et pastoralia quaecumque,*[10] actum fidei proferre quoad hoc ...[11] in mysterium Ecclesiae, *qui* [12] in duplex caput cederet, scil.: 1. numquam fuisse et numquam fore, salva Ecclesiae veritate ac indefectibilitate, ut episcopatus qua talis a suo capite separetur, nec idcirco et vicissim ut Papa ...[13] sit *solus,* maxime cum fidem Ecclesiae, non utique suam, definit. Et 2. Spiritum Patris et Christi-Capitis ita assistere atque praefuisse, praeesse et praefuturum esse Corpori ut numquam primatus episcopatum extenuet aut evacuet atque ut numquam collegium episcoporum possit primatui et unitati Ecclesiae officere ...[14]. In Spiritu assistenti *Ecclesiam* [15] est ultimatim aequilibrium inter duplicem veritatem et potestatem ab eodem Christo promanantem.

2. Tum ad principia tum ad normas iuridicas et praxim quod attinet, ...[16] nihil inducendum, nihil innecessarie retinendum quod unionem et collegialitatem episcoporum cum Summo Pontifice obscurare possit. Ea omnia promovenda sunt, quae hanc veritatem in lucem ponant ita ut opimos fructus suos ...[17] afferat in bonum Ecclesiae.

Quae ideo dicuntur sub n. 5 huius capitis non videntur ad hoc satis proficere, immo nec convenire, quia:

a) si collegialitas est de essentia Ecclesiae, tunc semper fuit, est et erit ...[18], modis et formis a suo Capite ...[19] determinandis; dubium ...[20] erit num etiam collegialitas sit delegabilis;

b) non videntur respondere menti Summi Pontificis ...[21] cum locutus est *ad Curiam, sicut hic iam saepe commemoratum est*; [22]

c) possent *forsan* [23] vergere in contrarium, *scil.*[24] in maiorem centralizationem et forsan in maiorem autonomiam *erga membra et etiam erga* [25] Caput collegii.

Nunc vero ...[26] non videtur Concilium vitare posse quaestionem *utrum* [27] sit praeter episcopale, aliud collegium, quod forsan *hoc* [28] obscu-

ret et, si ita, utrum sit necessarium. Id quod est iuris divini homini non licet immutare; quod autem historia *humana*[29] invexit nihil prohibet quominus historice iudicetur.

Episcopi succedunt collegio apostolorum et cum suo capite efficiunt in ...[30] tempore Ecclesiae, iure divino, collegium indefectibile. Ex alia parte, ut iam in Vaticano I nomine Deputationis Fidei dictum est, « episcopi et charactere et auctoritate principes sunt... quod eos Christus *pontifices summos* regendis populis praefecit ».

Nunc vero Sacrum Collegium em.morum cardinalium historice institutum est ad tuendam libertatem Ecclesiae Romanae et consequenter libertatem simpliciter Ecclesiae, quod munus, ...[31] utique nobilissimum, fuit maxime necessarium pro ...[32] conditionibus temporis. Quod autem sua ipsa exsistentia *et*[33] splendore offuscet collegium episcopale non videtur dubium. Aliquo tandem die quaerendum erit utrum sit adhuc necessarium. Pro eligendo Summo Pontifice procul dubio *nunc temporis*[34] electores sumpti undequaque terrarum citius Vaticano accederent quam olim cardinales ex suburbicariis sedibus.

Dicat forsan quis Summum Pontificem ad regendum Ecclesiam ...[35] indigere summis administris sicut omnia gubernia. Quamvis abhorream, Evangelio duce, a comparatione Ecclesiae cum societatibus saecularibus, hic comparatio est revera naturalis, quia sine ulla irreverentia agnoscendum est Curiam Romanam, saeculo XVI *institutam in forma actuali,*[36] speciem adhuc prae se ferre, haereditate excepta, curiae regalis saec. XVII aut XVIII, ne loquamur de quibusdam reliquiis Imperii Byzantini et Romani-Germanici.

Quis autem hodie cogitare potest in *societate*[37] civili de cursu honorum ad *functionem*[38] administri Status ducente, aut de aliquo coetu privilegiato et a iuventute *praeparato ut munera suprema,*[39] nempe ministeria, directiones generales, legationes et ita porro obeat?!...

Summus Pontifex, *semel ab Ecclesia electus*[40] et a Spiritu Sancto institutus, seligeret ex omni Ecclesia ...[41] cooperatores, administros et rectores *Congregationum et*[42] Dicasteriorum, ad tempus *assumptos,*[43] v. g. ad triennium, qui, supremi utique episcopi, *munus dioecesanum retinerent.*[44] Traditio et necessaria continuitas in officiis Curiae ab officialibus servaretur, qui cursum suum ...[45] haberent, sed *non praeter*[46] ambitum officiorum ...[47]. Cursus honorum qui ad episcopatum motu ...[48] suo ducat videtur omnino indecens ...[49].

Tempus expletum est.[50] Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] pastoraliter. [2] quod proponimus. [3] summa. [4] dicendum. [5] deest. [6] eliminat. [7] a deputatione. [8] in-

veniuntur. [9] post iuridica et pastoralia omnia. [10] deest. [11] punctum. [12] quae fides. [13] unquam. [14] quoad substantiam et essentialia utriusque Instituti aeque in Evangelio fundati. [15] Ecclesiae. [16] quin immo in praxi. [17] proprios. [18] ut revera credo. [19] determinatis atque. [20] etiam ad minus. [21] Pauli VI. [22] de « desiderio di vedere *associati*... qualche rappresentante dell'episcopato, particolarmente tra i presuli che dirigono una diocesi, *al capo supremo della Chiesa stessa,* nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico... ». [23] deest. [24] nempe. [25] relate ad membra quin immo ad. [26] temporis. [27] utique salebrosam, utrum nempe. [28] illud. [29] deest. [30] omni. [31] prae omnibus. [32] lugendis. [33] quin dicam. [34] nostro hoc tempore. [35] universam. [36] suam formam ducentem. [37] civitate. [38] munus. [39] sic educto, ut functiones supremas. [40] ab omni moraliter Ecclesia assumptus. [41] pro agnita competentia. [42] deest. [43] assumendos. [44] dioecesim suam retinerent, dum cum Summo Pastore in universale munus collaborabant fere duplici pastorali ratione. [45] utique. [46] intra. [47] seu, ut dicitur, burocraticum, non autem gubernativum. [48] quasi. [49] cum episcopatus sit iuris divini. Ex Dei instituto, omnis pontifex ex hominibus assumitur et pro hominibus constituitur: non videtur ex aliquo cursu honorum desumendus nec pro aliqua functione burocratica constituendus. De institutis diplomaticis iam satis dictum est, maxime a clarissimo episcopo missionario Amman, loquente de rugis Ecclesiae. Relationes Ecclesiae romanae magis magisque ad populos « rhythmo constantiano » pereunte et simul conceptu democratico apud ipsos progrediente; ideoque minus minusque ad duces eorum. Valor et vis S. Sedis apud civilia gubernia tanta et non amplior (quandoque minor) quam vis politica actualis aut potentialis catholicorum illius societatis. Aliunde duo magna, ultima et tandem aliquando unica instrumenta virorum diplomaticorum, nempe veritatem supervestire et tandem illi sufficere mendacium atque minitare minus minusque discrete vim et bellum, Ecclesiam dedecent. Si revera Ecclesia apud quendam populum iam adolevit, tunc episcopi fiduciam S. Sedis merentur, etiam ad colloquendum cum auctoritate civili, sin minus, si revera episcopi non merentur illam fiduciam, tunc certo nondum adolevit Ecclesia, mittantur Nuntii aut Legati Apostolici, sed ut Franciscus Xaverius et alii, vere missionarii.

Labente tempore quaedam dilabuntur ut nova quaedam florescant. In Concilio Tridentino, ut fertur, arch. Bracarensis, ven. Bartholomaeus de Martyribus, cum de Reformatione ageretur, omnibus obsequenter asserentibus cardinales S. Romanae Ecclesiae non indigere reformatione, in medium protulit: « Illustrissimi ac reverendissimi cardinales indigent illustrissima ac reverendissima reformatione! ».

Hodie, Deo opitulante, de tali reformatione ne verbum quidem! Sed, salva reverentia, nihil prohibet quominus cogitemus de die in quo ab omni Ecclesia gratiae agendae Sacro Collegio erunt pro munere bene functo et iam defuncto. Sensum meum aperire, qui sensus — ut verbis utar Augustini — « mihi quam aliis et quam aliorum est utique notior » parum referret; possem autem et sensum aliorum referre qui non loquuntur...

Iam haec omnia saltem in mente elaboraveram cum Sua Beatitudo Maximos IV, patriarcha Melchitarum, hic mentem suam ac suorum pandit. Nec doleo; immo quodammodo gaudeo. Iam inde ab incepto Concilio mecum et cum quibusdam dolebam de inconformitate cogitandi et sentiendi inter orientales et occiden-

tales: quasi fossa aut *choas magnum* inter nos, ad quod cumulandum in aula parum, si aliquid, fiebat (salva semper miranda activitate secretariatus pro oecumenismo). Nunc vero si nec inter catholicos orientales et occidentales realem unitatem sine renegatione valorum propriorum consequimur, quid cogitandum de unitate cum orthodoxis et aliis separatis? Si vero hunc consensum mentium et cordium, in diversitate traditionum, rituum et culturae non consequimur, in campo praecipue ecclesiologico, agnoscamus Concilium quoad praecipuum finem incassum iri. Quod Deus avertat!...

Iam nunc tantum deest ut reverentiam meam profitear erga Sacrum Collegium hic et nunc stans, et signate, simul cum gratiarum actione erga praesides et moderatores, qui procul omni dubio, in quacumque conditione essent eminentes, immo vero eminentissimi, ut re quidem vera sunt, in iuris divini collegio episcopali. [50] deest.

11

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine nonnullorum episcoporum Americae Latinae, sed diversimode, quia pro vicissitudinibus huius meae interventionis quaedam debui immutare, et omittere alia iam pluries dicta.

Circa ea quae hodie audivimus in hac aula, in hac congregatione generali, dicere velim quod non sumus hic ad doctrinam Concilii Vaticani I repetendam et extollendam, sed complendam et vias quaerendas ut bonum Ecclesiae nostris temporibus procuremus.

Schema de episcopis in plurimis singillatim sumptis placet; sed relate ad cap. I haec habeo dicenda.

1. Schema plurimis orbatur quaestionibus, et ita complendum et mutandum videtur cap. I, post introductionem iam pluries commendatam in aula:

De pastorali episcoporum munere.

A) De docendi episcoporum munere.

B) De pontificali episcoporum munere.

C) De regendi episcoporum munere: principium fundamentale; de potestate episcopi residentialis; de potestate episcopi coadiutoris et auxiliaris; de potestate vicarii episcopalis.

D) De electione episcoporum ac de eorum cessatione a munere.

Alia vero capita, ut melius mens mea appareat, ita integrarentur, partim ex materia quae nunc est in cap. I:

Cap. II. *De communione episcoporum cum Sede Apostolica.*

A) De potestate collegiali episcoporum: principium fundamentale; de Summi Pontificis muneris exercitio; de patriarchis et cardinalibus in Ecclesia; de consilio apostolico constituendo.

B) De Dicasteriis Sedis Apostolicae.

C) De Delegatis Apostolicis.

Cap. III. *De communione episcoporum per orbem dispersorum, nempe de conferentiis episcopalibus.*

Cap. IV. *De dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.*

Cap. V. *De communione episcopi cum suo presbyterio.*

Cap. VI. *De communione episcoporum et religiosorum.*

Hoc quidem significat refunditionem totius schematis cum elementis schematum *de cura animarum* et *de clericis*. Textus ita ab aliquibus episcopis Americae Latinae redactus tempore opportuno commissioni conciliari tradetur.

2. Nihil habemus in cap. I de nominatione episcoporum, quae maximi momenti est pro salute Ecclesiae; et variae formae decursu saeculorum adhibitae sunt, quae examini subiciendae essent ad hoc ut seligerentur et adaptatae in usum venirent eae quae melius menti nostri temporis et praesertim novis formis structurationis practicae Ecclesiae responderent. E. g. tamquam praecipua forma interventionis Status in res ecclesiasticas potest sine dubio considerari, in era constantiniana cui nunc forsitan finis imponitur, interventio Status in nominatione episcoporum et in erectione et delimitatione dioecesium et nonnunquam in erectione et delimitatione paroeciarum. Ex hac interventione plura mala evenisse historia testatur; etsi, sicut mos est in rebus humanis, non pauca bona aliquando, e. g. cum America detegebatur et evangelizabatur, nam Status, Providentia divina opitulante, sollicitudinem missionariam, quae tunc in institutionibus et in hominibus ecclesiasticis sub influxu humanismi pagani debilitata erat, fovebat, etsi proh dolor! plurimis actionibus mere politicis vel oeconomicis permixtam.

Ego, episcopus mexicanus, quia aliquomodo sub regimine prae-constantiniano (christianos esse non licet) pastoratum meum exerceo, tolerantia potestatis civilis fruens, de hac re agere audeo « libertate qua Christus nos liberavit ».

Nam cum tempus est loquendi, tacere omnibus nobis nefas esset, quia cum in Concilio loquimur, actioni Spiritus Sancti nos submittimus et pluries experti sumus quomodo circa res quae in aula libere disputabantur mirabilis unitas efformata fuit, sicut circa usque ad satietatem

discussam liturgiam iam diu, sicut in casu collegialitatis et diaconatus recentissime accidit.

Exstat et alia quaestio gravissima, sed de ipsa agere defectus temporis non sinit; nec opportunum esset brevitate tractationem perstringere. Ideoque commissioni conciliari, quae instrumentum est Concilii ad labores secundum voluntatem Patrum technice componendos et perficiendos ut iterum in aula ad trutinam revocentur, votum meum, et vobismetipsis, venerabiles Patres, humiliter scripto tradam, ut diligenter et coram Deo rem pro gravitate naturae suae consideretis ut aliquando tempore et modo opportuno, quam citissime, profunde et definitive expendatur et conciliariter definiatur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema de episcopis in plurimis singillatim sumptis placet; sed multa in eo non placent:

1. Quia per totum schema haec mens incessanter decurrit opportunum esse episcopos aliquibus facultatibus ditiores facere. E contra vera doctrina est episcopos iure divino iis facultatibus pollere quas eius pastoralis potestas expostulat, quae tamen ob bonum commune Ecclesiae universalis vel regionalis a Summo Pontifice solo vel una cum ceteris episcopis restringi in aliquibus vel totaliter possunt.

2. Quia cum de regimine dioecesium titulo decoretur, nemo intelligere valet cur de coadiutoribus et auxiliaribus agat, et non, e. g., de parochis, cum quaedam de paroeciis tractet.

3. Quia simili modo de bonis Ecclesiasticis nullibi sermo est, cum e contra haec quaestio tangatur in schemate *de clericis*.

4. Quia multo melius esset si schema *de clericis* cum hoc schemate in unum coalesceret. Unam prae aliis demonstrationem affero: non unus ex Patribus in aula votum exprimebant quod de presbyteris et diaconibus ampliori sermone tractaretur in schemate *de Ecclesia*.

Non pauci item fuerunt Patres qui magis protractam elucidationem de sanctitate et de praecipuis virtutibus episcoporum desiderabant, quod tunc etiam praestandum esset de presbyteris et diaconibus, sicut nunc in schemate *de clericis* fit.

Cum vero haec tractatio de sanctitate ministrorum Dei ad schema *de Ecclesia* demandatum fuerit, tunc decretum *de episcopis ac de dioecesium regimine,* optime compleretur cum tractatione de clericis magis pastorali et normativa, post tractationem de coadiutoribus, auxiliaribus, parochis, etc.

5. Quia schema de cura animarum magna ex parte in hoc schemate optime posset refundi.

6. Quia in rebus minimis oleum et opera teruntur, e. g. cum proponitur facultas danda episcopis pro lotione corporalium a religiosis mulieribus (pag. 31, n. 11), dum e contra quaestiones maximi momenti nequaquam tanguntur. Haec duo propono exempla:

a) Una ex praecipuis interventionibus Status in res ecclesiasticas in era constantiniana, cui nunc forsitan finis imponitur, est interventio Status in nominatione episcoporum et in erectione et delimitatione dioecesium et nonnumquam in

erectione et delimitatione paroeciarum, etc. Ex hac interventione plura mala evenisse historia testatur; etsi sicut mos est in rebus humanis, non pauca bona aliquando, e. g. cum America detegebatur et evangelizabatur.

Sed de nominatione episcoporum quae pertinet maxime ad schema de episcopis, tam residentialium quam coadiutorum et auxiliarium, altissimum silentium servatur.

Ego, episcopus mexicanus, quia aliquomodo sub regimine praeconstantiniano (christianos esse non licet) pastoratum meum exerceo, tolerantia potestatis civilis fruens, de hac re agere audeo « libertate qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

Sed cum tempus est loquendi, tacere omnibus nobis nefas esset, quia cum in Concilio loquimur, actioni Spiritus Sancti nos submittimus et pluries experti sumus quomodo circa res quae in aula libere disputabantur mirabilis unitas efformata fuit, sicut circa usque ad satietatem discussam liturgiam iam diu, sicut in casu collegialitatis et diaconatus recentissime accidit.

b) Extat et alia quaestio quae in hoc schemate et in aliis in quibus opportunum fuisset, accuratissime omissa est:

Inter ea quae maximi facienda sunt ab episcopo in suae dioecesis regimine, facillime sanctitas clericorum primum locum obtinet.

Potestas vero episcopi, quae nunc alligatur a Summo Pontifice, ad sanctitatem clericorum fovendam maxime conferret et statum clericalem nitore lucidissimo circumdaret, nec memoratur quidem.

Loquor, conscientia me urgente, de facultate dispensandi a voto virginitatis sacerdotibus id opportune, iuste, gravissimis de causis petentibus, praevia reductione totali et perpetua ad statum laicalem, approbante Summo Pontifice.

Sicut vota perpetua et sollemnia religiosorum, quae antea numquam dispensabantur, ad vitanda peccata et anxietates eorum qui amplius onus ferre nequeunt quod libere, sincere, in consecratione perfecta Deo, ipsi sibi imposuerunt, hodie dispensantur, episcopus, pastor in primis et pater suorum sacerdotum, quos genuit, quos ad sacerdotium vocavit, quos ad sacerdotium tamquam validos cooperatores promotus est et simul ad perfectam consecrationem virginitatis invitavit, deberet illos liberare posse, prout antea in usu erat, quin ipsos quasi crudeliter vinculis adstrictos relinqueret, non tantum postquam poenis maximis plexi fuerint — iubilaeum quod tot fratres nostri magna spe a Concilio spectant — sed antea cum adhuc medicinae locus est, faciendum esset.

Venerabiles Patres: huius supremae propositionis argumenta hinc inde allata ponderare defectus temporis non sinit; sed commissioni conciliari et vobis ipsis humiliter scripto tradam.

Hoc unum in fine notare velim: nullus ex meis sacerdotibus — gratias maximas, B.ma Virgine Maria intercedente, Deo ago — in miserando statu defectionis versari.

Concludo. Schema pro disceptatione placet ut vera doctrina de potestate episcopali informetur et schematibus de clericis et de cura animarum integretur, prout forsitan alii Patres sapientissimo sermone suadebunt. Compleatur praeterea prout dictum est.

Animadversiones additae:

Brevis delibatio circa caelibatum. Caelibatus vere constituit gloriam Ecclesiae, uti Summus Pontifex Ioannes XXIII b. m. sermonem habens in Synodo Romano die 26 ianuarii 1960, plaudentibus omnibus edixit (*A.A.S.,* 42, 1960, p. 226).

Nostrum igitur est facere omnia, quae in nostra potestate sunt, ut talis gloria illibata resplendeat in vita et activitate ministrorum Ecclesiae.

Ad hoc vero ut haec gloria illibata servetur, caelibatus non simpliciter ut renuntiatio lege imposita matrimonio habendus est; sed ut vera virginitas, i. e., consecratio Christo soli, gaudio plena et totalis in nuptiali unione Ecclesiae cum Christo ipso, quae fundata in caritate spiritus nunc nos omnes movet ad hanc purificationem institutionum in Ecclesia, ut exhibeatur Christo ipso evangelica, sine macula, pauper, humilis, sine pompis, ministerio verbi adhaerens.

Haec quidem evangelica et ecclesialis elatio virginitatis iam in Foedere Veteri aliquantulum adumbrata quae nuntium est pro mundo futuri status perfectae resurrectionis cum Christo in quem tendimus, ita fieri quidem debet, ut non involvat devaluationem matrimonii; aperte praeterea sermo fiat de sacrificio, sine quo virginitas stare nequit; appelletur simul ad amorem generosum erga hominum quo hic status plena libertate est eligendus.

Virginitas in Ecclesia latina inseparabiliter hodie cum sacris ordinibus ad sacerdotium perducentibus coniuncta, ita tamen proponi debet ut candidati ad sacros ordines talem animum habeant ut virginitatem assumerent, etiamsi lex ecclesiastica caelibatum non imponeret. Inde ab initio, quo vocationem divinam sequuntur, qua ad ministeria divina in sacris ordinibus invitantur, statum virginitatis habeant tamquam omnino postulatum pro tali servitio divino.

Altera ex parte, dato sacrificio, quod caelibatus exigit, candidati aperte instruendi sunt, quod quoad viam virginitatis agitur de consilio, non de praecepto: quod electio inter matrimonium et virginitatem est electio inter bonum et maius bonum, non autem inter bonum et malum; quod consequenter plena libertate personali hanc electionem facere possunt et debent; quod igitur libere sacros ordines declinare possunt, quin peccatum committant; quod autem ordinibus receptis obligationi admissae fideliter stare debent.

Ad praecavendum periculum violationis caelibatus requiritur inter alia tamquam suppositum genuina institutio theoretica et practica in ordine ad caelibatum observandum. Institutio theoretica sit immunis ab illis ideis, quae tandem aliquando non sunt genuine christianae, sed sapiunt manichaeismum. Talis institutio potius inspirata sit vera anthropologia christiana, quae hominem totum quantum cum omnibus viribus firmiter credit creatum esse a Deo, qui hominem creavit masculum et feminam, et etiam quoad hoc vidit, quod omnia valde bona erant (*Gen.* 1, 27 et 1, 31).

Vere Sacra Scriptura ubique de hac sphaera agit modo aperto, simplici. Nihil in ipsa habetur devaluationis et habitudinis « complexus » erga hanc sphaeram; quinimmo ipse amor sexualis tanquam imago proponitur amoris inter Deum et hominem.

Institutio practica sit inspirata principiis sanae psychologiae. Momentum positivum virium sexualium pro fere tota vita humana, etiam pro vita mentali-spirituali, attendatur; perfectio personalis integrationem omnium qualitatum exigit; polaritas sexuum natura et fine suo auxilium praestat ad qualitates humanas spirituales evolvendas, ita ut veram harmoniam constituant.

Certo caelibatus excludit relationes familiaritatis cum personis alterius sexus et solitudo maxime nociva est; neque potest satis efferri necessitas sincerae renuntiationis hac in re. Eo magis caelibatus exigit habitudinem genuinam, scilicet sim-

plicem, interne liberam, fundatam in veritate et coniunctam cum reverentia et disciplina suiipsius.

Hic quaestio poni potest, utrum formula can. 972, 1: « Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in seminario recipiantur »..., sit conveniens necne.

Nonne magis desiderandum esset, ut iuvenes vere maturi, in familia educati, statum ecclesiasticum eligant? Commemoratio in seminario a teneris annis supponit conditiones sociales non desiderabiles, praesertim quod familiae educationem vere christianam non praebeant.

Aliis verbis, si secus vocationes non habeantur, *subsidiarie* seminarium in teneris annis educationem convenientem praebeat, postquam candidati rite probati oculatissime selecti fuerint et tempore opportuno probationi contactus cum mundo subiiciantur cum maturiores devenerint.

In omni casu educatio in seminariis, praesertim maioribus, non debet esse nimis exclusive fundata in vigilantia, quae quidem in ipso seminario occasiones peccandi fere excludit, sed pro futuro non multum prodest.

Potius educatio perducere debet ad conscientiam semper magis perficiendam de responsabilitate personali coram Deo et Ecclesia pro omnibus quae in vita fiunt et admittuntur.

Attamen omnibus hisce plene ad effectum perductis, semper erunt casus in quibus caelibatus onus amplius ferri non possit.

Potest enim haberi retardata evolutio virium sexualium talis, ut candidatus ante ordinationem practicam aestimationem sacrificii, quod caelibatus exigit, habere non possit. Talis status mentis se evolvere potest (forte propter elementa constitutionis individualis, quae demum in viro adulto se manifestant), ut observatio caelibatus onus fiat, quod ferri fere non possit. In hisce et similibus casibus conamen caelibatum observandi perducere potest ad talem contentionem virium, praesertim nervorum, ut facile aequilibrium psychicum disturbari possit. Neque durare possunt violenta!

Non semper sine ratione qui in tali crisi positi sunt conqueruntur se ignorasse momentum vitale obligationis caelibatus; se fuisse quasi deceptos in statu caelibatus suscipiendo. Neque potest infirmari vis talium assertorum eo quod in memoriam revocetur iuramentum praestitum de scientia habita obligationis caelibatus ante subdiaconatum. Tales « solutiones » utpote *mere formales* ipsam quaestionem insolutam relinquunt nec multum conferunt ad crises talis generis praecavendas nec minuendas.

Porro ratio haberi debet facti homines nostri temporis minore resistentia nervorum gaudere quam temporibus anteactis. Inquietudo et mutatio frequens, quae habetur in vita moderna, sequelae belli, etc. homines magis debiles reddunt saepe inde ab infantia. Si igitur homines olim maiora mala passi non sunt, quia resistentia nervorum feliciter ferre potuit onera de se non convenientia, non sequitur quod hodie impune ferri posset tale onus.

In hisce et similibus casibus mitigatio praxis quoad dispensationem obtinendam a caelibatu desideranda est. Opportunum esset ut in talibus casibus concederetur dispensatio a caelibatu, utique hac norma, ut taliter dispensatus non iam habeat exercitium ordinum. Tanquam criterium seu causae talis dispensationis forte constitui possent:

a) Indoles anormalis quoad sexualitatem, sive physiologica sive psychica, per medicum probata cui fiducia praeberi possit.

b) Diminutio responsabilitatis personalis ex defectu quoad intellectum vel voluntatem in electione status caelibatus (insufficiens instructio, errata educatio, diminutio libertatis non tantum ex metu gravi et iniuste incusso, sed etiam ex aliis rationibus occurrentibus, etc.).

Talis mitigatio praxis quoad dispensationem a caelibatu desideratur praesertim in favorem eorum qui in omnibus procedere intendunt ad normam legis, sed veram gravissimam causam obiective fundatam habent dispensationem petendi.

c) Tandem sacerdotes forte lapsos non convenit penitus privare omni spe habendi opportunitatem conscientiam ordinandi; potest enim dari talis rerum conditio, ut in concreto ordinatio conscientiae (sacerdotis et mulieris) obtineri non possit, nisi concedatur dispensatio a caelibatu (e. g., si post matrimonium civile iam filii habentur, etc.).

Contra hanc causam dispensationis iure difficultas moveri potest, quod sacerdos quasi invitatur ad talem conditionem creandam, ut tunc dispensationem obtineat. Attamen hoc non videtur esse simpliciter verum. Etsi accidere potest ut sacerdos ita procedat, tamen generatim sacerdos a via caelibatus deflectens, primo tempore iterum atque iterum conamina facit redeundi ad vitam bonam. Demum talibus conaminibus inefficaciter peractis, tandem aliquando definitive viam caelibatus relinquit, et hoc facit etiamsi spes obtinendi dispensationem nulla habeatur, uti ex experientia constat. Quod possibilitas dispensationis tales casus multiplicaret, non videtur esse certum et probatum. Praeterea in hisce casibus dispensationi a caelibatu aliqua poena vindicativa adnecti potest, talis naturae, ut sacerdos non facile audeat violare caelibatum, nisi rationes supra sub *a*) et *b*) relatis existant.

Utile erit transcribere quae arch. Mediolanensis olim proponebat mense maio 1960: « 1. Quod attinet ad sacerdotes qui defecerunt, opportunum videtur:

a) Subsidia atque adiumenta perficere et augere, quibus faveatur reditus ad fidelitatem et dignitatem sacerdotalis status.

b) Examen casuum, in quibus nulla rationabilis spes adsit illos ad vitam sacerdotalem recuperandi, celerius reddatur, conveniensque processus stabiliantur quibus festina reductio ad statum laicalem decernatur.

c) Studio subiiciatur convenientia seu opportunitas concedendi etiam dispensationem ab obligationibus e sacra ordinatione manantibus, praesertim ab onere caelibatus, illis qui eas iam non valebunt observare, cum poenalibus quidem sanctionibus perpetuis et perpetratae infidelitati congruentibus, nec non aptis cum ad praecavendum periculum ne alii eorum exemplum sequantur, tum ad scandalum fidelium vitandum... (cf. can. 211 et ss.) ».

Unum quidem verum est: oculos claudere non possumus; haec quaestio funditus consideranda est sub luce Evangelii Christi, peritis in re psychiatrica et sociali necnon historica et statistica adhibitis. Nec timori nec praeiudiciis locus sit. Iustitiam et caritatem sectemur. Ius divinum et naturale prae oculis habeamus. Verum bonum commune crisi subiiciamus. Solutionem non amplius differamus.

Schema decreti « De episcopis ac de cura animarum ».

Anteproiectum refunditionis trium schematum: « De episcopis », « De cura animarum » ac « De clericis » (ab episcoporum coetu ex America Latina).

Nota. Ista refunditio necessaria videtur ad proponendam tractationem com-

pletam muneris episcopalis in Ecclesia. In conflatione istius refunditionis plures considerantur observationes a variis episcopis ex diversis conferentiis propositae.

Prooemium generale

Cap. I - *De pastorali episcoporum munere.*

A) *De docendi episcoporum munere.*
B) *De pontificali episcoporum munere.*
C) *De regendi episcoporum munere.*

1. Principium fundamentale.
2. De potestate episcopi tit. seu praesidis (residentialis).
3. De potestate episcopi coadiutoris et auxiliaris.
4. De potestate vicarii episcopalis (generalis).

D) *De electione episcoporum ac de eorum cessatione a munere.*

Cap. II - *De relationibus inter episcopos et Apostolicam Sedem.*

A) *De potestate collegiali episcoporum.*

1. Principium fundamentale.
2. De Summi Pontificis muneris exercitio.
3. De Consilio Apostolico constituendo.

B) *De Dicasteriis Sedis Apostolicae.*
C) *De Delegatis Apostolicis.*

Cap. III - *De episcoporum conferentiis.*

1. Principium fundamentale.
2. De conferentiae constitutione.
3. De conferentiae moderamine.
4. De conferentiae competentia.

Cap. IV - *De dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.*
Cap. V - *De relationibus inter episcopos et presbyteros, praesertim parochos.*
Cap. VI - *De relationibus inter episcopos et religiosos.*
Appendix I - *De facultatibus episcoporum quae a Summo Pontifice reservantur.*
Appendix II - *De normis pro redactione C. I. Canonici.*

[*Subscripserunt etiam*] Ioannes, arch. coad. Belo Horizonte; Francisco Austregesilo Mesquita, bispo de Afogados da Ingàzeira; José Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis; Candido Padin, aux. Rio de Janeiro; Clemente José Carlos Isnard, ep. Neo-Friburgensis; Bernardo José Bueno Miele, ep. tit. Bararit.; José Thurler, bispo tit. de Capitoliade; David Picão, ep. tit. Tois; Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; Nivaldo Monte, aux. Aracajù; Walfrido Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis; Edmondo Luis Kunz, ep. tit. Tolemaide; Seraphim Fernandes de Araujo, ep. tit. Verinopol.; Aniger F. M. Melillo, ep. Piracicaba; Epaminondas Araujo, ep. Rui Barbosa.

12

Exc.mus P. D. HERCULANUS VAN DER BURGT
Archiepiscopus Pontianakensis

Venerabiles Patres,

Nomine 30 episcoporum Indonesiae, haec quae sequuntur adnotare iuvat. *Cum plurima iam alio modo pluries a pluribus dicta sunt, breviter loquar.*[1]

Nostro humili iudicio, iam in titulo huius cap. I videtur defectus in radice. Caput ...[2] etiam iuxta exc.mum relatorem « altiore gravitate materiae et consequentiarum inde manantium superat » (pag. 11 relationis).

Primariae autem sunt relationes inter episcopos et Summum Pontificem, quae relationes non tantum sunt theologicae sed certo certius etiam et fortasse praesertim debent esse practicae ...[3].

Ergo titulus cap. I, ut etiam connexio huius schematis cum schemate *de Ecclesia* declaretur, sit: « De relationibus inter episcopos et Summum Pontificem ».

Ut autem haec relatio (inter episcopos et Summum Pontificem) sit actualis, vivens, vivifica et permanens, desideratur a multis Patribus (ut dicitur in schemate pag. 8, nota 5) *structura internationalis.*

Haec autem structura difficulter alio modo verificari potest, *hoc in tempore,*[4] quam per quoddam organum, seu senatum seu collegium, cuius membra sunt electa, saltem pro maiore parte, a conferentiis episcoporum in toto mundo dispersorum ...[5].

Rationes huius propositi evidentes sunt (etiam independenter a discussione circa collegialitatem corporis episcoporum *et independenter a meritis personalibus membrorum Curiae Romanae, quae agnoscere et laudare possimus*), *rationes evidentes sunt*[6] pro iis qui serio et revera considerant evolutionem actualem societatis hodiernae et situationem Ecclesiae vel populi Dei in hac societate semper evolvente. Rationes *inter alia*[7]:

1. Ut semper adsit relatio seu contactus actualis, vivens et permanens inter caput et corpus, inter pastores et gregem ...[8].

3. Ut verificentur verba Summi Pontificis Pauli VI die 21 septembris ...[9] circa cooperationem inter Summum Pontificem et episcopos.

4. Ut verificentur verba Summi Pontificis feliciter regnantis die 29 septembris, et *etiam*[10] ab exc.mo relatore allata in relatione ...[11], circa mutuum auxilium inter Summum Pontificem et episcopos in exercendo munere universali regiminis Ecclesiae.

5. Ut regimen Ecclesiae efficax fiat in circumstantiis et situationibus mundi hodierni.

6. Ut vox omnium hominum — christianorum et non christianorum — semper audiri possit et debeat Romae, in centro regiminis Ecclesiae, mediantibus pastoribus dispersis in mundo et cognoscentibus vocem omnium ovium.

7. Ut adimpleatur desiderium multorum Patrum etiam eorum, qui vivunt et laborant in « terris novis » et in « nationibus iunioribus » et qui repraesentant non parvam partem hominum, redemptorum a sanguine Christi.

8 et ultimo. Aliquod organum (Senatus) videtur instrumentum unicum — hoc in tempore — sanae decentralizationis et fortis unitatis.

Ergo [12] videtur in hoc cap. I, primo et fundamentaliter loquendum esse de relationibus *directis* inter Summum Pontificem et episcopos in regendo et pascendo gregem, per instituendum aliquod collegium supremum seu senatum Ecclesiae.

Hic senatus fortasse, licet provisorie, iam durante hoc Concilio constitui potest, ita ut pars (probabiliter non parva) materiarum, quae nunc Concilio proponuntur ab ipso senatu tractari possint et multi *ex nobis* [13] non per longissimum tempus ab ovibus separentur, *cum periculo ut omnes romani fiant.*[14]

Praeter instituendum Consilium supremum supra dictum, necessaria manet internationalizatio Dicasteriorum Romanae Curiae ut in n. 5, pag. 7 schematis dicitur; *et quae* [15] late intelligenda est pro omnibus functionibus et laboribus pro Ecclesia universa.

Pag. 7, lin. 6, post « Sacrorum Pastorum » addatur: « semper, iustitiae, caritatis et prudentiae causa, salvetur principium subsidiaritatis ».

Etiam rogatur adaptatio Instituti Nuntiaturae, Internuntiaturae, etc., circumstantiis huius temporis sicut iam pluries et a pluribus Patribus dictum est.

Alia nota scriptis additur huic interventioni. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Non haesitamus dicere hoc in capite multa sunt quae placent, sed defectus est in ipso initio et quidem radice huius capitis. Clare dicit relator: « Sermo fit in hoc decreto de episcopis non quatenus sub respectu dogmatico... sed quatenus praediti sunt iurisdictione sua ad actum deducenda » (pag. 11, lin. 17) et bene referuntur decreta Pii VI circa iura episcoporum in ordine ad regimen, quae e mandato Christi et ex natura muneris non sunt completi et plene definita. Rogatur complementum ex iure ecclesiastico (Relatio pag. 12). Attamen. [2] autem hoc. [3] E schemate *de Ecclesia* patet, quod haec relatio est *cardo* huius schematis. Quod etiam dicitur in quatuor propositionibus hebdomada elapsa Patribus propositis. [4] deest. [5] Membra huius collegii sta-

tutis temporibus cum Romano Pontifice tractant de quaestionibus principalioribus Ecclesiae. [6] deest. [7] aliquae tantum enumerantur et deficiente tempore non explicantur. [8] 2. Ut in actum deducatur collegialitas regiminis in Ecclesia seu cooperatio fructificans inter successores apostolorum. [9] 1963 et a relatore allata (pag. 14, lin. 10). [10] deest. [11] pag. 14, linn. 26 ss. [12] Conclusio. [13] pastores. [14] deest. [15] Haec internationalizatio.

Animadversiones additae:

Nomine 30 Ordinariorum Indonesiae.

Habetur defectus in ipsa interpretatione muneris episcopalis uti practice fit in prooemio et parte prima cap. I (pag. 6) et quibusdam aliis locis. Dando enim episcopis « facultates » (quamvis ampliores), ad agenda quae iis propria potestate competunt, schema non tantum offensivum episcopis dici potest, in quantum eos reducit ad simplices administratores S. Sedis, sed etiam contradicere videtur doctrinam veram, durante hoc Concilio iterum atque iterum propositam variis verbis, scil. quod episcoporum residentialium potestas « qua nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata » (cf. schema const. dogm. *de Ecclesia,* pars I, pag. 31, lin. 9), « neque (ii) vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam » (*l. c.,* lin. 14), « eorumque itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur... » (*l. c.,* lin. 17).

Verbum enim « facultas » in iure (saltem sensu stricto) et etiam in communi usu loquendi et in stilo Curiae significat concessionem alicuius potestatis, quae per se accipienti non competit et ergo quamdam speciem privilegii prae se ferre videtur.

In animo non habeo fusius explicare tenorem ipsarum facultatum, tempus enim mihi deest. Forsan tamen rogare liceat: quid sentiendum de illa potestate propria, immediata et ordinaria, qua episcopus personaliter nomine Christi fungitur, quid sentiendum de ipso munere episcopi, successoris apostolorum, si ille pastor Ecclesiae sibi commissae Curiam Romanam adire debet ad petendam licentiam ordinandi suos proprios sacerdotes feria II loco Sabbati, vel ad petendam licentiam erigendi stationes Viae Crucis? Tali modo — etiam si facultates petitae non negantur — potestas episcopi in risum vertitur! Ob rationes supra expositas proponimus ut in prooemio in pagina sexta, linea prima usque ad sextam verba « facultates... reservatas » deleantur et textus redigatur ut sequitur: « Censet Sacrosancta Synodus peropportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae, episcopi in posterum habeant liberius et plenius exercitium potestatis et officii sui et reservationes ac restrictiones, hucusque ab Apostolica Sede vel patriarchis orientalibus sibi vindicatis, aboleantur ».

Loco tamen linn. 18-23 inclusive, (in pag. 6) scribentur sequentia: « Episcopi residentiales uti ordinarii et immediati pastores suarum dioecesium, iure communi habent omnem potestatem, quam aptum et expeditum eorum officii exercitium expostulat ».

Deleantur ergo verba « sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum », quia de Primatu Summi Pontificis iam sufficienter dictum est in schema *de Ecclesia,* nec in Ecclesia catholica sunt qui hanc veritatem negant.

Etiam linea ultima « Quapropter... recensentur » abolita est, quia non facultates enumerari debent, sed econtra causae maiores, quas Summus Pontifex sibi reservare intendit propter bonum Ecclesiae commune.

13

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres conciliares, Observatores et Auditores carissimi,

Circa cap. I schematis *de episcopis et dioecesium regimine,* duas animadversiones generales explanare exopto.

1. *De iure standi in Oecumenico Concilio.* Cum, per consecrationem episcopalem seu per sacramentalem characterem, episcoporum coaptatio ad collegium episcopale fiat, ac non per nominationem vel eorum electionem, omnes et soli episcopi consecrati, etiam titulares, habent ius standi in Concilio Oecumenico et suffragia ferendi deliberativa.

2. *De episcoporum potestate.* Loquitur textus schematis de amplianda facultate episcoporum. Non agitur de *facultate,* sed de vera *potestate* fundata in ipso sacramento ordinis episcopalis. In initio, non sic fuit. Non dabantur episcopis amplae vel minimae potestates. Episcopi erant, et sunt, veri apostolorum successores, veri vicarii Christi, veri pastores, veri doctores fidelium, veri gubernatores animarum. Numquam fuerunt vicarii Romani Pontificis nec eius delegati in pascendis ovibus. Sed per decursum temporis, eorum potestates reales minores fuerunt propter plures causas, praesertim propter tres causas:

a) *Propter leges generales.* Omnes fere leges Ecclesiae generales sunt, i. e. a Summo Pontifice vel a Conciliis generalibus latae. Quapropter non potest ab illis dispensare, nequidem in casu particulari, nisi legislator vel eius successor.

Attamen, hae leges generales necessariae sunt ad Ecclesiae universalis unitatem.

b) *Propter reservationes* factas ab Apostolica Sede Romana et illae reservationes necessariae sunt ad bonum commune.

c) *Propter nostras imbecillitates.* In multis quaestionibus, pusillus non grex sed pusillanimus pastor se refert ad supremam auctoritatem, etiam in minimis, quia nescit quid poterit, quid non poterit, et tunc responsio fit: « Tibi concedimus facultatem pro hac vice, vel pro tribus annis », et tunc fit lex pro toto orbe. Optaretur ut diceret: « Praetor de minimis non curat! ».

Propter has ...[1] causas aliasque, episcopus, vere pastor a iure divino cum potestate ordinaria et immediata in omnes fideles sui gregis, nequit: librum prohibitum legere vel custodire; nec Missam celebrare extra ec-

clesiam; nec Sanctissimum servare in proprio sacello; nec etiam permittere laico, membro Christi, templo Spiritus Sancti et sacerdoti spirituali, ut purificatoria, pallas et corporalia, prima ablutione purificet!

Nostris temporibus, episcopi nesciunt quid possint, quid non possint, in regimine animarum.

Quapropter concludo: Itaque humiliter propono tres emendationes:

1. Omnis episcopus consecratus, et quidem solus, est membrum Concilii Oecumenici cum potestate ferendi suffragia deliberativa.

2. Romanus Pontifex sibi reservat quasdam causas et quaestiones, aliasque vero determinatas, patriarchis, vel patriarchalibus Synodis ac conferentiis episcopalibus. Praeter casus reservatos, episcopi, in eorum dioecesibus, libere agere possunt.

3. Episcopi residentiales, in casibus particularibus vel pro determinato tempore, a legibus generalibus dispensare possunt. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] omnes.

14

EXC.MUS P. D. AURELIUS DEL PINO GOMEZ
Episcopus Illerdensis

Em.me Praesul, venerabiles Patres conciliares,

Praemissis amplissimis laudibus a schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine* promeritis, liceat mihi aliquas animadversiones adducere quibus ad eiusdem accuratiorem perfectionem concurrere intendimus.

In prima introductionis linea haec leguntur: « Animarum salus, lex in Ecclesia Christi suprema ». Si cum rigore theologico et ascetico loqui velimus, meo humili iudicio, asserere debemus legem supremam in Ecclesia Christi esse gloriam Dei, quam per sanctitatem curamus et ex qua intime salus animarum consequitur, ut luculenter ostendit S. Ignatius de Loyola: Homo conditus est ad Deum laudandum, reverentiam ipsi praestandam et serviendum, et, hoc mediante, ad animam suam salvandam.

Quae nunc humiliter dicam pluribus diebus in Dei praesentia cogitavi. Curia Romana permagnis laudationibus honoranda est. Ratione officiorum in Curia episcopali a venerabilibus et peramantissimis episcopis mihi commissorum per triginta annos iuges relationes habui cum Congregationibus Romanis, et ex toto corde confiteri debeo semper in

dies auctam fuisse meam profundam gratitudinem et sinceram admirationem erga praedictas Congregationes, propter suum fraternum amorem et mirabilem aptitudinem. Hi sensus roborati fuerunt usque ad hodiernam diem. Simili modo audivi loqui perplures episcopos Hispaniae. Et, si de hac re reflexive cogitemus, ita debet contingere, siquidem Congregationes Romanae constituunt instrumentum gubernii Romani Pontificis, qui eis utitur in regimine universalis Ecclesiae, et propterea in his Dicasteriis eminent viri egregii sanctitate, sapientia, prudentia et caritate, inter quos inventi fuerunt qui postea ad Supremum Pontificatum evecti sunt ut Ecclesiam sanctam perlustrarent suis insignibus virtutibus et actionibus. Nec tacendum est hos perinsignes viros, qui Curiam Romanam perlustrant, ex omnibus nationibus esse collectos. Perspicere debemus quidquid de Sacra Curia Romana minus congrue asseritur, aliqualiter de ipso Romano Pontifice dici. Prae oculis hoc habeamus ut permagna altitudine spirituali in his procedamus, quin obliviscamur ineffabilem modum quo Providentia divina in his exercetur.

Stante circa hanc rem perbenevola dispositione ab amantissimo Pontifice nostro Paulo VI solemniter expressa, forsitan prudentius esset suae paternali providentiae relinquere quae ad hoc caput pertinent, cum humili expositione desideriorum nostrorum quae plenissime suo superiori iudicio subiicimus. Valde periculosum est intendere leges ferre in his quae ad exercitium plenae et supremae potestatis Romani Pontificis se referunt. Omnes episcopi congregati, in his nihil possunt praeter humilem et filialem rogationem.

N. 5 schematis haec dicuntur: « (Episcopi in Ss. Congregationum consilium cooptandi). Nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali nationali designandi, ab Apostolica Sede nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum a quibus, statis temporibus, convocentur ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda ». Haec non valde mihi placent. Dignius et efficacius esset si ipsa Sedes Apostolica per Nuntios Apostolicos inquireret qui *sunt* [1] aptiores viri ad munera praedicta melius perfungenda et determinaret quo pacto viri electi in Curiae laboribus interventuri sunt.

Sunt qui ita extollunt collegialitatem episcoporum et potestatem episcopalem, quae ex ea profluit, ut episcopi in plurimis aequiparentur Romano Pontifici. Aliqui qui hesterna die locuti sunt videntur asserere plenitudinem potestatis pro episcopis in sua dioecesi. Hoc est falsum et erroneum, siquidem potestas episcoporum est ordinaria, immediata et propria, sed subiecta potestati Romani Pontificis, quae est suprema et plena.

Aliud lugendum consectarium collegialitatis, ut aliquibus proponitur, est suffocatio potestatis Romani Pontificis, quae secundum ipsos semper intra collegium episcoporum exerceri debet, non autem independenter ab illo, quod penitus erroneum est. Potestas Pontificis *est suprema,*[2] est supra potestatem omnium episcoporum simul sumptorum, et ideo indoles huius potestatis postulat ut supra potestatem episcoporum habitualiter exerceatur. Sapienti et paternali iudicio Romani Pontificis relinquatur quando collegialiter exercenda est, ut accidit in convocatione et celebratione Concilii Oecumenici. Utique Romanus Pontifex et episcopi commendatam habent excelsam missionem evangelizandi, sanctificandi et regendi totam Ecclesiam et universum mundum, et ex hac missione enascuntur ineffabiles relationes inter ipsos, quae in saeculorum decursu plasmaverunt mirabili plasmatione, quae fluit ex plenitudine et suprematia Romani Pontificis et ex potestate ordinaria, immediata et propria episcoporum, potestati Pontificiae subiecta. Resonare non desinant in auribus nostris illa mirabilia verba Domini Nostri Iesu Christi: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis... » ...[3]. « Pasce agnos meos, ... pasce oves meas... » ...[4]. « Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » ...[5]. Et nos omnes his ineffabilibus verbis permoti subiiciamus hanc collegialitatis quaestionem, obscuritate et angoribus plenam, paternali sapientiae et benevolentiae peramantissimi Pontificis nostri Pauli VI. Non obliviscamur adhuc non esse inventam accuratam collegialitatis definitionem, quod est praenotandum primum et necessarium ad hanc quaestionem solvendam modo claro et sereno. Prae oculis habeamus indolem et significationem collegii in humanis institutionibus, nempe in collegio medicorum, advocatorum, et ita porro; et videbimus perpaucitatem huiusmodi vitae collegialis, qua non obstante, medici suam professionem exercent fere totaliter independenter a collegio, et similiter advocati.

Non defuerunt perinsignes Patres qui in congregatione heri celebrata adduxerunt aliqua S. Scripturae testimonia non magna vi praedita pro collegialitate et perinsistendo in eo quod praedicta testimonia sumantur prout in S. Scriptura inveniuntur, praescindendo ab interpretatione ipsis data ab Ecclesia in saeculorum decursu, quod erroneum est, nam Ecclesia docens habet supernaturalem assistentiam ad authenticam...[6]

In textu scripto tradito: [1] sint. [2] deest. [3] et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis » (*Mt.* 16, 18-19). [4] (*Io.* 21, 15-17). [5] (*Lc.* 22, 32). [6] interpretationem SS. Scripturarum, non tantum in solemni-

bus definitionibus, sed etiam magisterio ordinario, quo Ecclesia discens etiam infallibiliter docetur circa fidei et morum veritates. Etiam exauditae sunt, non sine stupore, in ultima sessione perplures petitiones missae ex aula conciliari ad Romanum Pontificem et Congregationes Romanas. Venerabiles Patres, simus plenissime convicti et indicibili benevolentia peramantissimi Pontificis nostri, qui tantum desiderat necessitates nostras agnoscere, ut illas largissimo modo satisfaciat, et non dubitemus Ss.mum Patrem habere peraptissima media ut praedictas necessitates agnoscat et his mediis perinstanter et diligentissime uti. Ignoscatis mihi si humiliter dicam nos omnes habere in nostra potestate media efficacissima ad obtinendam sanctitatem nostrarum dioecesium et paroeciarum. Haec media reducuntur ad imitationem D. n. Iesu Christi crucifixi, sicut imitati sunt Petrus et ceteri apostoli et omnes episcopi qui eminuerunt in apostolatu et plenitudine pastorali. O quam pergratum esset Ss.mae Trinitati et peramantissimo Pontifici nostro compromissum contrahere inter nos apud ipsum Deum aedificandi nostras dioeceses accurata sanctitate et perdiligenti et abnegato apostolatu omnibus diebus vitae nostrae.

Moderator: Exc.me Domine, tempus exactum est!

15

Exc.mus P. D. FRANCISCUS CONSTANTINUS MAZZIERI
Episcopus Ndolaënsis

Em.mi Moderatores, venerabiles Fratres,

Saepe saepius audivimus in hac aula primarium finem huius Concilii pastoralem esse: ad hoc, liceat mihi submittere sequentes practicas animadversiones.

Puto valde utile esset si episcopis, in missionibus degentibus, facultas concederetur « Dispensandi in favorem fidei », saltem in urgentioribus casibus, in matrimoniis valide contractis a *persona baptizata sed non catholica cum persona pagana.*

In missionibus multae animae ad Christi ovile adducuntur per applicationem « Privilegii Paulini »; sed hoc Privilegium locum amplius non habet quando una pars baptizata fuerat ante matrimonium in aliqua Ecclesia Christiana *non-catholica.* Tunc recurrendum est ad Privilegium « in favorem fidei » vel, ut aiunt, ad « Privilegium Petrinum » quod solus Summus Pontifex concedere solet.

Iamvero, viam salutis non pauci invenire possent si haec facultas, saltem quibusdam in casibus, episcopis extenderetur, propter sequentes rationes:

1. In multis missionum locis missionarii non-catholici opus evange-

lizandi indigenas inceperunt longo tempore antequam missionarii catholici illuc pervenirent, et, consequenter, multos pueros et puellas baptizaverunt.

2. De validitate baptismi a Protestantibus collati videtur dubitandum non esse cum debita materia et forma usi sint et intentionem habuerint faciendi quidquid Salvator noster faciendum voluit ad vitam aeternam consequendam. Ex altera parte Salvator noster perfacilem voluit collationem Baptismi qui, in casu necessitatis, a quacumque persona administrari potest.

3. Non-catholicae denominationes christianae, in genere, parum dicunt de indissolubilitate matrimonii christiani et parvi pendunt divortium ad quod indigenae et natura et traditione sua sunt quam maxime inclinati ...[1].

Moderator: Exc.me Domine, in pag. 27, in nota, dicitur quod de quaestionibus, quae agunt de facultatibus concedendis episcopis etiam in locis missionum, « nulla fiet disceptatio in congregationibus generalibus, sed unusquisque Pater conciliaris libere poterit animadversiones suas scripto facere easque tradere secretario generali Concilii ».

Ideoque, facultas, quam tu proponis pro locis missionum de illa dispensatione, dissolutione matrimonii in favorem fidei, scripto velis tradere secretariatui generali.

Orator: Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 4. Insuper praetereundum non est quod apud indigenas puellarum matrimonia a parentibus, ut plurimum, determinantur, et filiae parum vel nihil habent dicendum in hac materia. Hinc multa habentur divortia praesertim in matrimoniis a christianis non catholicis cum paganis contractis.

5. Tales christiani non catholici divortiati desiderant frequenter catholicam ingredi Ecclesiam et novas inire nuptias cum persona catholica; sed tunc venit difficultas: primum matrimonium ab ipsis contractum dissolvi nequit per Privilegium Paulinum quia una pars christiana est; unica via est recursus ad S. Sedem pro « dispensatione in favorem fidei ». Haec solutio facilis videtur, sed in re non est tam facilis. Recursus ad S. Sedem longum requirit tempus et aliquando dispensatio urget, specie si agitur de convalidando matrimonio extra Ecclesiam contracto a personis in mala valetudine versantibus. Non semel occurrit quod dispensatio a S. Sede concessa ad nostra remota loca pervenit quando persona quae hac dispensatione indigebat iam defuncta erat.

6. In istis casibus christiani extra Ecclesiam catholicam baptizati sunt in peiore conditione quam ipsi pagani; pagani enim possunt Privilegio Paulino frui, et christiani non catholici nequeunt; quod aliquantulum incongruens videtur.

Venerabiles Patres, quomodo haec facultas extendi possit episcopis in locis missionum degentibus, videant periti; sed nullum adest dubium quod si haec fa-

cultas extenderetur episcopis, non pauci faciliorem invenire possent viam ad aeternam salutem. Valde ergo opportunum videtur si cap. I huius schematis alius adderetur articulus ad hunc finem. Tandem aliquando Sacramenta sunt propter homines et salus animarum esse debet suprema lex.

16

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Venerabiles Patres,

Mihi liceat grato ac libentissimo animo hoc schema salutare quo Patres intendunt episcoporum potestatem asserere, roborare ac vindicare, ad animarum salutem quae *iuxta praedictum effatum lex in Ecclesia Christi semper suprema fuit, est et deberet esse.*[1] Aliquas vero animadversiones, motus quidem eodem principio animarum salutis, opportunum censeo *heic subscribere.*[2]

I. Vehementer miratus sum de silentio quoad nominationem episcoporum. Ut episcopi dignitas magis supernaturalis appareat et roboretur, humiliter propono ut caput addatur de ratione designandi episcopos. In huiusmodi capite deberent asseri:

1. Principium fundamentale potestatis Romani Pontificis libere designandi episcopos, salvis iuribus et privilegiis *orientalibus Ecclesiis.*[3]

2. *Exigentiae huius legis supremae salutis animarum quibus Sancta Oecumenica*[4] Synodus desiderat ut cetera ...[5] iura et privilegia nominandi aut praesentandi *promovendos*[6] ad episcopatum cessent.

3. Invitatio nomine Sacrae Synodi ad Supremos Moderatores nationum, quibus huiusmodi ius vel privilegium est agnitum ut *ei*[7] renuntient.

4. Normae ad idoneitatem comprobandam.

5. Declaratio Sacrae Synodi *iuxta quam*[8] ad officium episcopale possunt vocari sacerdotes utriusque cleri.

6. Obligatio acceptandi officium ex caritate erga animas.

7. Aetas 30 annorum non videtur sufficiens ad tantum officium cum ad alia officia et munera minora ius requirat aetatem provectiorem. Puto saltem 40 annos requiri ut promovendus habeat maturitatem psychologicam, praxim sacerdotalem et pastoralem necessariam. Plures *adsunt rationes ad hanc mutationem iuris;*[9] inter alias ne officium episcopale videatur minoris gravitatis quam munus confessarii religiosarum, magistri novitiorum, etc., et secundo ne formatio personalis promo-

vendi manca restet per vitam ex assumptione ad episcopatum. *Aliae sunt*[10] rationes spirituales non spernendae.

II. Quoad facultates de quibus in n. 3 collato cum Appendice priori, non puto opportunum *hic afferre quia iam a Moderatore iussio data est.*[11]

III. ...[12] De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos sequentia animadverto: Principium fundamentale compleri debet declarando Ss. Congregationibus onus incumbere, ex auctoritate Romani Pontificis et nomine ipsius, legum ecclesiasticarum observantiam urgendi ubique et iura *subiectiva*[13] personarum sive physicarum sive moralium tuendi ...[14] quando huiusmodi iura violata censentur a Superioribus.

Prout termini decreti dantur nunc[15]: « sive episcoporum auctoritatem roborando eorumque dignitatem vindicando etc. ... », *concluderetur*[16] mentem Concilii *debere*[17] esse tantummodo defendere iura episcoporum, cum iustitia exigat ut in Ecclesia aliorum quoque iura et dignitas — sacerdotum, religiosorum, laicorum, personarum moralium — *salva et tuta semper sint.*[18]

De n. 5 nolo loqui quia iam em.mus card. Ruffini observavit: solummodo, post determinationem iurium et potestatum collegii episcopalis, possumus de hac re agere.[19] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] lex suprema est in Ecclesia. [2] subiungere. [3] orientalis Ecclesiae. [4] Eadem ratione salutis animarum procurandae, Sacrosancta. [5] omnia. [6] candidatos. [7] eidem sponte. [8] asserens quod. [9] rationes hanc mutationem suadent. [10] Sunt insuper. [11] concedere episcopis eas de quibus in n. 5 (pag. 29, linn. 10 ss., pag. 30), scil. ingrediendi in clausuram papalem et condonandi dotem religiosarum. Item, considero inopportunum concedere episcopo facultatem dimittendi religiosos sodales e dioecesi (n. 10, pag. 30, linn. 14 ss.); adsunt in Iure remedia sat efficacia ad vitanda mala quae ex praesentia huiusmodi religiosi provenire possunt quin huiusmodi facultas abnormis concedatur. Quoad facultatem dispensandi super defectum aetatis ordinandorum (pag. 31, linn. 8-9) puto eam non esse necessariam, quia tales dispensationes non deberent concedi, cum aetas ad presbyteratum maior oporteat exigi. [12] Ad n. 4, pag. 7. [13] etiam singularum. [14] si. [15] Ex terminis decreti uti iacent: [16] videretur. [17] deest. [18] tuta semper et tecta maneant. [19] 4. Circa n. 6 (pag. 9) notare vellem quod translatio episcoporum ab una ad aliam dioecesim gravibus incommodis et perturbationibus in administratione ansam dat; unde optarem ut tamquam principium assumatur episcopum in eadem sede per vitam mansurum, nisi agatur de promotione ad sedem primatialem nationis vel regionis, vel ad cardinalatum.

5. Ad n. 16 (pag. 11) dicerem « ingravescentem aetatem » non considerandam esse causam sufficientem ad renunciationem ab officio episcopali urgendam, venerabilis figura pontificis et patris, meritis et annis pleni, est vere thesaurus spiritualis dioecesis. Praeterea, illa mystica matrimonialis unio episcopi cum sua Ecclesia, morte tantum solvenda, maximum valorem habet in vita dioecesana.

In eodem n. 16, § 2 (linn. 31 s.) opportunum censeo addere clausulam attinentem ad episcopos religiosos renunciantes ab officio, ita ut privatio vocis activae et passivae (de qua C.I.C., can. 629; C.I.C.O., c. 178) tollatur. Rationes enim, quae hanc privationem olim suadebant, hodie, mutatis conditionibus psychologicis quoad munera et adepta maiori maturitate quoad iura electionis etc., non amplius urgent. Dum consilia et cooperatio activa episcopi ad vitam regularem revertentis multum iuvare possunt in negotiis religionis, praesertim quantum ad opera apostolica religionis.

6. In cap. III de nationali episcoporum coetu seu conferentia, posset utiliter addi aliquid de facultate constituendi conferentias regionales episcoporum in iis nationibus vel unitatibus politicis quae, ob nimiam extensionem et varietatem conditionum, diversa problemata praesentant in diversis suis partibus. In n. 27 verbum est de regionibus ecclesiasticis constituendis. Coetus vel conferentiae episcoporum regionales deberent considerari tamquam partes conferentiae nationalis, et ita constitui ut nullo modo noceat unitati conferentiae nationalis. Huiusmodi coetus regionales — nomen forsan aliud posset inveniri ad vitandas confusiones — deberet regi statutis communibus a coetu nationali episcoporum paratis, cum additionibus ab ipso coetu regionali factis et a coetu nationali probandis.

7. In n. 30 de sedis episcopalis loco, valde utiliter ad officii episcopalis dignitatem roborandam posset dici: « nec amplius in eadem civitate sedes episcopales plurium episcoporum constituantur, sed opportuna distantia inter diversas sedes servetur ». Hoc deberet applicari etiam dioecesibus diversi ritus, vitando quantum possibile est saltem in futuro residentialem titulum identicum pro pluribus episcopis.

17

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Venerabiles Patres et carissimi Observatores et Auditores,

1. Lacunam gravem esse puto, silere hoc in schemate de fundamento theologico suo, *ut dicit Sua Beatitudo Petrus XVI, sed alia praeterea ratione.*[1] Cum agatur enim de principiis vel normis generalibus ad futurum ius condendum, novum scil., valde iuvaret ut tamquam principia sic dicta dogmatica iuris canonici sumerentur conclusiones theologicae, in schemate *de Ecclesia* cap. II expositae. Ita enim iter futuri iuris perspicue et *accurate*[2] apparebit.

Praeterea, introductio huius schematis est nimis generica, valeret et pro hoc schemate et pro *de cura animarum,* sub quo duplici aspectu videtur esse confectum. Sed neque suum scopum consequitur: quia non sufficienter fundamentum constituit totius tractationis eiusque divisionis in capita, et rem pastoralem et iuridicam confuse innuit.

2. Haec est prima occasio ut loquamur in aula conciliari, contemplantes, ut ita dicam, Ecclesiam localem vel dioecesim. Quia, quamvis

multa dicta fuerint de muneribus episcopalibus in tractatu *de Ecclesia,* non satis relate ad propriam Ecclesiam enunciata sunt. Cum igitur nunc agamus de dioecesium regimine, necesse est *offerre primo visionem* accuratam Ecclesiae localis, et episcopi, capitis ipsius Ecclesiae. Unde quae in n. 17 schematis *de Ecclesia* dicta sunt, in pag. 28 ...[3] etc. (trado secretariatui generali), simul cum illis quae sequuntur componere prooemium debent. Et haec, considerando episcopum et dioecesim sive ad intra sive ad extra.

Haec visio Ecclesiae localis non casu hic petitur; sed proprium locum habet suum. Cum iam actum sit de Ecclesia universali, localis debet sicuti splendescere, utpote imago illius. Cum Corpus Christi mysticum, in sua natura, iam nobis manifestum sit, nunc debemus in Ecclesia locali quaerere eius realizationem.

Praeterea, tractatio vel visio Ecclesiae localis *et episcopi capitis* [4] totum schema de regimine et de cura animarum in luce sua poneret.

S. Paulus *concepit* [5] Ecclesiam ut participationem plenitudinis Christi, a quo complementum et omnia accipit (ad *Eph.* 1, 23). Ecclesia est sicuti structura essentialis, quae non intelligitur absque amore et caritate. Structura extensiva et intensiva, universalis et particularis ...[6]. Scil. Ecclesia nequit concipi nisi ut una, sancta, catholica et apostolica. Quae notae explicant Ecclesiam in suo esse constitutivo, sive universali, sive particulari seu dioecesano. Immo ad omnia munera et relationes stabiliendas hae notae sunt sicuti cardo vel fundamentum.

Et revera ex eo quod episcopus sit membrum collegii, ex eo quod consecratus fuit, nequit individualiter et sine coniunctione cum fratribus suis *episcopus* [7] esse. Omnes enim aedificant unam Ecclesiam Christi, ut dictum est. Ideo ex linea apostolicitatis tota Ecclesia universalis coniungitur cum Ecclesia particulari et viceversa. Ideo S. Paulus, ad Ephesios loquens, ipsos fundari dicit super apostolos. Ideo ipse cum ipsis apostolis communicat. Et epistolas suas etiam ad Ecclesias a se non fundatas mittit, ut ad Colossenses et ad Romanos.

Immo, ex eo quod episcopus sit in linea apostolicitatis, cum ipso et per ipsum tota Ecclesia particularis aperitur ad participationem solidalem in missione illa *universalis* [8] Ecclesiae et tenetur tum *ad dilatandum Evangelium tum ad sollicitudinem* [9] omnium Ecclesiarum. Hanc missionem ita intellexit S. Paulus, circa universalem Ecclesiam, qua de causa Ecclesias separatas et autonomas, criteriis nationalibus imbutas, prorsus reiicit ...[10].

De his quaestionibus schema nihil dicit, postquam de hac duplici sollicitudine in schemate *de Ecclesia* locuti sumus. Ideo necessarium puto hanc visionem praestare.

Immo, de Curia Romana *nonnulla iam dicta sunt,*[11] tamquam instrumentum summae potestatis Romani Pontificis et ut instrumentum collegii episcopalis. Sed affirmo: de Curia Romana tamquam de instrumento collegii episcopalis non posse nos recte loqui, nisi prius, *notione magis vel minus stricta, declarata et probata,*[12] relationes iuridicae convenientes stabiliantur et probentur inter hunc collegium et Romanum Pontificem, *Primatum,*[13] vel Vicarium Christi.

3. Sed cum agatur de regimine dioecesis, primum officium episcopi puto esse: curare et procurare totis viribus unitatem in sua dioecesi. Dioecesis sine unitate divisa est, non est organizata, non prosequitur finem collaboratione omnium. Non est revera dioecesis.

Quapropter episcopus qui est caput et fundamentum unitatis suae Ecclesiae, sicut Romanus Pontifex Ecclesiae universalis, debet:

a) personas et institutiones omnes integrare in labore suae dioeceseos: sacerdotes scil. saeculares et regulares, qui aliquem apostolatum fidelium operam dant, et societates et associationes ...[14] apostolicas cuiuscumque generis et conditionis. Ideo hic est locus proprius tractationis, non illius in schemate *de cura animarum.* Episcopus debet dirigere et trahere ad se omnes apostolos, non e converso;

b) consequenter inquirere debet vocationem uniuscuiusque ad utilitatem Ecclesiae;

c) omnia fiant veritate et caritate.

De hac unitate non tantum locutus est S. Paulus, praedicator Corporis mystici, sed *in*[15] unaquaque Ecclesia ab ipsis creatis multum laboravit pro hac unitate consequenda et perficienda, *ut passim videre est in suis epistolis.*[16]

Quibus omnibus perpensis, necessarium puto agere hic de toto complexu organizativo dioecesis. Curat schema, et bene quidem, de Curia Romana; sed oblivioni mandare non possumus nostram Curiam dioecesanam, de cuius necessitate omnes nos certi sumus et sacerdotes nostri in exspectatione manent. Et ordinare debemus ita, ut totam pastoralem et apostolatum dirigat sub nostro ductu. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] explicitius. [3] linn. 5-8, in pag. 26. [4] deest. [5] concipit. [6] pro omnibus et in omnibus praesens. [7] episcopis. [8] universali. [9] dilatandi Evangelium tum sollicitudinis. [10] Et ideo quamvis epistolas ad ecclesias particulares dirigat, simul de omnibus sanctis aliarum Ecclesiarum mentionem facit. [11] actum est iam, ni fallor. [12] supposito iure divino ipsius collegii. [13] caput totius Ecclesiae. [14] ad. [15] deest. [16] deest.

18

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de « El Obeid »

Patres venerandi,

Pauca dicam de praxi Curiae Romanae relate ad episcopos. Ex mea personali experientia in episcopatu, declarare possum, tuta conscientia, me semper invenisse in Curia Romana vel validum auxilium in difficultatibus aut saltem fraternam comprehensionem et morale adiumentum in rebus adversis. Item affirmare possum de Legatis a Papa missis in adiutorium episcoporum praesertim in regionibus missionum.

Quapropter vellem hic publice gratias pandere tum isti quam illis eorum auxilium grato animo memorando.

Quod Curia Romana indigeat « aggiornamento » iam declaratum est a Summo Pontifice Paulo VI, feliciter regnante; omnes nos indigemus « aggiornamento », et si aliquis se putat nihil indigere, hic maiore laborat indigentia.

Ista mutatio tamen debet esse in natura evolutionis cum progressu velut superaedificatio in augmentum Corporis Christi.

Ista evolutio, mihi videtur, bene perfici potest ex duplici elemento: ex *generalizatione* iam memorata a Summo Pontifice, et ex *provisione* ut queat expeditiori modo agere ne sit nimis aeterna!

Meminisse quoque iuvabit duo sequentia:

1. Curiam Romanam esse organum Summi Pontificis in regimine totius Ecclesiae ideoque ab omnibus audiendam tamquam vocem Supremi Pastoris;

2. Curiam Romanam non esse tantum utile instrumentum regiminis Ecclesiae sed valde necessarium maxime temporibus nostris cum inter homines ideae nationales obsolescant dum associationes continentales vel etiam globales surgunt. Nos, in Ecclesia catholica, iam possidemus regimen globale, quod prudenter et paterne exercetur. Caveamus igitur ne isti quomodocumque noceamus.

Quod attinet ad statum patriarcharum in Ecclesia catholica (catholicam dicam non *latinam*), puto quod vos omnes, Patres venerabiles, istam tam antiquam et honore dignam ecclesiasticam institutionem veneramini sicut archiepiscopatum et collegium cardinalium. Tamen et ipsa indigebit fortasse « aggiornamento ». Si quae autem sint quaestiones solvendae suggero ut hae per commissionem specialem investigentur et solutio provideatur in spiritu veritatis et caritatis.

Concludo pauca dicendo de facultatibus episcoporum. Fortasse utile nobis erit si non tantum quaeramus augere facultates in exercitio regiminis pastoralis sed eodem tempore relinquamus alias facultates quibus episcopi uti possunt, e. g. usum Cappae magnae cum cauda, et titulum Excellentiae: quodnam nomen melius quam *Patris* vel *Pastoris?* Dixi.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXIII

8 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXIII

8 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur disceptationem de cap. I schematis *de episcopis et dioeceseon regimine* in hac 63 congregatione generali em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Communico Patribus piam mortem exc.mi D. Eduardi Tonna, arch. tit. Milesiensis. Oremus pro eo.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT recitavit *De profundis,* alternatim cum Patribus, additis versiculis et oratione.

Secretarius generalis: Est nobiscum praesens hodie in congregatione generali exc.mus D. Alfonsus Carinci, qui mihi tradidit gratissimum officium enixas gratias rependendi omnibus Patribus pro ominibus et votis ipsi porrectis, et simul omnibus auspicatur longam vitam ut suam et etiam longiorem atque suas preces promittit pro Summo Pontifice, pro omnibus Patribus Concilii et pro felici exitu huius Vaticanae Oecumenicae Synodi. [*Plausus*].

Nunc lego Patribus praecipua mandata intimationis factae ab exc.mo D. Praefecto Caeremoniarum Apostolicarum quoad solemnem caeremoniam proximae Dominicae in qua Ss. D. N. Paulus, Divina Providentia Papa VI, ad Sacrosanctam Ecclesiam Lateranensem, Cathedralem Romanam, se conferet, ut consuetos ritus et actus pro primo solemni ingressu seu possessione praescriptos et traditos perficiat, et postea Missam solemni ritu celebrabit. Quod attinet ad em.mos ac rev.mos DD. cardinales nil dicam, cum ipsi habuerint intimationem.

Quoad exc.mos patriarchas, archiepiscopos et episcopos sive assistentes sive non assistentes, haec statuuntur: exc.mi DD. patriarchae sacras vestes induent in aula sibi reservata in Palatio Apostolico Lateranensi. In primo xysto, nempe *loggia,* Palatii Apostolici, omnes archiepiscopi et episcopi, sive Pontificio Solio Assistentes sive non Assistentes, assument supra rochetum amictum, pluviale ex tela argentea simplici, quod secum detulerint, et mitram simplicem ex lino. In eodem xysto, abbates nullius et abbates generales qui in Cappella Papali locum habent, supra rochetum vel superpelliceum, amictum et pluviale ex serico damasceno simplici albi coloris, et mitram lineam.

Omnes convenire debent in Palatium Lateranense hora 8.45 saltem.

Omnes archiepiscopi et episcopi, qui convenient, locum habebunt in Basilica — non in atrio Basilicae, dum capitur possessio — in ipsa Basilica. In abside Patriarchalis Archibasilicae locum habebunt archiepiscopi et episcopi Pontificio Solio Assistentes. Alii archiepiscopi et episcopi sedebunt in navi centrali eiusdem Archibasilicae.

Puto sufficere.

Hodie, in hac congregatione generali distribuetur fasciculus, qui continet cap. IV schematis *de Oecumenismo* et agit de Iudaeis; itaque ille fasciculus, qui distribuetur, uniendus est cum schemate *de Oecumenismo*: est caput huius schematis; et discutietur quando em.mi moderatores id statuerint.

De mandato, denique, praesidentiae, rogantur vehementer Patres ne conventus faciant praesertim in extrema parte Basilicae, ubi colloquia quae miscentur aliquando perturbant Patres viciniores, ita ut nec possint audire Patres qui loquuntur, non obstantibus machinis quae vocem amplificant. Gratias.

Nunc lego nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt circa cap. I, adhuc, schematis *de episcopis et dioeceseon regimine.* Sunt ii qui sequuntur: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia, Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania, Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis in Italia, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika, Alfredus Ottaviani, Michaël Browne; exc.mi DD. Antonius Khoraiche, arch. Sidoniensis Maronitarum in Libano, Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus in Hispania, Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia, Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia, Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India, Ioseph Schoiswohl, ep. Graecensis in Austria, Eduardus Martínez, ep. Zamorensis in Hispania, Marcellus Lefebvre, arch. sup. gen. C.S.S., Carolus Rodríguez, arch. S. Ioseph in Costarica.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Nomine em.mi ac rev.mi D. card. De Vasconcellos Motta, arch. Paulopolitani, necnon 110 aliorum episcoporum brasiliensium qui congregati examinavimus cap. I decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine,* sequentes praesentamus augusto consessui observationes, quibus partim tantum adhaereo.

Omittendo rationes, brevitatis causa, quas scripto secretariatui tradam, proponimus emendationes sequentes[1]:

1. In optima introductione (n. 1 schematis), adhaeremus emendationi 15 quae invenitur in edita relatione emendationum.

2. Ita modificamus titulum cap. I: « De praxi collegialitatis episcoporum erga Summum Pontificem », et supprimi debent subtituli, necnon subdivisiones in paragraphos.

3. In pag. 6, linn. 21-23 substituatur textus sequentibus verbis: « Quapropter ipsis in conferentia episcoporum adunatis potestas recognoscitur, etiam per decretum generale et pro suis territoriis tantum, suspendendi vel modificandi exsecutionem legum universalium quoties de rebus agatur quas Summus Pontifex, pro suo arbitrio, ex natura rei vel ad firmandam unitatem Ecclesiae sibi non reservaverit. In casibus autem particularibus, in legibus mere ecclesiasticis, quoties coram Deo ipsis videatur urgere bonum animarum, et graviter onerata eorum conscientia, non agatur de rebus quae possint in discrimen alias oves adducere, semper possunt dispensare, obligatione stabilita de numero dispensationum factarum relationem annuam S. Sedi mittendi ».

4. In pag. 7, ad finem n. 4 fiat sequens additio: « Simulque exoptant ut fovendo, excitando, ordinando, supplendo, complendo episcoporum ministerium, Curiae Pontificiae dicasteriorum competentia reformetur, ita ut quae ab episcopis eorumque curiis dioecesanis effici praestarique possunt ipsis relinquantur ».

5. In eadem pagina, n. 5 sequenti substituatur textu: « Praeter diuturnam praxim Curiae Pontificiae Dicasteriorum, utendi, sive stabiliter sive ad actum, consilio et doctrina peritorum ecclesiasticorum undique adscitorum laudandam et ampliandam, apud Summum Pontificem universalem pastorem speciale officium constituatur episcoporum diversarum nationum, qui ut delegati conferentiarum episcopalium, secundum propria statuta condenda, collegii apostolici Capiti et Principi adiuvamen praestet ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda ».

6 et ultima: Reverenter suggerimus terminologiam « Sacrae Congregationes » per « Dicasteria Romanae Curiae », vel aliquid simile, substitui, ea nempe intentione ut terminus « sacra » vitetur et ut includere etiam valeat praeter Congregationes, Tribunalia aliaque Officia ac Pontificias Commissiones. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praeter ardens desiderium effective respondendi animarum necessitatibus, hodiernis temporibus, permaxime episcopi Brasilienses in corde habemus calidam atque clamantem vocem Sanctissimi Domini Pauli VI

attendere, cum in non sat laudata Oratione inaugurali currentis sessionis conciliaris, haec inter alia habebat: « O carum et venerandum Ioannem Pontificem! Grates tibi agantur, tibi tribuantur laudes, quod Concilium hoc, divino quasi instinctus consilio, cogi iussisti, ut simul Ecclesiae novas *aperires vias*... Tu, nullo terrenae rei stimulo incitante, nullis cogentibus singularibus adiunctis, quasi caelestis Numinis divinans consilia, atque in nostrae huius aetatis introspiciens obscuras acerbasque necessitates, comminutum filium Concilii Vaticani I resarciendum esse existimasti. Quod faciens, id etiam es consecutus, ut sponte eam diffidentiam discuteres, quam ex illo Concilio quidam immerito collegerant, quia scilicet ad regendam Ecclesiam satis esset summa potestas Romano Pontifici a Christo Iesu collata atque ab eodem Concilio agnita, ... ». Perspectum vero haberi debet Summum Pontificem non dumtaxat permittere aut concordare, verum exoptare immoque sperare ut « novae viae » aperiantur, necnon sufficienter demonstrare sustineri non posse opinionem eorum qui tenent pontificiam potestatem, quamvis supremam, satis esse ut in praxi Ecclesia gubernetur et sanctificetur. Non episcopi sunt qui invadere conantur competentiarum pontificiarum campum. Ipse est Summus Pontifex qui rogat atque exorat ut in eius veniamus auxilium, eo quod, solus, gubernationis augeri videt difficultates, quibus ut satisfiant apprime solutiones adaequatae non perspiciuntur, si media quibus pollet tantum inspiciantur. Parum infra, idem Summus Pontifex gloriose regnans adhuc magis explicite asserit: « Inter varias diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote episcopos Ecclesiae Dei. Haud dubitamus asseverare Nos *magna spe ac sincera fiducia* huiusmodi disceptationem exspectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis Oecumenici Concilii Vaticani I ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de episcopatu, de eius muneribus, deque eius cum Petro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus, ad doctrinam et usum vitae quod spectat, in apostolico munere Nostro obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, *poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam* ».

Tam vigilans Pontificis vox non potest non audiri eique Concilium non praeteribit responsum dare. Summus enim Pontifex, nullimode se sentiens sub minis contra defensionem Supremi Pontificatus inalienabilium iurium, quae cedere nequit, ipse, primus et, ut taliter dicamus, voce angustianti, collaborationem efflagitat magis validam et consciam omnium episcoporum in Ecclesiae gubernaculo ducendo. In memoriam etiam revocare vellemus, quod praeter ea quae ab ipso schemate innuuntur, Sanctissimus Dominus, in Allocutione ad Curiam Romanam, explicite dicit: « E Noi diremo di più: quando il Concilio ecumenico mostrasse desiderio di vedere associato in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica, qualche rappresentante dell'episcopato, particolarmente fra i presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà sicuramente la Curia Romana a farvi opposizione ». Est ipse Papa qui, concrete applicando quae in Encyclicis *Quadragesimo Anno* enucleavit Pius XI, quae Pius XII in summo habuit elogio in allocutione ad novos cardinales anno 1946, quaeque iterum Ioannes XXIII sic in *Mater et Magistra* expressit: « Sicut

quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum et recti ordinis perturbatio », in verbis ad Romanam Curiam datis, hanc nolit: Non sarà... avara di sue facoltà che, senza ledere l'ordine ecclesiastico universale, oggi l'episcopato può da sè e localmente meglio esercitare ».

Hac freti supernaturali deditione erga animas, et nullo affecti desiderio augmenti potestatis episcopalis, necnon optantes filialiter respondere desideriis vividissimis Summi Pontificis, quae sequuntur vobis, venerabiles Fratres, proponimus emendationes.

[*Subsignaverunt etiam*] Cardd. Jaime de Barros Câmara, Carlos Carmelo Vasconcelos Motta; exc.mi Walfrido Teixeira Vieira, Luis Victor Sartori, José Bezerra Coutinho, Arcangelo Cerqua, João Gazza, Raimundo de Castro e Silva, Ruy Serra, José André Coimbra, José de Aquino Pereira, Paulo Rolim Loureiro, Francisco Austregésilo de Mesquita, Ladislau Paz, José Lamartine Soares, David Picão, Acácio Rodrigues Alves, Frei Cesario Minali, Clemente Isnard, Candido Julio Bampi, Vicente Araujo Matos, Geraldo Maria Moraes Penido, Guido M. Casullo, Eliseu Mendes, Helder Pessoa Camara, Othon Motta, José Medeiros Delgado, Claudio Colling, Nivaldo Monte, José Mauro Alarcon Santiago, Alonso Silveira de Mello, Aniger F. Maria Melillo, João Hoffmann, José Terceiro de Souza, José Medeiros Leite, Antonio Batista Fragoso, Henrique Gelain, Walmor Battu Wichrowski, Tomás Vaquero, Florencio Sisinio Vieira, José Maria Pires, José Varani, João de Souza Lima, José Alves Trindade, Jaime Luiz Coelho, Cristiano Araujo Pena, José Brandão de Castro, Delchior Joaquim da Silva Neto, Gerardo Ferreira Reis, Frei Caetano Antonio Lima dos Santos, Altivo Pacheco Ribeiro, José Pedro de Araujo Costa, Anselmo Pietrulla, João Muniz, Diego Parodi, Edmundo Luiz Kunz, José Costa Campos, João José da Mota e Albuquerque, Serafim Fernandes de Araujo, João Rezende Costa, Eliseu Maria Coroli, José Thurler, Epaminondas José de Araujo, Edilberto Dinkelborg, Quirino A. Schmitz, Martinho Michler, Paulo Hipolito de Souza Liborio, José Melhado Campos, João Batista da Mota e Albuquerque, Manoel Pereira da Costa, Otávio Aguiar, José Hascher, Joaquim de Lange, Afonso Niehues, Gregorio Warmeling, Luíz Gonzaga da Cunha Marelin, Francisco Zayek, Gabriel Paulino Bueno Couto, José Adelino Dantas, Manoel Tavares de Araujo, Severino Mariano de Aguiar, José Eugênio Corrêa, Alberto Etges, Aloisio Lorscheider, Bernardo Norker, Benedito Coscia, Hugo Bressane de Araujo, Carlos Gouvêa Coelho, Benedito Zorzi, José Dalvit, Jorge Marcos de Oliveira, Manoel da Silveira D'Elboux, Vicente Scherer, Orlando Chaves, José Vicente Távora, Daniel Baeta Neves, Antonio Almeida Moraes Junior, Alberto Ramos, Eugenio de Araujo Sales, Victor Tiebeck, Herminio Malzone Hugo, Fernando Gomes dos Santos, Cornelio Chizzini, Stanislau van Melis, Salomão Ferraz, José Nicomedes Grossi, José Gomes, Candido Padim, Wilson Laus Schmidt, Bernardo José Bueno Mieli, Vicente Marchetti Zioni.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Fratres,

Ad emendationem cap. I huius decreti tria velim adnotare.

1. Adhaereo menti eorum, qui volunt praemittere huic decreto capitulum fundamentale de collegio episcoporum. Scio quidem, suffragationem hac de re factam non habuisse vim definitivam sed tantum indicativam. Sed quaero, an fere unanimis consensus Patrum in hac re pro nihilo habendus sit. Et miror de his, quae initio huius hebdomadae in aula dixit em.mus card. Browne. Secundum meum humile iudicium, commissionum conciliarium non est, post disceptationem in aula factam, novum iudicium proferre de re iam tractata, quasi si haberent propriam sibi veritatem, quae aliis lateret, sed quia commissiones sunt instrumenta congregationum generalium, earum mihi esse videtur, mentem et voluntatem Patrum explorare et exsequi.

2. Assentior etiam iis qui loco primae appendicis, quae continet facultates episcopis concedendas, desiderant potius elenchum reservationum, quas Summus Pontifex vel in Ecclesia orientali etiam competens auctoritas sibi reservari vult. Secunda autem appendix, quae agit de regulis secundum quas procedere debent Congregationes in ipsum textum quoad substantiam inseratur, quia secus principia huius textus ita generalia remanent, ut ex iis omnia et nihil depromi possit. Magni momenti mihi videtur, ut hae regulae, praesertim de clara distinctione inter viam administrativam et viam iudiciariam, ad omnes Congregationes extendantur, etiam ad Supremam Congregationem S. Officii, cuius modus procedendi in multis non iam congruit nostris temporibus et Ecclesiae detrimento et multis scandalo est [*plausus in aula*]. Scio quidem quam grave, difficile et spinosum sit officium eorum, qui per multos annos laborant in S. Officio pro tuenda veritate revelata, sed mihi videtur postulandum, ut etiam in hoc Dicasterio nemo de recta vel non recta fide accusatus iudicetur vel damnetur, nisi prius ipse auditus fuerit, nisi noverit prius argumenta, quae militant adversus eum vel eius librum quem scripsit, nisi prius ei occasio data fuerit seipsum vel librum quod fatum eius fieri videtur corrigendi.

3. Alia propositio, quae spectat ad renovandas relationes inter episcopatum et Sacram Curiam Romanam: mihi videtur, numerus episcoporum in Curia Romana degentium esse minuendum. Nemo conse-

cretur episcopus solum, ut eius persona vel eius munus honoretur. Episcopatus ipse est munus, non honor et splendor alicui alteri muneri addendus. Qui consecratur episcopus, sit etiam episcopus et nihil aliud. Addendum, quod etiam ordo presbyteratus nemini detur, ut eius persona honoretur, sed, ut dicit Concilium Chalcedonense in celeberrimo canone VI, ad curam gregis Domini. Mihi persuasum est, in Curia Romana multa officia adhuc teneri a sacerdotibus, qui non minus bene vel melius impleri possint a laicis. In disceptatione de constitutione super Ecclesiam longe et late locuti sumus de laicis, de eorum dignitate et ministeriis in Ecclesia. Mihi videtur, hoc nunc esse adhibendum. Propono igitur, ut statuatur, numerum episcoporum et sacerdotum in Curia Romana esse minuendum et laicos ad eam admittendos. Dixi.

Textus scripto traditus:

Ad emendationem cap. I huius decreti tria adnotare velim.

1. Adhaereo propositioni eorum, qui capitulum fundamentale de collegialitate episcoporum anteponere volunt. Verum quidem est suffragationem hac de re habitam non habere vim decisivam sed tantum indicativam. Sed quaero, an fere unanimis consensus patrum in hac re pro nihilo habendus sit. Quapropter miror de his, quae em.mus card. Browne hac de re in aula dixit. Non enim est commissionum conciliarium post disceptationem schematis factam novum iudicium de re tractata proferre, quasi veritatem sibi propriam haberent, quae aliis lateret, sed commissionum est sensum et voluntatem patrum explorare et exsequi, quia instrumenta sunt congregationum generalium.

2. Assentior etiam propositioni eorum, qui loco primae appendicis, quae agit de facultatibus episcopis concedendis desiderant elenchum causarum, quas Romanus Pontifex vel etiam in Ecclesia orientali competens auctoritas sibi reservari vult. Appendix autem II substantialiter in textum schematis inseratur, quia alioquin eius principia tam generalia remanent, ut omnia et nihil ex eis de facto promi possit. Ex rebus in hac appendice tractatis imprimis gravis momenti mihi videtur, quod renovatio in modo procedendi, praesertim distinctio inter viam administrativam et viam iudiciariam, ad omnes Congregationes, ergo etiam ad Supremam Congregationem S. Officii extendatur, cuius modus multis in casibus nostris temporibus non iam congruit, immo Ecclesiae detrimento et acatholicis scandalo est. Scio quam grave, difficile et spinosum sit officium eorum, qui per multos annos in S. Officio pro tuenda veritate revelata laborant, sed etiam in hoc dicasterio nemo accusatus de recta fide damnetur vel iudicetur, nisi prius ipse audiatur et ordinarius eius, nisi prius argumenta noverit, quae militant adversus eum vel librum, quem scripsit, nisi prius occasio ei data sit seipsum vel librum suum corrigendi.

3. Alia propositio, quae ad renovandas relationes inter Curiam Romanam et episcopos spectat. Mihi videtur, quod numerus episcoporum in Curia Romana degentium multo minuendus esset. Nemo episcopus ordinetur solummodo, ut eius persona seu eius munus honoretur. Episcopatus ipse munus est, non honor et splendor alii muneri addendus. Si quis ordinatur episcopus, ordinetur, ut sit episcopus neque aliud quidquam. Addendum, quod etiam ordo sacri presbytera-

tus non datur, ut honorificetur aliquis, sed ad curam gregis Domini, sicut in canone VI Concilii Chalcedonensis explicite habetur. Mihi persuasum est pro multis officiis in Curia Romana adimplendis ordinem sacrum necessarium non esse, sed ista officia a laicis adimpleri posse. In constitutione *de Ecclesia* non solum de episcopis sed etiam de laicis tractavimus. Quod in isto loco diximus, etiam hic adhibendum est. Propono igitur, quod statuatur non solum numerum episcoporum, sed etiam numerum presbyterorum in Curia Romana laborantium in futuro minuendum laicosque admittendos esse in eam.

[*Subsignaverunt etiam*:] Albert Devoto, ob. de Goya (Argentina); Manuel Tato, ob. Santiago del Estero (Argentina); Antonio M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Luis Baccino, ep. S. Ioseph in Uraquaria; Anibal Maricevich, ep. coad. Vallaricensis; J. Manuel Santos A., ep. Valdiviensis (Chile); Alfridus Viola, ep. Saltensis; Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis in Brasilia; Gerardo Ferreira Reis, ep. Leopoldinensis in Brasilia; Marcelo Mendiharat, ob. coad. de Salto (Uruguay); Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacen.; Alberto Rencoret, arz. Puerto Montt (Chile); Augusto Salinas, ob. de Linares (Chile); Juan Fresno L., ob. de Copiapò (Chile); Guillermo C. Hartl; Armando Gutierrez G., ob. aux. La Paz (Bolivia); Roberto Càceres, ob. de Melo (Uruguay); A. Quarracino, ob. de 9 de Julio (Argentina); Jorge Manrique, ob. de Oruro (Bolivia); Pedro José Rivera Mejìa, ob. de Socorro y S. Gil (Columbia); Jorge Kemerer, ob. de Posadas.

3

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

Loquor tantum de secunda sectione capitis huius, nempe de propositione in par. 4 et 5 contenta, i. e. ut episcopi aliquo modo in partem universalis Ecclesiae sollicitudinem assumantur.

Multi, hinc et inde, iterum iterumque de collegialitate et de iure divino alio tempore disseruerunt.

Sufficiant pauca, de quibus omnes simpliciter convenire possumus.

1. Romani Pontificis iurisdictio suprema et plena est, significans principatum et universalitatem (quantum ad obiecta et quantum ad extensionem) sine aliquo limite *iuridico* (nisi ipso iure divino) et sine dependentia *iuridica* a quavis auctoritate.

2. Iure divino Romanus Pontifex hanc iurisdictionem personaliter exercere potest, seiunctim ab episcoporum corpore.

3. Potest Pontifex ut par est adiutorio uti organorum executorum ab ipso liberrime electorum.

4. Corpus episcoporum Romano Pontifici unitum, et tantum iuxta modos a Papa ordinatos, habet potestatem plenam et supremam (ergo non delegatam) super universalem Ecclesiam. Meminisse iuvabit quod

clarissimus Kleutgen tempore Concilii Vaticani I firmabat in suo schemate constitutionis *de Ecclesia* et in animadversionibus annexis. Sunt sua verba: « dubitari non potest quin episcopi in docenda et gubernanda Ecclesia partem aliquam habeant » et quidem hoc « per se fidei dogma certissimum enuntiat » ...[1].

5. Nulla iuris divini norma Romanum Pontificem impedit quominus ipse exercitium huius potestatis Corporis episcoporum frequentius et habituale reddat, saltem mediante novo organo, quod sincere corpus episcoporum repraesentet, dummodo tria principia firma remaneant:

a) ultimum iudicium de opportunitate huiuscemodi institutionis Summo Pontifici competat et semper remaneat;

b) etiam post novam institutionem peractam, non reducantur omnia quasi iure divino ad unicam viam actionis Romani Pontificis, sed ipse iure divino liber remaneat alia via et alio modo procedendi;

c) et tamen novo organo instituto, non vi iuridica sed ratione opportunitatis et melioris efficacitatis ipse Pontifex curet novi instituti sensum et finem non frustrandum, ita ut, nisi hoc institutum praevideatur de facto utpote via habitualis tractandi et decernendi causas maiores, opportune et aeque non introducendum videatur.

Non est ista novitas, sed consequentia practica plene congruens cum praxi confirmata a traditione antiquissima et non interrupta usque ad saec. XVI.

Iam saec. IV et V consilia maioris momenti ab episcopo Urbis capiuntur, *ut dicitur,*[2] in « conventu fratrum ». Cum, post crisim saec. X, Papatus resurget vere liber ab omni politica potestate, organum habituale ipsius auctoritatis super totam Ecclesiam ...[3] est Sacrum Consistorium, quod a saec. XII ter in hebdomada se congregat. Omnes Pontificum decisiones maiores non dantur nisi obsignatae ab omnibus membris Sacri Collegii.

Ipsa Tridentina Synodus non mutavit sed confirmavit ...[4]. Omnia Curiae Romanae organa Sacro Consistorio subordinata erant et auctoritatem non decernendi sed tantum exsequendi habebant ...[5].

Inde a Sixto V nullum aliud organum assumpsit (nisi in obliquo et pro parte tantum) munus coordinationis et synthesis antea Consistorio competens.

Ita ut hodie quoque regimini universalis Ecclesiae desit organum adiuvans S. Pontificem in munere — magis magisque amplo — coordinandi, disponendi et elaborandi deliberationes generalissimas ...[6].

Iste defectus certissime, *videtur, est*[7] inter maximas carentias praesentis status obiectivi officiorum Curiae Romanae, abstractione omnino facta a meritis, origine, modo electionis ...[8] personarum.

Si omnia haec vera sunt — uti mihi *videtur*[9] — problema alicuius participationis habitualis episcoporum ad sollicitudinem et regimen universalis Ecclesiae, non est problema solvendum pro parte, e. g., per designationem alicuius episcopi Americae, Asiae, Africae utpote membri Romanarum Congregationum servatarum in praesenti structura et ordinatione; neque solvendum est per instaurationem novi organi, *ut ab aliquo Exc.mo propositum fuit*,[10] semper eiusdem naturae et structurae, quasi tertiae decimae Congregationis « magis supremae quam suprema Congregatione S. Officii ».

Tam arcta connexio est inter varia problemata renovationis ...[11], ut nullum eorum solvi possit, seiunctim:

problema naturae, constitutionis et munerum Sacri Collegii Cardinalium;

problema relationis inter Sacrum Collegium et organum repraesentans corpus episcoporum;

problema distinctionis inter organum synthesis generalis et organa specialia ratione materiae;

problema distinctionis inter organa praevisiones et studia elaborantia, et organa potestate deliberativa praedita, et organa merae exsecutionis administrativae.

Tanta connexione et implicatione supposita, unumquodque problema non tantum huius decreti de episcopis ambitum transcendit, sed etiam ipsam nostram competentiam, venerabiles Fratres, saltem pro parte, excedit. Tam directe tangit Summi Pontificis personalem competentiam, ut hanc quaestionem disceptare non potuissemus nisi ipse Summus Pontifex hanc rem Concilio aliquo modo committere se complacuisset, quasi Concilii sententias, vel melius, propensiones requirens.

Sed aliud est significatio alicuius propensionis vel voti et aliud est statuitio decreti.

Propterea concludo cum formali propositione vestrae congregationi *subiecta*.[12]

1. Tota materia de episcoporum participatione sollicitudini et regimini Ecclesiae universalis, a praesenti decreto de episcopis excerptanda est (italice, « è da stralciarsi »).

2. In subiecta materia a Concilio nostro textum vere et proprie normativum non est redigendum.

3. Potius *apparandum est documentum*,[13] nuntius, qui desiderio Beatissimi Patris respondens, proponat aliqua Concilii vota de renovatione generali officiorum Romanae Curiae et congruenti participatione episcoporum summo regimini Ecclesiae.

4. Vota nostra, quippe quae quaestiones saeculares maximi momenti

tangunt et instituta funditus nova proponunt, a disceptatione trium dierum depromi non possunt, sed tantum post studium et elaborationem congruentem, cura specialis commissionis conciliaris ante finem secundae sessionis designandae. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut in Conciliorum conscientia et praxi patet. [2] deest. [3] occidentalem. [4] statuens — e. g. pro electione episcoporum — non unam sed duas sessiones S. Consistorii. [5] Operae pretium est considerare SS. Romanas Congregationes — uti eorum nomen dicit, nempe commissiones speciales PP. cardinalium — secundum structuram et munus hucusque vigens, constitutas esse a S. Consistorii fractione a Sixto V peracta propter rationes non dogmaticas sed mere practicas. Ex ipsis Congregationibus unaquaeque successit in portionem munerum et auctoritatis decernendi, antea competentis solo Consistorio in congregatione sua plenaria. [6] pro synthesi non tantum doctrinali (utpote in Congregatione S. Officii) vel politica (utpote in Secretaria Status), sed etiam pro synthesi pleniore vere pastorali et religiosa. [7] videtur. [8] etc. ... [9] videntur. [10] (ab exc.mo Florit proposito). [11] Romanae Curiae. [12] subiicienda. [13] apparandus est.

4

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Venerabiles Patres,

Imprimis loquor nomine *episcoporum* [1] Africae, Madagascar et aliarum insularum, circa principium creationis Consilii regiminis universalis Ecclesiae.

Primo, spe gaudentes, libentissime episcopi Africae et Madagascar adhaeserunt verbis ab ipso Summo Pontifice die 21 septembris prolatis in exhortatione ad officiales Curiae Romanae. Exoptant enim creationem *quam primum* illius Consilii regiminis universalis totius Ecclesiae *quod erit signum efficax exercitii collegialitatis episcopalis.*

Deinde liceat mihi mentem aperire circa modum ipsum. Schema ...[2], non sufficienter voluntatem hanc rem tractandi monstrat. Videant Patres n. 5, pag. 7. Agitur unice de introducendis aliquibus episcopis inter membra vel consultores Congregationum Romanarum.

Problema non in hoc tantum consistit nec unice in « maiori internationalizatione » Curiae Romanae, de qua agitur in nota 5, pag. 8 ...[3].

Genuinum problema quod ex nunc positum ...[4] non est problema revindicationum nationum, vel patriarcharum nec immo totius corporis episcoporum. Supra omnes huiusmodi revindicationes exsurgit enim problema novae structurationis organorum centralium Ecclesiae. Aptanda

sunt enim novae situationi Ecclesiae in Orbe, amplitudini actionis propriae missionalis totius Ecclesiae, et complexitati novi progressus historici ad quem organisatio socialis in quocumque sectore humanae existentiae et activitatis pervenit.

Ut melius dicam, magis quam de problemate competentiae, vel repraesentationis, agitur de problemate functionalitatis et efficientiae Ecclesiae ad certiorem faciendam ...[5] actionem pastoralem Ecclesiae in omnibus coetibus et campis ubique terrarum.

Ex hac visione redemptionali mundi — scil. exclusive ex exigentiis obiectivis *ipsius salutis animarum* in toto Orbe — sed nullatenus ex pretensionibus subiectivis, quaecumque sint, proficisci volumus quando de « aggiornamento » organorum Ecclesiae universalis in suo centro agentium loquimur.

Talia organa media et instrumenta sunt per quae potestas suprema in Ecclesiam universalem exercetur, quae potestas suprema duobus modis qui ex iure divino promanant, scil. per Summum Pontificem, ex sese, et per corpus episcoporum in unione cum *Ipso Summo Pontifice* [6] exercetur.

Si organismi centrales Ecclesiae universalis exclusive fuissent organismi supremae potestatis Romani Pontificis — ut adhuc dicitur in schemate pag. 7, in linn. 1-4 — Concilium nostrum *stricto iure* nullam decisionem in hac materia ferre potuisset.

E contra ipse Summus Pontifex, in exhortatione ad Curiam Romanam et in allocutione inaugurali secundae sessionis Concilii Oecumenici, magno animo, de qua re reverenter pergrati sumus, revelavit propriam mentem scil. ut hoc Concilium desideria et vota in tali campo exprimeret et speciatim quoad participationem magis frequentem delegatorum corporis episcoporum « allo studio e alla responsabilità del governo ecclesiastico ».

Roborati ab illa paterna ...[7] exspectatione ipsius Summi Pontificis, nobis videtur non solum nos ius habere sed officium adimplere debemus delineandi aliquas propositiones.

Propositiones attamen inseri nequeunt, sic nobis videtur, sine debita praeparatione vel modo inorganico in discussione *de episcopis*.

Plurimae rationes militant ut tale argumentum maximi momenti et quod certo influxum exercebit super structuras, actionem et vitam Ecclesiae in toto orbe terrarum, non tractetur quasi per transennam in spatio nonnullarum linearum praesentis schematis...

Non agitur aliquam speciem satisfactionis episcopis dare, introducendo aliquos eorum in Congregationes Romanas, ut sunt nunc, nec magis instituendo aliquo modo quodvis Consilium centrale, sed debemus

proponere lineas generales ...[8] totius complexus organorum centralium Ecclesiae.

Ex altera parte nullo modo proponere volo meram translationem huiusmodi argumenti ad aliam sedem si exsurgere potest periculum ut talis translatio diligenti exarationi huius argumenti capitalis obstaculo evadat ...[9]. Proinde propono quae sequuntur:

1. Argumentum circa participationem corporis episcoporum in regimine universalis Ecclesiae, *argumentum seorsum fiat* et a praesenti decreto *de episcopis* separetur, et in ordine laborum Concilii ex hac actuali sessione maneat.

2. Sub cura em.morum cardd. moderatorum de hoc themate discussio proponatur, quam primum.

3. Etiam sub cura em.morum cardd. moderatorum et nomine Concilii a Summo Pontifice commissionis specialis constitutio postuletur cuius officium erit propositiones, suggestiones, vota Patrum de hac materia recogere, perpendere necnon pro futura sessione textum parare non sub forma constitutionis vel decreti concilaris, sed textum consilii vel petitionis quam Concilium proponet ipsi Summo Pontifici. Sic, secundum ipsam exhortationem a Summo Pontifice in allocutione inaugurali factam, indicationes desideriorum Concilii submittent.

Commissio specialis constare debebit ut aliae commissiones, partim ex membris a Concilio selectis, partim ex membris a Summo Pontifice designatis.

4. Denique Commissio labores incipere deberet quam primum et alacriter prosequi usque ad terminum ita ut ad propositiones concretas serio maturas pervenire possit.

In hac materia tam gravi Concilium ad quasvis suggestiones genericas vel ad quamdam improvisam propositionem nullatenus limitari *possit.*[10] Si necesse erit, ulterius danda erunt theoretica et practica criteria, quae moderari debere videntur selectionem novorum organorum centralium et formas concretas collaborationis corporis episcoporum in regenda ipsa Ecclesia universali. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] episcopatus totius. [2] solum velleitatem. [3] sed debet esse. [4] est. [5] magis velocem et validam. [6] Papa. [7] sollicitatione et. [8] etiamsi praeliminares. [9] Nunc debemus tractare illud. [10] potest.

5

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Antequam de his, quae scripsi circa cap. I istius schematis *de regimine dioecesium et episcoporum,* liceat mihi altissime protestari contra verba quae facta sunt contra Supremam Congregationem S. Officii, cuius Praeses est Summus Pontifex... [*Plausus*].

Illa verba facta sunt ex nescientia, non dico aliud verbum, ne offendam, ex nescientia procedurae S. Officii, ex nescientia quantarum personarum, quae interrogantur et moventur antequam aliquod iudicium detur, quot sunt consultores et qualificatores, maxima ex parte exteri et professores primarum Universitatum Romanarum, qui audiuntur antequam aliquod iudicium submittatur em.mis Patribus S. Officii, qui dant iudicium suum ex certa scientia causae, quae ipsis proponitur et cuius resolutio ipsi Patres proponunt Summo Pontifici.

Nunc autem quod attinet ad textum istius capitis, de quo est quaestio, ego scripsi quod consideranti mihi et quaerenti undenam veniat ut circa collegialitatem episcopalem, aliqui Patres ita in hac alma aula in suis allocutionibus, ita ideas suas prompserunt ut tamquam rem iam definitam ipsam habuerint, dum, sicuti iam notatum est, illa suffragatio, facta die 29 octobris, erat tantum indicativa.

Sed circa ipsam suffragationem liceat mihi quaedam observare. Commissio doctrinalis, quae a vobis Patribus electa est, ipsa, ipsa decidet sed, meo nomine personali, haec noto. Illa puncta, illa quaesita concinnata sunt a moderatoribus, erga quos maximam habeo aestimationem, sed curnam antequam ipsa proponerentur non sunt subiecta examini ipsius commissionis doctrinalis? Ipsa est competens, ipsi dederunt mandatum Patres, ipsi Patres elegerunt eam ut de rebus doctrinalibus proponerent ipsa quae vel dogmata vel fidem catholicam exponunt.

Si autem — secundo dico — si autem hoc factum fuisset antequam suffragationi proponerentur illa quaesita, commissio doctrinalis certissime sub aspectu doctrinali, technico perfecisset locutiones et evitasset quasdam expressiones quae aequivocationi possunt dare locum.

Tertio. In illis quaesitis iam erat petitio principii, « circulus vitiosus »: iam statuebatur exsistentia collegii, *collegii* apostolorum ut inde inferretur successio collegii episcoporum, non solum igitur successio, de qua nemo dubitat, successio episcoporum ab apostolis, sed successio collegii episcoporum a collegio apostolorum. Sed quandonam apostoli collegialiter egerunt, salvo Concilio Hierosolymitano?

Ego interrogavi aliquem Patrem doctissimum, eximium in re biblica,

ut diceret mihi quandonam, an aliquando et quando apostoli egerint collegialiter, ita ut possit dici ipsos constituisse collegium quo sensu iuridico hodie volunt intelligere, sensu iuridico ex quo promunt quaedam iura etiam circa ipsum exercitium primatus Summi Pontificis. Et ille confessus est, et non negavit, quia non exsistunt argumenta ad deducendam collegialitatem apostolorum ex Sacris Scripturis.

Ceterum, miratus sum omnes illos qui insisterunt tantum in quaestione de collegialitate, ex hac collegialitate deduxisse minorationem saltem exercitii primatus Romani Pontificis.

Memineritis, Fratres carissimi, dilectissimi, verborum Petri: « Seniores qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, ... pascite qui in vobis est gregem Dei ». *Qui in vobis est*: non universum gregem, qui datus est tantummodo Petro, cui dictum est « pasce oves meas », oves *meas,* meas inquit. Qui vult esse ovis Christi pasci debet a Petro, et non oves debent dirigere Petrum sed Petrus regere oves.

Textus scripto traditus:

Consideranti mihi et quaerenti unde veniat ut plures Patres, in suis allocutionibus in hac alma aula habitis considerent collegialitatem episcoporum rem esse iam acquisitam et fontem plurium iurium quibus ipsa suprema potestas Summi Pontificis quodammodo in suo exercitio moderetur, ut audivimus in commentariis ultimorum dierum circa cap. I schematis *de episcopis deque dioecesium regimine,* illud proverbium mihi in mentem venit secundum quod: « felix catus nimis festinus gignit filios caecos ».

Re quidem vera idea collegialitatis episcoporum haud gaudet claritate et fulcitur nimis festina, seu praepropera et impraeparata suffragatione quinque punctorum die 29 octobris habita. Et reapse:

1. Quinque illa quaesita seu puncta concinnata sunt, non praevie audita, prout opportunum si non necessarium videbatur, commissione doctrinali, dum ageretur de rebus quae dogmata tangunt;

2. Ex hoc defectu congruae praeparationis quaesitorum evenit ut illa quaesita non satis clara, univoca, et praecisa facta fuerint;

3. Ex nimia festinatione subiiciendi eadem quaesita suffragationi Patrum in congregatione generali consequebatur quod, contra omnem consuetudinem conciliarem, non fuerint praevie submissa discussioni ut saltem aliquis delegatus ex una parte et alter ex alia parte pro vel contra dicerent ad illuminandos Patres de gravibus consequentiis illarum propositionum;

4. Ceterum circulus vitiosus seu petitio principii quae continebatur in propositione III causa fuit erroris in multis Patribus, nam gratis asserebatur collegialitas apostolorum ut inde inferretur collegialitas episcoporum.

Ego interrogavi eximium Patrem peritissimum in re biblica utrum ex Sacris Scripturis resultet apostolos, praeterquam in Concilio Ierosolimitano (et de collegialitate episcoporum in Conciliis Oecumenicis non est dubium) umquam egerint

collegialiter ita ut ex eorum modo dicendi et agendi resultet ipsos formasse collegium: et ipse confessus est et non negavit quia ex apostolorum praxi nihil posset deduci de collegialitate ipsorum. E contra, in quaesito III dicitur collegium episcoporum collegio apostolorum successisse, scilicet transitus factus est successione singulorum episcoporum ad successionem alicuius collegii, qua talis non exsistentis.

5. Ex ea autem quae audivi miratus sum res eo tendere ut libera, plena et independens potestas suprema Summi Pontificis quodammodo labefactetur.

Meminerint Patres verborum S. Petri: « Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior et testis Christi passionum: pascite qui in vobis est gregem Dei » (*1 Pt.* 5, 4). « *Qui in vobis est* », non vero universae Ecclesiae, quod competit uni Petro cui unice tamquam Christi Vicario dictum est « pasce oves meas ». « Meas », inquit. Qui ergo volunt esse oves Christi, etiam si sint episcopi, sub regimine Petri esse debent et non ipsi sed pastor universalis universum gregem regere debet.

6

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Valde brevis ero quia frequenter loquor. Nunc pro momento est quaestio tantummodo de paragrapho de cooptatione episcoporum ad Romanam Curiam seu ad Congregationes ut hic dicitur.[1]

In pag. 7, linn. 21-27: quod spectat ad theologicam doctrinam nihil habetur contra nominationem quorumdam episcoporum ut membra vel consultores Ss. Romanarum Congregationum. Sed istae Congregationes pertinent ad Curiam Romani Pontificis.

Cardinales ex quibus constituuntur, officiales maiores earum necnon earum consultores solent designari, non praecise ab *Apostolica Sede,* ut hic dicitur, prout hae voces quandoque intelliguntur, sed ab ipso Romano Pontifice.

Ab ipso peti posset ut pro sua prudentia, quosdam episcopos Ss. Congregationibus adiungat, sed vox « nominentur », *in constitutione* [2], non placet.

Venerabiles Patres, si collegialitas episcoporum intelligatur ut *ius* vindicans collegio co-gubernandi universam Ecclesiam simul cum Romano Pontifice, etsi sub ipso, tunc ex parte Romani Pontificis daretur *officium* co-gubernandi cum collegio. Evidens est potestatem gubernandi ex parte Pontificis ita minui, seu non esse amplius « plenam ». *Et in famosa constitutione Pastor aeternus, summa cura habita est de his omnibus quantum ad « plenitudinem ». Ibi est punctum praecisum, magis praecisum totius documenti. Nemo inter nos cogitavit dubitandi de suprema potestate Romani Pontificis, sed punctum magis essentiale est « plena potestas » Romani Pontificis.*[3]

Nunc[4] talis sententia, mea anxia opinione, non concordat cum constitutione dogmatica *Pastor aeternus* Vaticani I, *cap. III.*[5]
Venerabiles Patres, caveamus!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.
[5] cf. maxime cap. III huius const. dogm.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS KHORAICHE
Archiepiscopus Sidoniensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Circa formulam « salvis iuribus et privilegiis orientalis Ecclesiae », quae in prooemio ...[1] continetur, non repetam quae iam multoties scripta et dicta sunt: quod, nempe, promissio « servandi iura et privilegia orientalium », quam haec formula exprimit *et quae*[2] inde a Florentino solemniter facta *est,*[3] usquedum non fuit in executionem deducta. Hoc non repetam quia iam sat dictum est... et quia « credo in Ecclesiam catholicam » et quidem unam.

Mihi tantum sufficiat — et liceat — aliquas considerationes afferre, ex quibus patebit, ut spero, cur ab usu huius formulae (et a modo procedendi in ea intento) abstinendum sit.

Prima quidem consideratio pertinet ad ipsam rem significatam.

Ecclesia enim Christi unica est et non duplex: unum est depositum, una fides, eadem sacramenta et inde eadem etiam iura fundamentalia. Sunt certe particularia diversa: non inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem (quia revera non sunt duae christianae Ecclesiae, orientalis nempe et occidentalis « sorores et parallelae » ut aliquando auditum est, nec unica est Ecclesia orientalis), *diversa sunt*[4] inter particulares Ecclesias ad invicem. Particulares autem ecclesiae, non sunt orientales Ecclesiae in quantum opponuntur Ecclesiae latinae quae ipsa est catholica, sed catholica Ecclesia omnibus constat Ecclesiis particularibus, inter quas recensenda est latina.

Hoc posito sequitur in materia iuris:

a) quod non sunt in Ecclesia duo iura, ad invicem extranea et incompatibilia, occidentale nempe et orientale, et ad quae reduci deberent omnes distinctiones et diversitates. Haec conceptio dualistica, despiciens et fundamentum unitatis et rationes diversitatis, unum tantum retinet in historia Ecclesiae, dualismum scil. politicum qui aliquando scindit Imperium Romanum in detrimento religionis.

b) Quod non est in Ecclesia ius universale quod esset C.I.C. seu ius latinum, quo aliquando reguntur etiam orientales (ex quo subintelligitur illud ius esse ius universalis Ecclesiae) vel ex quo frequentius excipiuntur orientales quia « specialia iura et privilegia » habent. Hic modus concipiendi praevaluit in Ecclesia latina certe laudabili intentione, sed ibi tamen apparet orientales non esse in Ecclesia fideles pleni iuris, sed aliquod « vestigium » quod, ratione antiquitatis, servandum est immo et venerandum et cui non denegatur « statutum aliquod exceptionis ».

c) Quod non debet esse in Ecclesia nisi unum ius universale, continens principia et fundamenta omnibus communia, cui adiunguntur, pro particularibus et unicuique Ecclesiae propriis, dispositiones particulares, pro orientalibus et latinis, immo et pro aliis si fuerint.

Altera[5] consideratio pertinet ad methodum. Ex collatione iurium diversorum ad invicem opus reformationis in Ecclesia accuratius peragitur. In disciplina sicut in Liturgia et in theologia ex comparatione fit lux circa verum sensum rerum, et vero sensu intellecto, diiudicatur utrum aliqua dispositio retinenda sit aut abolenda. In omni disciplina, sana crisis est nunc prima regula, et ideo ex comparatione iurium recoluntur multa bona, non tantum pro orientalibus sed etiam et praesertim pro latinis. Deinde ex hoc, saltem ex parte, apparuerunt dissensiones quia unaquaeque ecclesia « per plura saecula propriam viam secuta est » et ideo, aliis propria ei videbantur inconsueta immo et extranea. Sequendo propriam viam, ad invicem accusati sunt haeresi qui Eucharistiam celebrabant alii in azymum, alii in fermentatum; et qui Baptismum conferebant alii ablutione, alii immersione. Si autem ad invicem aspexissent inde ab initio ad hoc « divortium » non pervenissent. Cuius autem applicatio in iure videtur ducere ad claritatem inducendam. Collantur ergo ius orientale et occidentale, et communia principia extrahantur et diversarum dispositionum motiva definiantur et reservationum ratio reddatur. Tunc orientales non timebunt « ne illis denegentur facultates et iura quae latinis recognoscuntur » ...[6] et ipsis latinis apparebit non adesse rationem sufficientem aliquibus dispositionibus. Nonne, enim, mirum est quod religiosi plus habeant facultates quam ipse Ordinarius loci et quod episcopus facultate indigeat ut concedat religiosis mulieribus purificare corporalia? Ex innumeris reservationibus in iure latino vigentibus, efformata est conceptio quod episcopus has tantum facultates habet quae illi expresse concessae fuerunt sive iure sive speciali rescripto, quae conceptio contra rei veritatem est, quia episcopus, legitime aliquam ecclesiam regens, omnia ad illam recte regendam iura habet, his tantum exceptis, quae, ratione boni communis, expresse reservata sunt a supe-

riori auctoritate. Collantur ergo usus et iura et forsan devenietur, in definiendo legitimo exercito episcopalis potestatis ad aliquod aequilibrium, quod non esset nec libertas sine lege nec « angustia sine confidentia ». Sit in Ecclesia lex, sapiens ut insipientes retineat et paterna ut filios in servitudinem non redigat. Ad illam legem instaurandam Sacrosancta Synodus vocatur adiuvante et illuminante Spiritu Dei. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cap. I. [2] deest. [3] deest. [4] sed. [5] Secunda consideratio pertinet ad praxim. Difficultas enim legem ferendi pro orientalibus vitatur dicendo: « salvis illorum iuribus et privilegiis ». Sed huius abstentionis consequentia est quod orientales derelinquuntur, ad tramitem temporum et hominum, sive proprio arbitrio et unde vulgare dictum « orientales sine lege vagantur », sive arbitrio organorum exsecutionis, quae de facto aut illis applicant dispositiones iuris latini aut etiam aliquando illos putant indignos quibus applicetur latina lex, et sic devenitur ad hanc anomaliam quod aliquando in maioribus plus habet potestatis orientalis episcopus, dum in minoribus illi non agnoscuntur quae latino agnita sunt. Rectus autem modus procedendi consisteret in hoc quod omnes, sive latini sive orientales sive alii si fuerint, eodem iure fundamentali regerentur, particularibus cuicumque Ecclesiae servatis, ut de illis in particularibus synodis disponeretur. Et sic v. g. non convenit dum agitur de episcopis et de dioecesium regimine, ut ab initio et in prooemio remittatur ad « iura et privilegia orientalium », sed oportet ut potestates pastoris, ubicumque sit, definiantur, remissis particularibus ad ius particulare uniuscuiusque Ecclesiae. Tertia. [6] (Relatio p. 12).

8

Exc.mus P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCIA
Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Venerabiles Patres,

In decreto conciliari, cui titulus *de episcopis ac de dioecesium regimine,* existimo deesse non debere notionem iuridico-theologicam de episcopo et dioecesi, non obstantibus iis quae de episcopis dicuntur, sub diverso quidem respectu, in constitutione dogmatica *de Ecclesia* et in decreto de cura animarum, *et in hoc consentio cum exc.mo Barrachina.*[1]

Quare humiliter propono ut initio huius decreti vere eniteat figura episcopi hoc vel simili modo delineata:

1. Episcopus bifariam considerari potest, ut membrum coetus seu collegii episcopalis, et ut caput suae dioeceseos.

In praesenti decreto sub altero respectu consideratur, quum sermo sit de episcopis et dioecesium regimine.

2. Iamvero, episcopus missione salvifica praeditus est — utpote mis-

sionem messianicam Christi in terris perennem reddens. Vi huius missionis verus « pater spiritualis » fit suorum dioecesanorum. Eius enim missio, ad instar Salvatoris Iesu Christi, pro scopo habet ut « vitam habeant et abundantius habeant» ...[2].

Ipse episcopus vitam fidelium et gignit, et alit, et fovet et tuetur. Fidelis populus fructus est sacerdotii episcopi.

3. Quum autem, ex voluntate Christi, vita supernaturalis organice transmittatur et ...[3] tendat in cooptationem animarum in organismum supernaturalem, scil. mysticum Christi Corpus, Episcopus-Pater, qui « singulari prorsus nexu » connectitur cum Christo-Capite — sic aiente Pio XII in Enc. Litt. *Mystici Corporis* ...[4] —, vere fit nomine Christi, *episcopus regens,*[5] ea paterna auctoritate in filios suos praeditus, quae *ut*[6] propria, ordinaria, immediata, *licet*[7] Romano Pontifici, universali Patri et Pastori, subordinata, definitur.

4. Quid tandem aliquando est dioecesis? Populus fidelis enascens ex episcopo et in eius sacerdotio consistens, « plebs adunata sacerdoti et pastori suo grex adhaerens », ut verbis utamur S. Cypriani ...[8].

5. Est ergo episcopus erga Ecclesiam suam: principium et centrum unitatis et nexus catholicitatis:

a) *Principium et centrum unitatis.* Quum autem unitas in organismo sit conditio vitae, episcopus, qua principium unitatis, est indesinenter principium vitae, immo ordinator activitatis vitalis uniuscuiusque organi in aedificatione Corporis Christi.

b) *Est etiam nexus catholicitatis.* Ipse enim est, qui, in communione cum Romano Pontifice ceterisque successoribus apostolorum perseverans, cunctos filios suos catholicos et facit et servat, per ipsum Romanus Pontifex de facto exercet potestatem primatialem summe pro nobis amabilem; per episcopum fideles de facto super Petrum aedificantur.

Nec solum hoc dicendum: Ecclesia enim universalis non tantum constat *ex* Ecclesiis particularibus, sed *in* eis consistit. Non est ergo dioecesis pars Ecclesiae universalis, pars *pro* toto, sed *pars in toto,* nempe Ecclesia universalis in loco particulari manifestata. « Scire debes — aiebat S. Cyprianus — episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non est, in Ecclesia non esse » ...[9].

6. Hinc quaedam consectaria magni momenti:

a) Episcopus, cui demandata est salus spiritualis suorum dioecesanorum, iis facultatibus ornatur, quae necessariae et utiles sunt ad salutem gregis procurandam, salvo semper iure supremi pastoris et patris reservandi ea quae bono communi *Ecclesiae*[10] requirantur.

b) Quum cura integri gregis dioecesani episcopum premat, cooperatores sibi adsciscere potest et debet, imprimis suum presbyterium,

deinde [11] religiosos et religiosas, laicos apostolatui deditos, et, ne nimis dicam, integram familiam dioecesanam, in qua nullum membrum pure passivum sit oportet. *Hoc modo* [12] axioma « nihil sine episcopo » optimum sensum affirmativum obtinebit: « omnia cum episcopo » in aedificationem Corporis Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Io.* 10). [3] natura sua. [4] n. 41. [5] auctoritas in Ecclesia. [6] deest. [7] deest. [8] (*Ep.* 79, PL IV, 406). [9] (*Ep.* 66, 8; ed. Hartel p. 73). [10] deest. [11] deest. [12] Ita.

9

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

In cap. I, sicut ceteroquin, in toto schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine,* « deliberato consilio, ut verbis utar em.mi card. Marella, nulla expressa et directa consideratio facta est de his quae pertinent ad doctrinam theologicam de episcopatu ». Melius foret si in initio capitis, saltem breviter, recoleretur fundamentum dogmaticum potestatis episcopalis quae, iure divino, in Ecclesia viget; cum autem huiusmodi quaestio nondum sit plene soluta in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* quae adhuc approbata non est, merito de illo fundamento silet schema.

Etenim, non videtur approbanda propositio illorum qui vellent in huius capitis initio, affirmationem collegialitatis iuridicae corporis episcoporum, vi cuius episcopi ius haberent ad regendam sive omnes universalem Ecclesiam, sive singuli proprias dioeceses. Institutio enim collegii episcoporum ut subiecti plenae et supremae potestatis habitualiter exercendae in universam Ecclesiam non videtur satis demonstrata, nec sufficienter explorata ut fundamentum esse possit alicuius decreti conciliaris.

Non est satis demonstrata. Argumenta enim quae in hac aula prolata sunt — et supponere licet omnia quae adsunt allata fuisse, tot enim oratores de hac re locuti sunt — non sunt apodictica. Ex textibus Evangeliorum allatis non apparet Dominum duodecim ut collegium constituisse ad Ecclesiam collegialiter regendam; modus autem agendi apostolorum, post ascensionem Domini, non demonstrat illos semper aut collegialiter aut nomine collegii egisse; S. Paulus vero suum ius ad apostolatum semper ut proprium et personale vindicavit ut patet legenti epistolam ad Galatas.

Dato autem non concesso quod collegialitas episcoporum ut successorum collegii apostolorum demonstrata esset, adhuc remaneret exploranda sive natura sive sequelae huiusmodi collegialitatis ut res matura efficeretur pro aliqua definitione conciliari ut fundamento potestatis episcoporum.

Eo vel magis quod strictum ius collegiale corporis episcoporum collegialiter exercendum modo habituali vix componi potest cum primatu iurisdictionis Romani Pontificis in totam Ecclesiam, qua ipse solus personalem plenam et supremam potestatem habet in omnes et singulos episcopos, in omnes et singulos fideles. Quamvis enim dicatur collegium episcoporum non exstare sine suo capite, Romano Pontifice, si statuitur Ecclesiam semper habitualiter regi debere collegialiter a corpore episcoporum, etsi cum et sub eius capite, Romanus Pontifex iam non posset agere nisi ut caput collegii. Nulla ergo esset ...[1].

Moderator: Exc.me Domine, redeas ad argumentum: non de collegialitate agitur nunc.

Orator: Ad textum capitis quod attinet, pauca animadvertam.

N. 5 loquitur de sic dicta internationalizatione Curiae Romanae, et quidem primo de modo cooptandi membra variarum nationum, et secundo de fine istius internationalizationis. Curia Romana, uti scitur, constituitur organis quibus Sanctissimus utitur ad negotia Ecclesiae expedienda. Sunt ergo auxiliares immediati Romani Pontificis qui nonnisi ab eo seligi et nominari debent. Non videtur ergo conveniens quod Concilium aliquam normam statuat qua seligi debeant membra diversarum nationum Curiae Romanae. Supprimantur propterea illa verba n. 5 quibus conferentiis episcoporum ius datur designandi quinam episcopi debeant a Pontifice assumi ut membra Curiae Romanae. Eo vel magis quod modus in schemate propositus non videtur melior ad finem internationalizationis Curiae consequendum.

Proponitur enim internationalizatio ut bonum commune magis promoveatur et pericula communia efficacius avertantur. Agitur, ut videtur, de bono communi sicut de periculis communibus toti Ecclesiae, seu quae gaudent quadam universalitate. Inde illae personae de his rebus fructuose agere possunt quae claram visionem istius universalitatis qua talis habeant. Conferentiae vero episcoporum possunt bene cognoscere episcopos, scientia et prudentia praeditos, quoad problemata propriae nationis; de se enim conferentiae episcoporum prae oculis habere debent ea quae ad ambitum propriae nationis pertinent. Ergo, de se, eo solum quod conferentiae sint episcoporum, illam visionem universalem proble-

matum religiosorum quae omnino exigitur in membris Curiae Romanae, non habent. Eis proinde aliquid deest ut idoneae evadant ad membra Curiae Romanae designanda. E contra, multo melius id facere possent Nuntii et Delegati Apostolici. Viri enim sunt qui varias peragrarunt mundi partes, inde criterium aliquod res considerandi acquisierunt universalius quam membra alicuius conferentiae nationalis episcoporum.

Cetera scripto tradam Secretariatui.[2]

In textu scripto tradito: [1] illa personalis ordinaria et immediata potestas quam — ut definivit Vaticanum I — habet Romanus Pontifex ipse solus in singulos et in omnes episcopos etiam in unum coadunatos, in omnes et singulos fideles. Ex alia parte, etiam non videtur demonstratum potestatem quam habent singuli episcopi in suas dioeceses oriri ex eorum communione cum collegio episcoporum, ita ut episcopus vim regendi propriam dioecesim acquirat ex vinculo collegiali quo cum aliis episcopis coniungitur. Potestas enim qua singuli episcopi proprias regunt dioeceses est potestas personalis qua unusquisque episcopus gaudet vi missionis canonicae dummodo communionem cum Romano Pontifice custodiat. Insertio in corpus episcoporum ut causa potestatis episcopalis nullibi invenitur definita, et hucusque res erat omnino ignota. Conc. Vaticanum I illam simpliciter ignorat. In cap. enim III constitutionis dogmaticae *Pastor Aeternus* relationem inter iurisdictionem Romani Pontificis et episcoporum exponens, episcopos considerat ut veros pastores positos a Spiritu Sancto ut pascant et regant assignatos sibi greges singuli singulos (cf. D. 1828), quin suspicetur de aliquo necessario vinculo collegialitatis quo potestas episcopalis vera et certa dici posset. Non potest ergo res ad minus dubia ut fundamentum considerari iurisdictionis episcoporum. Schema proinde merito de hac re silet. Multoties ratio oecumenica invocatur pro affirmanda collegialitate episcoporum. Ita facilius, dicitur, obtineretur unio christianorum separatorum. Quidquid sit de fundamento talis spei, hoc certum est, nempe unio quae in veritate fulcimentum non habet, aut apparens aut ephemera est. Nihil plus enim unitati christianorum et etiam aliorum hominum bonae voluntatis inservit quam splendor veritatis. Hic autem postulat claram eiusdem veritatis expositionem. [2] Insuper Nuntii et Delegati Apostolici utpote immediate a Pontifice Romano designati ut eum apud varias nationes repraesentent, viam naturalem constituunt qua Romanus Pontifex informationes obtineat de episcopis diversarum nationum. Praeterea, quamvis Curia Romana colorem adhuc magis internationalem acquirat, semper in votis est ut maior eius pars ex italis efformetur. Populus enim peninsulae, historia teste, quodam naturali et universali modo, i. e. catholico modo eos secundat. Quoad indicationem novi alicuius dicasterii romani ut respondeatur desiderio a Summo Pontifice in allocutione ad Curiam Romanam expresso, adhaereo his quae sapienter exc.mus Florit, arch. Florentinus, in aula his diebus dixit.

10

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Em.mi Praesides, venerabiles Fratres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Quaedam de prooemio relinquo.[1]

Ad n. 3, in pag. 6. Ad tot acres dissensiones vitandas aliquid forsan in textu innui potest de natura Curiae Romanae, quae numquam sibi vindicavit locum in constitutione hierarchica Ecclesiae, quae est « organismum » unice in auxilium Romani Pontificis, cui competit unice de illius efficientia iudicium proferre. Etenim sicut cuique patriarchae, archiepiscopo, episcopo, placet et ius est, propriam Curiam episcopalem aptis idoneisque officiis instruere, nova officia adiungere, quando id ad pastoralia munera exercenda exigi videtur praesertim ad melius servitium cleri et populi christiani, ita a pari saltem, dicendum de iure Romani Pontificis qui, ad servitium idoneum obeundum in universali Ecclesia iuxta temporum necessitates, Officia et Dicasteria instituere, reformare, innovare, augere duxit et ducet prouti ad suum divinum mandatum adimplendum ipsi videbitur.

Quapropter, cum innovationes necessariae visae sunt, ipsi Summi Pontifices, decursu temporum, id facere curaverunt immo et curabunt ut iam Paulus VI, f. r., aperte declaravit in sermone habito die 21 septembris currentis anni ...[2].

Curia Romana proinde *directe* nihil habet commune cum collegio seu corpore episcoporum, est organum exsecutivum successoris S. Petri. Est ergo, regitur, manebit vel innovabitur totaliter vel partialiter prouti a Summo Pontifice in suo regimine supremo exercendo in Ecclesia necessarium existimabitur. Cum vero Summus Pontifex Paulus VI libenter propositiones audiat, immo exquirat, id non ad quoddam ius episcopis competens adscribendum est, sed tantum humilitati, prudentiae et benignitati ipsius peramantis Patris.

Ad difficultates ergo tollendas bonum videtur claram rerum distinctionem faciendam: aliud est enim ampliorem potestatem episcopis relinquendam exoptare (quod omnibus placet et ad munera pastoralia exercenda evidenter quam maxime iuvabit), aliud est criticas acres contra Dicasteria, a persona Romani Pontificis dependentia, indiscriminatim movere.

Quando nostrum Concilium ampliorem potestatem episcopis vindicat, quacumque ratione, sive doctrinali scil., sive pastorali, necessario consequitur Dicasteria Romani Pontificis non amplius facultatem et auctoritatem habere in iis quae pastores ex sua ordinaria vel delegata, si vultis, iurisdictione — ipso Summo Pontifice in Concilio probante —, per se libere agere valent. Ideo interventus Romanae Curiae ad episcopatum, ipso facto, valde coarctatur.

Ut id obtineatur ne dicatur, quaeso, quod Pontifex nequit suam iurisdictionem nullo modo delegare. Nam si tale peregrinum principium valeret, etiam episcopis relate ad propriam episcopalem Curiam affirmandum esset. Quod nemo asserere desiderat vel cogitat.

Quoad n. 5, pag. 7. Articulus de convenientia et opportunitate loquatur et non veluti imperativo modo. Dicatur insuper nonnullos episcopos ex diversis nationibus ad Curiam Summi Pontificis vocandos, *opportune posse* a conferentiis nationalibus Summo Pontifici proponi, *non designari*,[3] quorum consilium Romanus Pontifex ultro adhibet modo et forma ab ipso libere statuendis. Enimvero nemini datur ius organizationem Vicario Christi imponendi in exercitio illius muneris supremi.

Ceterum forsan non obliviscendum est episcopale sacramentum et characterem munera episcopalia absque dubio conferre, non necessario vero prudentiam et maturam peritiam in negotiis, etiam sacris gerendis, quae dotes ordinarie aliunde desumendae sunt. Ideo liceat Summo Pontifici suos collaboratores directos seligere, utique ex toto orbe terrarum, at cum quadam libertate quam ipsi episcopi in similibus circumstantiis in suis dioecesibus habere necessario exigunt.

Conclusio. Non videtur ad decorem Ecclesiae et ad eiusdem bonum necessitas nimia tela contra Curiam Romani Pontificis iactandi. Ceterum novus Pontifex, amantissimus Paulus VI, qui fere per triginta annos in Curia Romanorum Pontificum ad servitium totius Ecclesiae fideliter adlaboravit, melius quam ceteri novit et merita non pauca et defectus etiam (qui communes sunt in humanis coetibus), quae in ipsa Curia inveniuntur; suae ergo prudentiae et non communi peritiae relinquamus saltem aliquam libertatem reformationes et innovationes inducendi.

Demum plene adhaereo iis quae, die 6 novembris, dixit exc.mus D. Cooray Thomas, archiepiscopus in Ceylon, et item quae dixit Sua Beat. Ignatius patriarcha Ciliciae Armenorum, quorum verba vere pastoralia laudanda et meditanda sunt ut revera omnia in veritate et caritate componantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad prooemium. Quaedam verba praemittenda forent de rationibus pastoralibus (intacta relicta doctrina dogmatica praesertim illa

adhuc declaranda), ut expresse iam ab initio affirmetur tantum ad bonum animarum propositiones factas esse quae et probandae, servatis servandis et mutatis mutandis, videntur. [2] 1963. [3] deest.

11

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Patres,

In hac sacrosancta Synodo dictum est quaestionem de collegialitate nondum esse diremptam, et ideo nonnulla argumenta quae adversus quasdam dispositiones huius cap. I prolata sunt, esse invalida et illegitima. Cui duo respondeo:

1. Nonne videtur derisio Concilii dicere in discussione non deberi rationem haberi sensus quem 85% Patrum conciliarium claro suffragio expresserunt, praesertim cum attentus auditor orationum quas dilectus et veneratus Papa noster Paulus VI ultimis hebdomadis habuit, sentiat quo sensu et ipse inclinet.

2. Ut missionarius, nomine 12 aliorum episcoporum missionum loquens, vos adiuro, venerabiles Fratres, ut non ad adspectum iuridicum has res reducatis. Quod nostri prae omnibus interest, est salus animarum, quae est suprema lex. Et hoc sensu schema in genere, et cap. I in specie, caret sensu pastorali, ideoque nobis serio emendandus videtur.

Nos convocavit immortalis memoriae Papa Ioannes ad « aggiornamento » Ecclesiae faciendum. Quid hoc significat? Ecclesia organismus vivens, temporibus adaptare seipsam debet, nec semper, salva essentia, immutabilis permanere. In memorabili oratione ad Curiam habita, Papa noster dilectissimus Paulus VI dixit huic legi Curiam non esse exceptionem. Merito commemoravit quanta merita habuerit, sed cum ipso quaestionem aperte ponimus quousque reformari eam oporteat.

Atqui de hoc puncto schema paucissima dicit. In n. 5 legitur: « nonnulli episcopi nominentur membra vel consultores Congregationum ». Num ex eo magnum emolumentum expectari potest? In nota insinuatur iamdudum hanc praxim aequivalenter vigere. Ideo nonnisi differentia accidentalis sive gradus inducetur, non vero reformatio profunda. Et quomodo legendus est n. 5 *huius capitis* [1] in relatione cum n. 4: « Romanae Curiae Dicasteria nomine et auctoritate Summi Pontificis munus suum explent »? Quid praecise haec verba significant?

Nisi haec omnia clarificentur, nisi potestas Curiae Romanae, sicut longe plerique hic praesentium desiderant, praecise *delineatur,*[2] omnia,

saltem post paucos annos, in priorem statum revertentur. Si 2.200 episcopi, undique terrarum ad oecumenicum Concilium habendum congregati, quibusdam pressionibus quandoque difficile resistere possunt, quid hi pauci episcopi, in variis Dicasteriis sparsi, valebunt? Et erit novissimus error peior priore.

Novimus quosdam timere ne amplificatio potestatis episcoporum unitatem Ecclesiae in discrimen vocet. Hoc videtur falsum praeiudicium quod vario modo refutari potest.

Velut si decentralizatio unitati obstet. Velut si, ut rem in alio plano transferam, Status in quibus regimen foederale aut democraticum obtinet, cohaesione careant ...[3].

Curia Romana, ut potestas centralizata, ...[4] sane valde utilis erat ...[5] cum reges et gubernia episcopos quos solebant nominare, sibi subiicere conabantur, cum etiam media communicationum tam lenta erant ut firmissima disciplina exteriori cohaesio servari deberet. *Hodie vero conditio rerum valde mutata est.*[6]

Ubique terrarum Ecclesia dilatata est, et vita spirituali, theologica, liturgica, sensu pastorali viget usque in terris ubi in diaspora versatur. In regionibus in quibus gravia problemata Ecclesiae minantur, magis magisque pastores sibi conscii sunt ideo haec problemata vix solvi posse, quia leges et praxis non adaptatae sunt, quia, ut rem sat crasso modo exprimam, ius canonicum pro toto orbe uniforme, ibi littera est quae occidit.

Sincere et humiliter fatemur, bonum Ecclesiae quandoque in discrimen vocatur, cum normae generales abhinc proferantur, pro v. g. Seminariis aliisque operibus nostris quae localibus circumstantiis non aptantur; cum propositum quoddam, ab episcopis cuiusdam provinciae, immo nationis mature perpensum, uno tractu calamo laconico « non expedit » reicitur; cum casus dispensationis super rato non consummato per annos et annos insolutus manet; cum denique adversus magni nominis auctores suspicio generalis movetur quin praecise dicatur quid in eis reprehendendum, quid etiam laudandum sit. Ad solvendas multas has quaestiones nonne iudices optimi sunt ipsi episcopi adiuti a peritis ipsius regionis? Nonne episcopi iam aetatem habent? An sumus nos episcopi vigesimi saeculi tam periculosi? An fides nostra et devotio erga S. Sedem ullo pacto debilior aut infirmior sit? Fortasse devotio et amor noster erga S. Sedem numquam erat tam firmus et fortis. Cur ergo hic inanis clamor et timor ne unitatis Ecclesiae in periculum sit?

Venerabiles Fratres, sane valde utile erit pro bono Ecclesiae si aliquis Senatus, ut ita dicam, formetur de diversarum nationum episcopis qui cum Summo Pontifice Ecclesiam regant. Attamen valde melius erit

si ex una parte potestas Curiae Romanae circumscribatur et ex alia parte episcopis tribuantur omnes facultates quae eis iure communi et divino ad exercitium sui muneris competant salvo tamen iure Sedis Apostolicae sibi reservandi ea quae opportuna sint ad bonum commune totius Ecclesiae.[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] circumscribatur. [3] Deinde, sumusne nos, episcopi saec. XX tam periculosi? Caremusne sensu responsabilitatis erga Ecclesiam? An sumus incapaces iudicandi quid ad bonum ecclesiarum nobis commissarum expediat? Ubique terrarum Ecclesia dilatata est, et vita spiritualis, theologica, liturgica, sensu pastorali viget usque in terris ubi in diaspora versatur. In regionibus in quibus gravia problemata Ecclesiae minantur, magis magisque pastores sibi conscii sunt ideo haec problemata vix solvi posse, quia leges et praxis non adaptata est, quia, ut res sat crasso modo exprimam, ius canonicum pro toto orbe uniforme, ibi littera est quae occidit. Hic ad nucleum ipsum quaestionis devenimus. Non confundi potest unitas cum uniformitate, quam urget organismus centralisatus. [4] ius quoddam satis uniforme edicens. [5] praesertim. [6] deest. [7] Nunc fere ubique terrarum episcopi libere, non interveniente potestate civili, a Summo Pontifice nominantur. Et praesertim tam facilia sunt media communicationis, ut foveatur unitas mentium et cordium, quae longe praecipuum vinculum est. Televisio magis prodest ad enthusiasticum amorem Summi Pontificis fovendum quam acta quorundam dicasteriorum. Nunquam sensu tam pleno verba Ignatii Antiocheni verificantur: « Romanam Ecclesiam universo caritatis coetui praesidere ». Sincere fateamur hunc amorem quandoque in discrimen vocari per praxim hodiernam Romanae Curiae. Cum adversus aliquem sanctio adhibetur quin auditus fuerit. Cum adversus magni nominis auctorem suspicio generalis movetur, quin praecise dicatur quid in eo reprehendendum, quid etiam laudandum sit. Cum normae generales edicuntur quae localibus circumstantiis non aptantur. Cum propositum quoddam, ab episcopis cuiusdam provinciae, immo nationis mature perpensum, laconico « non expedit » reiicitur. Cum casus dispensationis super Rato non consummato per annos et annos insolutum manet.

Pro conclusione unum dicere volo. Nemo est qui cogitet de Romana Curia supprimenda, immo nec de valde ea debilitanda. Sed penitus reformanda est. Hoc est unum e fundamentalibus scopis quae ubique terrarum consilio assignantur. Caveamus, Fratres, ne hanc exspectationem fallamus. Mementote Concilii Lateranensis V, quod ab a. 1512 usque ad 1517 obtinuit. Reformationem quam contemporanei ab eo exspectabant, ob defectum luciditatis an fortitudinis nescio, non perfecit. Paucis mensibus postea, Ecclesia pessimam crisim totius historiae suae iniit. Animum habeamus, Fratres, ut exspectationi nostri temporis respondeamus.

[*Subscripserunt etiam*:] Malenfant, PA Benares; L. D'Mello, bish. Ajmer-Jaipur (India); O. Sévrin SI, tit. bish. Mossina; Dominicus Noguchi, bish. Hiroshima; Laurentius S. Nagae, bish. Urawa (Iaponia); Dominicus Fukahori, ep. Fukuokaensis (Iaponia); Ioseph Evangelisti, ep. Meerutensis (India); E. D'Souza; A. Patroni SI; F. X. Tissot; J. Rosario; Carlo van Melckebeke CICM.

12

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL
Episcopus Secoviensis

Venerabiles Patres praesentes et libenter audientes,

Quo magis mundus hodiernus universalitatem intendit eo magis indiget ordinis membrorum secundum principium subsidiaritatis.

Etsi in Ecclesia hoc principium semper viguit, tamen nostris temporibus novam aestimationem recepit sicut ex Encyclicis Summorum Pontificum et ex multis declarationibus ecclesiasticis de ordine sociali patet.

Etiam in cap. I schematis nostri breviter indicatur, attamen clarioris expositionis indiget, ne Ecclesiae obiici possit eam hoc principium societati civili quidem proponere, in proprio autem campo illud efficaciter non applicare. Secundum principium subsidiaritatis societas inferior non debet cedere societati superiori illud munus quod propriis viribus adimplere potest. Principium subsidiaritatis applicatum ad Ecclesiam exigit ut dioeceses et in eis episcopi illud munus peragant ad quod ipsi capaces sunt.

Sub duplici aspectu principium subsidiaritatis esset applicandum:

1. In exercitio potestatis episcopalis in quantum divinae institutioni correspondet. Episcopo in propria dioecesi competit potestas quam iure divino possidet et quam renuntiare non potest. Huic potestati non opponitur suprema potestas Summi Pontificis et Concilii, quae est etiam iuris divini. In utroque casu illa limitatio valet quae ex voluntate Christi posita est. Ita episcopus illa limitatione tenetur quae exsurgit, cum Summus Pontifex propter bonum commune Ecclesiae in determinatis circumstantiis et pro determinatis temporibus sibi partem potestatis reservat. Item Summus Pontifex iure divino obligatur ad hoc, ut ex sua suprema potestate tunc tantum potestatem episcopalem limitet cum secundum suam conscientiam bonum commune Ecclesiae id exigit.

2. In Ecclesia autem non omnia instituta sunt ex mandato divino, sed multa originem ducunt ex institutione humana et sese decursu temporis evolverunt iure ecclesiastico. Hoc praesertim notandum est in administratione ecclesiastica. Etiam hic attente examinari deberet utrum principium subsidiaritatis observetur. Omnis enim administratio decursu temporis eo tendit ut competentiae suae amplificentur. Singulae difficultates ei occasio fiunt ad sibi reservandas decisiones easque universalizandas. Subiacet enim tendentiae quasi insuperabili pertinaciae, ita

ut, quod semel arripuit, iam non cedat, etsi circumstantiae iam diu mutatae sunt. Ex his sequuntur apparatus administrativus superdimensionalis et formalitates innumerae, ne dicam bellum scriptionum. Ne talis apparatus eveniat damnum commune interdum reformatio accurata fieri debet.

Ex dictis aliquae consequentiae oriuntur pro regimine Ecclesiae:

1. Id quod competit episcopo iure divino in regimine suae dioecesis minori quo potest fieri modo a suprema potestate Summi Pontificis limitetur.

2. Etiam in administratione Ecclesiae, quae saepe in legibus ecclesiasticis fundatur sequens principium valeat: apud dioeceses respective apud episcopos tot sint competentiae quot conveniunt, et tam paucae competentiae sint tantum apud administrationem centralem, quam necessarium est.

3. Sane episcopi secundum idem principium deberent et ipsi procedere in suis dioecesibus, de qua re suo tempore aliqua dicenda erunt.

Argumenta patent: *a*) potestas centralis debet *esse* [1] quia ita unitas totius servatur. *b*) Circumstantiae in diversis dioecesibus valde differunt, sicut Concilium quotidie nos edocet. Episcopus illas circumstantias melius scit quam aliquis officialis, etsi optimus, in administratione centrali. Ideoque episcopus saepissime meliores decisiones dare poterit. *c*) Per translationem competentiarum in dioeceses sensus responsabilitatis ibi augebitur. *d*) Sic probabiliter aliqui ex administratione centrali cura pastorali vacare poterunt.

Propositiones:

1. Prima pars, « De episcoporum facultatibus »: titulus mutetur et quidem: « De episcoporum potestate et facultatibus ».

2. In art. 3, § 1: de potestate primo dicatur: quod episcopis iure divino traditum est, eis etiam ipso iure competit. Hoc non potest augeri, sed, sicut iam dictum est, tantum limitari aut partim vel totaliter restitui potest.

3. De facultatibus sermo fiat tantum in quantum de facultatibus iuris ecclesiastici agitur; hae concedi aut restringi possunt.

Quod partem II, « De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos », attinet, sequentia proponere vellem:

1. Evitent Congregationes ne impressionem gignant se superiores esse episcoporum, qui per nimias relationes et aliquando per admonitiones ad rationem reddendam vocantur. Pro Summo Pontifice episcopi sunt « filii dilectissimi » et ideo episcopi desiderant quod se habeant ad Congregationes sicut fratres ad invicem et non sicut subditi ante cameras.

2. Quod etiam in stylo Curiae exprimi oporteret. Iste sit sobrius et relinquere potest omnes formulas antiquatas (v. g. « cum osculo anuli »... etc.). Sufficeret si nobis pax et communio Sancti Patris communicaretur a quibus et ipsa documenta informari deberent. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] adesse.

13

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MARTÍNEZ GONZÁLES
Episcopus Zamorensis

Em.mi Praesules et Moderatores, venerabiles Patres conciliares, carissimi Auditores et Observatores, meritissimi Periti,

Tria *praesertim* [1] fundamentalia principia *proposita* [2] sunt in schemate de constitutione hierarchica Ecclesiae relate ad episcopos, scil.: de episcopatus natura, sacramentalitate et collegialitate, qui quidem ad Ecclesiae constitutionem divinam pertinere dicebantur. Huiusmodi principia *si admittantur, et* [3] si logice schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* proponatur, necessario lumen suum in illud *diffundere* [4] debent. At vero sicut iam *hodie quoque* [5] notatum est, cum tria illa principia suffragium deliberativum sacri Concilii adhuc non obtinuerint, *sed mere indicativum,* [6] consequitur assertiones et conclusiones, quae forte in doctrina praesentis schematis disceptentur *et approbentur,* [7] quaeque in illis innitantur, nonnisi provisorium valorem habere posse, nec firmum et resolutivum evadere etiam ex parte Concilii donec principia illa suffragationem definitivam obtinuerint.

His autem bene statutis et prae oculis habitis, ... [8] nonnulla breviter audeo proponere quae forte textum aliquatenus perficiant ... [9].

Primo: *circa introductionem*; n. 1, lin. 7, *legitur*: « *Episcopi ergo cum peculiaribus praeficiantur Ecclesiis tamquam veri pastores, etc.* » [10]. Sunt quidem episcopi caput et veri pastores Ecclesiae suae localis cui praeficiuntur, sed insuper ratione etiam collegialitatis, inter alias, ad eos quoque pertinet « sollicitudo omnium Ecclesiarum ». Proinde licet sensu *assertivo* definiri queant per relationem pastoralem ad suam Ecclesiam, at non in sensu exclusivo, ut videtur *posse* [11] colligi ex subiunctiva forma verbali « praeficiantur » *quae adhibetur.* [12] Oportet ergo potius formam indicativam verbalem adhibere, scil. « praeficiuntur », *hoc modo*: « *Episcopi qui peculiaribus praeficiuntur Ecclesiis tamquam veri pastores, etc.* ». [13]

Ad lin. 11 eiusdem numeri. Citatio adducta ex Vaticano I, constitutione dogmatica *de Ecclesia Christi,* cap. III, non videtur apprime consona, prout iacet, siquidem ibi agitur de relatione inter potestatem iurisdictionis Romani Pontificis et episcoporum, quatenus illa roborat et vindicat episcopalem, dum hic nihil de Romano Pontifice dicitur, *cum illa verba sumuntur.*[14] Oportet ergo aut a citatione praescindere aut eam debito modo aptare.

Ad n. 2. Prooemium. Ad linn. 10-11 legitur: « ... in apostolico munere perfungendo Ecclesiae universalis in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti dignoscantur ». Haec quidem non videntur meo iudicio cum debita claritate expressa. Etenim sollicitudo omnium Ecclesiarum quae omni episcopo competit, *praesertim* [15] supposita collegialitate, non ei competit per simplicem participationem sollicitudinis Romani Pontificis, sed est ei propria ex ipso officio, ex solidaritate in mandato communi *praedicandi Evangelium et salvandi omnes gentes,*[16] ratione scil. sui episcopatus quo membrum collegii constituitur, licet exercitium suae sollicitudinis omnino regi debeat sub *inseparabili* [17] capite collegii Romano Pontifice. Proinde clariore et veriore modo *oportet* [18] exprimi.

Ad n. 3. Huius numeri redactio ducta videtur criterio quodam canonistico et iuridico, ita ut concipiatur sacra iurisdictionis potestas sic esse *tota conclusa* [19] in Romano Pontifice, ut deinde magis minusve illam episcopis communicet. At melius videtur et Concilio magis consentaneum duci criterio theologico, cuius fundamentum in schemate *de Ecclesia* positum est. Nam ex his quae in eo admissa sunt episcopus sua ipsa consecratione recipit radicaliter etiam potestatem regendi. Id autem quod a Romano Pontifice deinde derivatur *eique communicatur* [20] est concessio exercitii talis potestatis magis minusve ampla.

Ideo in lin. 18 potius dicere oportet: « Episcopi residentiales iure communi *habent* (vel *gaudent,* vel *pollent,* scil. in indicativa forma verbali) omnes facultates etc. » ...[21].

Consonum autem est ut Romanus Pontifex causas ad se advocet quae sive ex rei natura sive ex exigentia aut convenientia conservandi aut melius promovendi unitatem Ecclesiae *et bonum commune,*[22] sive etiam ex ipso decore exercitii suae potestatis primatialis pro arbitrio suo ad se advocare iudicaverit.

Desiderandum demum videtur ut in toto hoc n. 1-3, antequam ad strictum ius canonicum descendatur, *modo adhuc theologico* schema loquatur, ita ut principia illa theologica quae simul et principia canonica sunt, ne obscurentur. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] statuta. [3] deest. [4] profundere. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] silentio praetermittendo quae circa schema in genere repetita sunt de defectu unitatis et connexionis quaestionum, de omissione applicationis collegialitatis, et de pluribus quae desiderantur. [9] ut melius extet. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] Hinc etiam verba « Quapropter hucusque ipsis *recognitae amplificentur* » non videntur bene congruere nisi modificentur. [22] deest.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Marcellus Lefebvre, et accedat ad microphonium exc.mus D. Carolus Rodriguez-Quiros, ep. S. Iosephi in Costarica, et per ipsum explicit elenchus Patrum qui petierunt loqui de cap. I schematis *de episcopis et dioecesium regimine*. Deinde fiet illico transitus ad disceptandum de cap. II « de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus ».

14

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia
Superior gen. Congregationis S. Spiritus

Venerabiles Patres,

Quamvis in introductione affirmatur quod nunc argumenta proprie et stricte pastoralia Concilium Vaticanum II pertractare incipit, attamen haec argumenta non possunt enucleari in veritate nisi fundantur in principiis theologicis certis.

Unde mihi videtur duo affirmanda relate ad cap. I quod de relationibus inter episcopos et Summum Pontificem tractat.

1. Uti iacet, hoc caput certe et optime fundatur in principiis certis de fide divina catholica definitis praesertim in Vaticano I.

Hoc caput optime etiam cohaeret cum dictis a Summo Pontifice in recentibus allocutionibus. Etenim Summus Pontifex explicite dicit, loquendo de episcopis adiunctis in suo munere explendo: « in conformitate cum doctrina Ecclesiae et lege canonica ». Suggestio Summi Pontificis nullo modo postulat principium aliquod novum. Iam in can. 230 affirmatur: « Rev.mi et em.mi cardinales senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt ».

Attamen ut omnimodo serventur principia certa duae emendationes mihi videntur faciendae:

a) In pag. 6, lin. 16, *ubi agitur de causis reservatis,*[1] loco verborum « sive ad Ecclesiae unitatem servandam », ponentur verba iuris canonici in canone 220, « sive positiva lege », *ut nullo modo tangatur plena potestas Summi Pontificis.*[2]

b) In pag. 7, linn. 22-23 deleantur verba: « a conferentia episcopali nationali designandi » ut omnimodo servatur libertas exercitii potestatis Summi Pontificis.

2. Cum in principiis absolute certis fundari debent relationes inter episcopos et Summum Pontificem, nullo modo de principio collegialitatis iuridicae mentionem fieri potest, cum, sicut dixit em.mus card. Browne, hoc principium collegialitatis iuridicae non potest probari.

Si in hac Synodo quasi miraculose invenitur et solemniter affirmatur, logice debet affirmari ...[3]: « Ecclesia Romana erravit ignorando principium fundamentale suae divinae constitutionis: nempe principium collegialitatis iuridicae et hoc per *multa*[4] saecula ».

Debet etiam logice affirmari quod Romani Pontifices usque nunc abusi sunt sua potestate renuendo iura quae iure divino competunt episcopis. Nonne *esset dicere aequivalenter Summo Pontifici*[5]: « redde quod debes »? Et hoc est absonum et nullo modo fundatum.

Unde ...[6] si de collegialitate morali loquimur, quis negat, omnes admittunt, sed haec collegialitas non gignit nisi relationes morales; si de collegialitate iuridica loquimur, ut optime dixit exc.mus D. Carli « neque ex Sacra Scriptura, neque theologice, neque historice probari potest ».

Ergo in hac materia sapientius est non recurrere ad hoc principium, cum nullo modo sit certum.

Parcite mihi, venerabiles Fratres, si adhuc aliqua verba addo: heri in multis cordibus episcoporum, sacerdotum et fidelium, votatio circa Beatam Virginem Mariam, intimum dolorem causavit ...[7].

Moderator: Est extra argumentum, exc.me Pater!
Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] ut vix affirmavit aliquis Pater. [4] viginti. [5] possumus dicere quod, aequivalenter Summo Pontifici aliqui dixerunt: [6] Concludo: [7] deest.

15

Exc.mus P. D. CAROLUS HUMBERTUS RODRIGUEZ-QUIRÓS
Archiepiscopus S. Ioseph in Costarica

Em.me Praeses, venerabiles Patres conciliares,

Etsi iam factae sint observationes plurimae a nonnullis Patribus, et quidem peroptime, de potestate iurisdictionis episcoporum, in hoc cap. I schematis ubi de regimine Ecclesiae agitur, attamen adhuc unum deesse videtur, ad hoc ut clare appareat quod maxima difficultas hac in re, potius adesse videtur in tuendam adaequatam libertatem episcopi in exercitio pleno suae iurisdictionis, et non tantum in declaratione ipsius naturae iurisdictionis, sive theologice, sive canonice consideretur.

Proprietas enim essentialis episcopatus est quidem unitas subiecti in iurisdictione, seu in munere regendi Ecclesiam, ita ut verissimum sit: episcopum esse subiectum natum et perfectum iurisdictionis in Ecclesia, nempe: Romanus Pontifex pro Universa Ecclesia, episcopus autem cum Romano Pontifice, pro unaquaque dioecesi. Insuper oportet prae oculis habere quod iam in schemate praecedenti *de Ecclesia* actum est de essentia episcopatus, et quod nunc in hoc cap. I huius schematis agitur « de regimine Ecclesiae », seu de munere regendi, quod proprium est episcopis, et quidem iure divino. Nemo non videt quod in utroque tractatu elucescit admirabilis illa unio, a Christo Domino intenta, nempe: coincidentia in eodem subiecto duarum potestatum, et ordinis et iurisdictionis. Etiamsi, Romanus Pontifex, propter utilitatem Ecclesiae et fidelium, coarctari potest iurisdictionem episcopi, attamen maneret semper principium dogmaticum de quo loquimur, i. e. subiectum natum et perfectum iurisdictionis ordinariae esse ipsum episcopum, ita ut — quod etiam canonice pro posse fieri deberet — eo magis quo episcopus exerceat libere suam plenariam iurisdictionem in propria dioecesi, eo magis in Ecclesia particulari exsplendeat et illucescat unitas Corporis mystici Christi Domini, i. e., unitas fidei, sanctitatis et regiminis. Puto quidem quod affirmatio huius principii dogmatici, quod ad unitatem attinet iurisdictionis episcopalis, non tantum asserit foecundam distinctionem conceptuum, tum theologici tum canonici iurisdictionis, quod in se quidem multum refert, sed et insuper in luce collocat unitatem regiminis *in exercitio* ipsius iurisdictionis ecclesiasticae.

Advenit enim nonnumquam, quod episcopalis iurisdictio multoties — etsi omnimode affirmetur — tamen libere exerceri nequeat, quia im-

peditur, aut saltem graviter obstaculatur, non sine detrimento notabili sacri officii pastoralis, tum propter pluralitatem subiectorum iurisdictionis ordinariae et quasdam amplissimas exemptiones, in una eademque dioecesi, tum etiam propter quoddam abusum appellationum, in quo saepe saepius adest quaedam interferentia iurisdictionis; ita ut valde difficilis evadat, immo aliquando haud obtineri possit, illa unitas regiminis tam necessaria in Ecclesia Christi. Sane, ut patet, difficultas non est cum venerabili ac benemerita Curia Romana, sed potius invenitur in ipso loco ubi iurisdictio exercetur.

His praetermissis, perbreviter nunc verbum faciam de vero loco ubi — meo humili iudicio — videtur stare vera difficultas in quaestione cap. I, de relationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes; atque, ut conclusio, proponam magna cum reverentia, venerabilibus Patribus, ut addatur novae paragraphi ad idem caput, vel novum caput, ad hoc ut libertas plena episcopi in exercitio suae iurisdictionis, in tuto ponatur, « asseratur, roboretur ac vindicetur » (sunt verba ipsius schematis), tractando explicite et omnino clare, de relationibus episcoporum cum Ordinibus religiosis, quoad exemptiones et privilegia, et quidem secundum novum ordinem a Concilio reformandum, et de relationibus episcoporum cum exc.mis Nuntiis Apostolicis, Supremis Guberniis nationum in universo mundo, a Romano Pontifice missis.

Hoc quidem fieri debet in utroque casu, nempe: sive schema de regimine Ecclesiae ut nunc est ita servetur, sive aliud novum schema, una cum illo de cura animarum conficiatur, secundum propositionem, hesterna die factam, ab exc.mo ep. Cuernavacensi in Mexico, nomine plurimorum episcoporum Americae Latinae, quibus in hac re, libenter meritoque adhaeremus. Dixi. Gratias.

Secretarius generalis: Nunc transitus fit ad disceptationem circa cap. II schematis *de episcopis et dioecesium regimine*. Moderabitur hanc disceptationem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Post relationem, verbum postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia, Ioseph Garibi, arch. Guadalajarensis in Mexico, Ferdinandus Cento; exc.mi DD. Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia, Michaël Gonzi, arch. Melitensis in Malta, etc.

Moderator: Nunc exc.mus D. Carli velit legere ex relatione quae respiciunt idem cap. II, nempe « de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus ».

RELATIO

Exc.mi P. D. ALOISII CARLI

Episcopi Signini

Venerabiles Patres,

Caput secundum, quod « *De Episcoporum Coadiutoribus et Auxiliaribus* » inscribitur, ad id tendit ut, supposita necessitate vel magna utilitate dandi Episcopis residentialibus, in speciali condicione versantibus, Coadiutorem vel Auxiliarem, hic et ille figuram iuridicam rite definitam nanciscatur, summam iurium ac facultatum habentem quae augeri quidem possit in casibus particularibus, numquam vero minui; ita ut efficaciter et sine incertitudine munus suum implere valeant, simulque dignitas characteri episcopali inhaerens intacta maneat.

Schema nostrum, quod hac in re sequutum est novissimum Codicem Iuris Canonici Orientalis, Coadiutoris et Auxiliaris clariorem et simpliciorem dat definitionem (art. 7), quin tamen — quemadmodum sedulo in notula 1 (pag. 12) explicatur — Apostolicae Sedis seu competentis auctoritatis pro Orientalibus libertatem coarctet providendi in singulis casibus (v. g. quando agitur de sede cardinalitia aut patriarchali, etc.) prout circumstantiae melius suggesserint.

Cuinam competat Coadiutorem et Auxiliarem constituere, quibusve modis hi capiant possessionem, schema silet quia iam sufficienter in iure condito provisum est. Item nihil innovatur circa praxim Apostolicae Sedis in hac re, neque circa Capitulorum Cathedralium et Guberniorum civilium interventiones vi iuris particularis vel concordatarii. Quamquam, si quid expresse de hac materia edicendum Patres censuerint, poterunt sua vota ad Apostolicam Sedem proferre.

1. *Coadiutori* aliquid amplius quam Auxiliari et Vicario generali recognoscitur (art. 8), quatenus Episcopo coadiuto non conceditur facultas sibi quidquam reservandi relate ad Coadiutorem suum. Et merito quidem. Enimvero plane intelligitur reservatio illa relate ad Auxiliarem, et praesertim relate ad Vicarium generalem qui libere ab Episcopo designatur, ad eiusdem nutum removetur (can. 366 CIC) unamque personam cum Episcopo constituere censetur. At reservatio relate ad Coadiutorem qui, cum iure successionis gaudeat, causam aliquam personalem, nunc pro futuro, habet in gubernio dioecesis, sonare videretur tamquam practica evacuatio muneris Coadiutoris.

Quaestio proposita est num eo ipso quod eadem materialiter fruatur

potestate ac Vicarius generalis, Coadiutor fiat etiam formaliter Vicarius generalis; proinde, num eius potestas ordinaria sit vicaria an propria; num inter Ordinarios seu Ordinarios locorum adnumerandus sit.

Commissio Praeparatoria quaestionem solvere noluit, ne videretur per suam affirmativam responsionem calculum adiecisse iis qui timebant ne per novam Coadiutoris figuram creeretur in dioecesi quasi quaedam regiminis dyarchia. Maluit proinde sermonem facere de necessitudinibus inter Coadiutorem et Coadiutum (art. 9) et inter Coadiutorem et Vicarium generalem (art. 10): quae necessitudines meliores fortasse et clariores evaderent si in textum schematis, consentientibus Concilii Patribus, introducerentur ea quae in notula 4 (pag. 12) a quibusdam suggesta sunt relate ad novas « vicariorum episcopalium » figuras iuridicas.

Quod si, hisce non obstantibus, possit quispiam schema carpere quasi obfuscatam faciat indolem monarchicam episcopatus residentialis, attendere velit ad ea quae in prooemio (art. 6) satis innuuntur: constitutionem scilicet Coadiutoris et Auxiliaris remedium aliquod esse extremum — ergo, natura sua, aliqualem secumferens anomaliam — quando Episcopi residentialis, aetate vel morbo gravati, ad renuntiationem non deveniatur, aut quando dioecesis nimis magna dividi nequeat.

2. *Auxiliaris* figuram plures Patres, quorum voto et maior Commissionis Praeparatoriae pars adstipulata erat, talem optabant ut ipso iure aequipararetur, sede plena, Vicario generali, sede vero vacante Administratori Apostolico. Rationes plures eaedemque graves huic voto favebant: morem semper esse gerendum characteri episcopali Auxiliaris; unde in priore casu, incongruum, fidelium admirationem movens, animarum bono noxium reputari non posse Auxiliarem eadem saltem potestate, qua simplicem sacerdotem (i. e. Vicarium generalem), opem suam gubernandae dioecesi conferre, a simplici sacerdote interdum pendere debere quoad iurisdictionem, ipsi saepe nihil aliud relinqui quam sacramentum Confirmationis administrare et quaedam alia pontificalia exercere. In altero autem casu, aequum non esse, qui dignus et capax per plures annos auxiliandi Episcopo residentiali visus esset, eundem dignum et capacem ipso iure non praesumi dioecesis regendae per paucas hebdomadas et sub communi clausula « sede vacante, nihil innovetur », esse denique discordiarum fomitem, si Auxiliaris a Capitulo Cathedrali in electione Vicarii capitularis negligeretur.

Hae rationes Commissioni Praeparatoriae validiores quam oppositae visae sunt, quae tandem aliquando ad duas reducebantur: non expedire dari Episcopo, sede plena, Auxiliarem tamquam Vicarium generalem ab ipso non electum et ad ipsius nutum non removibilem; sede

autem vacante, Capitulum Cathedrale omnium maximarum dioecesium (in quibus fere semper Auxiliaris invenitur) practice expoliari iure eligendi Vicarium capitularem. Quae difficultates, etsi rationabilem habebant responsionem, apud superiores Commissiones praevaluerunt. Unde quae in artt. 12 et 15 § 2 schematis leguntur, tamquam compromissum quoddam censeantur a Vobis, Venerabiles Patres, nunc diiudicandum. Id saltem retinendum omnino censuimus: regulariter non exspirare cum Episcopi residentialis munere potestatem ac facultatem Auxiliari litteris apostolicis collatas. Quae enim dantur ob necessitates obiectivas et permanentes dioecesis, cessare non debent exspirante Episcopi residentialis munere, quando nempe eaedem necessitates, nedum cessent, augeri potius videntur.

3. Ultimus capitis articulus (art. 16) perdifficilem atque gravissimam aggreditur quaestionem, quae est *de Episcoporum a munere cessatione*.

In articulo adparando praeiudicialis statim controversia occurrit, expediretne de hac materia Oecumenicum Concilium aliquid edicere ac praefinire, an sufficeret potius id uniuscuiusque Episcopi conscientiae relinquere aut Apostolicae Sedis, singulis in casibus, immediato interventui. At Commissionis Praeparatoriae pars longe maior, hodiernis apostolatus necessitatibus bene perpensis, quae efficax ministerium, sedulam Episcopi pastoralem curam atque validum dioecesis regimen necnon apostolici laboris coordinationem requirunt, priorem sententiam esse eligendam omnino censuit. Tenebantur tamen animi in hac re tractanda duobus simul: hinc reverentia et gratitudine, viris de Ecclesia optime meritis, post exantlatos labores, iure debita; illinc vero supremi animarum boni consideratione, quod, ut plurimum, in discrimen adducitur ni, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, Episcopi ab officio renuntiationem faciant.

Obiiciebatur ex una parte: *a*) est novum quid, in ecclesiastica traditione, Episcopi renuntiatio, cum semper hic sit habitus cum sua dioecesi veluti matrimonio, sola morte solvendo, coniunctus: *b*) Episcopus, si renuntiationis detur praescriptum, publicis civilibus administris aequiparabitur: quod eius sacrum statum omnino dedecet; *c*) sufficit ut Apostolica Sedes, singulis in casibus, Episcopum aut ad renuntiandum invitet aut Coadiutore vel Auxiliari donet; *d*) in specie, determinatio ad septuagesimum quintum aetatis annum est arbitraria, cum etiam post illam aetatem in omni hominum condicione saepe saepius viri validi inveniantur; immo periculosa cum, adventantibus legis fatalibus, disciplina dioecesana necessario labefactetur.

Ex altera vero parte obiicientibus ita respondebatur: *a*) inamovibilitas Episcoporum, licet perantiquae originis, evolutionem haud modicam, nulla id vetante dogmatica ratione, labentibus saeculis passa est, quemadmodum ex frequentibus promotionibus seu translationibus ab una ad aliam sedem clare constat. Ceterum, non est plus aequo comparatio illa sponsalitia urgenda; profecto non eo usque urgenda ut, qui Boni Pastoris instar animam suam pro ovibus daturi non dubitantur, eosdem quasi obligari negetur ad impertiendum ovibus suis id quod minus est quam vita, renuntiationem scilicet ab officio; *b*) publici civiles administri cessationem ab officio, statuta superveniente aetate, sibi vindicant et obtinent tamquam ius in proprium commodum; ecclesiastici viri, e contra, renuntiationem ferunt tamquam meritorium sacrificium in bonum animarum; *c*) experientia docet quam difficulter obtineatur renuntiatio spontanea vel ab Apostolica Sede proposita, quia, silentibus de hac re sacris canonibus, nullus Episcopus suae ac dioecesis condicionis plene certior fieri vult, nullus videri se patitur militem segnem, laboris impatientem, e proelio ingloriose recessisse. Ceterum, per Coadiutorem seu Auxiliarem, ut plurimum, hisce in casibus nulli plene medetur malo, pluribus vero malis sternitur via; *d*) verum quidem est non paucos Episcopos, etiam post certam adeptam aetatem, valide regere posse suam dioecesim; at pariter verum est multo plures non posse, quibus proinde oporteat per aliquod legis praescriptum aptam et decoram offerri rationem a munere discedendi.

Unde nulli iniuriosum dicendum erat praescriptum a nostra Commissione Praeparatoria elaboratum, iuxta quod, ob permanens Episcopi valetudinis defectum vel post expletum septuagesimum quintum aetatis annum, Romanus Pontifex, sive recepta spontanea atque valde commendata renuntiatione sive non, singulis in casibus decrevisset, fraterna caritate et attentis peculiaribus personarum et locorum circumstantiis, qua ratione Episcopo eiusque dioecesi esset subveniendum. Sicque Episcopi neque ineluctabilem neque automaticam a munere cessationem invenissent cum, singulis in casibus, Romanus Pontifex perpendisset num regimini certe damnoso finis esset imponendus, de dubie damnoso melius esset inquirendum, adhuc validum protrahendum aut Episcopum Coadiutore seu Auxiliari donandum.

Attamen, post plures superiorum Commissionum interventus, iuridica dispositio temperata est prout nunc in textu legitis; de quo textu Vos, Patres venerabiles, iudices estis.

16

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

In cap. II tria animadvertenda puto.

1. Commissio quae schema praeparavit et redegit recte sibi proposuit — ut in prooemio declaratur — servare dioecesani regiminis unitatem; quam quidem unitatem ad ipsam Ecclesiae constitutionem pertinere ex traditione divino-apostolica plane constat. S. Paulus Ecclesiis Ephesinae et Cretensi unum tantum episcopum praeposuit, nempe Timotheum Ecclesiae Ephesinae et Titum Ecclesiae Cretensi; Ecclesiae Hierosolymitanae solus praefuit S. Iacobus, frater Domini. Atque, ut testes posteriores silentio praetermittam, S. Ignatius Antiochenus exeunte saec. I et ineunte II, in septem epistolis suis exhibet episcopatum monarchicum ut elementum potissimum christianismi. Sed en difficultas, quam feria III — si bene recordor — scite prudenterque iam significavit exc.mus Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis, cum loqueretur, nomine etiam reliquorum episcoporum Germaniae et Scandinaviae episcoporum, de schemate in universum.

Pag. 9, n. 8 legimus: « Coadiutori, vi officii, ea in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, cum iisdem facultatibus, competit quae iure communi ad vicarium generalem spectat, nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». Ergo coadiutor plenum regimen dioecesis gereret, dum episcopus residentialis potestate ordinaria adhuc pollet; quocirca — ni fallor — duo *re* haberentur dioecesis pastores.

Item in pag. 10, n. 9 scriptum invenimus: « Coadiutor... in omnibus negotiis maioris momenti eum (scil. coadiutum) consulat ». Consulere — sane — non significat convenire vel consentire; proinde si consilia eorum inter se discordent, uter cedere deberet « ut unitas regiminis dioecesani sarta tecta habeatur »?

Forsan tunc coadiutor, reverentiae causa, succumberet coadiuto, sed coadiutus, qui habitu vel verbis coadiutorem a munere suo implendo averteret, multis videretur culpam contrahere.

Similiter eadem pag. 10, linn. 19 s.: vicarius generalis monetur ut « caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem non solum episcopi coadiuti sed etiam coadiutoris ». Quod si voluntas coadiuti non consentiat cum voluntate coadiutoris — quod facile evenire pro

explorato habemus — quomodo se gerere deberet vicarius generalis ut neutrum offendat?

Concordia eo difficilior evaderet, quia episcopus residentialis ad Codicem I. C. eligit sibi vicarium generalem, cum coadiutorem accipiat a Sancta Sede et — quod est gravius — cum iure successionis.

Quae cum ita sint, quotiescumque episcopus ad dioecesim regendam, quavis causa, non amplius sufficeret neque dioecesi renuntiaret ...[1] melius esset — ut opinor — ipsum rogare ut ab administranda dioecesi penitus abstineat, et, quoad vivat, frui possit omnibus privilegiis et honoribus episcoporum residentialium propriis; coadiutori autem, etsi omnibus facultatibus praedito, numquam ius successionis palam tribui vellem.

Pag. 11 n. 15 lin. 13 et n. 16 lin. 23 ss. Sedes Apostolica et competens auctoritas orientalis iuxtaponuntur et aequabiliter.

Iam Concilii Oecumenici initio, visum est mihi, pro natura ipsius Concilii, ea tantum in Concilio statuenda esse quae ad Ecclesiam universam sub Romano Pontifice, pastore eiusdem supremo, pertineant sine discrimine inter occidentem et orientem, inter Ecclesiam latinam et Ecclesias rituum orientalium. Mirum est propterea quod competens auctoritas pro orientalibus seiungatur quodammodo a Sede Apostolica. Itaque propono ut modus seligatur dicendi qui valeat pro tota Ecclesia, quae est catholica: v. g. dicatur, pro utraque parte Ecclesiae, simpliciter auctoritas competens, quae deinde in Codice I. C. et in codice pro Ecclesiis rituum orientalium, bene explicari poterit. Etenim Ecclesia vera Christi, cum sit catholica, seu universalis, ne umbram quidem divisionis tolerat. Idcirco mentes animosque multorum Patrum perturbavit oratio aspera ac molesta quam nuperrime dolenter audivimus in hac aula contra Curiam Romanam et Ecclesiam quae latina dicitur; sed heri aliqui venerabiles Patres reparaverunt, praecipue Sua Beatitudo Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum, olim discipulus meus carissimus nunc autem Ecclesiae decus, cui gratiam persolvo etiam nomine em.mi card. Siri, praesidis conferentiae episcopalis Italiae.

Pag. 11, n. 16. Inter causas ob quas episcopi residentiales rogantur ut « ob Dei atque animarum amorem, sponte renuntiationem ab officio offerant » recensentur — merito quidem — permanens valetudinis defectus et ingravescens aetas.

Loquor nunc summa cum animi sinceritate: hoc argumentum, quamquam iustum, cum decreto, certe solemni, Concilii oecumenici minime congruit. Porro inutile esset ...[2] iis qui renuntiare nollent et aliis, adhuc ad dioecesim regendam idoneis, crucians dubium afferret.

Historia antiqua et recens nos docet episcopos aegrotos et senectute venerandos pluries praeclaro virtutum suarum exemplo, sola ipso-

rum praesentia, sacerdotes et fideles immo populares omnes ad sanctitatem excitasse magis quam si sani et iuvenes fuissent.

Insuper ...[3] praeteriri non potest ...[4] haud raro etiam Summum Pontificem qui Episcopus Romanus est et Episcopus Ecclesiae universae, *senem vel permanenti infirmitate affectum esse*[5]; sed nemo de eius renuntiatione ...[6] cogitare auderet. Leo XIII mortuus est 93 annos natus; em.mus card. Roncalli, Venetiarum Patriarcha, ad Summum Pontificatum ascendit quasi octogenarius et nihilominus tam mira deinde egit, in salutem omnium gentium, ut memoria eius sit per saecula in benedictione.

Idem Summus Pontifex Ioannes XXIII mihi quondam narravit decessorem suum, cuius nomen ignoro, episcopum Bergomensem adhortatum esse ut dioecesi renuntiaret utpote senectute confectum; sed episcopus, intuens vultum aetate consumptum Papae, ingenue respondit: Beatissime Pater, ambo senes sumus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] — quamvis ad id faciendum S. Sedes eum exhortatus fuerit —. [2] pro. [3] illud. [4] quod. [5] senex est vel permanenti infirmitate affectus est. [6] unquam.

17

EM.MUS P. D. IOSEPHI CARD. GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopus Guadalajarensis

Paucas animadversiones faciam, em.mi Praesides, em.mi Moderatores, venerabiles Patres; paucas.

1. Notatio solummodo circa n. 16, linn. 29 et 30: « ob Dei atque animarum amorem, sua ipsi sponte renuntiationem ab officio faciant ». Propono, quod si haec verba sustineantur, ponatur « animarum amorem... vel libenter insinuationem S. Sedis attendant vel sua ipsi sponte renuntiationem faciant ».

Ratio est quia saepe episcopi nolunt renuntiare sedem, ne videantur labores timere et multis renuntiatio hac de causa non decorosa videtur. Etiam saepe ipse episcopus qui inhabilis evadit non credit se inveniri in talibus adiunctis.

2. In ipso n. 16, linea 32: « A munere episcopali renuntiantibus congruens providebitur sustentatio ». Propono quod ponatur: « A munere episcopali *cessantibus* », quia sustentatio providenda est non solummodo iis qui renuntiationem dederunt, sed iis etiam qui cessarunt. Pro omnibus sustentatio requiritur, ac proinde a munere episcopali cessantibus congruis provideatur sustentatio.

Et postea: « Illis insuper peculiares honores... »: addatur: « Illis *renuntiantibus* », quia privilegia et honores solummodo conceduntur renuntiantibus, secundum dicta in schemate. Dixi.

Textus scripto traditus:

I. Animadversio. In n. 16, lin. 30 post verba « animarum amore... » addatur *vel libenter insinuationem S. Sedis attendant, vel* « ipsi sponte etc. ».

Ratio est saepe episcopi renuntiare nolunt, ne videatur ipsos laborem timere ac proinde renuntiatio indecora appareat. Etiam saepe ipse episcopus qui propter infirmitatem vel propter aetatem inhabilis evadit non credit se invenire in talibus adiunctis.

II. Animadversio. In eodem n. 16 par. 2 lin. 32 substituere verbum « renuntiantibus » et ponere *cessantibus.*

Ratio est quia cuicumque episcopo cessanti providenda est congrua sustentatio.

In eadem par. 34 addere haec verba « Illis *qui sedem renuntiarunt* insuper etc. ... » quia privilegia conceduntur solis renuntiantibus.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria II proxima, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. I SCHEMATIS DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. I SCHEMATIS DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE *

1

EM.MUS AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 6, lin. 4. « Habeant plures facultates... »: hic modus loquendi indicat ac si agatur de re, quae per se ad competentiam Summi Pontificis spectant, sed de facto episcopis datur ut « facultas » eas per se ipsos perficiendi. Iamvero factum, quod hae res hucusque Summo Pontifici reservabantur, minime arguit eas per se pertinere ad *competentiam* Summi Pontificis. Dicatur ergo: « stabiliter habeant potestatem quam eorum ordinarium et immediatum exercitium » (cf. linn. 17 ss.).

Pag. 6, lin. 9. « Episcopis in regendis dioecesibus auxilio sint... »: numquid Ss. Congregationum munus primarium est « auxilio esse » episcopis? Si per eas ipse Summus Pontifex « Ecclesiam suprema ac plena iurisdictionis potestate » (cf. pag. 7, lin. 2) regit et S. Congregationes nomine et auctoritate eiusdem Summi Pontificis agunt, primario eorum munus est auxilio esse eidem Summo Pontifici in regenda Ecclesia et Sancta Synodus hoc palam profiteri debet. Ille modus loquendi de « auxilio » praestando sapit aliquam ambiguitatem ac si verum munus Ss. Congregationum adiuvandi in Ecclesia regenda abscondi debeat.

Pag. 6, lin. 13. « De episcoporum facultatibus »: secundum supra dicta dicatur: « de episcoporum potestate exercenda », vel etiam: « De episcoporum iuribus ».

Pag. 6, lin. 16. « Ad Ecclesiae unitatem conservandam »: numquid haec est sola vel etiam principalis causa reservationis? proponitur: « ad Ecclesiae universale bonum ».

Pag. 6, lin. 18. « omnes habeant facultates »: cf. supra lin. 4: ergo adhibeatur similis modus loquendi: « habeant potestatem ea omnia per se perficiendi, quae aptius et expeditius per eorum ordinariam et immediatam potestatem exercentur... ».

Pag. 7, lin. 5. « Et in servitium... »: idea servitii modo magis theologico quam, ut ita dicam, aulico vel mere humanitatis exprimatur: proponitur: « proinde prout Dominus ipse dixit, se venisse non ministrari sed ministrare, ita etiam haec Dicasteria omni cum humilitate Sacris Pastoribus ministrent ».

Pag. 7, lin. 13. « Augeant suum ... auxilium... »: cf. pag. 6, lin. 9: praeter auxilium efferatur etiam munus vere regendi, id est conatus et actiones

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

Sacrorum Pastorum coordinandi et efficaciter in commune Ecclesiae bonum dirigendi. Nonne secundum ea, quae dicuntur pag. 6, lin. 11 « in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti dignoscantur » hic aliquid dicere oporteret de cooperatione episcoporum in Ecclesia *universali regenda* (et non tantum in hac vel illa Congregatione)? (cf. pag. 7, linn. 21 ss.). Hic ergo aliquid dicendum esset de aliquo Consilio Centrali, Romae stabiliendo, quo opus singularum Ss. Congregationum efficaciter coordinetur quodque quaestiones graviores pertractet.

Praeterea hic etiam aliquid dicendum esset de episcoporum officio Ss. Congregationes adiuvandi maxime mittendo personas ad eorundem opus apte praeparatos et dispositos.

2

EM.MUS P. D. RADULFUS SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

El *principium fundamentale* enunciado en el art. 3 del capítulo I, parte primera, del esquema *De episcopis et de dioecesium regimine* establece que, — permaneciendo incólume el poder del Romano Pontífice de reservarse las causas que, ya sea por su misma naturaleza o para conservar la unidad de la Iglesia, según las circunstancias de tiempos y lugares, estimase necesario guardarlas para sí, — los obispos residenciales tengan por derecho común todas las facultades requeridas para el ejercicio más apto y expedito de su potestad ordinaria e inmediata (*omnes habeant facultates*), bajo el primado de jurisdicción del Romano Pontífice. De aquí pasa a la aplicación práctica: « Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae amplificentur; ... ». En varios otros lugares de este esquema, particularmente en el apéndice primero, se vuelve a hablar de « otorgar facultades » a los obispos.

Aunque la nota 3 del art. 3 afirma que « Consulto schema decreti verbis utitur quae ex se abstinent a significando *titulo* quo facultates, de quibus fit sermo, sint episcopis recognoscendae », por ser ésta una cuestión de índole teológica perteneciente a la constitucion dogmática *de Ecclesia,* si leemos estas afirmaciones a la luz de la explicación dada en la *relatio super schema decreti de episcopis...,* pág. 12, no podemos sin embargo rehuir la impresión de que el título en que se basan estas facultades no es la ordenación al episcopado y la asignación a una diócesis determinada, sino una « graciosa concesión » por parte del Romano Pontífice. Esta relación, en efecto, alude a dos proposiciones del Sínodo de Pistoia: 1) « episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis »; y 2) « iura episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum ac debere in originalia sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae ecclesiae: ... ». Ambas proposiciones fueron condenadas por la Bulla *Auctorem fidei* de Pio VI como cismáticas.

De la citación de estas dos proposiciones cismáticas en la *relatio,* parecería desprenderse lógicamente esta conclusión: los obispos no reciben, por el hecho de su carácter episcopal y por la asignación a una diócesis determinada, todos los poderes necesarios para regir su diócesis; y de aquí que haya necesidad de que el Romano Pontífice les « otorgue » estos poderes; y de aquí también que se hable de « facultades ». En otras palabras, a pesar de la afirmación de la nota 3 del art. 3 del cap. I, *la relatio asigna el título* en el cual se basan las facultades de los obispos. Si la interpretación sugerida en la *relatio* es verdadera, ya no se podría afirmar que el obispo, en virtud de su ordenación y dada la asignación a una diócesis, tenga todos los poderes necesarios para regir su diòcesis, salvo aquellos que la Santa Sede tenga a bien *reservarse* en vista del bien común de la Iglesia.

¿Qué se debe pensar de todo ésto? ¿Qué sentido tiene la condenación de las proposiciones del Sínodo de Pistoia referentes a los poderes de los obispos? Sin pretender hacer un análisis exhaustivo, podemos afirmar lo siguiente. Las proposiciones de los pistorienses son condenadas en cuanto responden a una mentalidad jansenista, galicana y episcopalista. La influencia del jansenismo sobre los pistorienses ha sido puesta de manifiesto por los autores que se han especializado en la historia de este movimiento religioso de la Toscana (cf. J. Carreyre, art. « Pistoie », *Dict. de Theol. Cath.,* XII-b, cols. 2135-2139; B. Matteuci, *Scipione de' Ricci,* Roma [1941], pags. 50-69). Si no necesariamente el obispo Ricci, todo este movimiento jansenista italiano estaba marcado por una profunda animadversión a la Sede romana (cf. Matteuci, *op. cit.,* p. 164 s.). Esta se traducía, en teoría, en el pensamiento galicano y episcopalista, del cual ciertamente participaba Ricci y los otros pistorienses, como ya lo hacía notar Pio VI en sus dos breves al obispo de Chiusi y Pienza (cf. *Mansi* 38, cols. 1103-1108). No es pues nada de extraño que estas ideas y actitudes aparecieren en los escritos de los pistorienses. Asì, por ejemplo, el jansenismo galicanista se muestra claramente en el « Decreto della fede e della Chiesa » del Sínodo de Pistoia: « Benchè il papa abbia la principale parte nelle questioni di fede, e i suoi decreti riguardino tutte le chiese e ciascheduna chiesa in particolare, il suo giudizio non è irreformabile, se non c'interviene il consenso della chiesa » (numero XVI del Decreto, *Mansi* 38, col. 1017).

En el escrito del obispo Ricci al Archiduque de Toscana, Pedro Leopoldo, se expresa claramente el principio fundamentale del episcopalismo: « Quando il divin redentore mandò gli apostoli e negli apostoli i vescovi, dette loro tutta la potestà che era necessaria al grande oggetto di stabilire e governare la chiesa... ».

« Ella è dunque assoluta nostra volontà che venga ristabilita la disciplina sempre venerabile dei primi secoli, e che i vescovi rientrino nell'esercizio degli originari ed inalienabili loro diritti, che per le circostanze dei tempi furono ad essi usurpati, e che per connivenza dei vescovi trapassarono nella corte di Roma.

« Spetteranno quindi ai vescovi esclusivamente tutte le dispense che si sogliono accordare già da qualche tempo dalla curia romana » (*Mansi* 38, cols. 1238 y 1239).

Por último, en el « Decreto dell'ordine » del Sínodo pistoriense aparecen las dos proposiciones extractadas después por la Bulla *Auctorem fidei* y que hemos citado ya al comienzo. Según las normas de toda sana teología, estas dos proposiciones deben ser entendidas a la luz de su contexto histórico. En otras palabras, el error de los pistorienses, y aquello por lo cual les cabe el calificativo de « cismáticos », consiste en no reconocer al Romano Pontífice su poder de intervenir en los asuntos de doctrina y de gobierno de los obispos residenciales. Es, en resumen, su galicanismo y su episcopalismo. De aquí que lo condenado por *Auctores fidei* sean estos errores. Sería, por tanto, violentar el sentido de la Bulla de Pio VI el leer en esas dos proposiciones la afirmación de que el obispo, en virtud de su consagración y por la asignación de una diócesis, *no recibe* todos los poderes para administrar su grey, salvos aquellos que el Papa se reservase, sino que se requeriría que el Pontífice se los « concediese » graciosamente. Sobre esta cuestión no se pronuncia *Auctorem fidei*. Sería, pues, de desear que en la *Relatio* se hiciesen las aclaraciones necesarias para que no se tomen las dos citas contra los pistorienses como un criterio que ha de guiar la interpretación y discusión del problema del origen del poder episcopal.

3

Exc.mus P. D. ANTONIUS ABED

Episcopus Tripolitanus Maronitarum

Imprimis praeponendae sunt explanationes quaedam circa locutiones fundamentales in his animadversionibus adhibitas, nempe: « Primas-successor seu Papa, et episcopus-successor seu residentialis », quae locutiones modeste hic proponuntur eo sensu ut per illas, duo determinantur inconfuse cardina societatis ecclesiasticae.

1. Quum de Primate-successore seu Papa hinc loquimur, non est de episcopo Urbis romanae uti talis sermo, sed de Petri capitis successore ut sic; et quum de episcopo-successore, nonnisi de successore cuiusdam apostoli intellegatur oportet apud determinatam fidelium portionem quae et « Ecclesia aut Ephesiorum aut Ephesina », e. g. dicitur.

2. Omnes ergo alii episcopi sive sint titulares prouti fert recens consuetudo in aliquibus ecclesiis, sive auxiliares aut coadiutores, sive sint legitime consecrati sive illegitime, non pertinent ex hoc ipso mero titulo consecrationis ad illud quod dicitur « episcopus-successor ».

Ipsa enim mera consecratio nequit « episcopum-successorem » efficere, nisi eidem consecrationi accedat aliquid aliud quod talem consecratum « formam gregis efficiat ex animo... » iuxta Petri verba in prima eiusdem epistula c. 5, v. 4.

Propterea iure merito opinamur: ipsum munus pastorale in sua plenitudine reali per spatium et tempora, et in illa eiusdem inseparabili implicatione personali simul ac conscienti apud episcopum-successorem qui hoc munere fungitur, *radicaliter* ignotae videntur citra textus schematis propositi *de episcopis et de dioecesium regimine.*

Et de ipso episcopo-successore qui hodie quam maxime indiget iure *condendo* potius quam iure condito aut plus minusve (sive intelligas hic ius consuetudinarium sive illud curiale aut etiam illud iam codificatum), nihil in schemate dicitur.

Tamen, faveat mihi Spiritus si aberro, omnis episcopus-successor, hodie perturbatus inspicit in futurum, et super omnia sibi quaerit et a Concilio sollicitat ut tranquilla conscientia conscius ipse deveniat — claro modo intelligendo — quaenam *radicaliter* sunt potestates suae de iure divino, et quaenam vero tantum *socialiter* h. e. propter congruentias aut exigentias ordinis socialis in Ecclesia, sibi ipsi competant tantum utpote facultates delegatae ad quinquennium.

Hoc enim petit et sollicitat ut, data occasione, omnia ipse praevidenter ordinare et in exequutionem mandare possit, quando scil. nulla « canonicitas » possibilis evadit, quum nulla « collegialitas » adiri possit, et quum nulla Curia Romana attingi queat.

Hinc et in his rebus declarandis in favorem pascendi dominici gregis, et in favorem conscientiae uniuscuiusque pastoris, puto esse maius munus huius Concilii Vaticani II.

Adiungenda igitur in hoc schemate sunt quae ad iura episcopi-successoris spectant « iure divino-apostolico », dempta cetera aut emendata quae iisdem iuribus contraria esse videntur in hoc schemate.

Meminisse iuvabit, illud imprimis occurrere quod et ius « apostolicitatis » dici potest, quo nempe episcopus-successor locum apostoli obtinet, et auctoritatem apostoli, ceteris ab illa exclusis, ipse solus in pascendo grege, assumit.

4

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

1. Disciplina ecclesiastica et iura episcoporum residentialium in vigenti ordine adaptata sunt conditionibus modo ordinariis vitae socialis et religiosae. Dantur tamen saepe saepius circumstantiae extraordinariae, in quibus unus vel alter episcopus operare debet, quando aliqua communicatio cum S. Sede impossibilis evadit. His in casibus, a lege canonica impraevistis, quando communicatio cum S. Sede admodum impedita est, gravia negotia sine ullo adiutorio et solutione manent. De experientia personali loquor in tali casu valde serios casus et negotia in discrimine versari.

Audeo proponere et rogare, ut provideatur quominus aliqua norma generalis de facultatibus episcoporum residentialium in circumstantiis extraor-

dinariis versantium opportune detur. Perutiles evaserunt facultates speciales, quas benevolentia summi Pontificis Pii XII episcopi Lituaniae anno 1940 obtinuerunt, quando Lituania sub occupatione sovietica ceciderat. Opportunum esse reputo, ut tales vel similes facultates ab ipso iure ordinario, spectatis spectandis, concessae eant.

2. Dissentio a propositione nonnullorum Patrum, ut aliquod novum « senatum » vel « concilium generale » pro gubernanda universali Ecclesia creetur. Mihi videtur, quod officia administrativa S. Sedis, utut pro praesenti sunt, non indigent novis entibus, sed potius ea ipsa in laboribus exequendis expeditiora reddantur. Praesentia episcoporum ex variis nationibus in Sacris Dicasteriis non videtur mihi opportuna, quia parum pro perficienda activitate S. Sedis ipsi contribuere possint, dioeceseos vero certe detrimentum patientur. Episcopi habent possibilitatem et vias suam mentem Sanctae Sedi aperire etiam sine protracta commoratione Romae.

Videtur aliquando opportunum fore, si in Curia Romana personae magis expertae et praeparatae assumptae veniant, inter quas fratres religiosi et ad varia officia etiam selecti idonei laici.

3. Curia Romana cum omni reverentia et gratitudine obsequenda est. Hoc tamen non impedit, ut denominatio ipsa pro convenientia mutari possit. Assensum do illis, qui proposuerunt nominari « Curia Vicarii Christi » vel « Curia S. Sedis ».

5

Exc.mus P. D. CAMILLUS PLACIDUS CROUS Y SALICHS

Episcopus tit. Cratiensis, vic. ap. Sibundoyensis

In n. 5 cap. I (pag. 7) huius schematis dicitur: « Nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali nationali *designandi,* ab Apostolica Sede *nominentur* membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum... ».

Quod *non placet,* eo quod, si Apostolica Sedes (Summus Pontifex) nominare deberet membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum illos episcopos a conferentia episcopali nationali *designandos,* auctoritas seu libertas Summi Pontificis coarctaretur; nam ipse Romanus Pontifex plenum ius habet non solum *nominandi* sed etiam *designandi* tales episcopos, si ipsi placuerit; maxime cum agatur de Ss. Romanae Curiae Congregationibus, quibus « in exercenda sua in universam Ecclesiam suprema ac plena iurisdictionis potestate Romanus Pontifex utitur... et quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent » (n. 4).

In tota hac quaestione magis congruum esset, uti videtur: Summo Pontifici aperire devotam mentem ac voluntatem episcoporum ad illi omne possibile adiumentum praestandum in regimine totius Ecclesiae; sed *eo modo,* quem ipse Romanus Pontifex meliorem et magis opportunum iudicaverit.

[*Subsignavit etiam*] Vincentius Roig y Villalba, ep. tit. Aradensis, vic. ap. Valleduparensis.

6

EXC.MUS P. D. PETRUS ČULE
Episcopus Mandetriensis

1. *a*) In schemate dicitur « episcopi peculiaribus praeficiuntur ecclesiis ». Sed a quo et cuius auctoritate praeficiuntur? Bonum esset ut saltem in nota a Concilio expresse dicatur id fieri unice suprema potestate Romani Pontificis. Habemus nostris diebus triste exemplum schismatis in Sinis ubi episcopi contra voluntatem Summi Pontificis constituuntur atque sacrantur. Optabile esset ut et Concilium Oecumenicum hunc sacrilegum abusum sua de parte condemnet asserendo sine interventu capitis collegii episcoporum neminem posse legitime episcopis adnumerari.

b) Hac in re vindicanda est a Concilio exclusiva potestas Romani Pontificis etiam respectu potestatis civilis. Tristissima erant tempora quando Romani Pontifices gravissimis minis et pressionibus principum catholicorum adacti, ut maiora mala vitarent, lacrimando institutionem episcopalem immo etiam sacram purpuram personis indignis conferebant. Eo momento quando reges ius sibi assumebant nominandi episcopos in proprio regno, libertas Ecclesiae in essentiali puncto cessabat atque heroica certamina Gregorii VII et Pontificum subsequentium vana reddebantur. Deo gratias, quod ista tempora iam transierunt. Pro futuro in nullo Concordatu potestati civili ius concedendum erit se quovis modo directe ingerendi in nominationem episcoporum, nam tale quid est omnino incompatibile cum libertate Ecclesiae. Poeta aliquis praeclare dixit: « Non bene pro toto libertas venditur auro ».

c) Sunt qui spiritu democratiae hodiernae ducti vellent in Ecclesia renovare praxim primorum saeculorum, ut scil. clerus ac populus sibi episcopos eligerent. Hoc Ecclesiae summe nocivum foret et viam demagogiae periculosae in Ecclesia aperiret. Optabile tamen esset, ut conferentiae episcoporum Romano Pontifici nomina sacerdotum ad munus episcopale idoneorum communicent, et insuper ut eatenus ratio habeatur cleri populique christiani, ut numquam in episcopum assumatur quem clerus populusque in sua maioritate aversantur.

2. In schematis introductione bene dicitur — oportere ut episcoporum iurisdictionis potestas asseratur, roboretur ac vindicetur quo episcopi efficacius munere suo apostolico fungi queant.

Iurisdictio episcoporum tuenda est imprimis contra iniusta tentamina potestatis civilis istam iurisdictionem limitandi vel impediendi. Singuli episcopi ipsi hoc praestare debent. In gravioribus casibus S. quoque Sedes suum auxilium praebebit. Et si aliquando aliquis episcopus ob legitimum exercitium potestatis suae persecutioni subiciatur, totum collegium episcopale reagere debet et causam episcopi persecuti ut propriam defendere.

Potestas iurisdictionalis episcopi etiam intra muros Ecclesiae efficaciter sustinenda est. Non tantum respectu fidelium, sacerdotum et capituli cathedralis sed etiam respectu religiosorum.

Pugna inter episcopos et religiosos gravissima scandala populo Dei praebuit et maxima damna Ecclesiae intulit. Una ex rationibus cur Concilium Oecumenicum Lateranense V nullum fructum initio reformationis lutheranae attulit erat infelix contentio inter episcopos et religiosos quae per multas sessiones protrahebatur. Ut similis contentio pro futuro omnino et radicaliter impediatur, Concilium debet modum invenire quo apte iurisdictio episcoporum pastoralis cum privilegio exemptionis religiosorum concilietur.

Ad hunc finem obtinendum necessarium erit omnia privilegia religiosorum in Codicem aliquem scriptum redigere, ut episcopi certe scire possint, quae et quanta privilegia religiosi habeant, ne propter ignorantiam aliquod privilegium laedant.

Deinde, ista privilegia quae aliquando originem ex saeculis longe actis ducunt et saltem ex parte obsoleta sunt, examini subiiciantur et necessitatibus temporis hodierni adaptentur.

Principium fundamentale hac in re hoc erit: *a*) Episcopi considerare debent religiosos ut pretiosos collaboratores in vinea Domini ideo illis semper animum vere paternum ostendere debent promovendo illorum incrementum et reliquendo illis plenam autonomiam quoad vitam illorum internam. *b*) Religiosi in episcopis semper legitimos successores apostolorum cernere habent, eos qua tales ex corde revereri, actiones suas extra saepta monasterii vel conventus iuxta episcopi praescripta ordinare, in re pastorali episcopo plene subici et cum gaudio invitationi episcopi respondere pro viribus contribuendi in opere salutis animarum.

7

Exc.mus P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis in Maragnano

Pag. 6, n. 3, § 1 (in fine): facultas, a pluribus Patribus postulata, ut conferentiae episcopales nationales possint a legibus universalibus Ecclesiae dispensare aut eas suspendere modo generali, exceptis casibus a iure bene determinatis, omnino inconveniens est. *Ratio est*: quia abusus non pauci inde orituri essent. Si, in hodierna disciplina, inveniuntur non raro sacerdotes qui parvipendunt quasdam leges ecclesiasticas et non corriguntur ab auctoritate dioecesana, et aliquoties ipse Ordinarius sibi usurpat ius quasdam leges generales gravissimas dispensandi aut suspendendi, quid dicendum erit, si minuatur rigor ecclesiasticae disciplinae...

Pag. 7, n. 4 (in fine): institutum, quod plures Patres postulaverunt, e repraesentantibus a conferentia episcopali uniuscuiusque nationis designatis constitutum, et a Summo Pontifice aliquoties convocandum, videtur non probandum. *Ratio est*: *a*) quia doctrina de collegialitate episcopatus nondum definita est; *b*) quia senatus Summi Pontificis iam exsistit, scil. S. cardinalium Collegium, e repraesentantibus plurium nationum constitutum; optandum tamen ut unaquaeque catholica natio saltem unum habeat cardinalem;

c) quia, si stabiliter huius instituti membra Romae degerent, eorum dioeceses derelictae essent aut a suarum dioecesium regimine amoveri deberent; *d*) huius instituti membra diversas conferentias repraesentare possunt, sed suas ideas personales tantum manifestabunt, non tamen opinionem totius episcopatus, quod multo melius per litteras exquiri potest; *e*) alias iam in schemate praevisa est quaedam repraesentatio diversarum nationum per ecclesiasticos peritos.

Pag. 7, n. 5, lin. 22: corrigatur: « Nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali nationali *proponendi, si ab Apostolica Sede adprobati fuerint,* nominentur membra vel consultores, etc... ». *Ratio est*: quia membra aut consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum a libera electione Romani Pontificis pendent, et ideo eidem non imponi sed tantum proponi possunt.

8

EXC.MUS P. D. LEO DE URIARTE BENGAO
Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

Episcoporum facultates proveniunt ex eo quod Spiritus Sanctus posuit eos ad regendam Ecclesiam Dei. Ac imprimis ipse Summus Pontifex positus est a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei velut Caput et Vicarius Christi ad salvandas omnes gentes.

De ceteris episcopis dedimus votum dicentes quod omnis episcopus legitime consecratus in communione episcoporum et Romani Pontificis membrum esse corporis episcoporum, atque hoc corpus episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi, et pascendi, succedere collegio apostolorum ac denique una cum Romano Pontifice plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollere, acque iure divino.

1. Ex his eruere videtur quod quodcumque agatur de regenda Ecclesia Dei episcopus iure divino gaudere interveniendi. Ergo videtur, etiam primo, meo humili iudicio, Episcopum gaudere interveniendi in electionem Summi Pontificis qui est caput Ecclesiae Christi, una cum universo collegio episcoporum qui Ecclesiam repraesentant, sive sint episcopi residentiales, sive titulares, sufficit quod sint episcopi positi a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei. Ergo mortuo Summo Pontifice corpus episcoporum repraesentat Ecclesiam Dei, cuius Caput iure proprio et vere democratice quamvis Ecclesia sit monarchica, electuri sunt. Electo Summo Pontifice omnes episcopi ipsi subiiciuntur tanquam a Spiritu Sancto electo ad regendam Ecclesiam universam tamquam Caput Ecclesiae, infallibile, independens atque supremum.

2. Nostrum hoc Concilium Oecumenicum est coetus vel corpus episcoporum omnium universae Ecclesiae qui omnes eodem iure convenimus ad solvenda negotia quae ad regendam Ecclesiam Dei desiderantur. Invitatio, designatio loci et modus agendi pendent a Summo Pontifice, sed omnes episcopi intervenimus in disceptationibus quae nobis proponuntur, non iure

delegato sed iure proprio et divino, sub dependentia utique Summi Pontificis qui est caput omnium nostrum.

3. Concilia nationalia vel regionalia, vel provincialia sunt coetus episcoporum alicuius nationis, regionis vel provinciae ad solvendas quaestiones Ecclesiae in illis nationibus, regionibus vel provinciis, cum eodem iure divino interveniunt in his quae ipsis proponuntur vel ipsi proponunt fratribus ad discutiendum et solvendum sub dependentia Summi Pontificis.

4. Conferentiae episcopales sunt coetus episcoporum nationis, regionis vel provinciae sub dependentia Summi Pontificis atque sub eius directione, quae conveniunt data occasione ut collatis consiliis fructuosius et efficacius rem catholicam agant, promoveant atque ordinent. In his conferentiis etiam interveniendi sunt omnes episcopi universi ubi fiunt conferentiae, sive residentiales sint sive titulares, sive simpliciter episcopi legitime consecrati et in communione cum ceteris episcopis et cum Summo Pontifice, iure proprio et divino quamvis sub dependentia Summi Pontificis quoad locum, quoad tempus et quoad modum agendi.

5. In quocumque demum coetu seu conferentiis episcoporum, ius habet episcopus quisquis ille sit interveniendi sicuti ceteri omnes episcopi et quidem iure divino et proprio, quamvis dependenti semper quoad locum, tempus et modum a Summo Pontifice.

6. Omnis episcopus denique in sua dioecesi vel districtu illi commisso a Summo Pontifice, ordinaria, completa atque perfecta iura habet iure divino et proprio ad omnia quae ipsi bene videantur facienda ad regendam Ecclesiam sibi commissam a Summo Pontifice. Episcopus qui non habet dioecesim vel districtum sibi commissum semper habet ius divinum radicale ad regendam Ecclesiam Dei quia propter hoc posuit illum Spiritus Sanctus ad regendam Ecclesiam, semper tamen sub dependentia Summi Pontificis.

Haec omnia videntur tenenda in regenda Ecclesia Dei et in regimine animarum.

9

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

Circa relationes inter episcopos et Apostolicam Sedem, propono:

1. *De Consilio Apostolico constituendo.*

a) Optandum videtur ut constituatur consilium seu senatum apostolicum circa Summum Pontificem, constans ex patriarchis Ecclesiarum orientalium, ex cardinalibus dioecesium Ordinariis, ex cardinalibus praefectis vel secretariis Dicasteriorum Apostolicae Sedis, ex praesidibus conferentiarum episcopalium nationalium electione constitutis, et ex aliquibus episcopis ab ipso Summo Pontifice designandis.

b) Optandum videtur ut hoc consilium, salva semper potestate Summi

Pontificis et Concilii Oecumenici, potestatem legisferendi obtineat in universam Ecclesiam, eique competat facultatem Dicasteria Sedis Apostolicae moderandi.

c) Optandum est ut, si Summo Pontifici placuerit, hoc consilium semel saltem in anno conveniat.

2. *De instauratione Dicasteriorum Sedis Apostolicae.*

a) Optandum videtur ut in hac instauratione peragenda praecipua norma sit aspectus pastoralis, nova officia instituendo pro hodiernis exigentiis, si casus ferat. Competentia autem dicasteriorum melius determinetur, vitata semper eius duplicitate.

b) Optandum est ut membra, officiales et consultores Dicasteriorum ubique terrarum seligantur.

c) Optandum est ut Dicasteria Sedis Apostolicae potestatem tantum executivam vel iudiciariam habeant, reservata Consilio Apostolico potestate legislativa.

3. *De Legatis Apostolicis et Nuntiis.*

a) Optandum videtur ut Legatus Apostolicus, quo nexus communionis inter Sedem Apostolicam et singulas Ecclesias roboretur ac manifestetur, sit aliquis episcopus ex eadem natione a Sede Apostolica nominandus.

b) Optandum est ut Nuntii Apostolici munus sit tantum relationes inter Sedem Apostolicam et Civilia Gubernia fovere.

10

Exc.mus P. D. IESUS ENCISO VIANA

Episcopus Maioricensis

Liceat mihi ea non repetere quae iam pluries hic dicta sunt, sed problema quoddam proponere:

1. Versamur coram duabus veritatibus:

a) Existit in Ecclesia entitas, quae dici potest aliquo sensu collegium episcoporum.

b) In actualibus circumstantiis historicis convenientissima videtur creatio cuiusdam auctoritatis territorialis — v. g. conferentiarum episcopalium — et cuiusdam consilii consultivi in adiutorium Romani Pontificis.

2. In his duabus veritatibus consensus Patrum fere unanimis est. Affirmare autem has institutiones fundari in collegialitate episcoporum, necessarium non est, nec conveniens, et unanimitatem non obtinebit.

a) *Necessarium non est*: quia possunt hae institutiones creari ab Ecclesia pro utilitate sui ministerii et bono animarum, etsi non habeant radices in collegialitate episcoporum.

b) *Sed neque conveniens est*: ex hac enim assertione sequerentur quaedam gravia, quae auctoritatem episcopi residentialis imminuerent, ideoque pluribus displicebunt. Nam si conferentiae episcopales nituntur in colle-

gialitate episcoporum, inde sequitur eas esse iuris divini, ideoque ad eas pertinent pari iure omnes episcopi illius regionis, sive residentiales sive auxiliares vel titulares. Immo et, quae ab illis conferentiis decernantur, vim obligandi habent omnes et singulos episcopos conferentiae, etiam illos qui a sententia maioris partis dissentiant.

c) *Unanimitatem non obtinebit.* Siquidem talis relatio inter collegialitatem et conferentias episcopales est opinio quorundam theologorum, sed non doctrina Ecclesiae; et a pluribus negatur, aliis autem non clara apparet. Debet ergo haec quaestio intacta relinqui, ut eam possint theologi profundius et ulterius investigare, sicque ad maturitatem eam adducere, cum libertate agentes, quam coarctaret Concilium, si imprudenter de ea aliquid assereret.

3. Propono ergo ut creentur illae institutiones, sed doctrina de earum fundamento theologico relinquatur ulteriori investigationi theologorum.

Occasionem autem tales institutiones creandi nobis offert hoc cap. I, in quo earum delineamenta praecisare debemus. E. g.:

Eritne una conferentia pro singulis nationibus?

Si ulterius aliae conferentiae necessariae vel convenientes inveniantur, sive pro regionibus sive pro continentibus, cuius erit de hac necessitate vel convenientia iudicare et tales conferentias erigere?

In his conferentiis, convenientne etiam episcopi auxiliares?

Quaenam erunt eorum iura?

Quam obligationem parient decisiones conferentiarum?

En vobis tot quaestiones, de quibus cap. I huius decreti non agit, et quas nostrae discussiones nondum tetigerunt. Et tamen, si has institutiones erigimus, debemus scire quid erigamus, ideoque haec omnia determinare.

4. Liceat denique aliud suggerere. Pro dicasteriis romanis eligantur sacerdotes ex diversis nationibus, sed non episcopi. Nam si tales episcopi habitualiter in suis dioecesibus resideant, vix ullo modo poterunt in vitam dicasteriorum influere. Et si habitualiter Romae degant, reincidemus in malum absenteismi sicut in temporibus antiquis. Episcopi autem eligi possunt pro Consilio Pontificio, ad quod sufficiet si bis vel ter in anno convocentur.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

1. *Praecisiones.*

A) circa *episcopatum*: *a*) clare definiatur quid sit episcopus; *b*) quae sint eius iura et officia ex iure divino; *c*) quae sint facultates quas sibi reservat Summus Pontifex; *d*) quae sint iura et officia collegii apostolorum ex iure divino; *e*) quae sint natura et facultates conferentiarum episcopalium (ex iure ecclesiastico? ex iure divino?).

B) circa *moderatores*: *a*) quae est eorum potestas et attributio; *b*) suntne subiecti S. Officio? *c*) quae est differentia inter Concilium et S. Officium durante Concilio; *d*) quidnam inter ambo est supremum (amborum enim Summus Pontifex est praeses).

C) circa *Curiam*: quae sunt attributiones Curiae Romanae vel potius Curiae Summi Pontificis (ab ipso Summo Pontifice determinandae, sed vota respectuose exprimere liceat).

2. *Vota.*

A) circa « *Aggiornamento* » *Curiae* de quibus locutus est Summus Pontifex Paulus VI gloriose regnans.

Nemo est qui negat utilitatem et merita et absolutam necessitatem Curiae. Sunt veluti ministeria adiuncta cuilibet gubernio in toto orbe terrarum, sed: *a*) stylus et lingua nostris temporibus accommodentur; *b*) negotia celerius expediantur quo aptius et expeditius et efficacius evadat episcopalis muneris exercitium, praesertim in adiutorium episcoporum in missionibus laborantium; *c*) episcopi magis audiantur quando agitur de negotio non simpliciter administrativo, sed maxime quando agitur de salute animarum quae est « lex in Ecclesia Christi suprema »; *d*) episcopi in Ss. Congregationum Consilium cooptandi, sint viri imbuti spiritu pastorali qui aliquam experientiam curae animarum habeant. Sint episcopi residentiales (non exclusis coadiutoribus et auxiliaribus). Ad tempus pro uno vel altero negotio selectus; *e*) semper remaneat liber aditus (etsi rarus) ad Summum Pontificem cuique episcopo, si res majoris causae id postulat, v. g. integritas fidei, morum et disciplinae.

B) circa *delegatos apostolicos*: sint viri periti in cura animarum non minus quam in diplomatia.

N.B. Numquam detur consecratio episcopalis « honoris causa » tantum, tanquam remuneratio; sed detur praefectis apostolicis.

C) circa *electionem ad episcopatum*: *a*) maturitas. Viri ad episcopatum appellati sint « presbyteri » i. e. aetatis maturae, non minus quam 40 annorum, salva semper digna exceptione. Qui longissimum tempus in auctoritate remanet, facile fit minus « humanus » et facile cadit in conservatismum quoddam auctoritativum bono animarum et dioecesi obnoxium; *b*) festina lente. Hodie gubernia qui nuper independentiam politicam adepti sunt, Ecclesiam etiam quamprimum et intempestive a hierarchia locali regi debere clamant. Nos omnes ad hunc finem ultimum tendimus, sed tempore opportuno non inopportuno. Numerus sacerdotum localium adhuc exiguus remanet et proinde selectio candidatorum ad episcopatum limitata. Remaneat Ecclesia *independens,* soli animarum curae sollicita.

D) circa unionem *inter episcopos et Summum Pontificem*: etsi episcopus ipsa consecratione multa iura acquirit, ne se consideret nimis independens a Summo Pontifice et suis collegis. Sunt enim episcopi singuli singulariter sumpti homines fallibiles et in cursu Historiae Ecclesiae multa hae-

reses ortae sunt ab episcopis qui independenter et secundum suam sapientiam agere volebant.

Semper salva et firma remaneant potestas et primatus Summi Pontificis.

Plures episcopi hanc relationem legerunt et approbaverunt inter quos S. E. R. Mihayo, AR Tabora, Daubechies, VR Kasama, Cesana, VR Gulu, etc.

12

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS FARAH
Episcopus Tripolitanus Melchitarum

1. De episcoporum facultatibus:

a) Principium fundamentale quod in n. 3 potestatem episcopalem enuntiat et determinat, nec accurate enuntiat nec praecise determinat; nam haec declaratio, scil.: « Episcopi residentiales ... omnes *habeant* facultates... » affirmare videtur potestatem episcopalem esse aliquid iuridicum, proinde episcopo a legislatore ecclesiastico concessam. Sed ex parte de episcopatu dogmatice tractanti concludimus potestatem episcopalem esse de iure divino, i. e., ex ipsamet constitutione divina Ecclesiae concessam, ab ipso episcopo possessam, proinde propriam, ordinariam, immediatam et, in suo ordine, plenam. Ne dicatur: « Episcopi habeant facultates » sed « habent ».

A. v., episcopus, vi episcopatus sacramentalitatis, habet omnes potestates necessarias ad munus episcopale exercendum, salvo tamen iure Summi Pontificis sibi aliqua reservandi, propter bonum commune.

Ideo proponimus hanc formulam: « Episcopi residentiales, iure divino, omnes habent facultates, quas eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat »; vel hanc aliam: « Quantum R. Pontifex valet in sua urbana dioecesi, immo et, vi primatus, in universa Ecclesia, tantum valet in sua dioecesi quisque episcopus (excepta personali infallibilitate) et quidem quoad potestatem et docendi et sanctificandi et regendi, nisi idem R. Pontifex, primatus iure et propter bonum commune, aliquid sibi reservaverit ».

Ergo, in schemate, enumerandae sunt non facultates episcopis concessae sed unice reservationes a S. Pontifice factae. Quis enim non videt enumerationem in appendice factam de aliquibus facultatibus episcopis concessis includere, propter aliquas, veram diminutionem dignitatis episcopalis! Nequit Ecclesia, nequeunt dioeceses gubernari per facultates parsimoniose et, ut dicitur, « à compte-gouttes » concessas.

b) Hic, et multoties alibi, repetitur clausula « sub primatu Romani Pontificis ».

Non videmus cur haec repetitio sine intermissione, dum primatus sicut infallibilitas sunt res iam acquisitae, possessae, immo dogmata de fide definita; ita ut timeo ne haec repetitio, ad tempus et contra tempus, detrimento sit ipsi dogmati; etenim talis repetitio nec magis probat nec magis confirmat, sed efficere potest ut Primatus Non-Catholicis appareat ut iugum intolerabile.

2. De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos. Mutandus est, ut videtur, hic titulus in hunc: « De relationibus Summi Pontificis cum episcopis ».

Etenim de hoc nondum sufficienter tractatum est; aliunde, ex ipsa eorum missione, ex ipso eorum munere, episcopi, sive singulariter sive collegialiter sumpti, relationem habent, directe et logice, non cum Ss. Congregationibus, sed cum ipso Summo Pontifice, cum quo arcte uniti sunt quia S. Pontifex est pastor pastorum et caput collegii.

Hoc affirmato, fiet logice transitus ad praxim S. Congregationum relate ad episcopos, quia illae « nomine et auctoritate Summi Pontificis munus suum explent in bonum omnium ecclesiarum et in servitium eorumdem sacrorum pastorum; quia illae non sunt, ut ita dicam, nisi prolongatio sollicitudinis S. Pontificis eiusque caritatis erga totam Ecclesiam et speciatim erga episcopos, nisi media idonea ad hanc sollicitudinem et hanc caritatem exprimendas, reflectendas et exercendas.

Unde, schema deberet magis insistere et melius demonstrare quod S. Congregationes non sunt, in Ecclesia et pro Ecclesia Christi, tam institutiones et organisationes burocraticae seu administrativae quam organisma pastoralia; non tam pro elaboratione iuridica quam pro incremento spirituali et etiam mystico in Ecclesia, sive apud fideles sive apud pastores. Tandem, schema deberet clare dicere Ss. Congregationes institutas fuisse non ut se substituerent Summo Pontifici, nec ut sese interponerent inter episcopos et S. Pontificem, sicut murum quemdam separationis, sed ut, per eas, et S. Pontifex facilius et expeditius fieret praesens unicuique episcopo, et episcopi facilius et expeditius habeant accessum et recursum ad ipsum S. Pontificem.

13

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Titulus uti prostat non placet. Dicatur: « De episcopis » vel « De episcopis et eorum ministerio ». Ratio: *a*) In schemate *de Ecclesia,* sacerdotium, cuius episcopatus est summus gradus, definitum est — iure meritoque — sub hac luce! *b*) Ministerium latius patet quam regimen, nam omne episcopale regimen est ministerium sed non omne episcopale ministerium est regimen. *c*) Sic definitur episcopalis activitas in lin. 14 prooemii.

Introductio, pag. 5, lin. 1: « animarum salus »: 1) de quibus animis, hic, fit sermo?... 2) dicatur « hominum salus »; 3) salus autem per pastorale munus non e pastorali munere!;

« Lex in Ecclesia Christi suprema »: 1) lex in Ecclesia Christi suprema, aiente ipso Domino, est amor Dei et proximi; 2) auferatur proinde!

Lin. 2: « semper »: hoc verum esset si animarum salus esset lex suprema, at cum non sit, in ipsa oratione hoc « semper » restringitur oratione temporali; ergo inutilis!

Lin. 3: « officio episcopali »: uti prostat, episcopale officium (lin. 3) et pastorale ministerium (lin. 2) videntur opponi vel saltem specifice distingui, quod falsum est.

Lin. 4: pulchra citatio divi Augustini non mihi videtur bene accommodata spiritui conciliaris nostrae constitutionis.

Ratio: 1) fideles et infideles offendit, si ad illos refertur; secus, pastores offendit; 2) citatio habet sensum negativum; forsan, alia citatio positiva ad apostolatum fovendum melius esset.

Linn. 7, 8, 9: est fere repetitio antecedentium linearum; unde sic proponerem textum: « Praecipuum sacerdotale munus est homines ad salutem, immo ad sanctitatem ducere; et si S. Augustinus asserere non dubitavit « nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius » sunt ipsius divi Augustini verba: « animam salvasti, animam tuam praedestinasti »; unde episcopi, metu depulso et amore accensi, cum peculiari praeficiantur Ecclesiae, de omnibus sibi commissarum ovium salute quasi rationem reddituri omnia impendant et superimpedant, tamquam veri pastores, ut... ».

Lin. 10: per « sicque » mutatur subiectum et ex interruptione propositionis cuius subiectum est « episcopi » oratio fit contorta et obscura; corrigatur proinde.

« Iurisdictionis potestas »: qua de ratione quod hic dicitur refertur tantummodo ad iurisdictionalem potestatem? Dicatur simpliciter « potestas » vel melius « munus »; sed insuper quid significat potestatem asserere?... et a quo vel a quibus asserendum esset?...

« Roboretur » quomodo?... Potestas est uti est, nec novum robur accipi potest nisi « ad extra » ut ita dicam; sed quid ad hoc?...

Lin. 11: « vindicetur » contra quem?... Rem sibi vindicat qui ipsam non habet; sed episcopi potestatem habent!...

« Oportet » hoc verbum estne « relictus » vulgo « rudere » alicuius anterioris compositionis?...

« Finis illum divinum »: quem... Salus animarum, evidenter, sed non est perspicua oratio praesertim fidelibus laicis et infidelibus.

Lin. 12: « ratione »: verbum non bene dicit quae essent dicenda. Melius esset dicere « actione », vel « activitate », vel aliquid melius.

Lin. 13: post « aptius » ponatur virgula! Post « expeditius » vero addatur particula « et »; sic: « quo aptius, expeditius et fructuosius... ». Ratio est evidens.

Non omnes forsan intelligunt vim illius « expeditius », unde simpliciter dicerem: « quo aptius et fructuosius ».

Lin. 14: « haec » omittatur si ad « quae » refertur. Ratio: inutilis est. Si refertur ad « Synodus » ponatur iuxta « Sacrosancta », hoc modo: « haec Sacrosancta Synodus... ».

Lin. 15: « enuntiat... statuit... atque decernit ». Haec verba sunt alio in ordine ponenda. Ratio: ordo in dicendis expostulat gradus in expositione,

a minori ad maiorem, a maiori ad minorem vel etiam secundum tempus; unde proponerem: « decernit... statuit... enuntiat », vel simpliciter « statuit » quia in hoc verbo iam includitur notio studii anterioris (decernit) et promulgationis (enuntiat).

Adnotatio finalis: De fontibus, nihil?...

Ad cap. I.

Titulus non placet, ratione complexitatis. Dicatur: de episcopis et Congregationibus Romanae Curiae.

Prooemium non placet. Haec conclusio patet ex sequentibus animadversionibus.

Lin. 1: *Sacrosancta Synodus.* Non bene nec satis definitur; dicatur: « Haec Sacrosancta Synodus » vel « Sacrosancta Oecumenica Synodus Vaticana II » vel aliquid melius.

Lin. 2: *peropportunam ... utilissimam rem se esse facturam.* Nimia verbositas quae non decet Conciliari eloquio. Interim, si ita censet est quia hoc bonum et opportunum videtur; ergo inutilis evadit haec propositio. Tandem, modus dicendi, uti prostat, nec latinae linguae bene componitur cum huic formae semper praeferenda sit illa generis neutri vel adverbialis modi.

Animarum bono utilissimam rem. Generaliter dicitur: utilis alicui et ad aliquam rem; unde, in casu nostro, melius esset dicere: « ad animarum bonum utilissimam rem... ».

Lin. 3: *salvis iuribus et privilegiis orientalis Ecclesiae,* (cf. quae heri dixi in animadversionibus generalibus sub n. 2).

Episcopi. Hic mutatur subiectum in propositione, et haec mutatio plura mihi suggerit:

1) Ubi nexus inter primam et secundam partem?... Dicere, saltem recte, non possum: censeo me facturum esse optimam rem (?) si tu habes ipsam rem de qua loquor; ac insuper, et consecutio temporum non esset spernenda!

2) Concilium potest concedere episcopis facultates de quibus fit sermo in propositione?... quo titulo?...

3) Criterium sequendum (tribuere episcopis facultates hucusque reservatas) est unicum?...

Ex iis quae audivimus in tractatione de Ecclesia, forsan, oppositum iter esset sequendum, et quidem logice, scil., ex omni et plena potestate, et quidem in Ecclesiam universam (ratione collegialitatis regiminis!...), ob rationes practicas, ad paucas restrictiones. Theoretice salvatur hoc modo primatus Romani Pontificis cui ius tribuitur restringendi facultates, et dignitas episcoporum qui non amplius videntur uti mendicantes facultates, sed facultatibus pollentes. Sed scire vellem: quantum haec affirmatio distat ab haeresi damnata Pistoriensium?...

Lin. 4: *iure communi, stabiliter.* Ponatur virgula inter « communi » et « stabiliter », vel particula « et » et ratio est evidens.

Haec tria verba *iure communi* et *stabiliter* una cum illo quod in lin. 6 apparet, scil. *reservatas,* sequentia mihi suggerit:

1) Si agitur de reservatione, agitur de re pertinenti, ex iure communi, ad episcopos; ergo, quae dixi de episcopis sub fine prioris paginae sub n. 3 essent vera!...

2) Reservationes de quibus sermo, forsan, nec amplius essent reservatae, vel saltem reservandae. Hoc desumitur ex defectu causae et ex necessitate pastoralis muneris episcoporum, sed in hac re, nulla offensio Romanae Curiae, immo Romano Pontifici?...

3) Si Pontifex has facultates sibi vindicavit, hoc fecit ob graves rationes quae hodie non amplius existunt sed in posterum reviviscere possunt; quae cum ita sint, auferrem e textu illud « stabiliter ».

Lin. 6: *necessitudines.* Non placet; dicatur « relationes », sic: « ad relationes quod attinet inter... ».

Ratio: hic est sermo de relationibus non vero de necessitatibus! Ac insuper, cum non dicatur de quibus necessitatibus fit sermo, melius est, meo humili iudicio, tacere ex toto. Ac tandem, haec relatio inter Romanam Curiam et episcopos restringi non debet tantummodo ad necessaria sed extendi debet, salvo meliori iudicio, ad utilia!

Lin. 7: *percupit.* Non est conciliare verbum et nescio quo modo componatur haec debilis vox « percupit » cum illa « statuit » quam in introductione legimus. Concilii est statuere non percupere!

Eadem. Si, ut mihi videtur, ad « necessitudines » refertur, dicatur « eaedem ».

Ratio: concordantia pronominis cum nomine ad quod refertur.

Lin. 8: *haec.* Cui refertur?... Dicasteriis, ni fallor; tamen oratio non est perspicua et non tantum rudioribus sed excultis etiam!

Lin. 9: *episcopis, auxilio, praesto.* Multa et coacervata simul; ac insuper notandum est quod « praesto esse » significat « *essere a portata di mano* »; sed quomodo fiet istud? Dicasteria Romanae Curiae sunt organa Romani Pontificis, ergo praesto sunt illi, non vero episcopis!

Lin. 10: *ecclesiae universalis.* Nescio quid, in contextu, significent haec verba, nam deberent referri ad « apostolico munere » sed quid significat apostolico munere Ecclesiae universalis?...

Si bene intellexi, a linn. 6-12, haec erant clare dicenda; dixi clare dicenda quia, forsan, dicta fuere, at non clare:

1. Sunt relationes, et quidem necessariae, inter episcopos et Romanae Curiae Dicasteria.

2. Hae relationes hoc modo componantur: *a*) dicasteria inserviant episcopis; *b*) episcopi inserviant dicasteriis.

3. Tum episcopi, tum Dicasteria sciant se cum Romano Pontifice collaborare in illius pastorali munere regendi Ecclesiam Universam.

Tamen, omnibus perpensis et oratoribus in elapsa die auditis in aula conciliari, ad hanc conclusionem deveni: *schema nostrum, in quo multa et coa-*

cervata, non placet nec quoad materiam, nec quoad formam; et cum principium a quo tota tractatio pendet non sit sufficienter illustratum (collegialitas episcoporum), humiliter censeo quod *nobis non licet progredi in examine schematis,* quia ex principio quod saltem confusum dici debet, tantummodo doctrina confusa oriri potest.

* * *

Post diuturnam et attentam lectionem cap. I nostri decreti, sequentia vobis humiliter propono.

Titulus « de rationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Congregationes » materiae non aptatur; nam pauca de hac re dicuntur.

Forma non videtur, meo humili iudicio, conciliaris.

Modus tractandi pariter non placet. En rationes, ex ipsis notis ad caput appositis, desumptae:

1) nota tertia: « Consulto... verbis utitur quae ex se abstinent a significando titulo quo facultates... sint episcopis recognoscendae... »;

2) nota quarta: « Quae in hoc articulo (2) proponuntur, omnino nova sunt ».

Ad primum:

1) Verum non est quod affirmatur, nam multa sunt verba iuridica ad quae fit recursus in hoc primo capite et ex quibus fas est concludere: « facultates quae episcopis tribuuntur, iure communi illis tribuuntur »!

En verba quae apparent in pag. 6 (nihil dico de Appendice ubi saepissime citatur CIC et CICO): salvis iuribus (lin. 3); salvis privilegiis (lin. 3); iure communi (lin. 4); stabiliter (lin. 4); facultates... reservatas (lin. 6); firma potestate reservandi (lin. 14); ex rei natura (lin. 16); iure communi (lin. 18); ordinariae potestatis (lin. 19); immediatae potestatis (lin. 19); sub primatu iurisdictionali (lin. 20).

2) Et si esset verum quod in nota affirmatur, semper legitime, et in decreto nostro, multa infirmarentur; nam si episcopi ius habent, vindicare possunt quae sua sunt, secus tantummodo petere et percupere possunt.

3) Ut patet ex ipsa nota citata, qui hoc Decretum paraverunt theologis theologicam dereliquerunt quaestionem et ipsi progressi sunt ac si res esset definita; tamen si ita procedere non potest magister in docendo, nobis licitum esse potest?... Videmur, sit mihi venia, uti latrunculi furantes innixi in fide et spe advocatorum!

Ad alterum: Quae dicuntur sub n. 4 et 5 sunt nova prorsus et nemo est qui possit contradicere.

Attamen, non sufficit nova dicere; oportet ut haec nova quae dicuntur sint etiam vera et iusta.

Et meo humili iudicio, hodie, non habemus sufficientes rationes ut sententiam proferamus de hac re unde iterum atque iterum affirmo: nobis non licet progredi in examine schematis. Principium enim a quo tota tractatio pendet nec clarum nec definitum.

Insuper, quantam prudentiam demonstravimus in quaestione de B. Virgine Maria ne veritates ab omnibus admissae at non adhuc definitae definirentur!... quare, hoc in casu, non esset sic procedendum?...

Quod si quintam notam consideramus, pauca remanent de hoc capite. Dicit textus: « iam diuturna est praxis Sacrarum Congregationum utendi, sive stabiliter sive ad actum, consilio et doctrina peritorum ecclesiasticorum undique adscitorum. Nihilominus per nn. 4 et 5, vi decreti conciliaris, satis fit plurium sacrorum Pastorum petitionibus ut Romana Curia magis in dies " internationalis ", ut dicitur, evadat ».

Notate: si Romanus Pontifex, ut in nota asseritur, iam auctoritate sua hoc facit et fecit et quidem sive stabiliter sive ad actum, quid addit ad haec decretum Concilii?... Mihi liceat respondere: tantummodo irreverentias Romano Pontifici! Bene audivimus in aula conciliari, heri, Patrem asserentem nos aegre ferre, in nostris dioecesibus, similia si quae a sacerdotibus nostris hoc modo proponerentur.

Unde, si ex hoc capite auferamus hos numeros (4-5) quia inutiles et iniuriosi et prooemium quia non est tractatio, remanet tantummodo n. 3 « de episcoporum facultatibus » (10 lineae!); sed e titulo integri capitis aliud esset expectandum; recte igitur, quod dixi in initio, iterum affirmo: materia non respondet titulo et vicissim.

14

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Pag. 5, lin. 1. (Introductio). Nonne « suprema lex » est *gloria Dei?*

15

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Quoad titulum. Vocabulum Dicasteria proprius mihi videtur quam vocabulum Congregationes, nam illud complectitur Congregationes, Tribunalia et Officia ad quae omnia caput refertur.

N. 1. Nulla apparet ratio adhibendi in hoc loco S. Augustini verba, credo maiorem vim habitura esse in sequenti paragrapho, quae plus minusve sic se haberet; episcopi ergo cum peculiaribus praeficiantur ecclesiis... reddituri, tales ipsi se habeant in munere ferendo, (quo nihil esse in hac vita... non dubitavit) sicque eorum...

N. 2. Meo humili iudicio non perfecta est redactio primae paragraphi et sensu logico caret. Ita ego proponerem: « si statuat, salvis iuribus ac privilegiis Orientalis Ecclesiae, episcopos in posterum iure communi stabiliter habere plures... ».

In hoc n. 2 indicantur duae ideae quas primam partem decreti supra nominavi.

N. 3. Non melius esset supprimere ... sive ex rei... conservandam cum in his postremis verbis videatur insinuari quaestio theologica de causa finali Primatus, quae est vel manet in discussione.

In par. 2 legitur tantum « stabiliter », in prima vero et in n. 2 legitur « stabiliter iure communi » et « iure communi »; cur differentia haec? Num titulares non erunt de iure communi? Clarum non apparet.

Non videtur necessitas huius n. 3, qui virtualiter in prima parte numeri secundi continetur, et faciliter suppleri posset n. 2, dummodo explicentur ideae accidentales quae in n. 3 adduntur.

Principium enunciatum in hoc numero rationabile videtur, sed est ita vagum ut non sit facile declarare facultates quas exigit exercitium aptius et expeditius potestatis ordinariae et immediatae.

Legitur « Inter *alias* » quae sunt haec aliae?

In titulo II « De praxi » melius poneretur *Dicasteriorum* loco Congregationum.

N. 4. Nescio utrum rectum sit quod legitur: « Quo caput et corpus episcopalis collegii inter se connectuntur ». Relationes inter Dicasteria et episcopos sunt relationes inter Dicasteria et episcopos ut pastores individuales, seu monarchicos ut ait S. theologiae Summa (BAC) vel inter omnes episcopos, quatenus sunt membra collegii episcopalis? aut etiam in duobus sensibus? Ego dicerem in hoc ultimo sensu. Nonne perfectius esset ponere... indolem, potissimum supernaturale caritatis vinculum referant oportet? Ex alia parte videtur hic agi de episcopis residentiam habentibus (regendis dioecesibus). Et de titularibus quid dicendum? etiam hi ad collegium episcopale pertinent. Meo iudicio ideae in hoc numero non sunt clarae.

N. 5. Quamvis proprium non sit huius loci, convenientissimum esset ut constaret vocanda esse, ut Consultores, aliqua membra praeclara regionum in quibus hierarchia nondum stabilita est, saltem ad Congregationem de Propaganda Fide.

Nec etiam dicit et oporteret dicere, si episcopi designati debent esse residentiales aut si possunt etiam titulares elegi, praesertim coadiutores et auxiliares; quamvis decretum, fere in omnibus ad episcopos residentiales referatur; videtur etiam in hoc numero tantum de his intelligendum esse. Sed non oporteret quod etiam titulares, saltem coadiutores designari posse? Ita videtur si consideratur finis quem numerus prosequitur.

Animadversiones additae:

Introductio. Lin. 10. Ut roboretur potestas episcopi, non esset supervacaneum insistere in conceptu de episcopo ut membro collegii episcoporum. Non sufficit ut appareat tantum ut pastor Ecclesiae particularis. Prae oculis semper habendum est ad maiorem firmitatem suae dignitatis, quod hodie maxime interest illum esse membrum collegii episcoporum, ita fideles immo et sacerdotes maximo honore et reverentia et oboedientia ipsum prosequentur.

N. 2. Sollicitudo ecclesiae universalis est propria collegii apostolorum, cum capite abs dubio, etiam capitis solius. Unde sollicitudo episcoporum non est proprie participatio sollicitudinis R. Pontificis, sed est propria uniuscuiusque episcopi ut membri collegii, sed semper sub capite.

Desideratur mentio relationum episcoporum ad Dicasteria Curiae Romanae et episcoporum inter se.

N. 3. *a*) Indicetur extensio verbi « *ex natura rei* »; *b*) indicetur extensio verborum « *quae characteris episcopalis dignitati congruunt* ».

N. 5. Non videtur efficacitas plena nisi illi episcopi Romae stabiliter commorentur: *a*) ratione cognitionis plenae et tranquillae problematum; *b*) ratione amissionis temporis; *c*) ratione molestiae itinerum. Videtur formula quae proponitur parum efficax in praxi, nam in processu Curiae illi episcopi qui nominentur non multum intervenient et non sufficienter alios episcopos repraesentabunt, et tantum nomine non re verificabitur internationalizatio.

Quod ad internationalizationem Curiae attinet, his quibus in n. 15, pag. 7, dicuntur, videtur addendum viros peritos undequaque esse addiscendos, sed eos repraesentantes diversas tendentias in theologia exegesi et liturgia. Quo fiet ut investigationes rerum novarum recta via procedant et intra sincerae ortodoxiae limites contineantur. Secus potius monologus quam dialogus daretur. Si vero hodie tam sollicite quaeritur dialogus cum patribus separatis, quanto magis foveri debet cum fratribus unitis veritatem facientes in caritate. Secus habebuntur conciliabula clausa cum periculo unilateralismi et exaggerationum inde dimanantium.

Quoad S. Officium forsitan res melius et peculiaribus necessitatibus diversorum populorum aptius, a conferentiis nationalibus iudicarentur, relictis S. Officio causis generalioribus ad Ecclesiam universam spectantibus.

Methodus aptanda doctrinae in *Pacem in terris* traditae circa iura naturalia personae.

16

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Ad pag. 5, lin. 10: *Votum*: textui inserantur verba quae linea subnotantur: « sicque eorum *officium pastorale ac* iurisdictionis potestas asseratur... ». *Ratio*: verba « *officium pastorale* » addenda videntur, *a*) ut lucide ostendatur iura potestatis episcopalis radicem et fundamentum seu rationem habere ex ministerio vel servitio quod communitati christianae debetur; unde episcopi non *ad dominium,* sed *ad servitium* gregis dominici sunt positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; *b*) ut *primum et principale* agnoscatur *officium* patris et pastoris, quod episcoporum proprium est; antequam asseratur ius seu potestas, quae derivantur a notione patris et pastoris gregis christiani.

Ad pag. 6, lin. 6: *Votum*: proponitur haec nova redactio: « Quod vero ad necessitudines attinet, episcopos inter ac Sacrae Romanae Curiae Dicasteria, Sancta Synodus libenter agnoscit magnam *utilitatem et necessitatem Curiae Romanae,* tamquam instrumenti, quo Romanus Pontifex utitur ad suum supremum officium in Ecclesia exercendum; item grato animo perpendit *eius merita et officia* in bonum Ecclesiae universae et singularum dioecesium. Percupit insuper ut relationes inter Romanam Curiam et episcopos ita componantur... ». *Ratio*: cum magna et aperta animadversio irrepserit contra Curiam Romanam, necessarium iudico, ut *tota Concilii mens exponatur,* non solum dicere ea quae Romanae Curiae desint, sed etiam ea quae praestat et habet.

Absque dubio reformatione indiget, iuxta optata episcoporum et normas a Summo Pontifice significatas, sed certe, ut mens Ecclesiae fideliter aperiatur, oportet Romanae Curiae merita laudare et quae in episcoporum utilitatem gerit, quodammodo referre et grato animo indicare.

Sic aequo et sincero animo res ex integro tractabitur: quod bonum est agnoscitur, et simul via paratur ad maiorem efficacitatem et meliorem cum episcopis necessitudinem.

Ad pag. 7, linn. 10 ss.: *Votum*: proponitur haec additio; quae linea subnotatur: « Iam vero sacri pastores, ob auctas in regendis dioecesibus difficultates, exoptant ut Romanae Curiae Dicasteria *magis hodiernis Ecclesiae et Dioecesium necessitatibus aptentur et* in dies augeant suum... ». *Ratio*: *a*) opus est ut audiatur clamor plurimorum episcoporum, qui Curiae Romanae reformationem petunt; *b*) oportet etiam ut Concilium consentiat cum Summo Pontifice, qui hanc reformationem velle manifestavit.

17

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Iam multa prolata sunt circa hoc cap. I et speciatim circa necessitatem ipsum sat funditus recognoscendi lumine doctrinae « collegialitatis episcopatus » in schemate doctrinali *de Ecclesia* magis enucleandae.

Vellem tantum, et quidem in rationibus ordinis pastoralis innitendo, quaedam proponere pro emendatione nn. 4 et 5.

Liceat prius seu antea laudare scopum huius decreti nobis propositi, quod intendit secundum verba adhibita asserere, vindicare, roborare potestatem iurisdictionis episcoporum (sch. n. 1, 10-11) atque auxilium praebere iisdem episcopis ut ipsorum ministerium expeditius atque fructuosius reddatur (sch. n. 1, 12-13).

Sub hoc respectu, praeter ampliationem sic dictarum — et quidem non recte — facultatum habitudinalium de qua in n. 3, duae praecipuae innovationes praevidentur: scil. ex una parte constitutio officiorum vel commis-

sionum de quibus in n. 4, linn. 17-20. (Quae officia vel commissiones compositae ex viris peritis undequaque adscitis iure considerari possent saltem meo iudicio, ut organa faventia cuidam « deconcentrationi » seu « decentralisationi »); ex alia vero parte optatur (n. 5) quaedam « internationalisatio » ut aiunt, consistens in cooptatione episcoporum diversarum nationum ut membrorum vel consultorum Congregationum Romanae Curiae.

In eadem linea progrediendo fuit etiam proposita creatio alicuius Consilii Apostolici, ex nonnullis episcopis diversarum nationum compositi, cuius functio esset Summum Pontificem adiuvare in suo supremo munere Pastoris totius Ecclesiae.

Verum tamen est quod hi textus de « decentralisatione » vel de « internationalisatione » agentes, pluribus Patribus non omnino placent propter tenorem nimis indeterminatam seu vagam. Etenim in describendis officiis vel commissionibus de quibus in n. 4, fixatio rerum tractandarum, modus quo membra designabuntur in quadam obscuritate relinquuntur. Dicitur tantum « quatenus opus erit » et similia. Similiter pro « internationalisatione » conceditur quod hi episcopi cooptandi uti membra designabuntur a conferentia episcopali nationali sed non determinantur satis periodicitas convocationis neque motiva propter quae praesentia horum episcoporum necessaria redderetur.

Si cum pluribus ergo Patribus optamus maiores praecisiones, non est propter diffidentiam erga Summum Pontificem neque erga Congregationes Romanas sed praeprimis propter incrementum Regni Dei.

Ad sanctam enim renovationem Ecclesiae propter quam nos adunavit, Spiritu Sancto duce, tum Ioannes XXIII sanctae memoriae tum Paulus VI feliciter regnans requiritur etiam revisio harum structurarum administrativarum quae tandem aliquando ad actionem pastoralem semper efficaciorem ordinandae sunt, attentis necessitatibus cuiusque aetatis.

Atqui hac in hora haec revisio urgens imo urgentissima videtur. Iam revocata fuit in hac aula expectatio etiam inconscia harum multitudinum quae nomen Christi, earum Salvatoris nondum cognoscunt et etiam illarum sic dictarum « massarum » operariorum quae speciatim in plurimis regionibus ubique terrarum sitis, praxim religiosam immo fidem amiserunt.

Quapropter instanter oramus ut textus huius capituli quod est veluti cardo decreti magis determinetur. Id quod enim non satis determinatur ad actum reduci nequit. Ut ergo renovatio structurae administrativae Ecclesiae efficaciter adaptetur conditionibus hodiernis, omnino requiritur quod etiam in minutis sufficienter delineetur. Proinde tria vota Sanctissimo Patri et Concilio submittimus:

1. In votis est quod in textu ubi mutuae relationes inter Sacra Dicasteria et episcopos describuntur, addatur mentio explicita huius rationis intrinsecae quae movere debet omnes nos tam Curiam quam episcopos omnes ad collaborationem semper magis unanimem atque fervidam, scil. sollicitudinis omnium Ecclesiarum, ut ait apostolus, seu caritatis erga omnes

homines et praesertim pauperiores evangelizandos et pascendos. Unde n. 4, lin. 6 post verba: « Itaque mutuae relationes quae inter Sacra Dicasteria et episcopos necessario vigent » hoc addendum esset: « *illud efficacis sollicitudinis collegii episcoporum una cum S. Sede de bono totius populi* christiani; nec non illud potissimum supernaturale caritatis vinculum referant oportet... ».

2. *Secundum votum.* Ubi agitur de officiis vel de commissionibus componendis ex viris peritis undequaque adscitis in votis est ut determinationes ulteriores adnectantur: *a*) circa modum designandi hos peritos scilicet tum a Curia Romana tum a conferentiis episcoporum, Summo Pontifice has nominationes confirmante; *b*) circa obiecta tractanda, scil. quaestiones hodiernas quae a S. Sede et a conferentiis episcopalibus annuente S. Sede proponerentur. Quapropter textus n. 4, linn. 18 s. ita posset modificari: *quae viris peritis a Curia Romana et a conferentiis episcoporum designatis et a Summo Pontifice confirmatis,* in studium incumbant difficillimarum et gravissimarum quaestionum hodierni ministerii pastoralis, *quae vel a S. Sede vel a conferentiis episcoporum, annuente S. Sede* eisdem proponuntur.

3. Tandem tertium votum ad cooptationem episcoporum in Ss. Congregationibus refertur. Maxima spes oriri potest tam pro actione pastorali totius Ecclesiae quam ecclesiarum particularium ex hoc concursu intensiori inter auctoritatem supremam et hos episcopos Romae ex toto mundo convenientes, ad visionem meliorem et veriorem necessitatum hodiernarum mutuo adquirendam.

Sed ne haec spes decipiatur, periodicitas contactus et scopus magis definiri possunt et debent quam in n. 5 schematis. Unde proponerem sequentem emendationem lin. 24: « ... Membra Ss. Romanae Curiae Congregationum qui *saltem bis in anno convocentur ut auditis earum relationibus de necessitatibus necnon experientiis in re pastorali in ecclesiis particularibus vel regionalibus communi nisu, bonum Ecclesiae tum in universalitate, tum in suis partibus speciali cura ac subsidio indigentibus, magis promoveatur et communia pericula efficacius avertantur* ».

18

Exc.mus P. D. ANGELUS IOSEPH JELMINI
Episcopus tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis

Helvetiorum Episcopi, quorum nomine loquor, audent, venerabiles Patres, aliquas proponere emendationes.

1. Quoad n. 3, ea quae a nobis dicenda erant, iam ab aliis dicta sunt sed non sub eodem respectu. Ne eadem repetamus, ad secretarium nostram mittimus emendationem.

Attamen notandum nobis videtur in C.I.C. quasi omnia inveniri quae in hac aula prolata sunt relate ad facultates episcoporum residentialium: id

est episcopos esse ordinarios et immediatos pastores in dioecesibus sibi commissis (can. 334) et episcopos ius et officium habere gubernandi (can. 335).

Sed cum a generalibus Ecclesiae legibus nequeant episcopi dispensare, et cum, aliunde, leges fere omnes generales sint, fit ut episcopi mere Summi Pontifices administratores habeantur, tota quaestio erit utrum tam permultae leges generales promulgandae sint annon; vel utrum — sicut aliqui Patres in aula dixerunt — episcopi facilius dispensare possint. Ad iura episcoporum recte ac securius determinanda, multum interest his magni momenti quaestionibus respondere, quin nullo modo primatus Summi Pontificis minuatur.

2. Quoad n. 4, nobis submisse videtur aliqua processus administrativi reformatio facienda. Multae difficultates certe evanescerent si in rebus administrativis primae instantiae, ut aiunt, habeantur etiam instantiae superiores ad quas semper recurri potest. Ideo optandum est ut recognoscatur ius recurrendi, in decisionibus Romanae Curiae ad aliquod consilium in quo cooptentur episcopi de quibus in n. 5 agitur.

3. Denique aliquod dicendum videtur relate ad n. 4 et quidem magni momenti ad bonam famam Romanae Curiae cui omnes grati sumus. Nonne abroganda retinetur illa obscura lex processualis sic dicta iudiciaria, quae suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinendo et quae inferiora tribunalia secundum normas ab ipsa traditas obligat? Liceat nobis optare ut canon 1555 iuris canonici non amplius inveniatur.

N. 3. Episcopum facultates potius ut concessiones a Summo Pontifice factae videntur quam ex dignitate episcopali fluere. Ideo loco: « Quapropter... recensentur » n. 3, pag. 6, linn. 21-23 dicatur: « *Quapropter facultates quae ex dignitate episcopali emanant, episcopi intra limites propriae dioeceseos, stabiliter fruantur, ita ut* a) *sint episcopi residentiales veri ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis* (C.I.C., c. 334, § 1) *in munere sanctificandi, docendi et regendi; b) habeant de facto episcopi residentiales ius et officium gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa iudiciaria, coactiva* (C.I.C., c. 335, § 1), *firma semper Summi Pontificis potestate sibi causas reservandi propter bonum commune Ecclesiae* ».

N. 4. In rebus administrativis primae instantiae, ut aiunt, habeantur et instantiae superiores ad quas semper recurri potest. Ideo optandum est ut recognoscatur ius recurrendi in decisionibus Romanae Curiae ad aliquod consilium in quo cooptentur episcopi de quibus in n. 5 agitur.

Secundo. Omnino necesse est ut abrogetur illa obscura lex processualis sic dicta iudiciaria quae suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinendo, et quae inferiora tribunalia secundum normas ab ipsa traditas obligat. Ideo omnino delenda est in novo Codice mens can. 1555 actualis C.I.C.

19

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Ad Introductionem.

1. Postquam in par. 1 affirmatum est legem supremam in Ecclesia esse salutem animarum, in secunda officium atque munus episcoporum definitur. Iamvero in hac definitione tradenda, asseritur: « Episcopi peculiaribus praeficiuntur ecclesiis tamquam veri pastores ». Hoc certissimum est, etsi incompletum, quia ibi nihil omnino affirmatur de episcoporum sollicitudine erga universam Ecclesiam, quae eis cum et sub Romano Pontifice incumbit. Haec autem sollicitudo constare debet in hac introductione generali ad totum schema, cum in cap. I et IV quaestiones tanguntur in quibus doctrina collegialitatis haberi debet prae oculis.

Quapropter proponitur sequens emendatio ad par. 2 in linn. 7-8: « Episcopi ergo cum praeficiantur ecclesiis tamquam veri pastores ac sollicitudo omnium ecclesiarum cum et sub Romano Pontifice ipsis incumbat, de omnium sibi commissarum ovium... ».

2. Neque obiicere fas est praecedentium verborum introductionem aliquid falsum in textu introducere, scil. omnes Ecclesiae universalis oves singulis episcopis commissas esse. Nam certum est oves determinatae ecclesiae particularis ad episcopum proprium pertinere, qui illas pascit et regit atque de illis rationem Deo reddere debet, titulo quidem peculiarissimo sc. *pastoris proprii*. Attamen *titulo diverso etsi vero,* singuli episcopi oves Ecclesiae universalis sibi concreditas *quodammodo* considerare debet, quum de sollicitudine Romani Pontificis erga catholicam Ecclesiam participet: ideo, etiam de omnibus ovibus, *aliquo modo,* episcopi rationem reddere debebunt.

Ad cap. I, n. 2:

1. Quum caput hoc quaestionem aggrediatur de rationibus inter episcopos et Ss. Romanae Curiae Dicasteria, prooemium praeponitur in quo duo principia statuuntur, *nimis utilitaria.* In primo enim invocatur rem esse « peropportunam et animarum bono consentaneam », si in posterum episcopi habeant plures facultates hucusque reservatas; in secundo attenditur auxilium episcopis a Congregationibus Romanis praestandum. Certe desideratur altius principium: scil. *semper salvo iure Romani Pontificis, constare debet episcopos praeeminenti dignitate in Ecclesia fulciri ob munus ipsis commissum.* Quare desiderandum est ut hoc principium clare enuntietur in initio numeri.

2. In notula 1 male citatur Concilium Lateranense *IV,* quum revera de Concilio Lateranensi *V* agatur.

3. Verba in fine numeri allatae, desumpta fuerunt a Concilio Lateranensi V, aiente: « Novimus enim episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostrae assumptos fuisse ». Attamen non eadem neque eiusdem ponderis

sunt verba Pii XII in litt. enc. *Fidei Donum*. Revera aiebat Summus Pontifex: unusquisque episcopus « qua legitimus apostolorum successor, ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit ». Qua de causa, potius verba Pii XII attendenda sunt, quum haec clariorem sensum pro munere episcopali explicent. Dicatur ergo in linn. 9-12: « utpote apostolorum successores, ex Dei institutione et praecepto, apostolici muneris Ecclesiae, una cum Romano Pontifice et ceteris episcopis, sponsores fiunt ».

4. In notula 1 male citantur litt. enc. *Fidei donum*: dicatur enim *A.A.S., 49,* non vero *39.*

N. 3:

1. Edicitur in textu potestatem in Romano Pontifice ad se causas avocandi, provenire « sive ex natura rei, sive ad Ecclesiae unitatem conservandam ». Ad haec autem sequentia notare iuvat:

a) Desideratur explicatio ut clare appareat quid significet « ex natura rei ». Revera id tantum dici potest: aliquas adesse causas quae, *natura sua,* ad exercitium Primatus pertinent. Hoc autem dimetiri debet ex bono Ecclesiae universalis, ex providentia totius Ecclesiae. Hac de causa, Wernz-Vidal ait *causas maiores* « vel ipsa natura sua sunt *maioris momenti* atque Romano Pontifici propriae ». Ergo ex eo quod sint maioris momenti, *inspecto bono totius Ecclesiae,* fiunt causae maiores.

b) Invocatur etiam ratio unitatis Ecclesiae et ad auctoritatem Sancti Thomae recurritur. Sed perperam. In loco enim citato, scil. in « Summa contra Gentes », Doctor Angelicus unitatis Ecclesiae causa, sive ad unicum populum efformandum sive ad eamdem fidem habendam, deducit necessitatem « quod sit unus qui toti Ecclesiae praesit ». Nihil autem omnino asserit de reservatione causarum. S. Thomas enim loquitur in ordine dogmatico; reservatio autem causarum tota quanta est in ordine iuridico.

Invocetur ergo tantummodo *bonum totius Ecclesiae universalis* et linn. 15-16 ita redigantur atque citatio notulae 3 supprimatur: « causas reservandi, quas ad bonum commune Ecclesiae universalis promovendum et tutandum, pro locorum... ».

2. In lin. 21 recte edicitur facultates episcoporum hucusque ipsis recognitas amplificari debere. Attamen ut clare sensus futurae amplificationis percipiatur et ne confusio oriatur, significetur agi *de recognitione et amplificatione mere iuridica et quidem in campo iuris communis.* Ergo potius affirmetur: « Quapropter facultates hucusque ipsis in iure communi recognitae amplificentur... ».

N. 4: principia quae ibi enumerantur verissima sunt: praesertim ea quae dicuntur de Curiae Romanae natura. Attamen desideratur explicita referentia ad ordinem pastoralem, qui quidem semper prae oculis haberi debet in Ecclesia, etiam quando res mere administrativae tractantur et praesertim quando sermo instituitur de relatione inter episcopos et Romanae Curiae Dicasteria. Schema autem tantum refert principium caritatis superna-

turalis, quod vigere debet inter caput et corpus collegii episcopalis. Imo et eadem caritas omnino exigitur a bono fidelium, pro quibus pastores quammaxime adlaborant.

Addatur ergo in linn. 9-10: « quo et caput et corpus episcopalis collegii intime inter se connectuntur, quodque dominici gregis bonum omnino expostulat atque exigit ».

N. 5: circa hoc optimum principium, quod maxime conferre poterit ad Curiae Romanae, uti aiunt, internationalizationem, tria notanda veniunt:

a) clare appareat episcopos nominandos esse Romanae Curiae membra vel consultores, libere ab Apostolica Sede: conferentia nationalis solummodo potest eos *praesentare*. Ergo verbum « designandi » lin. 23 — quod certe ambiguum est — mutetur et formula adhibita illam libertatem Apostolicae Sedis clare exprimat: « a conferentia episcopali nationali *ut plurimum proponendi...* ».

b) Clare etiam appareat agi in casu de *integra* Curia Romana, non tantum de Congregationibus. Verbum ergo « Congregationes » expungatur, ne videantur alia Dicasteria excludi: Tribunalia scil. et Officia. In lin. ergo 24 scribatur: « Sacrorum Romanae Curiae Dicasteriorum... ».

c) Finis cooptationis episcoporum in Romanam Curiam — qui in linn. 25-27 exponitur — ambiguus est et imprecisus. Dicitur enim: « ad commune bonum promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda ». Finis autem, ni fallimur, est duplex: episcopi specialiter Ss. Dicasteriis addicti, et problemata quae in dies ponuntur in diversis mundi nationibus ample et profunde exponerent, et informationes darent circa desiderata pro S. Sedis orientationibus, solutiones proponerent pro negotiis ecclesiasticis expendendis, attento diversorum populorum modo essendi. De facto, tales episcopi testes existerent opinionis publicae in Ecclesia. Res toto zelo diversa a consultoribus, qui continuo Romae stabiliter degunt.

Ergo corrigantur ea quae in linn. 25-27 habentur: « ... convocentur, ut iudicium pandant circa quaestiones bonum animarum attingentes, pro quibus eorum opinio, ad normam iuris, postuletur, necnon ipsam Romanam Curiam informent circa quaestiones, opiniones ac desiderata, quae in diversis populorum gentibus existant ».

20

EXC.MUS P. D. PETRUS MARTIN

Episcopus tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae

Curia Romana, prout nunc stat, potest immutari, quoniam est de iure mere ecclesiastico, et tarde in Ecclesia apparuit. Debet mutari, quoniam nova mundi adiuncta novum modum gubernandi Ecclesiam exigunt.

Ad quam efficiendam reformationem, desiderio Summi Pontificis respondentes, aliquas suggestiones humiliter proponimus.

I. De instaurando *Consilio Apostolico*. Ratione quidem celerioris mundi

evolutionis, et, ex alia parte, ratione principii collegialitatis a Concilio firmiter agniti, summe refert ut instauretur inter Caput et membra corporis episcopalis creberrima communicatio.

Optamus ergo ut supremum organum, quo Summus Pontifex uti possit in gubernanda Ecclesia erigatur quod *Consilium Apostolicum* nuncuparetur, non amplius triginta praesulibus constans voce consultiva praeditis. Inter quos annumerandi essent:

1. Quinque vel sex praecipui patriarchae Ecclesiarum orientalium;

2. Aliqui episcopi residentiales a conferentiis episcopalibus designati et a Summo Pontifice nominati, secundum aequas proportiones.

Hoc Consilium congregaretur bis vel ter in anno, pro tempore opportuno.

II. *De dicasteriis* reformandis. Ita constituantur dicasteria ut possibilis evadat quam maxima communicatio sententiarum motuum et personarum inter Ecclesiae centrum et extrema. Ad hunc finem sequenda essent haec principia:

1. In omnibus applicetur « principium subsidiaritatis », ita ut nihil Curiae Romanae reservetur quod ab episcopis vel conferentiis episcopalibus sine Ecclesiae detrimento tractari possit.

2. Praelati et officiales, quibus de quaestionibus dicasterio propositis decernere incumbit, e diversis continentibus et territoriis, a conferentiis episcopalibus propositi, proveniant, nec ultra sexennium in tali munere permaneant.

3. Alii autem praelati et officiales, in rebus exsequendis periti et per longius tempus munus exercentes (et quidem necessarii sunt) potestate statuendi non polleant, sed ad altiora munera in eodem genere promoveri possint.

4. Vi « principii subsidiaritatis », quotiescumque inter diaconos vel laicos eligi potuerunt officiales, eligantur.

5. Ad quaestiones de Fide et Moribus tractandas, nova instituatur Congregatio, quae, sublato S. Officii nomine, *Congregatio de Fide et Moribus* nuncupari posset. Quod Dicasterium eodem more institutoque procedat ac ceterae Congregationes et Tribunalia, cum homines huius temporis omnes procedendi modos respuant qui iura personae oppugnare videntur.

In omnibus doctrinalibus quaestionibus tractandis consulantur periti non tantum Iuris Canonici et theologiae dogmaticae vel moralis, sed etiam Scripturae Sacrae, traditionis et historiae dogmatum. Qui periti, sicut officiales de quibus agitur in n. 2, ex diversis terris proveniant.

6. De reliquorum dicasteriorum reformatione, quae magis ad iuridicam praxim pertinent, nihil dicemus, sed enixe petimus ut episcopi et periti ex diversis terris provenientes ad eam delineandam invitentur.

21

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 5, art. 1, lin. 1. « Animarum salus, lex in Ecclesia Christi suprema... ». Minus placet, lex enim suprema in Ecclesia Christi est divina laus.

Forte sic melius: *Divinae Maiestatis gloria* et animarum salus, *cum ea intime connexa...*

Pag. 5, art. 1, lin. 9. Quasi rationem *pro animabus earum* redditurі... Ut clarius appareat sensus.

Cap I, pag. 6. Forte melius si titulus sic mutetur: « de rationibus inter episcopos et Ss. Apostolicae Sedis Congregationes ».

Nomen « Curia Romana » minime reprobatur; sed aliud magis proprium nostri ideologia temporis postulare videtur. Nam:

a) Curiae Romanae Moderatores et officiales in bonum *omnium ecclesiarum* munus suum explent.

b) Curia « Apostolicae Sedis » « Congregationes Apostolicae Sedis » etc. tituli sunt et dignoscuntur *oecumenici.*

c) Curia appellatur Romana ex urbe qua residet; quod aliquid accidentale ferre videtur.

Pag. 7. Post art. 5 nonne conveniens erit adiungere alium art. *de ratione inter episcopos et Delegatos Apostolicos?*

Item, alium art. iuxta hunc modum: Ut corpus episcoporum validius adiumentum, in bonum universalis Ecclesiae, S. Sedi praestet; hoc Sacrum Concilium rogat ut Supremus Pastor quinquagesimo saltem anno Oecumenicum Concilium convocet.

22

Exc.mus P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA
Episcopus Neritonensis

Ad caput I, n. 3. Una cum facultatibus maiore amplitudine episcopis recognoscendis reservationes cessent ex parte Sedis Apostolicae in beneficiis conferendis, vel tantum duae primae dignitates capituli cathedralis reservationi subiaceant. Nam, ut res nunc se habent, fere omnia beneficia, etiam quae minimi momenti sunt, reservantur, cum et beneficia, quae forte ab ipsa tanguntur per translationem prioris titularis ad beneficium ex iure reservatum vel per tactum, reservata maneant.

23

Exc.mus P. D. CAESARIUS ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

Loquor nomine Patrum in Aequatoriana Republica huic Concilio Romae adstantium.

In cap. I huius schematis — et passim in tota constitutione — frequens recurrit referentia ad collegialitatem episcopalem. Nobis, vero, videtur necessariam esse ulteriorem relationem inter Romanum Pontificem, successorem Petri, et collegium episcopale, successorem collegii apostolici, antequam ad conclusiones logicas deveniamus: quae collegialitas nondum definita, nec matura ad definitionem adhuc apparet.

Aliqua collegialitas evidens est; sed quid sit, in quonam consistat, quomodo exerceri debeat, adhuc in discussione extat.

Igitur nobis videtur, antequam collegialitas determinet vota Concilii, ulteriorem clarificationem et determinationem formularum. In hac determinatione relationum Romanum Pontificem inter et collegium episcopale, et in supradicta clarificatione, haec nobis, humiliter, tenenda videntur:

1. Summus Pontifex non est tantum caput collegii episcopalis, sed quodam vero sensu, ratio ipsius collegii sine quo nec collegium extare potest.

2. In episcopali consecratione, episcopus iure divino potestates personales et collegiales accipit: nempe potestates sacramentales actuales, et virtualem potestatem iurisdictionis. Ut iurisdictio virtualis actualis evadat requiritur *missio canonica,* quae determinet territorium et personas obiectum iurisdictionis. Haec ipsa missio canonica fuit quae nos in Concilium vocavit et definitivum dabit valorem nostris deliberationibus per ratificationem Romani Pontificis.

3. Collegialitas ergo, non est, nec apparere debet parallela Primatui Romani Pontificis. Papa, verum sacramentum unitatis ecclesiae, determinat applicationem concretam collegialitatis. Non adest in Ecclesia quaedam species parlamentarismi.

His dictis, schema placet in se, cum clarificationibus quae ad singula capitula offerentur.

Tandem exoptaremus maiorem proprietatem in modo loquendi de Romana Curia reformanda. Magna cum ponderatione et reverentia loquendum est de modo magis aptam reddendi Romanam Curiam necessitatibus hodiernis, quin minuantur ea omnia quae fecit et facit in bonum Ecclesiae universae, praesertim si prae oculis habeamus Romanam Curiam esse organum ipsius Romani Pontificis in gubernanda Ecclesia, ne videamur limites ponere exercitio Primatus. Quisque episcopus maxima libertate gaudet in ordinanda sua Curia; a fortiori hanc libertatem recognoscere debemus Romano Pontifici.

Nobis, praelatis aequatorianis hic praesentibus, valde placet occasio praestita ad maximas gratias agendas Summo Pontifici, toti Romanae Curiae

et Legatis S. Sedis, propter innumera beneficia recepta, speciatim a fundatione Nuntiaturae Apostolicae in Natione nostra.

[*Subsignaverunt etiam*] Emmanuel Serrano Abad, arch. Conchensis in Aequatore; A. Barbisotti, vic. ap. Esmeraldas; Maximilianus Spiller, vic. ap. Napensis; Silvius Aloisius Haro A., ep. Harrensis; C. Rada S.; Igino Gamboa, praef. ap. Aguarico.

24

Exc.mus P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Nota. Quamvis disputatio circa cap. I in aula conciliari iam conclusa fuerit, fas sit mihi subsequentes animadversiones ad commissionem in scriptis remittere.

Animadversio generalis. Meo humili iudicio, valde iuvaret si, antequam aliud quid diceretur, huic toti capiti clara et theologica explanatio, vel definitio, *de rationibus inter Primatum S. Pontificis et episcopos una cum Capite agentes* praemitteretur.

Ad n. 3, pag. 6 et Appendicem I, pag. 27 ss. Quoad articulum « de episcoporum facultatibus » (vel melius iuribus), etsi praesentis decreti munus non sit de minutis iuridicis punctis hic agere, eorum quorum interest attentionem attrahere velim ad « anomaliam » (ut ita dicam), quae, meo saltem humili iudicio, in praxi aliquarum S. Congregationum, aliquamdiu invenitur circa quasdam dispensationes, in eo quod casus ad S. Congregationes referti non semper eodem modo pro omnibus diiudicantur.

Illum Indultum in mentem praesertim habeo, quo, in aliquibus dioecesibus, neophyti, qui *privilegio fidei* iam usi fuerint, novum matrimonium cum dispensatione super impedimento sive disparitatis cultus sive mixtae religionis contrahere permittuntur, dum, in aliis dioecesibus, illa permissio a S. Congregatione solis neophytis, qui *privilegio paulino* usi fuerint, (excluso scil. privilegio fidei) restringatur.

Et sane, hodierni auctores — et quidem gravissimi — non desunt, qui affirmant eumdem indultum pari modo applicari posse et eis neophytis qui privilegio paulino et illis qui privilegio fidei usi fuerint.

Singulae autem dioeceses, quae hunc indultum in favorem neophytorum, qui privilegio fidei usi sunt, a S. Congregatione postulaverunt et negativam responsionem receperunt, nunc in nimio dubio versantur, scil. utrum particulari responsione negativa a S. Congregatione recepta stare debeant, an communi hodiernorum auctorum uti valeant.

Meo humili iudicio, valde optandum est ut, ad Ordinariorum conscientiam tutandam et uniformitatem actionis instaurandam, haec differentia removeatur et eadem praxis omnibus casibus et locis adhibeatur.

Ad nn. 4-5, pag. 7: *De praxi S. Congregationum relate ad episcopos.* Nemo est qui circa S. Romanam Curiam quidquid molestum vel beneficiorum

immemor proferre velit vel etiam possit. E contrario, omnes norunt quali sollicitudine et urbanitate S. Romana Curia ad auxilium dioecesibus praestandum semper parata sit.

Etenim, dum, meo personali iudicio, principium collegialitatis episcoporum accipiendum sit, nihilominus necessarium semper erit ut, in praxi, exercitium huius collegialitatis cum capite et sub capite certis iuridicis regulis circumducatur.

Mea humili sententia, immutabilis S. Pontificis primatus necnon collegialitas episcoporum et eorum participatio activa in universalis Ecclesiae regimine cum capite et sub capite in tuto reponuntur si ea quae n. 5, pag. 7, proponuntur, vel alia similia (vide alias animadversiones a me hac de re nuper propositas) in praxim adducuntur, et imprimis si aliquod Consilium ab Ipso Summo Pontifice nominatum et nonnullis cardinalibus, patriarchis et episcopis ex diversis orbis nationibus consistens, instauretur, ad commune bonum totius Ecclesiae magis promovendum, salva semper suprema S. Pontificis auctoritate.

De ceteris, ea quae a Summo Pontifice Paulo VI feliciter et glorianter regnante, non longo abhinc tempore, dicta fuerunt cum membra S. Romanae Curiae publice adlocutus est, S. Romanam Curiam magis ac magis cum hodiernae aetatis progressu et conditionibus consentaneam efficere possunt, quin eius existentia et necessitas in dubium revocentur, vel eius praestantia ullo modo minuatur. E contrario, talis reformatio, vel potius evolutio et adaptatio, eius honori et totius Ecclesiae regimini sine dubio prodesse possunt.

25

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Quoniam aliqui Patres in aula conciliari, super cap. primum schematis « de episcopis » verbum facientes, de electione episcoporum recte facienda loquuti sunt, liceat et mihi de hac quaestione agere.

Prima conditio episcoporum in regimine dioecesium haec debet esse, ut eos « existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei », non vero ut ministros Caesaris, aut quarumcumque aliarum potestatum terrenarum.

Ad hoc vero opportunissimum, immo et quasi necessarium, ut episcopi libere omnino a Romano Pontifice eligantur, absque ulla proinde interventione, neque sub forma praesentationis, neque sub qualibet alia forma, alicuius potestatis civilis.

Ex quo enim intervenit caesar, aut quaelibet potestas civilis, in electione episcoporum, statim proni fuere semper, et nunc sunt, non tantummodo vulgus et plebs, sed et praestantiores viri, ex ipsis catholicis, ad videndum in episcopis taliter electis, non tam ministros Christi et Ecclesiae, frontem

adamantinam, si opus sit, potestatibus civilibus exhibere promptos, quam dociles ministros Caesaris — seu « praefectos violaceos », ut ipsos denominabat celeber ille Imperator — Caesari placere paratos.

Liceat mihi duo afferre testimonia. Primum est illius celebris archiepiscopi Granatensis, Guerrero, qui ex luminaribus fuit Concilii Tridentini, qui ita scribebat Regi Philippo II, qui privilegio praesentationis in electione episcoporum fruebatur: « Non timeat Majestas Vestra episcopos aliquid decreturos quod Maiestati Vestrae displiceat. Omnes enim debitores sunt Vestrae Maiestati mitrae quam in capite gerunt, et si aliqui eorum novam rutilantiorem mitram desiderant, ipsam nonnisi a Vestra Maiestate exspectare possunt ».

Et saeculo sequenti, alius archiepiscopus, non minus egregius, insignis ille cameracensis, Fenelon, scribebat: « O pessimam disputationem qua, intra Ecclesiae septa, civilis tumultus exarsit... Tanti luctus causa haec est, nimirum concessio regibus facta ut episcopos ad arbitrium eligant... Iam nunc episcopi eo loco positi sunt, ut nihil a Sede Apostolica nec sperent nec timeant, omnia vero ab aulico favore exspectent ».

Scribebantur haec ab illustrissimo scriptore et praesule, sub fine saec. XVII. Quid in praesentibus iudicant et scriptores et Ecclesia? Sufficiat meminisse hunc Fenelonis textum, ab eminentissimo theologo moderno, in suo magno opere theologico, fuisse insertum.

Sufficiat meminisse S. Ecclesiam in suo C.I.C. apodictice omnino haec statuisse: « Episcopos libere nominat Romanus Pontifex ». Can. 329.

Et hanc libertatem, in nominatione suorum episcoporum, adeo in corde et animo habet Sancta Sedes, ut, ab anno promulgationis Codicis, ab anno videlicet 1918, quantumvis quamplurimae conventiones innitae sunt cum variis nationibus, seu guberniis, nulli eorum — si unicam exceptionem, certo certius, nec spontaneam, neque iucundam ex parte Sanctae Sedis — nulli eorum concessit privilegium praesentationis in electione episcoporum.

Et iure quidem. Nulla enim invenitur in toto orbe terrarum societas iuridice independens, societas videlicet perfecta, quantumvis minima et infima, quae, quando proprios ministros eligere habet, interventionem tribuat alii societati in hac electione.

Quod ergo nec minima societatum concedit alii, quia hoc proprii capitis diminutionem considerat, cur concedere debeat Ecclesia, quae est, inter societates perfectas perfectissima?

Eo minus, quo, tot longo saeculorum decursu — et omnibus exceptionibus, quas iustitia postulat, factis — praeclariora et honorabiliora gesta quae pro defensione Sanctae Ecclesiae effecta sunt, ab episcopatu a civilibus potestatibus praesentato, certo certius, peracta non fuere. Utique, vero, saepe saepius, deplorabiliora.

Itaque — et concludo — sicut felicissimus inter felices dies Ecclesiae, ille fuit in quo Sanctus Pontifex Pius X, penitus ablato sic dicto « veto », quo fruebantur quaedam potestates civiles, Ecclesiam Sanctam liberam om-

nino redegit in electione Romanorum Pontificum, sic erit dies magna, albo revera notanda lapillo, et ardenti plausu salutanda, dies illa in qua Concilium hoc Vaticanum II, Romano Pontifice approbante et promulgante, decreverit in posterum nulli unquam potestati concessurum privilegium praesentationis in electione episcoporum, simul rogando potestates et gubernia quae, in praesenti, hoc iure gaudeant, ut huic privilegio renuntient, prospicientes et laborantes hoc modo pro libertate et exaltatione S. Matris Ecclesiae, pro qua quotidie preces effundimus.

Votum. Inserantur, in cap. I huius schematis, sequentia verba: « Haec Sacrosancta Synodus decernit ut, in posterum, nulli potestati civili privilegium sive electionis, sive praesentationis episcoporum tribuatur, simulque rogat eos qui nunc tali iure gaudent, ut ipsi libere renuntient, prospicientes pro libertate et exaltatione S. Matris Ecclesiae ».

26

EXC.MUS P. D. IOSEPH IOACHIM RIBEIRO

Episcopus tit. Aegeaensis, aux. Eborensis

Sacrosancto Concilio, attentis fundamentalibus principiis in pag. 6, n. 3, cap. I expositis: *de episcopis ac dioecesium regimine,* humiliter peto:

1. Episcopi residentiales facultatem habeant concedendi, ex justa et rationabili causa, sacerdotibus in ratione muneris pastoralis petentibus, permissionem horis nocturnis Missam celebrandi, debitis tamen cautelis adhibitis.

2. Episcopis mere titularibus, facultas detur concedendi Indulgentias, saltem viginti et quinque (vel quinquaginta) dierum, in dioecesi ubi adest ad munus rite implendum.

Ideo in Appendice priore: *de episcopis ac dioecesium regimine* eaedem facultates addentur.

Sic spero ac peto.

27

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO

Episcopus Palmensis

1. Prooemium non exprimit desiderium Concilii, sicut exposui in animadversionibus generalibus.

2. N. 1 et 2. Est expositio vaga, nihil certi promittens. Nec salvatur res ex eo quod Episcopi undequaque terrarum ad Congregationes Romanas assumantur. Omnia manebunt sicut sunt, quia defuit basis doctrinalis in initio huius schematis (vd. animadv. generales).

28

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

Nul ne doute que l'Eglise dans toute son organisation ne vise le salut des âmes, en celà elle suit l'exemple de Jésus-Christ son Maître et confirme le but de sa mission et de l'organisation de son royaume. Les sacrements que le Christ a institué et qui soutiennent l'homme dans les étapes de sa vie terrestre n'ont point d'autres fins. Les Pasteurs doivent conduire le peuple de Dieu vers les vraies pâturages en les faisant entrer par la porte de la bergerie: « Le chemin est difficile et la porte est étroite ». Le pasteur à la tête du troupeau qu'il gouverne, conduit et sacrifie sa vie est l'Evêque. Il a un devoir, il ne peut le fuir. Dès le début de l'Eglise les apôtres le disent: « Oportet episcopos regere Ecclesiam Dei » c'est d'ailleurs le sens de leur nom: « episcopus »: surveillant, gardien du troupeau qui lui a été confié. Ce pasteur le Christ l'aime: « Iam non dicam vos servos sed amicos » il s'est identifié avec eux: « Qui vos recipit me recipit... qui vos audit me audit... qui contempsit vos me contempsit et contempsit Patrem qui me misit ». C'est pourquoi lui les assiste dans leur tâche de successeurs des apôtres: « Nolite timere pusillus grex... ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi ». Ceci étant on conçoit que les évèques ont des pouvoirs de droit divin inhérents à leur élection et donc à leur sacre. Ce ne sont pas des facultés qu'on leur accorde. Non, ils ont la plénitude du sacerdoce pour « regere, gubernare, instruere et vitam dare pro ovibus suis ». S'ils ne la donnent pas par le martyre du sang ils la donnent goutte à goutte par le sacrifice quotidien qu'ils acceptent pour être à leurs fidèles. A vrai dire, ce sont les hommes mangés et immolés au service du Peuple de Dieu.

Je ne peux concevoir l'évêque qu'ainsi, c'est pourquoi ce n'est pas inutilement qu'il a des pouvoirs pour conduire son troupeau vers Dieu, malgré les obstacles et les charmes du monde. Ces pouvoirs sont à eux naturels et ne peuvent être enchaînés et toujours en quête de facultés à recevoir de la Curie. D'ailleurs, il convient d'établir une différence entre un évêque résidentiel et un titulaire ou vicaire apostolique. Sans doute les deux sont soumis au pouvoir et à la vigilance de l'Unique Pasteur, le successeur de Pierre. Mais le résidentiel possède son troupeau, il en est le maître, il le gouverne en tant que c'est sa famille, sa bergerie, tandis que le Vicaire apostolique est lié en ce qu'il gouverne comme représentant du Saint Siège et dans les limites des facultés qui lui sont accordés par le vrai Maître.

Les résidentiels ont donc des pouvoirs non des facultés et ceux-là doivent être étendus. Ils ne sauraient être limités par la curie qui généralement ignore l'état exact du diocèse. Telles sont les paroles du Christ: « Bonus Pastor: oves suas cognoscit et hae eum cognoscunt ». C'est une connaissance intime, il les appelle par leur nom et elles connaissent sa voix et le suivent.

Pour remplir cette tâche n'a-t-il pas besoin d'avoir sa liberté, « conduire et soigner; donner la nourriture dans les pâturages qu'il faut ». C'est pourquoi sa voix doit être écoutée et il doit pouvoir gouverner avec le Suprême Pasteur en faisant partie de son conseil, par lui-même ou par un représentant. A vrai dire, c'est lui qui est les yeux du Saint Siège et c'est lui qui est à même de loin l'informer. Celà est nécessaire aujourd'hui plus que jamais, vu l'extension de la Ste Eglise et la multitude des races et des nations qui la forment.

La Curie Romaine devra donc être formée des représentants des diverses églises et c'est avec ceux-là que j'appelerai le sénat les πρεσβύτερος de la Ste Eglise que le Saint Père assisté par le St Esprit en tant que tête devrait diriger la Barque de Pierre. C'est donc en réalité Pierre entouré de ses frères au premier concile de Jérusalem qui parle et gouverne.

Celà n'infirme en rien son autorité, car la tête choisie par le Christ ne saurait être autre chose, ses prérogatives sont au dessus de tout et si elle a plusieurs sens pour gouverner, elle a une seule raison et une bouche pour proclamer la vérité à laquelle le corps entier se soumet. Cette assistance est d'autant plus forte qu'elle a la manière d'agir du Christ à la base: « à eux réunis, il a daigné révéler la vérité, à eux il montre ce que les prophètes et les rois auraient souhaité voir ou entendre. A eux il donne tous les pouvoirs qu'il a reçu avant de les envoyer évangéliser. Tout pouvoir m'a été donné... ». Ils peuvent baptiser, lier et délier. Il en fait des pêcheurs d'hommes. Mais d'eux il exige l'humilité, l'Amour et l'Unité pour laquelle il a prié.

Je propose donc que les Evêques du moins résidentiels aient plus de pouvoir et qu'il soient représentés à la Curie qu'ils soient un avec le pape roc de l'Eglise, pasteur des pasteurs, pour le gouvernement de la Ste Eglise, tout en appuyant sur la Vérité que le Christ a voulu. Seul le Pape successeur de Pierre, confirme ses frères dans la foi et donc c'est à Lui que revient la dernière décision.

29

Exc.mus P. D. VILLELMUS M. VAN ZUYLEN

Episcopus Leodiensis

1. Ad cap. I (de episcoporum facultatibus).

a) Hoc cap. I (quod esset cap. I partis secundae, aut art. 1, cap. II) inscribi deberet: « de episcoporum singulorum potestate quoad dioecesium curam ».

Re quidem vera, *facultates* generalius in iure canonico intelliguntur potestates *delegatae* a superiore, in casu a Sede Apostolica, quae episcopis conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus, et hae facultates, ad normam iuris vigentis, accensentur privilegiis *praeter ius* (can. 66, § 1). Cum vero hodie, secundum schema, episcopis concedantur *ipso iure,* non sunt praeter ius, immo nec facultates vocandae sunt.

b) Praeterea, facultates de quibus in schemate agitur et in Appendice eiusdem I, sunt facultates dispensandi in iure communi, aut concedendi privilegia contra vel praeter ius commune, aut dandi certas licentias, quae iure communi ad legitimitatem quarundam actionum requiruntur. Iam autem, imprimis definiri et enuntiari debet principium, vi cuius singuli episcopi, sub auctoritate Summi Pontificis, per se in propria dioecesi, universa gaudent potestate quae ad sanctificationem, institutionem atque regimen populi sibi commissi necessaria est. Ex quo principio deducenda sunt sequentia:

1) Salvo semper iure communi seu universali, quo ad bonum Ecclesiae universalis commune normae statuuntur universales, scil. omnes fideles quos respiciunt obligantes, unicuique episcopo per se competit potestas docendi et regendi populum ipsi commissum, et in specie potestas statuendi normas quibus ad bonum commune propriae dioeceseos, praescripta iuris universalis Ecclesiae determinentur aut compleantur, normas scil. secundum aut praeter ius universale Ecclesiae.

2) Cum ius Ecclesiae universale sit omnino generale, statutum cum sit pro communiter contingentibus, episcopis ius est, iusta de causa, scil. quando id exigit bonum fidelium spirituale in iure universali concedendi dispensationes, iis exceptis quarum concessio uni Apostolicae Sedi reservatur, item contra et praeter ius commune concedendi privilegia, iisdem exceptis quorum concessio soli reservatur Apostolicae Sedi, et similiter dandi licentias ad actiones ponendas ad quas iure universali licentia auctoritatis requiritur, iis licentiis exceptis, quae concedere Apostolica Sede sibi reservaverit.

Quare elenchus dispensationum, privilegiorum et licentiarum — immo et approbationum — constituendus est, quorum concessio uni Apostolicae Sedi reservatur. Principium autem sit episcopos per se habere potestatem concedendi licentias iure communi requisitas, privilegia contra et praeter ius commune sicut et dispensationes in iure communi, nisi eorum concessionem Apostolica Sedes sibi reservaverit. Hoc enim principium defluit ex regula vi cuius episcopis agnoscenda est omnis per se competentia ad gregem propriam pascendam requisita, sub auctoritate Apostolicae Sedis, cuius itaque est quasdam sibi reservare competentias, et eo vel magis admittendum videtur quod dispensationes, privilegia vel licentiae concedantur intuitu personarum adiunctorum particularium, de quibus melius per se iudicare potest eorum episcopus proprius.

Quae vero competentiae concedendi licentias, privilegia vel dispensationes Apostolicae Sedi reservantur, ab hac eadem, certis in adiunctis, episcopis delegari possunt; quibus in casibus eisdem conceduntur facultates, scilicet facultates habituales.

Textus e. g. modo sequenti concipi potest: « Ut aptius atque expeditius potestatem suam propriam, ordinariam et immediatam in populum sibi commissum, sub auctoritate iurisdictionali quidem Summi Pontificis, exercere valeant, episcopi residentiales concedere poterunt omnes licentias iure uni-

versali requisitas, omnes in hoc iure universali dispensationes, sicut et omnia contra atque praeter ius universale privilegia, iis tantummodo exceptis quorum concessio uni Apostolicae Sedi reservatur quaeque in Appendice I ad hoc schema recensentur ».

2. Ad cap. primum, II: De praxi Sacrarum Congregationum...:

a) De relatione episcopos inter et Sacras Congregationes agendum est in Parte prima (vel cap. I) huius schematis, in qua tractatus « de episcopis quoad universalis Ecclesiae regimen ».

b) Huius n. II, textus in n. 4, pag. 7, lin. 11 ad 15 centralisationem nimis sapit.

c) Huius n. II, n. 5 (pag. 7) textus, tractans de episcopis in Ss. Congregationum consilium cooptandis, ita ut « Nonnulli episcopi diversarum nationum a conferentia episcopali nationali designandi, ab Apostolica Sede nominentur membra *et* consultores... »: expedit enim ut non tantum ut consultores nominentur quidam episcopi, sed ut quidam etiam revera S. Congregationum sint membra.

30

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Patres Conciliares subscripti valde gaudent quod hic capitulus in lucem ponat quis sit finis congregationum, quae Summo Pontifici inserviunt, et quae sint relationes inter eas et episcopos. Attamen aliqua desideria et vota manifestare volunt, ad mentem interventus em.mi card. Frings.

Haec quidem exoptarent:

1. Ut Congregationes Romanae renoventur, ita ut velocius procedere possint in causis maioribus, quae S. Sedi ad bonum commune reservantur.

2. Ne facile audiant eos qui, sive in scriptis, sive in persona, accusationes ferunt contra fratres suos, aut etiam contra episcopos. Consulatur semper episcopus cuius res agitur.

3. Ut nemo unquam damnetur, nisi prius audiatur et explicationes praebere queat, ut dicit Nicodemus: « Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat (*Io.* 7, 51; cf. etiam schema *de cura animarum,* pag. 38-39, § 3-5, quae regulae non solum episcopos concernunt; videatis tandem Constitutionem Benedicti XIV *Sollicita et provida,* 9 iulii 1753, quae constitutio, usque ad an. 1925 [cur non postea?] reproduci solebat ad modum prooemii in omnibus editionibus Indicis librorum prohibitorum).

4. Ut episcopi et periti qui prout consultores convocati sunt, revera consultentur, et loquendi possibilitatem habeant, et ut, inter consultores sint semper homines vere periti in materia de qua agitur.

His dictis quantum ad mentem huius renovationis, duo inserenda videntur in textum cap. I:

1. Pag. 7, lin. 8 sic legatur: « Mutuae relationes ... inter sacra Dicasteria et episcopos ... supernaturalis caritatis vinculum et *spiritum verae sinceritatis* referant... ».

2. Lin. 25: « Episcopi nominentur membra vel consultores Sacrarum... Congregationum; statis temporibus convocentur et *audiantur* ad bonum commune ».

[*Subscripserunt*] Courbe Stanislaus, ep. tit. Castoria; Guerry Emilius, arch. Cameracensis; Maziers Marius, ep. tit. Augustopoli; Pourchet Mauritius, ep. Sancti Flori; Huyghe Gérardus, ep. Atrebatensis; Boudon Renatus, ep. Mimatensis; Bontems Andreas, ep. Maurienne; Darmancier Michael, vic. ap. Insulae Wallis; Couderc Alfridus, ep. Vivariensis; Patria Iacobus, ep. tit. Utina; de Courrèges Ludovicus, ep. Montalbensis; Le Cordier Iacobus, ep. tit. Prienensis; Julliard Ludovicus, vic. apost. Vulturiensis; Martin Petrus, vic. Apost. Novae Caledoniae; de Bazelaire Ludovicus, arch. Chambery; Brault Henricus, ep. Sancti Deodati; Boillon Petrus, ep. Virodunensis; Flusin Claudius, ep. Sancti Claudii; Clabaut Armandus, ep. Troadensis; Martin Ioseph, arch. Rotomagensis; Atton Alfridus, ep. tit. Teudalensis; Parenty Andreas, ep. tit. Sitifilensis; Louis Georgius, ep. Perigueux; Gouyot Ioannes, ep. Constantiensis; Rousseau Mauritius, ep. tit. Ausafatensis; Leuliet Gery, ep. Ambianensis; de Provenchère Carolus, arch. Aquensis; Donze Henricus, ep. Tullensis; Sauvage Jean, ep. Anneciensis; Collin Bernardinus, ep. Diniensis; Gnädinger Carolus, ep. tit. Celerinensis; Raymundos Timoteus, ep. tit. Cariopolitanus; Jacquot Georgius, ep. Gap; Pailler Andreas, ep. tit. Adadensis; Ancel Alfridus, ep. tit. Myrinensis; Desmazières Stephanus, ep. tit. Bybliensis; Lacointe Petrus, ep. Bellovacensis; Roy Alexander, ep. tit. Ambiacensis; Kérautret Renatus, ep. tit. Areopolitanus; Vignacour Paulus, ep. Valentinensis; Mouisset Ioannes, ep. Nicensis; Reuss Ioseph, ep. tit. Sinoplensis; Isnard Clemente, ep. Neo Friburgensis; Bellec Joel, ep. Elmensis; Goupy Ioseph, ep. Blesensis; Dupont Henricus, ep. tit. Dorileensis; Niopel Marcellus, ep. tit. Neocerareensis; Rastouil Ludovicus, ep. Lemovicensis; Gufflet Henricus, ep. Clamatensis; Pirolley Aemilius, ep. Nanceiensis; Puech Petrus, ep. Carcassonensis; Vial Michael, ep. tit. Agensis; Jacquemin Andreas, ep. Baiocensis; Picão David, ep. tit. Thoitanus.

31

EXC.MUS P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barenus in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

In schemate decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* sequentes emendationes proponere audeo.

1. In cap. I, pag. 7 post n. 4 addatur norma: « Dicasteria Curiae Romanae obligata sunt in causis administrativis intra sex menses dare responsum cum rationibus si fieri potest tam in iure quam in facto. In causis iudicialibus serventur termini in lege praescripti ».

32

EXC.MUS P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN

Episcopus tit. Acilisenus

Permittatur mihi quasdam animadversiones afferre fructus meae prope 60 annorum experientiae vitae missionariae circa *emendationes « de episcopis ac de dioecesium regimine »*.

Pag. 3, ad cap. I, n. 4. S. B. patriarcha Gori bene decernit, non singulariter annuncietur de « *Ecclesia Orientali* » sed pluraliter, de « *Ecclesiis Orientalibus* » quia plures sunt Ecclesiae orientales inter se distinctae. Ordinarie terminus singularis « *Ecclesia Orientalis* » indicat ecclesiam graeco-byzantinam, quae tenet principem locum inter omnes ritus orientales, non propter antiquitatem, nec propter fidelium maiorem numerum, sed quia est formatus a sapientibus patribus et doctoribus universalis Ecclesiae: Ioanne Chrysostomo, Basilio Magno. Ritum istum adhibent lingua propria sua nationali: russi, ucraini, rumeni, bulgari, serbi, montenegrini, albani et si qui sunt alii populi slavonici. Ratione antiquitatis omnes praecedit ritus coptus, cuius patriarcha alexandrinus est vere et directus successor S. Marci Evangelistae.

Omnes Ecclesiae orthodoxae byzantini ritus, usque ad medietatem XIX saeculi primatum tribuebant patriarchae Constantinopoleos, sed post medietatem saeculi praedicti, omnes, una post aliam indipendentes sese declararunt. Tamen aliquod ligamen unitatis antiquae memoriam perpetuandam quoddam nominale tributum annuum pecuniarium minimum patriarchatui Constantinopoleos solvunt.

Ritus armenus est novissimus inter omnes ritus etiam romanum. S. Gregorius Illuminator, apostolus Armeniae celebrabat in ritibus graeco byzantino vel syriaco. Probabile est quod ignorabat linguam armenam. Missionarii erant natione exteri: praesertim syri. Graeci et latini habebant Missiones florentes in Armenia.

Circa annum 450, Patres Armeni, patriarcha cum ceteris episcopis animadverterunt quod aliqui Missionarii exteri, praesertim syri, convertere conabantur Armenos ad nationem, et ad ritum syriacum dicentes linguam Armenam esse profanam, propterea minime Deo acceptam. Quapropter Armeni si Deo placere volunt, debent renuntiare suae Patriae et suae linguae in favorem nationis et linguae syriacae.

Ad periculum denationalitatis vitandum, iussu Patriarchae Sahag yeromonachus Mesrob composuit alphabetum applicans illum ad preces, officium divinum, et liturgiam. In componendo sacram Liturgiam sumpsit quae sunt optima, visuque delectabilia in ritibus romano, syriaco et byzantino: inde ritus armenus inter ceteros ritus distinguitur, eminetque pro sua solemnitate, testibus omnibus assistentibus ad s. liturgiam Vigiliae Nativitatis et Pasquae.

Deinde, pag. 5, n. 22 *emendationes*: iam ab initio ut principium fundamentale ponendum est quando agitur de favorabilibus, indistincte intenduntur Orientales absolute taliter qualiter latini.

Haec distinctio inter orientales et latinos pessimam impressionem producit in mentibus orientalium tam catholicorum quam orientalium. Confirmat enim in temere concepta opinione quod autentica catholicitas invenitur tantum apud latinos, orientales autem sunt catholici sed non normales verum tanquam abortivi. Ego ipse factus sum sacerdos latinus in ordine Capuccinorum quia intendebam meipsum totaliter Christo consacrare. In hac idea tantum convictus eram ut odio habebam quidquid pertinebat ad Orientem, meam ipsius nationem Armeniae. Sed et armeni orthodoxi ita sentiunt, scilicet quod veri catholici sunt latini! E. g.: Sacerdos quidam armenus orthodoxus, valde senex, uxoratus, et relative ignorans de iis quae pertinent ad scientiam religiosam, benedixit mihi antequam iter egissem ad Seminarium seraphicum dicens: « Optime agis, fili mi, nam vera catholicitas reperitur ubi est Sanctissimus Papa. Vos autem catholici armeni, estis catholici — di acqua dolce! Hanc ideam propagarunt Missionarii latini! Multi sunt in regionibus orientalibus, latini, qui oriundi catholici in ritu armeno, tracti sunt in ritum latinum a Missionaribus latinis dicentibus, veram et solidam catholicitatem reperiri in ritu latino.

Quod dico pro armenis similiter valet etiam pro graecis Turchiae et Graeciae. Ritus catholicus byzantinus componitur, non fallor dicendo quod 90% latinis ad ritum byzantinum tractis per opus unitorum sedem principalem habentes Athaenis, in via Acharnon. Orthodoxi graeci cupientes conversionem, nolunt ad ritum byzantinum transire sed ad latinum absolute, sine qua non, dicentes: « C'est la même comédie que chez nous, orthodoxes ».

« Salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae » (Emendat., pag. 5, n. 22). Et « Reservatio patriarchae orientali... » (*ibid.*, pag. 9, n. 53, § 2...). Saepe saepius sermo habetur in hac Sacrosancto Concilio Vat. II de privilegiis, de iuribus etc. patriarcharum. In animo serius consideranti impressionem producit quod auctores praedictarum propositionum haud intellexerunt gravitatem quam includit haec materia, aut quod caeciter confisi sunt ad scientiam patriarcharum praesentium. Sed coram Deo vobis, exc.mi DD. vobis testificor quod est quaestio gravissima, difficultates quas continet non solvuntur sicut « quattro quattro otto ». Serio studio applicari debent viri sapientes, specializzati in quaestionibus orientalibus respective in singulis ritibus. Pro ritu armeno notissimi apud armenos sunt etiam orthodoxos sunt exc.mus abbas generalis archiepisc. Serapian Uluhogiàn, et Garabèd Amaduni. In ritu graeco byzantino novi sacerdotem notissimum professorem Byzantinismi in Monaco Bavariae. Ita facientes applaudentibus omnibus opus perfectum facietis.

33

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

[*Cf. p. 681 s.*].

34

Exc.mi PP. DD. PATRIARCHATUS GRAECORUM MELCHITARUM

1. N. 3, p. 6, linn. 18-23: Nous proposons une autre rédaction:

Rédaction nouvelle:	*Ancienne rédaction*:
Episcopi residentiales iure communi omnes *habent* facultates, quas eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat.	Episcopi residentiales iure communi omnes *habeant* facultates, quas *aptius et expeditius* eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium *sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis,* expostulat. *Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae amplificentur; inter alias, eas habeant quae in Appendice ad hoc caput recensentur.*

Le texte que nous proposons est plus bref et répond mieux aux concepts *authentiques* sur l'Eglise et sur l'origine du pouvoir épiscopal. Voici les raisons de chacun des amendements proposés par nous:

a) « *Habeant* facultates ». Le subjonctif indique une chose que les évêques n'ont pas et qu'on leur donne. Nous pensons au contraire que, *de par la constitution divine de l'Eglise,* et sauf les cas que, pour le bien commun, le Pontife Romain peut se réserver, les évêques *ont* tous les pouvoirs nécessaires pour régir leur troupeau. Ainsi, il n'y a pas à leur *concéder* des « facultés », plus ou moins étendues. Il faut partir du principe qu'ils ont tous les pouvoirs, toutes les facultés. Cependant, pour le bien général de l'Eglise, le Pontife Romain peut se réserver certaines matières, comme peuvent le faire aussi, toute proportion gardée, le Patriarche, le Métropolite, le Synode Provincial ou la Conférence Nationale. Il faut donc, logiquement, dresser, non une liste de « facultés », mais une liste de « réservations », de « causae maiores ». C'est pourquoi, nous proposons de changer « habeant » en « habent ».

b) Nous proposons aussi de supprimer les mots « aptius et expeditius ». Il ne s'agit pas de *faciliter* leur tâche aux évêques en leur concédant des pouvoirs qu'ils n'auraient pas de plein droit. Ces pouvoirs leur *sont dûs* de par leur charge épiscopale même.

c) Nous proposons de supprimer l'incise: « sub primatu iurisdictionis Romani Pontificis ». Il ne faut pas la répéter à tout bout de champ, comme si, dans l'Eglise, on niait cette vérité, ou comme s'il fallait rappeler cette primauté à des rebelles, toujours tentés de la méconnaître. Cette vérité est suffisamment affirmée à sa place, dans le Schéma « De Ecclesia ». Il ne faut plus y revenir.

d) Nous proposons enfin de supprimer la dernière phrase: « Quapropter... recensentur ». Comme nous l'avons dit plus haut, ce n'est pas une liste de facultés qu'il faut dresser, mais plutôt une liste de cas que, pour l'intérêt général de l'Eglise, le Souverain Pontife veut se réserver. D'autant

plus que certaines de ces « facultés » qu'on veut « concéder » aux Evêques, comme des largesses, nous rendent vraiment pensifs: par exemple faculté, pour l'évêque, de conserver la sainte Eucharistie dans sa chapelle (p. 36, n. 3); de charger le vicaire général de consacrer des autels, fixes ou portatifs (p. 34, n. 23); de concéder à un prêtre le droit d'ériger un chemin de croix avec indulgences (p. 34, n. 24); de permettre à ses prêtres de biner ou de triner (p. 32, n. 18); de permettre à ses religieuses de laver les corporaux, les purificatoires et les palles « prima quoque ablutione » (p. 31, n. 11)... Si vraiment un successeur des Apôtres ne peut pas, *de son propre droit,* permettre à des religieuses de laver un purificatoire, que peut-il faire alors? Les excès auxquels est arrivée la théorie du « Pape source unique de tout pouvoir dans l'Eglise » montrent combien cette théorie est à revoir *par la base,* en vue d'une *saine ecclésiologie.*

2. N. 4, p. 7, lin. 2: Remplacer les mots « iurisdictionis potestate » par « pastorali potestate ».

Nul catholique ne doute que le primat du Pontife Romain ne soit pas un simple primat d'honneur. Mais pourquoi ne pas l'appeler d'un terme évangélique: « primat pastoral », plutôt que « primat de juridiction »? L'Orient ignore le terme « juridiction » dans son vocabulaire ecclésiastique. Par ailleurs, le Concile, à sa grande majorité, entend réagir contre le « juridisme » de l'ecclésiologie moderne. Pour ces raisons, il nous semble qu'il faut éviter au maximum le terme « juridiction », et le remplacer par « potestas », « gubernium », etc.

3. N. 5, p. 7: Refaire tout ce numéro à la lumière des observations suivantes:

Le Schéma propose que certains membres de l'épiscopat, désignés par les conférences épiscopales de chaque pays, soient nommés membres ou consulteurs des Congrégations Romaines. Ainsi se réalisera, espère-t-on, l'internationalisation de la Curie Romaine tant souhaitée. Nous croyons que cette mesure ne suffit pas. Pour réaliser cette internationalisation, nous pensons qu'il faut prendre les mesures suivantes:

a) Avoir le courage de *voir la réalité bien en face*: L'Eglise Catholique, dans son administration centrale, est peu universelle, peu internationale. Plus de 90% du cadre représentatif du Saint-Siège est composé d'italiens; à la Curie Romaine, le pourcentage ne doit pas être beaucoup inférieur; il en est de même dans l'ensemble des universités romaines. Comment empêcher les gens de penser que l'administration de l'Eglise Catholique est, *de fait,* accaparée par la nation italienne, qui est, par ailleurs, vénérable et serviable au possible? On fera valoir mille raison pour justifier cet état de fait. Mais, en réalité, s'agit-il de vraies raisons, valables devant Dieu, ou de prétextes intéressés? Si le Concile ne remédie pas à cela, les réformes qu'il entend réaliser dans l'Eglise ne seront pas complètes. Qu'on le veuille ou non, il y a là une situation *anormale, qui s'explique peut-être* par l'évolution historique du pouvoir pontifical, mais qui *ne se justifie plus.*

b) Pour que des évêques du monde entier soient nommés membres des Congrégations romaines, il faut changer le droit canonique actuel d'après lequel seuls les Cardinaux peuvent être membres d'une Congrégation romaine. Récemment encore, S. S. le Pape Jean XXIII, accueillant favorablement une suggestion que nous lui avions faite, a voulu introduire les Patriarches d'Orient dans les assemblées « plénières » de la Congrégation Orientale. Pour ne pas aller, semble-t-il, contre le droit canon, on s'est contenté de donner aux Patriarches le titre de « membres-*adjoints* »: offense inutile aux Patriarches, que le Saint-Père entendait plutôt honorer.

c) Il faut aussi changer la pratique des Congrégations romaines qui veut que les membres ne soient ni convoqués, ni regulièrement consultés. Si, de fait, l'un d'eux est de passage par Rome, et si, par hasard, une « plénière » est tenue en ce temps-là, il lui est permis d'y assister. Mais aucun dossier ne lui a été auparavant envoyé chez lui pour l'étudier. En réalité, être membre d'une Congrégation Romaine, pour ceux des membres qui demeurent en dehors de Rome, est un *titre purement honorifique*. De fait, il en a été ainsi pour les Patriarches d'Orient nommés « membres-adjoints » de la Congrégation Orientale. « L'Osservatore Romano » et d'autres journaux ont signalé à l'envi ce geste de « particulière bienveillance » du Saint-Siège à l'égard des Patriarches d'Orient. En fait, depuis leur nomination, les Patriarches n'ont jamais été convoqués; jamais ils n'ont reçu un dossier pour l'étudier; jamais on n'a demandé leur avis. Voilà comment les intentions réformatrices les plus généreuses sont neutralisées par la routine de l'administration.

d) Il faut aussi que, de fait, les questions les plus importantes soient réservées à la délibération de tous les membres, et ne soient plus tranchées par le Cardinal Préfet ou Secrétaire, avec, tout au plus, un ou deux fonctionnaires de son département.

Naturellement, le texte du Schéma ne s'oppose pas à ces réformes, mais il ne les postule pas. Il se contente d'affirmations théoriques. Mais il est bon que, sur ce point, il entre dans quelques détails.

On aimerait aussi que soit prévu, autour du Pape, une sorte de Conseil suprême composé des Patriarches d'Orient (comme titulaires des grands sièges apostoliques de la chrétienté), des Cardinaux et même des Primats (sous quelque titre qu'on les appelle) de toutes les Eglises (p. e. les présidents des conférences épiscopales nationales).

35

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI DITIONIS VENEZUELIENSIS

Mutetur *titulus* hac forma: « De rationibus inter episcopos et S. Sedem ».

Pag. 6, linn. 22-23: dicatur: « inter alias eas habent quae in Appendice *priore* ».

Pag. 6, lin. 25: tollatur vox « dignitati » et dicatur: « quae characteri episcopali congruunt ».

Cum agitur de consilio episcopali condendo, conferentia episcopalis nostrae ditionis adhaeret his quae ab em.mo card. Lercaro in aula conciliari dicta sunt.

[*Subscripserunt*] Humbertus card. Quintero, arch. Caracensis; Alejandro, San Cristobal; Crispulo Benítez Fontúrvel, ob. Barquisimeto; A. Ramírez S., ob. Maturin; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracas; Ioseph R. Pulido M., arch. tit. Cyrrhensis; Juan José Bernal, arz. Bolivarensis; Ioseph Alí Lebrún, ep. Valentinus in Venezuela; Ascanius F. Gonzales, ep. Macaraiensis; Chrysanthus Mata Cova, ep. Cumanensis; Ioseph Leo Rojas, ep. Truxillensis.

CONGREGATIO GENERALIS LXIV

11 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXIV

11 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*: *Venerabiles Patres,* supremum diem obierunt, his diebus, exc.mi DD. Antonius Farage, arch. tit. Damiettensis, et Ioannes Reesinck, ep. tit. Thinitanus. Recitemus *De profundis.*

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT recitavit *De profundis,* alternatim cum Patribus, versiculos et orationem.

Secretarius generalis: Moderabitur disceptationem circa cap. II schematis *de episcopis et de dioeceseon regimine,* in hac congregatione generali 64, em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Durante hac congregatione generali, distribuentur Patribus numismata commemorativa secundae periodi huius Sacri Concilii. Distribuentur Patribus; deinde distribuentur peritis et aliis officialibus, qui, proinde, rogantur ut suis locis maneant: nulla alia distributio fiet in centro mechanographico. Numismata distribuentur dum periti sedent suis locis.

Pariter distribuentur, in hac congregatione generali, schema emendatum decreti *de instrumentis communicationis socialis* et *relatio generalis* de eodem schemate emendato. Novum schema habetur in prima parte fasciculi; in appendice autem, refertur schema paratum in prima periodo Concilii, super quod Patres votum suum prompserunt, ad quod votum est redactum schema quod nunc exhibetur in prima parte fasciculi, et quod est suffragationi subiciendum. Hoc novum schema constat prooemio et duobus capitibus — brevissimo prooemio et duobus capitibus.

Suffragatio, de mandato em.morum moderatorum, fiet duplex: prima suffragatio circa prooemium et cap. I; altera suffragatio de cap. II, distinctis schedis. Et suffragatio fiet per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Itaque rogamini, venerabiles Fratres, ut si habeatis modos proponendos, iam nunc praeparetis, ita ut possitis tradere assignatoribus locorum, quando fiet suffragatio, una cum schedula. Et suffragatio, de mandato em.morum moderatorum, fiet feria quinta proxima.

Nunc lego nomina eorum qui loqui postulaverunt circa cap. II schematis *de episcopis et de dioeceseon regimine.* Hi sunt em.mi ac rev.mi

DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Carolus Confalonieri, Ferdinandus Cento, Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; exc.mi DD. Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Italia, Michaël Gonzi, arch. Melitensis in Malta, Emmanuel de Carvalho, ep. Angrensis in Lusitania, Conradus de Vito, ep. Lucknovensis in India, Antonius Añoveros, ep. coad. Gadicensis in Hispania, Edmundus Nowicki, ep. coad. Gedanensis in Polonia, Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis in Germania, Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania; rev.mus P. Benedictus Reetz, sup. gen. Congreg. Beuronensis O.S.B.; exc.mi Antonius Caillot, ep. coad. Ebroicensis in Gallia, Peregrinus de La Fuente, ep. tit. Mylasensis in Insulis Philippinis, Carolus de Saboia Bandeira, ep. Palmensis in Brasilia, Aloisius Gavazzi, abb. null. coad. Sublacensis in Italia, Romanus Arrieta, ep. Tilaranensis in Costa Rica, Vincentius Zazpe, ep. Raphaëliensis in Argentina, Ioannes Hervás, ep. Cluniensis in Hispania, Franciscus Žak, ep. S. Hippolyti in Austria, Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania, Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Ioannes Kulik, ep. aux. Lodzensis in Polonia, Iacobus Le Cordier, ep. aux. Parisiensis in Gallia, Thomas Cahill, ep. Cairnensis in Australia.

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine meo tantum. Cum ad me multae notitiae proveniant a diariis et ephemeridibus, peculiari modo exterarum nationum, clare video interpretari sine exacta rerum comprehensione disceptationes quae fiunt in hoc Concilio, specialiter circa episcoporum collegialitatem, magna cum perturbatione mentium et animorum detrimento.

Ut ex doctrina quam in scholis iam didicimus omnino nobis patet et firmo corde credimus, auctoritas Summi Pontificis suprema et plena est in semetipsa, neque necessarium est eam cum aliis dividere, etiamsi sint episcopi, quorum collaboratio in gubernanda universa Ecclesia exquiri potest ab ipso Summo Pontifice, sed neque necessaria neque essentialis est.

Quod autem attinet ad Curiam Romanam, quoniam ipsa est organum tantum exsecutivum ipsius Summi Pontificis, ab eoque electum, non pertinet ad nos neque eam iudicare, neque eam reformare, sed pertinet

solum ad ipsum Summum Pontificem, qui in peculiari allocutione habita ad Romanam Curiam iam edixit sibi in animo esse nonnullas reformationes agere, re mature perpensa.

Quamobrem censemus nos in hoc Concilium coadunatos esse ut ea tantum proponamus quae principiis a Romanis Pontificibus vel ab aliis oecumenicis Conciliis iam statutis non contradicant neque adversentur. Dixi.

2

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Venerabiles Patres,

Ad duo corrigenda inconvenientia, quae circa episcopale regimen in prooemio huius cap. II praevidentur, insufficientiam scil. ex defectu personae, insufficientiam ex necessitatibus dioeceseos, quaedam remedia proponuntur, i. e.: vel libera renunciatio, vel divisio aut dismembratio, vel saltem adiutorium aliorum co-episcoporum. Liceat humiliter adnotare:

1. Ad coadiutorem quod attinet, experientia docet non raro eius potestatem inadaequatam evadere, et a S. Sede ampliari deberi, tribuendo facultates proprias episcopi residentialis, vel etiam administratorem apostolicum Sede plena nominando. Si virtutes hinc inde semper succurrerent, praevisae solutiones utique fructus bonos attingerent; quod est in votis Ecclesiae Sanctae Dei.

2. Renuntiatio, quae in art. 16 humanissimis verbis proponitur, perspicua nobilitate ornatur, utpote non imposita, sed sponte facta, « taxativo » numero annorum aetatis minime adstricta, bona victitalia et honorifica indulgens, quibus pastoris dignitas coram omnibus honestetur, conscientiae ipsius episcopi tranquillitatem donans, cum bonum spirituale christifidelium in tuto ponatur. Fortasse alicui articulum inefficax videri posset. Eius tamen opportunitas in hoc consistit quod ad suadendam renuntiationem non adducitur superior auctoritas externa, sed potius nostra ipsa voluntas, quae in Concilio modum dignum et consentaneum decernit. Munus ergo S. Sedis facilius evadit.

3. Quae in hoc cap. II schematis pertractantur, dictis relationem habent anteactis diebus. Quapropter liceat brevia adiungere.

Qui loquitur per decennium archidioecesim ...[1] gubernavit in montanis, et ipse erga Romana dicasteria non semper valde tener fuit; fuit tamen, et est, apud ipsa inserviens. Humiliter putat quod non omnia mala sunt, immo quaedam, et non pauca, bona: voces ergo dulciores quae hic prolatae sunt aequitati faverunt. Sed etiam quaedam, et forsan

non pauca, — quia omnia humana perfectibilia sunt — videntur multis esse corrigenda, mutanda, innovanda, sicut Summus Pontifex noster amantissimus noto sermone, clare, paterne, viriliterque agnovit; proinde et submisse adnotanda et indicanda, debita tamen reverentia ...[2], quia iuri pontificio proprio stricte connectuntur.

Insuper, quoad consultivum coetum apud apostolicam Petri Sedem instituendum, corporis episcoporum quodammodo repraesentativum, votum humanissime exprimendi ipse Sanctissimus Pater, in eodem sermone, possibilitatem aperuit: ei sit proinde noster grati animi sensus.

Quae ad gloriam Dei, ad Ecclesiae decus, ad bonum animarum congrua videntur, libera, modesta voce pandamus, et ita, in caritate Christi, sereno animo veritati inserviamus. Satis.

In textu scripto tradito: [1] (Aquilanam). [2] servata.

3

EM.MUS P. D. CARD. FERDINANDUS CENTO

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Aliquid mihi dicere liceat, concreti ordinis practici, circa n. 16, par. 2, huius capitis. Omnino agnosco valorem observationum quae factae sunt circa summe delicatum argumentum de renuntiatione episcopi ab officio ...[1], et assentio modificationi quam em.mus card. Ruffini suggessit, ut formula sic suavior fiat: « Episcopi libenter audiant desideria et ea quae a S. Sede proponuntur ».

Attamen independenter ab iis qui reapse desideria *ista*[2] S. Sedis obsecundent, semper adesse poterunt nonnulli episcopi qui, diversas ob rationes, sua sponte renuntiare cupiunt. His in casibus, par. 2 (pag. 11, linn. 32-33) haec addit: « A munere episcopali renuntiantibus congruens provideatur sustentatio... ».

Recte quidem. At quaeri potest et debet: quomodo et a quibus providendum erit? In hoc stat quaestio. De ea tamen paragraphus nihil dicit; solum prosequitur *sic*[3]: « si casus ferat et ipsis placuerit, per alicuius consentanei officii collationem ». At quam raro remedium hoc applicari poterit!

Digna solutio solummodo in quadam decenti pensione eis assignanda consistere potest. Sed undenam exorta?

Indiscretum prorsus esset novum gravamen hac de re a Sancta Sede

exigere, cui iam tot ac tanta onera pro universalis Ecclesiae regimine incumbunt.

Optandum profecto esset, ut massa quaedam pecuniaria conderetur pro hoc fine specialiter comparata. Si ad eam congerendam aliqua competens auctoritas vel commissio in futuro — utinam proximo! — contributionem nostram requireret, quis ex nobis eam recusaret? Nonne esset hoc eloquens signum verae ac fraternae collegialitatis episcopalis? Quietem spiritus sic afferre poterimus venerandis quibusdam pastoribus qui, interius angustiati, dimittere officium quidem vellent, sed minime audent quia non habent ubi postea consistant. Sicque haud leve immo aliquando grave problema pro Ecclesia Sancta solveretur.

Propositionem hanc generositati Patrum Conciliarium humiliter, sed fiducialiter *committo*.[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] suo. [2] deest. [3] dicendo. [4] concredo.

4

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi quoad episcopos auxiliares quasdam proferre insinuationes, et etiam emendationes.[1]

1. Idea fundamentalis, quae totam doctrinam nostri schematis circa regimen dioeceseon pervadat oportet, est notio episcopi pastoris et capitis dioeceseos; quae notio necessario postulat, ut caput sit unicum et unitas regiminis dioecesani sarta tectaque servetur. Episcopus residentialis est ordinarius et immediatus pastor Ecclesiae particularis. Gregi sibi commisso visibiliter Christum Dominum repraesentat. Ad hoc sacra ordinatione charactere episcopali signatur et missione canonica officio episcopali munitur, quod natura sua ad *determinatum*[2] gregem pascendum refertur...[3]

Institutum vero episcoporum mere titularium, qui qua tales gregem pascendum non habent, nihilominus dignitate quadam propria gaudet et gaudeat oportet. Suffragatione indicativa *diei 30 octobris habita Patres conciliares, ex sacramentalitate ordinationis episcopalis, factum maximi momenti viderunt*: *illos episcopos etiam titulares esse nempe membra ordinaria collegii episcoporum, ideoque eos ad concilium oecumenicum vocandos esse.*

Nunc liceat mihi parenthesim quamdam inserere hoc momento quoad votationem indicativam diei 30 octobris.[4]

His ultimis diebus in aula conciliari impressio oriri potuit, ac si Spiritu Sancto longe agente, inimicus quidam has votationes quoad propositas quaestiones moderatorum et quoad responsa Patrum in agro concilii seminasset.

Quid revera accidit? Competens organum Concilii, nempe moderatores, qui, secundum Ordinem Concilii ...[5] « labores Concilii dirigunt », post longum examen — per quindecim dies protractum — et deliberatum examen proposuerunt Patribus quaestiones, quae — *attendatis ad hoc*[6] — verbaliter vel saltem quoad sensum e schemate a competenti commissione proposito desumpta erant; e. g., conceptus « collegii apostolorum » *non furtim* in illas quaestiones intrusus est, sed in schemate pluries invenitur.

Certe illa votatio non textum definitivum constitutionis statuere voluit, sed indicabat viam pro commissione, *quae, serviens congregationi generali, emendationes, uti iterum dicit Ordo Concilii, ordinat, coordinat et expendit, et etiam Patres voluit illa votatio securiores reddere*[7] pro ulterioribus gressibus, puta in praesenti schemate, de tendentiis Concilii. *Certe ne faciamus definitiva quae sunt provisoria, sed sensu vero providendi; e contra ne faciamus obscura quae sunt iam sufficienter clara.*

Parenthesis mea nunc clausa est. Et venio ad secundum punctum mei interventus.[8]

2. *Nunc illi episcopi titulares, qui vere auctoritate gaudent, uti audivimus, nullam exinde potestatem episcopalem acquirunt pro dioecesi, in cuius servitium tamquam coadiutores vel auxiliares assumuntur.*[9]

Episcopi auxiliares in auxilium episcopi residentialis vocantur, atque ideo episcopo residentiali principaliter competere debet, ut modum auxilii praestandi determinet. Cum adiuncta personarum et rerum agendarum in singulis dioecesibus varia sint, difficile, immo impossibile est, statuere per modum legis certum complexum munerum ab auxiliaribus praestandorum, quae officium auxiliaris efformarent. Etsi in schemate tale officium cum certis muneribus iam non provisum est, tamen sermo est, pag. 10, linn. 35 ss., de commissione facultatum, « quibus auxiliaris non solum in pontificalibus peragendis sed etiam in administranda universa dioecesi officium suum efficaciter explere valeat ». Tale officium sensu stricto auxiliaribus agnosci non potest, quia cum officio episcopi residentialis componi nequit.

Auxiliares imprimis adiutores episcopi residentialis sunt in pontificalibus peragendis, praesertim in sacra Confirmatione administranda. Praeterea eis modo ordinario concredi potest, personam episcopi resi-

dentialis gerere in actibus, qui ponderis vel solemnitatis causa assistentiam episcopi expostulant. Quae ulterius auxiliaribus demandari possint, ex adiunctis concretis dioeceseos ...[10] multiplici modo perfici potest, quin unitas regiminis dioeceseos detrimentum patiatur. Auxiliaris potest constitui in vicarium generalem pro universa dioecesi vel pro determinata dioeceseos parte, quod imprimis commendatur, si quaedam pars dioeceseos iam apta videatur, ut suo tempore dismembretur ...[11]. Potest ei conferri dignitas in capitulo cathedrali. Potest ei concredi officium aliquod qualificatum in curia dioecesana, e. g. officium de clero formando, de personis in dioecesi operantibus, de cura animarum dirigenda. Talia officia eo magis auxiliari apta esse videntur, quo ipse in visitatione dioeceseos peragenda episcopi residentialis adiutor praestantissimus exstiterit ...[12]

Ceterum mihi persuasum est, concilium hunc fructum geniturum esse ut dignitas episcopi auxiliaris magis perspicietur eiusque valor in iure canonico melius respicietur.

3. Quae cum ita sint, sincere tamen fateri debeo, institutum episcoporum mere titularium problematibus suis non carere, quia agitur de episcopis, qui gregem non habent, etsi ordinatio episcopalis ad gregem determinatum pascendum intrinsece refertur. Iam em.mus D. card. Frings in hac aula votum promuit, cui plene assentior, ut numerus episcoporum mere titularium in curia romana minuatur; *hoc valeat pro universa Ecclesia.*[13] Certe tales rationes minime applicari possunt auxiliaribus, quia hi revera ad pontificalia peragenda in auxilium vocantur, tamen pluralitas episcoporum in una eademque dioecesi minus correspondet unitati, quae in episcopo residentiali tamquam capite dioeceseos fundatur.

Inde urget quaestio de dioecesibus magnis dividendis, vel partibus earum dismembrandis atque novis dioecesibus erigendis. In omni casu desiderandum est, ut episcopus auxiliaris vocetur tantum, si vera adest necessitas, cui aliter subveniri non potest. *Et potest aliter subveniri.*[14]

Maior difficultas *enim* [15] generatim oritur de sacra Confirmatione administranda. Nova quaedam dispositio de facultate *sacrae Confirmationis administrandae,*[16] qua episcopus residentialis sacerdotes in aliqua dignitate constitutos ad Confirmationem administrandam delegare possit, viam sterneret, ut numerus episcoporum auxiliarium restringi possit. Nil impedit, quominus concilium oecumenicum talem dispositionem decernat, *et optandum est ut hoc faciat.*[17]

Uno verbo: episcopi auxiliares in servitium dioeceseos ...[18] assumpti conditionem characteri episcopali dignam habeant; provideantur tamen remedia quae permittant, ut numerus episcoporum auxiliarium restringi

possit. Quae in schemate emendanda, *secundum has indicationes*[19] mihi esse videntur, in scriptis trado secretariatui concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] certum. [3] Christifideles alicuius territorii vel etiam ratione personarum mediante officio episcopali uniuntur; in episcopo habent suum caput et per episcopum unitatis Ecclesiae universae sunt participes. [4] habita Patres conciliares hac in re cognitionem, quae e sacramentalitate ordinationis episcopalis agnita profluit, quodammodo novam assecuti sunt. Exploratum enim est episcopos mere titulares, qui hucusque membra tantum extraordinaria Concilii Oecumenici habendi erant, quia vocari poterant, sed minime debebant, membra ordinaria esse collegii episcoporum ideoque eos ad Concilium Oecumenicum vocari debere. Quoad votationem indicativam diei 30 octobris, quam modo nominavi, quasi in parenthesi haec dicere opportunum duco. [5] (art. 4 § 2). [6] deest. [7] et Patres ipsos securiores reddebat. [8] Animadverti tamen debet, quod episcopi titulares nullam exinde potestatem episcopalem acquirunt pro dioecesi, in cuius servitium tanquam coadiutores vel auxiliares assumuntur. [9] deest. [10] diudicari debet et. [11] et in novam dioecesim erigatur. [12] Si in schemate tamen optatur ut auxiliaris sede vacante vicarius capitularis eligendus sit, nisi graves rationes aliud suadeant, animadvertere liceat tali dispositione publicae aestimationis auxiliaris facilius offici posse, si capitulum, non obstante hoc statuto, alium ac auxiliarem vicarium capitularem eligendum duxerit. Ideo melius esse mihi videtur, si integrum retineatur ius praestantissimum capituli cathedralis libere eligendi vicarium capitularem. Aestimatio vero auxiliaris multo magis fovetur, si a capitulo prorsus libere in vicarium capitularem eligatur, quod alioquin de facto plerumque fieri solet. [13] quia ordinatio episcopalis minime ad hoc inservire debet, ut decus sit personae vel aestimationem alicuius officii augeat, quod per se non ad munera episcopalia refertur. [14] deest. [15] deest. [16] S. Confirmationem administrandi. [17] deest. [18] iam. [19] deest.

Animadversiones additae:

Ad n. 6 (pag. 9, linn. 14-16). Loco verborum: « saltem coadiutoris et auxiliaris instituta ita iure communi definienda ac congruentibus facultatibus instruenda sunt ut... » *dicatur*: « coadiutor vel auxiliaris nominentur, qui congruentibus facultatibus instruendi sunt, ita vero ut... ». *Ratio.* Prima sententiae pars ad casus particulares sese refert, altera vero pars ad instituta coadiutoris et auxiliaris. Inde patet res plane diversas, scil. casus particulares ex una parte et instituta ex altera parte, coniunctas esse.

Ad n. 8 (pag. 9, linn. 24-30). Numerus sic *reformetur*: « (Munus coadiutoris). § 1. Episcopo infirmitate vel provecta aetate gravato coadiutor dari potest.

§ 2. Iura coadiutoris desumantur ex litteris apostolicis, quibus constituitur. Nisi aliud in his litteris caveatur, coadiutor qui episcopo prorsus inhabili datur, omnia habet iura ac officia episcopalia, secus tantum potest quantum episcopus ei commiserit.

§ 3. Quae coadiutor potest et vult exercere, episcopus habitualiter alii ne deleget.

§ 4. Coadiutor, iusto impedimento non detentus, debet, quoties fuerit a coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire, ad quas episcopus ipse

teneretur ». *Ratio.* Nova figura coadiutoris in schemate provisa unitatem regiminis dioecesani penitus tollit atque potestatem episcopi, quae iuris est divini, limitat, quin causae speciales et adaequate graves adesse deberent, quae hanc limitationem potestatis episcopalis iustificare possent. Ius vigens circumstantiis concretis magis convenit ideoque quoad substantiam retineri debet; provideatur tamen de causis, quae nominationem coadiutoris iustificant.

Ad n. 9 (pag. 10, linn. 1-9). Numerus sic *reformetur*: « Coadiutor episcopo coadiuto semper obsequium ac reverentiam exhibeat atque curet ita in munere suo se gerere, ut unitas regiminis dioecesani sarta tectaque servetur.

Coadiutus in omnibus negotiis maioris momenti coadiutorem consulere ne omittat ». *Ratio.* Resultat e reformatione n. 8.

Ad n. 10 (pag. 10, linn. 10-20). *Deleatur. Ratio.* Resultat e reformatione n. 8; ceterum censeo officium vicarii generalis, qui habetur alter ego episcopi, minui non debere.

Ad n. 12 (pag. 10, lin. 29 - pag. 11, lin. 3). Numerus in toto sic *reformetur*: « (Munus auxiliaris). § 1. Auxiliaris est adiutor episcopi residentialis in pontificalibus peragendis eique competit personam gerere episcopi residentialis in actibus quae ponderis vel solemnitatis causa assistentiam episcopi expostulant.

§ 2. Episcopus residentialis suo auxiliari conferat officium dioecesanum, quod omnibus perpensis dignitati conveniat, quae characteri episcopali inhaeret, nec alii habitualiter deleget, quae auxiliaris per se exercere idoneus reperiatur.

§ 3. In casibus particularibus, si causae adsint satis graves, ampliores facultates auxiliari a Sede Apostolica, aut a competenti auctoritate pro orientalibus, concedi possunt ». *Ratio.* Vide quae supra in voto meo exposita sunt!

Ad n. 15 (pag. 11, linn. 15 s.). Loco verborum: « potestas et facultates quas auxiliaris obtinuit a litteris constitutionis » *dicatur*: « nec munus nec officium dioecesanum ei concreditum, nisi sit officium vicarii generalis, nec facultates quae auxiliaris in casibus particularibus forte obtinuit ». *Ratio.* Resultat e reformatione n. 12.

Ad n. 15 (pag. 11, linn. 17-21). Tota haec § (scil. 2) *deleatur. Ratio.* Vide, quae supra in voto meo dicta sunt!

5

Exc.mus P. D. CONRADUS MINGO
Archiepiscopus Montis Regalis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi aliquid dicere de quaestione quae tractatur in n. 16 huius cap. II, i. e. de cessatione muneris episcoporum, quam recte exc.mus relator vocat « perdifficilem et gravissimam ».

In schemate inter duas sententias oppositas eligitur solutio media: commendatur renuntiatio, quando episcopus, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem non amplius implendo muneri pastorali aptus evaserit. Aetas ingravescens in nota 12 censetur generatim post septuagesimum quintum annum expletum.

Sed meo humili iudicio, in quaestione tam gravi, non sufficit commendatio, necessaria videtur dispositio iuridica, norma taxativa; secus ea inefficax erit.

Rationes enim quae contra renuntiationem adducuntur, etsi non spernendae et seria consideratione dignae, non videntur esse peremptoriae et decisivae. Nam:

1. Episcopus est sponsus suae dioecesis: sed haec sponsalia non sunt indissolubilia; nam multi ex dispositione S. Sedis transferuntur vel promoventur ad aliam sedem. Haec translatio post aliquos annos mihi videtur utilis, immo commendanda, ut etiam pro parochis.

2. Assignatio coadiutoris vel auxiliaris non resolvit sufficienter difficultates nec congruenter per eos generatim necessitatibus dioecesis providetur; nam in his casibus medetur utique aliquibus malis, sed, meo iudicio, via aperitur gravioribus incommodis. Puto plures coadiutores et auxiliares in aula praesentes non dissentire a mea sententia.

3. Renuntiatio spontanea ab Apostolica Sede proposita in praxi difficile acceptatur, nam in provecta aetate animum magis ligamus officio nostro et facile putamus adhuc aptos esse, quia « libenter credimus quod volumus »; propter reluctantiam humanae naturae, quae omnes possibiles difficultates opponeret, ex una parte, et suavem agendi modum S. Sedis, nullus utilis effectus obtineretur.

4. Relate ad aetatem: admitto nonnullos etiam post 75 annum validos esse ad dioecesim regendam; sed multo plures ea aetate non amplius ferre possunt onus dioecesim gubernandi; quia etiam nostris temporibus asserere possumus cum S. Augustino: « nihil esse in hac vita difficilius, laboriosius et periculosius officio episcopali ».

Venerabiles Patres, oro vos ut attente consideretis etiam hoc argumentum: pro parochis necessaria est renuntiatio paroeciae in aetate ingravescente; hoc extra dubium est; sed quomodo possumus renuntiationem imponere illis si nos pastores eam non acceptamus? Exemplum nostrum necessarium est!

Nec videtur in discrimine esse dignitas et reverentia erga episcopos debita: nam his concedi deberent peculiares honores, privilegia et ius sepulchri dioecesis quam ultime gubernaverunt; posset eis conferri officium consentaneum et sufficienter providendum esset eorum necessitatibus oeconomicis.

Existimo plures Patres contrarios esse huic sententiae expositae et velle prorsus hanc quaestionem expungere e decretis huius Synodi. Sed mihi necessarium videtur eam definire. Sacerdotes et fideles hoc expectant et renuntiatio statuto tempore esset non solum in bonum animarum sed etiam in bonum spirituale nostrum, qui libere attendere poterimus

ad nostram sanctificationem et certo esset in aedificationem sacerdotum et fidelium.

Venerabiles Patres, ad hoc obtinendum est necessaria norma iuridica certa et obligans, i. e. vera lex: dura nostrae naturae humanae sed requisita ab animarum salute: si animam pro ovibus dare debemus, non possumus negare id quod minus est quam vita, i. e. renuntiationem ab officio. Ceterum haec lex, si sancta Synodus eam ferre vellet, esset mere ecclesiastica; unde S. Sedes ob iustam causam ab ea dispensare posset; et ea lex renuntiationis non haberet effectum retroactivum, quia lex non tollit ius quaesitum: respiceret solum illos qui in futuro nominandi sunt et qui hanc renuntiationem possent praevidere; et, ut ait S. Gregorius: « minus iacula feriunt quae praevidentur ».

Venerabiles Patres, fundamentum omnium romanarum legum hoc erat: salus Reipublicae suprema lex; in Ecclesia quae est societas divina vigere debet: salus animarum suprema lex! Satis.

6

EXC.MUS P. D. MICHAEL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

Em.mi et exc.mi Patres conciliares,

In cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* agitur de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus. Hic sermonem facimus de coadiutoribus dumtaxat.

1. In schemate duae graviores memorantur difficultates, quae occurrere possunt in dioecesium regimine, quibusque urgens remedium afferendum est, nempe: *a*) casus quo episcopus ob infirmitatem vel provectiorem aetatem vel aliam gravem rationem pastoralibus muneribus adimplendis impar est; *b*) casus quo episcopus mentis et corporis viribus adhuc praeditus, ob dioecesis vastitatem vel fidelium multitudinem, officio suo non potest convenienter satisfacere.

Iuxta schema, prior difficultas solvenda est generosa et valde meritoria episcopi renuntiatione; alteri occurrendum est per dismembrationem vel divisionem dioecesis. Quod si neutrum fieri potest, iudicio competentis auctoritatis, recurrendum est ad electionem episcopi coadiutoris vel auxiliaris.

2. Praetermittimus quae dicuntur de divisione et dismembratione dioecesis ac loquimur de priore difficultate seu de casu necnon de proposita eiusdem solutione.

In primis laudanda est propositio de abolendis seu excludendis, ut videtur, coadiutoribus absque iure successionis, sedi datis potius quam personae episcopi. Haec consuetudo, ni fallimur, temporibus anteactis ignota, recentioribus annis inducta est.

3. In relatione de praesenti schemate sermo est de quaestione utrum aliquid hac in re statuendum vel definiendum sit a Concilio, an potius id conscientiae episcopi aut Apostolicae Sedis immediato interventui relinquendum sit...[1]

Attamen relatio dicit longe maiorem partem commissionis praeparatoriae, hodiernis apostolatus necessitatibus bene perpensis, priori sententiae adhaesisse, nempe rem relinquendam esse Concilio ut aliquid edicat ac definiat, prae oculis utique habitis tum necessaria reverentia et gratitudine iis debita qui de Ecclesia optime meriti sunt, tum supremo animarum bono.

4. Aliqui, de gremio eiusdem commissionis praeparatoriae, coactae episcopi renuntiationi obstiterunt, et quidem merito, nam: *a*) Id antiquissimae ecclesiasticae traditioni contradicit; *b*) Hoc modo episcopus aequiparatur publicis administratoribus civilis societatis.

Sed inter fautores huius coactae renuntiationis aliqui eo usque devenerunt ut aetatem septuaginta quinque annorum tanquam renuntiationis terminum statuerent.

5. Rationes nuper allatae ex traditione et consectariis sufficientes videntur ex se ad reiciendam propositionem de renuntiatione coacta. Addendum tamen est huiusmodi renuntiationem cum determinatione aetatis *theologice sustineri non posse, utpote naturae episcopalis officii repugnantem. Etenim quidquid sit de origine potestatis episcopalis in individuo, episcopale officium iure divino fulcitur atque de se perpetuum est. Hoc semper sensit S. Ecclesia, ita ut episcopalis muneris privatio tanquam exceptio habita sit.*

Verum si praefinitur tempus quo officium episcopale cessare debeat, idem iam initio et ex se temporaneum efficitur, quod omnino admitti non potest quin ipsa fundamentalis episcopatus ratio enervetur. Cuiusnam, quaeso, naturae erit vinculum quod temporaneus episcopus contrahet cum sua Ecclesia? Quomodo poterit adhuc episcopi ad Ecclesiam suam relatio tanquam spirituale coniugium considerari, ut ex sancta et venerabili traditione habetur? Num erit adhuc episcopus huiusmodi sponsus Ecclesiae, uti recte dicitur a S. Thoma? [2]

6. Sed etiam si practice consideretur solutio *illa* [3] absona omnino apparet. Etenim aetas ab iis fautoribus pro renuntiatione statuta prorsus arbitraria est. Re quidem vera adsunt episcopi qui, experientia teste, aetatem septuaginta annorum cum attigerint, et aliquando etiam mi-

norem, omnino inepti inveniuntur ad dioecesim regendam; ex altera parte ...[4] plurimi sunt qui septuaginta quinque et etiam plures annos agentes, dioecesim adhuc valide moderantur, praesertim cum pro gravioribus negotiis ab uno vel, ubi dioecesis amplior sit, a pluribus auxiliaribus adiuvantur.

Quod si illud criterium aetatis pro officio episcopali applicandum esset, non videtur cur idem criterium pro aliis ecclesiasticis muneribus magni momenti applicandum non proponatur.

7. Ceterum, cum hodie notitiae quaecumque facillime communicari valeant, cumque adsint in omnibus regionibus Nuntii et Delegati Apostolici, suprema Ecclesiae auctoritas absque difficultate certior fit de statu singularum dioecesium et, ubi id necessarium iudicetur, eligi potest coadiutor cum iure successionis, quin opus sit episcopum cogere ad renuntiationem dilectae dioecesi, ad eamque relinquendam pro qua omnes animi et corporis vires impendit.

Attamen commissio praeparatoria propositionem de coacta renuntiatione iure neglexit atque in schemate praxim adoptavit, quam generatim suprema Ecclesiae auctoritas hucusque secuta est, i. e. in casu quo episcopus ineptus evadat ad dioecesim gubernandam, coadiutor vel auxiliaris ipsi datur, iuxta circumstantias; quod si hoc non sufficiat pro dioecesis convenienti administratione, episcopus enixe rogatur, ut ob Dei atque animarum amorem, sua ipse sponte renuntiationem ab officio faciat.

In hoc casu ipsi providebitur honesta sustentatio atque privilegia concedentur, ut dicitur in art. 16, par. 2. Qua de re proponere *audemus* [5] ut quae indicantur in nota 14 huius capitis, episcopo renuntianti *concedantur quae dicta sunt in nota iam mentionata.*[6]

Haec videtur solutio vel unica quae iuste ac opportune priori difficultati subvenire possit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. ultimum cap. III art.) [2] apertissime pugnare cum natura officii episcopalis, quod iure divino fulcitur, quodque de se perpetuum est. Res igitur theologice necnon iuridice repugnare dicenda est. [3] deest. [4] vero. [5] auderem. [6] revera tribuantur.

7

EXC.MUS P. D. EMMANUEL ALFONSUS DE CARVALHO
Episcopus Angrensis

Em.me ac rev.me Praeses, venerabiles Patres,

1. Mihi fas sit super schemate decreti *de episcopis ac dioecesium regimine* aliquas annotationes breviter facere...[1]

2. Tantummodo in cap. II, « de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus » aliquid volo adiicere, nempe, in pag. 10, lin. 8, ubi dicitur: « Episcopus coadiutus coadiutorem fraterne diligat... et in omnibus negotiis maioris momenti eum consulere ne omittat ». Addatur: « ac inter se convenire oportet ». Ratio est evidens, quia in fere omnibus optimum boni est inimicus, et consensus in his rebus semper bonus est.

3. N. 12, in eadem pagina, sic componi videtur: « In litteris quibus auxiliaris constituitur, semper eiusdem iura et officia definiantur eique facultates concedantur quae necessariae videantur ad munus rite adimplendum, audito consentientique episcopo ». Cetera eiusdem numeri omittantur.

Omnibus rite in litteris constitutionis provisis, sic, in futuro, multa molesta vitantur, cum omnes limites suos agnoscant, quod maxime convenit ac necesse est.

4. In pag. 11, n. 15, par. 2, pro ubi legitur: « Optandum est ut, sede per mortem aut renuntiationem aut translationem vacante, munus administratoris apostolici ... etc., committatur auxiliari, vel ubi sint plures, uni ex auxiliaribus », *verba « optandum est » omittantur, ac legatur in fine:*[2] « ... ubi sunt plures, primo in nominatione » (scil. committatur). Sic multa dicteria vitantur, nec semper ...[3] auxiliaribus favorabilia, et puto melius esse capitulum cathedrale maximarum dioecesium iure eligendi, in perpetuum, vicarium capitularem privari. Eadem norma ab omnibus servanda est: suprema lex, bonum animarum.

5. In n. 16, paragraphus secunda ita videtur aptanda; « A munere episcopali renuntiantibus congruens providebitur sustentatio. Illis insuper eosdem peculiares honores vel privilegia concedentur quibus prius in munere obeundo fruebantur, iisdemque ius sepulchri erit in episcopali conditorio dioecesis ».

Nihil, revera, bono animarum ac Dei gloriae obstat quin episcopus in sua dioecesi, quam ut sponsam semper dilexit, pro eaque vitam ac sudores liberentissime praebuit, nunc in exitu vitae, ministeria potestatis ordinis, ut pontificalia cum throno et baldachino, omnesque bene-

dictiones, prout ei placuerit, exerceat. Omnes, enim, iam iuvenes fuimus et multi modo sunt, omnes autem veteres esse cupimus, sed cum laetitia et in honore. Satis.

In textu scripto tradito: [1] 1. Valde mihi schema placet, in omnibus capitibus, ubi multa nova, admodum utilia, immo necessaria, reperiuntur. Placent, praesertim, quae ad amplificationem facultatum sese referunt, ut expeditius munus episcopale exerceatur. [2] legatur. [3] aliis.

8

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

Venerabiles Patres,

Hoc in capite episcoporum coadiutorum et auxiliarium munus bene definitur. Immo ipsis talia dantur iura ut quis dubitare possit utrum in dioecesi ubi adest episcopus residentialis cum coadiutore duo dentur capita. Sed ista aliis Patribus tractanda relinquo. *Veniam vero postulo de renuntiatione episcoporum residentialium aliqua dicendi.*[1]

Episcopis residentialibus consilium datur renuntiandi vel ratione tardae aetatis, vel infirmitatis. Immo consilium ita exprimitur ut, his rationibus, quandoque deponi *videatur sub specie consilii*[2] renuntiationis.

Contra renuntiationem multae rationes militant:

1. Bono animarum satis provideri potest quin episcopus renuntiet; vel a. v. a sede amoveatur. Hoc fieri potest per vicarium generalem; per vicarios episcopales, per episcopos auxiliares et coadiutorem cum iure successionis. Ipsis enim in hac constitutione iura episcoporum residentialium conferentur, ita ut episcopus residentialis *etiam non*[3] infirmus vel senex non potest eorum iura limitare.

2. Renuntiatio, si sponte, non coacte, fit, laudari quidem potest, sed *revera non*[4] expedit rationibus quae sequuntur:

a) Episcopus residentialis apostolorum successor est, etiamsi eius sedes historice apostolica non *sit*[5]; ipse enim mandatum a Petri apostoli successore recipit. Nullus ex apostolis, neque Ioannes in tardissima quidem aetate sedem suam reliquit. Nullus ex apostolorum successoribus sedem reliquit etiam ex gravi ratione. Exempla habemus Ignatii, Polycarpi, Irenaei, Augustini, et praeclarissimum illud S. Martini *cuius festum hodie celebramus.*[6] Inauditum omnino est in Ecclesia tum orien-

tali tum occidentali *quod episcopi residentiales dioecesim quacumque ex causa renuntiarunt.*[7]

b) Firma et pro tota Ecclesia adest traditio *immemorabilis* [8] episcopum residentialem suae sedi esse firmiter et indissolubiliter nuptum. Renuntiatio ergo quacumque ratione contra istam saecularem traditionem militaret.

c) Episcopi residentiales, ipso iure inamovibiles sunt. Quod si eis renuntiatio ex morali obligatione imponeretur, inamovibilis amplius non esset. Usque nunc et parochi inamovibiles sunt. Episcopus qui morali obligatione teneretur ad renuntiandum inferior parocho esset.

d) Si renuntiatio uti regula in istis adiunctis demandatur, episcopus residentialis uti rector ecclesiae evaderet, qui quamvis stultus non sit, uti luna mutatur.

e) Si Sacrum Concilium renuntiationem in aliquibus casibus decerneret, status episcopi residentialis intolerabilis evaderet. Recriminationes ex parte subditorum ad romanas Congregationes quotidie mitterentur; quae quidem sacrae sunt sed humanae, et quandoque, uti dicit evangelium, propter importunitatem subditorum episcopo *residentiali* [9] consilium renuntiandi humanissime, multis cum laudibus, dare possunt.

f) Parentes, quamvis aegroti et senectute onerati, ius habent domi remanendi, et filii, ex quarto Decalogi praecepto, curam parentum habere tenentur. A fortiori, episcopus residentialis, qui per totam vitam pondus diei et aestus portavit, filios suos spirituales maximo cum amore aluit et curavit, ius habet remanendi in sua sede tempore senectutis etiam decrepitae et maiorum infirmitatum. Immo filii eius, sacerdotes et fideles, gravissimo munere onerati sunt de ipso maximam curam habere.

g) Si episcopus Romae valde senex, immo *aegrotus,*[10] aegritudinibus oneratus esset (sit mihi venia *verbo* [11]), estne aliquis inter Patres qui ipsi renuntiationem suggerere auderet? Si nulla Romana Congregatio ei consilium renuntiandi mitteret, cur tale consilium episcopo Lucknowensi vel episcopo Tiruchirapalli *vel aliquo alio episcopo* [12] mitti potest? *Experto credite* [13]!

h) Honorum, officiorum vel emolumentorum promissio, iniuria sunt quae adduntur offensae. *Honores non dant panem, sed dant saepe famem. « Moreover we are not peacocks »! « Non siamo dei pavoni, anche se vestiti di rosso »!* [14] Honores inutilia sunt, immo nullus honor comparandus est cum iure Ecclesiam Dei regendi, quod episcopo residentiali competit *ratione sui ordinis et officii.*[15] Officia nec nominanda sunt; nam ille qui suam *dioecesim* [16] cum auxilio vicarii generalis vel vicariorum episcopalium, vel episcopi auxiliaris, vel coadiutoris, *non est aptus, inhabilis quidem erit multo magis* [17] alia officia gerenda.

Emolumenta, quamvis adaequata essent, uti aliena misericordia considerada sunt. Eritne dignum et iustum misericordiam offerendi illi, qui per totam diem, immo per totam vitam pondus diei et aestus sustinuit? Et loco honestae sustentationis a sua dioecesi recipiendi, pro qua alenda totam insumpsit vitam, nunc in senectute uti Lazarus consideratur, qui cupiebat saltem fragmenta quae a mensa divitum cadunt habere et nemo illi dabat.

i) Multos vidi episcopos, *tum in Europa tum in aliis locis,*[18] qui sponte renuntiarunt; conditio eorum miserrima mihi visa est. Per totam noctem et diem laborantes nihil capientes, sine adiutorio et sine honore, de loco in loco uti profugi transeuntes, in propria venientes et sui eum non recipientes... etc. ... etc. ... etc. ...

k) Utique, tempore elapso dati sunt casus aliquorum episcoporum residentialium qui propter aetatis imbecillitatem regere Ecclesiam suam non poterant...[19]

Moderator: Exc.me Pater, tempus tuum exactum est.
Orator: Iam dixi.

In textu scripto tradito: [1] Aliqua vero dicuntur de renuntiatione episcoporum residentialium quae retinenda omnino non videntur. [2] possint sub specie impositae. [3] deest. [4] nunquam. [5] est. [6] deest. [7] dioecesim quacumque ex causa renuntiare. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] ita loquendi. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] sedem. [17] regere inabilis est, multo minus abilis erit ad. [18] deest. [19] neque coadiutorem postulaverunt; vel si ipsis datus est, illum quasi non esset ignorarunt; sed haec nunc repeti non possunt si munera coadiutorum adaequate definiuntur. Ergo Patres rogo quod etiam iura episcoporum residentialium adaequate definiantur et edicantur, et quidem 1. omnia et singula quae in hoc capite habentur de renuntiatione episcoporum residentialium radicaliter amoveantur; 2. novus canon edicatur statum et iura episcoporum residentialium in hoc capite inseratur, plus vel minus istis verbis: « Episcopus residentialis indissolubili unione suae dioecesi ligatur, ideo irremovibilis est. Si ratione aetatis vel ratione infirmitatis adiutorium in regimine dioecesis indiget, ipse sua sponte coadiutorem postulet. Si revera specialis datur casus in quo episcopus residentialis coadiutorem non postulat, dum S. Sedes illum in Domino necessarium considerat, coadiutor cum iure successionis, mentione de eius facultatibus facta, ei benigne assignetur ».

9

EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN

Episcopus tit. Tabudensis, coad. Gadicensis et Septensis

Venerabiles Patres, carissimi omnes,

Multa iam dicta sunt de episcopis coadiutoribus; et, episcopus coadiutor, aliquid liceat dicere.[1]

Nn. 6 et 7 cum n. 16 cap. II schematis conferens, in Dei praesentia ...[2] et maximae caritatis ardore motus erga fratres in episcopatu *sincere*[3] hoc votum submisse propono.

In par. 6, pag. 9, linn. 1-5, legitur: « In regendis dioecesibus ... (*etc. usque ad:*[4]) ... explendo impar evadit ». Postea vero in linn. 10-13 eiusdem clausulae dicitur: « Iamvero prior... (*usque ad:*[5]) ... munere renuntiationem ». In clausula 16, linn. 23-30, id iteratur: « Si Apostolicae Sedis vel, pro Orientalibus ... (*etc., usque:*[6]) ... sponte renuntiationem ab officio faciant ».

Quibus maxima attentione lectis, dubium mihi in animo inhaeret. Si figura episcopi coadiutoris in eo praecise stat ut episcopo opituletur, qui infirmitate vel provecta aetate gravatus aut alia gravi causa praepeditus, suo officio sicut oportet splendor impar evadit, et aliunde haec difficultas ordinarie non aliter superanda esse videtur, quam per generosam valdeque meritoriam episcopi a munere renuntiationem, tum mihi quaestio evenit: Quae est igitur causa episcopi coadiutoris creandi, tantae cum sint difficultates quas muneris exsecutio secum ferat, et quae efficientia eius officii ut episcopum residentialem suppleat? ...[7]

Salvo meliori iudicio, reverenter audeo declarare me nullam rationem ordinis supernaturalis vel pastoralis invenire, qua necessaria episcopi coadiutoris figura esse videatur.

His nitor rationibus:

1. Causa ut episcopi coadiutores nominentur, si dictis stamus, potius quaerenda in rationibus respectus personalis, quae in se laudabiles sunt, quam in altissimis et ecclesiologicis maioris boni animarum argumentis.

2. Episcopi coadiutoris designatio, ut ego iudico, apparenter *saltem,*[8] duas implicitas affirmationes implicat quae virtutem episcopi subaestimant: *prima,*[9] neque se neque verum statum suae dioecesis novisse; *secunda,*[10] neque suam virtutem, quae pro bono animarum vel heroica esse debet ...[11], superare posse humanam crisim cuiusdam abdicationis.

Certus sum *coram Deo*[12] multos episcopos ad cognoscendam divinam voluntatem, circa praesentem aut futurum statum, mecum sperare, ex normis prudentissimis, prout res postulat, a Concilio emissis.

3. *S. Thomas dicit*: « *Perfectio episcopalis status consistit, quod aliquis ex divina dilectione se obligat ad hoc, quod salutem proximorum insistat; et ideo tamdiu obligatur ad hoc, quod curam pastoralem retineat, quamdiu possit subditis sibi commissis proficere ad salutem* ».[13]

4. Episcopi coadiutoris creatio abdicationem spontaneam et magnanimam premit, ac impedit, et saepe in angustias sine die statum dioecesis protrahit.

5. Ex altera parte rem non simpliciter solvi censeo ex eo quod episcopo coadiutori largiores facultates praebeantur. Loquor ex experientia propria, et aliorum episcoporum coadiutorum, et ad mentem em.mi card. Ruffini.

a) Periculum enim adest duo capita in dioecesi constituendi, magno cum periculo regiminis eiusdem dioecesis, et deordinationis tum sacerdotum, tum fidelium.

b) Non parva pericula crearet integro et cordiali consensu duorum episcoporum et laboribus curiae.

c) Anxietates et dubia conscientiae crearet in episcopo coadiutore, qui ex una parte suis facultatibus uti deberet; ex alia enixe unitati dioecesis cavere oportet.

Valde et ego timeo ne meo tempore remissus sim, quamvis optima voluntate informatus, ut sunt mei fratres, huic abdicationi, et ne intelligam quid sit magis consentaneum gloriae divinae et saluti animarum.

Quapropter, ut melius nostrum ipsorum cognitioni faveatur, ut nostra dimissio suadeatur magna cum aedificatione fidelium, ut melius et efficientius bonum maximum Ecclesiae promoveatur, hoc propono:

1. Ut solide et expresse ab auctoritate convenienti causae et adiuncta definiantur erga dimissione vel abdicatione episcoporum, cum convenienti honore et sustentatione.

2. Ut Romanus Pontifex, *logice*,[14] causis suo iudicio opportunis, privilegii instar, episcopum residentialem in regimine dioecesis retinere valeat, quamvis « aetatem ingravescentem » superaverit.

3. Quibus duobus perspectis, censeo figuram episcopi coadiutoris, sine valida ratione, non amplius esse sustinendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] et unam eius gloriam et bonum animarum quaerens. [3] deest. [4] duae, inter alias aeque graves saepe occurrunt difficultates. Quarum altera ex eo proficiscitur quod episcopus, infirmitate vel provecta aetate gravatus, aut alia gravi causa praepeditus, suo officio sicut oportet. [5] difficultas ordinarie non aliter superanda esse videtur quam per generosam valdeque meritoriam episcopi a. [6] competentis auctoritatis iudicio, recto dioecesis regimini neque per coadiutorem neque per auxiliarem seu auxiliares con-

gruenter provideri possit, episcopi residentiales ceterique in iure ipsis aequiparati, qui, ob permanentem valitudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem, aliamve gravem causam, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, enixe rogantur ut, ob Dei atque animarum amore, sua ipsi. [7] Quod confirmatur verbis S. Thomae in II-II, q. 185 a. 4: « perfectio episcopalis status consistit quod aliquis ex divina dilectione se obligat ad hoc quod salutem proximorum insistat. Et ideo tamdiu obligatur ad hoc quod curam pastoralem retineat quamdiu possit subditis sibi commissis proficere ad salutem... Contingit tamen quandoque quod episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter. Quandoque quidem propter defectum... corporis, puta si sit senex vel infirmus etc. ». [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] (animam suam pro ovibus suis dare). [12] deest. [13] Existimo infirmam esse talia asserentium episcopum si renuntiationem detur praescriptum, publicis civilibus a ministris aequiparabitur, quod eius statum sacrum omnino dedecet. E contra renuntiationem ferunt tanquam meritorium sacrificium in bonum animarum. [14] ratione primatus.

Animadversiones additae:

Ad n. 6, par. autem secunda, dicendum est: *a*) aliud est infirmitas vel alia causa impediens; aliud aetas provecta, quae natura sua impedit, et quidem lege naturali intrinseca; *b*) aliud est renuntiatio voluntaria aliud emeritud (hisp. jubilación). Unde optanda esset sequens redactio: « vel per meritoriam renuntiationem vel per emeritum legitime statutum ».

N. 9. Quaenam sunt negotia « maioris momenti » vicarii generalis, indeque episcopi coadiutoris? Optime esset si aliquod criterium offerre posset.

N. 10. Res delicata! Etenim ex n. 8 episcopus coadiutus nihil, ex negotiis quae ad vicarium generalem iure communi pertinent, potest sibi reservare relate ad coadiutorem curia dioecesana administranda, quam tribuit tantum vicario generali.

Melius quod de hac re nihil dicatur, etenim pendet ab illa quaestione de numero vicariorum generalium, est res nimis technica, unde non apte conciliaris; mittatur ergo ad technicos.

Et melius quam hoc punctum controversiarum et dissensionum duorum vicariorum generalium, quorum unus episcopus, consecratus est, esset si vicarius generalis sit ipse episcopus coadiutor, et hic habeat delegatum vel delegatos ad curiam dioecesanam administrandam.

N. 11. Cum iam exposita fuerint criteria obiective necessitatis (bonum animarum) non procedit relinquere criteriis subiectivis absolutionem ipsius rei (« ne renuat episcopus »). Similiter in par. 2 criteria obiectiva agitantur (« territorii nimia amplitudo » - « nimis incolarum numerus ») et postea solutionem commendatur criteriis subiectivis, quod non procedit (« episcopus satagat ... »). Melius est ut simpliciter dicatur: « Par. 1. Si ob peculiarem dioecesis conditionem bonum animarum id exigat, competens auctoritas auxiliarem episcopo dabit ».

« Par. 2. In casu nimiae territorii amplitudinis vel nimii incolarum numeri, competens auctoritas dioecesim dividet vel dismembrabit, aut saltem unum pluresve auxiliares concedet ».

N. 12. Non placet! Dignitas autem auxiliaris qui consecratione episcopali gaudet, exigit ut sub nemine nisi sub episcopo auxiliato, in dioecesi sit. Unde sit facultatibus vicarii generalis praeditus, et vicarius generalis sub ipso sit.

N. 15. Non placet! etenim auxiliaris vel si plures unus ex auxiliaribus, administrator apostolicus vel patriarchalis aut vicarius capitularis praescriptive ab ipso iure sit omnino oportet.

Scandalum enim semper provocat quod episcopus auxiliaris sub mero presbytero esse possit. Non decet quod capitulum cathedrale sit supra episcopum consecratum ullo modo.

N. 16. Christifideles necnon sacerdotes omnino admirantur, quod dioecesis ratione infirmitatis et provectioris aetatis episcopi, re capite caret et veluti paralysi pastorali laborat. Proinde haec redactio proponitur:

« Cum episcopi residentiales ceterique in iure ipsis aequiparati ob permanentem valetudinis defectum aliamve gravem causam munus pastorale minus apte adimplere possint, Apostolica Sedes vel pro orientalibus competens auctoritas recto dioecesis regimini congruenter providebit, sive per auxiliarem vel auxiliares, sive per coadiutorem, sive denique per acceptationem meritoriae renuntiationis; vel expleta provecta aetate, per emeriti declarationem legitime statutam ».

Hac quaestione cum magno episcoporum numero collata tum residentialium tum coadiutorum et auxiliarium sententiam communem esse inveni, necessariam omnino iudicari, propter bonum animarum, determinationem concretam per statutum factam, aetatis cessationis, tum episcoporum, tum aliorum officiorum gubernii, in quo criteria exponantur, quae postea unicuique nationi, vel regioni applicentur; diversissimae enim circumstantiae in mundo dantur et possunt dari in futurum quoad activam longaevitatem.

Quod si statutum non daretur, quaestio proposita staret, perpauci enim erunt qui sua sponte, experientia teste, episcopatum abdicent, miratio vel potius scandalum fidelium sequetur ante statum deplorabilem aliquarum dioecesium, quamvis sit solutio quaestionis ineptitudinis episcopi residentialis aevo confecti, vel morbo correpti cooptatione episcoporum coadiutorem vel auxiliarem, qui raro (ita omnes quos audivi existimabant) possunt mutare vel emendare dioecesis conditionem, causis omnibus cognitis.

Praeterea alii atque alii causam satis frequentem iterarunt: Quo senior et hebetior est episcopus residentialis, eo magis regimine dioecesis episcopum arcet maxime coadiutorem vel etiam auxiliarem, et magis suam fiduciam in manibus committit sive vicarii generalis sive alicuius membri curiae dioecesanae, qui ex causis obviis et humanis vix alia in regimine dioecesis expedit quam quae scit voluntatis episcopi sui esse.

N. 16. Ad paragraphum secundam. Nihil dicatur de officii collatione, hoc enim supponitur et magis pendet ab unoquoque casu et concreta possibilitate. Sufficit ut statuantur duo principia, scil.: *a*) sufficienter et decore provideatur renuntianti congrua sustentatio; *b*) honori renuntiantis decore attendatur, etenim semper episcopus consecratus in Ecclesia manet.

Quoad primum haec sunt respicienda: *a*) multae sunt dioeceses quae facile huic consentaneae et dignae sustentationi providere possunt; *b*) aliquae nationes per suum gubernium huic necessitati subveniunt, saltem quadam proportione; *c*) Sedes Apostolica potest dioeceses ditiores rogare, ut accessiones in eis fiant, quas ipsa Sancta Sedes inter episcopos indigentes distribuat; *d*) denique, his tribus perspectis, si aliquot etiam episcopi essent, qui congrue vivere non possent, ipsius Sedis Apostolicae cura essent.

Quoad secundum. Si ita episcopus residentialis mavult in ipsa dioecesi manere

poterit, immo in ipsa domo, sedi episcopi destinata, ut molestiae mutationis evitentur. Cuncti honores episcopi residentialis proprii tribuantur. Episcopus successor, maximam erga eum caritatem et observantiam adhibebit, eum invitando ut functiones pontificales aetati convenientes et viribus peragat, etc.

10

EXC.MUS P. D. EDMUNDUS NOWICKI

Episcopus tit. Thuggensis, coad. s. d. Gedanensis

Venerabiles Patres, carissimi Auditores et Observatores,

Liceat mihi circa cap. II — nomine quoque episcoporum Poloniae in Urbe coadunatorum — sequentia humiliter proferre, *oretenus intra fines temporis aulici, reliqua scripto.*[1]

1. ...[2] *De titulo capitis.* Titulus, qui inscribitur de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus, minime adaequari videtur materiae in hoc capite contentae. Caput enim nostrum non solum de coadiutoribus et auxiliaribus tractat sed de ipsis quoque episcopis residentialibus ac quidem de eorum quibusdam obligationibus et immo de eorum renuntiatione a munere...[3]

Quibus attentis proponitur titulus: « de episcoporum regiminis munere necnon de coadiutoribus et auxiliaribus »...[4]

4. Pag. 9, art. 6, *de prooemio.* Textus prooemii minime placet, cum: *a*) incipiat seu proficiscatur a difficultatibus in regendis dioecesibus atque in difficultatibus illis persistat, dum potius positive, seu a normis recti regiminis, proficiscendum et rectum regimen positive curandum videatur; *b*) cum regulae, in hac sacra aula pluries accennatae, ne schemata nimis ad singula descendant, sese opponere videatur, varios casus difficultatum in regendis dioecesibus enumerans ad instar commentarii quasi scholaris. Quae autem enumeratio eo magis vitanda videtur, cum minime taxativa evaserit ac insuper enumeratae difficultates regimen non solum dioecesis sed aliquando universae Ecclesiae afficere possint ac soleant, experientia teste; *c*) cum in prooemio, saltem partim proferantur verba, quae postea in articulis ...[5] non solum repetuntur, sed imo contradictorie sonant. Quod in specie apparet quod ad renuntiationem episcopi. Dum enim in prooemio — lin. 10 — difficultas e praepeditione episcopi orta « ordinarie » non aliter superanda dicitur quam per renuntiationem episcopi, in art. 16 statuitur, difficultati illae ordinarie per instituta coadiutoris seu auxiliaris obveniendum esse...[6]

Quibus attentis, loco praesentis textus prooemii submisse propono sequentem: « In regendis dioecesibus muneri pastoris ita providendum

est, ut bonum dominici gregis suprema sit lex. Quae supremae legi, ut satisfiat, pro variis causae vel personae circumstantiis instituta iuvant coadiutoris et auxiliaris provide circumscripta ac ordinata, aliquando vero ipsa episcopi a munere renuntiatio ».

5. Pag. 9, art. 7: *de notione coadiutoris et auxiliaris*. Prouti ex textu articuli apparet, institutum coadiutoris sedi dati derelinqui intenditur, quod autem opportunum minime videtur attenta non solum utilitate sed aliquando prorsus necessitate praemissi instituti pro bono dominici gregis in variis S. Ecclesiae circumstantiis, non solum historia sed moderna quoque experientia teste ac probante.

Ne dicatur, institutum illud Sedi Apostolicae praesto esse, etsi a iure communi provisum non fuerit, etenim praecise in iure communi explicite provisum esse debet, ut sine Ecclesiae damno aut difficultatibus applicari possit variis in perplexis circumstantiis praesertim politicis vel nationalibus populorum...[7]

Quibus omnibus sedulo consideratis, sequens humiliter textus proponitur: « Coadiutor episcopo aut sedi datur cum iure successionis; auxiliaris vero datur episcopo sine iure successionis ».

6. Pag. 9, art. 8: *de facultatibus coadiutoris*. In linn. 27-28, deleantur verba: « nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». Clausula enim haec summopere nociva apparet unitati regiminis ac bono pacis, quod cum moderamine sit dictum. Episcopus potius dimittendus est, quam ut eius potestas ita suspendi debeat prouti a praedicta clausula providetur. Si autem in aliquo extraordinario casu talis suspensio revera necessaria esset, statuto par. 2 sat superque provisum est...[8]

10. Pag. 10, art. 12, ...[9] lin. 33: loco textus praeiacentis legatur: « Insuper episcopi est auxiliari necessarias et opportunas facultates tribuendi, quibus officium suum efficaciter explere valeat ». Ratio est, ut textu magis generaliter sonante, unitati regiminis consulatur ac dissensionibus praecaveatur.

c) In lin. 38, post verbum « valeat » addatur: « Rationes vero pastorales ac unitatis regiminis, particularibus considerationibus exceptis, suadent, ut auxiliari munus committatur vicarii generalis ». Ratio haec est: auxiliaris non tantum ratione pontificalium ac S. Confirmationis expostulatur, sed potius ratione vivi ac frequentissimi contactus fovendi cleri populique cum viro charactere episcopali insignito, quippe qui contactus hic tantopere animis saluberrimus apparet. Iamvero praecise vicarius generalis, vi officii sui, contactum quotidianum cum clero populoque fovet vel fovere debet. Ideo, si episcopus sit, charactere suo episcopali gratiae divinae viam parare efficacius potest et re vera solet...[10]

14. Pag. 11, art. 16. *Quandonam commendanda sit episcopi renuntiatio.* Quod ad hunc articulum praemitti deberi videtur, quod sequitur. Traditio S. Ecclesiae viginti fere saeculorum quasi sacrosanctam sancivit regulam, vinculum inter episcopalem pastorem et gregem populi Dei non prius nisi morte solvi debere, minime vero ingravescente aetate vel ob permanentem valetudinis defectum. Sapientissime quidem. Etenim hodierna quoque experientia probante, senectus pastoris ratione auctoritatis et meritorum, munus eius pastorale summopere iuvat vel iuvare solet magna cum Dei et Ecclesiae gloria, etsi ob defectum virium implendo quotidiano oneri minus aptus evaserit.

Similiter haud raro auctoritas episcopi, physice permanenter inhabilis, tanta est, ut pro bono animarum in munere persistere debeat, adiuvante solummodo vicario generali.

In utroque casu renuntiatio episcopi magno cum damno animarum et Ecclesiae esset.

Quapropter praedicta sapientissima regula in nostro schemate primum obtineat locum.

Insuper caute in re de renuntiatione episcopi loquendum videtur, ne ex anxietate conscientiae inopportunae renuntiationes sequantur. Quapropter in linn. 27-28 deleantur verba: « vel ob ingravescentem aetatem », et legantur: « ob permanentem virium vel valetudinis defectum ».

In lin. 29 post verba « apti evaserint » addantur verba: « ita ut dioecesis vel sanctae Dei Ecclesiae detrimentum pati censeantur »...[11]

Si vero in aliquo casu persistentia episcopi in munere detrimento revera esset, videtur renuntiationem non tantum laudandam et expetendam, sed uti obligationem conscientiae imponendam esset.

Ideo in lin. 29 verba « enixe rogantur » substituantur verbis: « obligatione conscientiae teneri se sentiant ».

Neque sola generalis monitio de obligatione renuntiationis *in hoc casu* [12] sufficere videtur, ne theoretica evadat, eo vel magis cum nemo sit iudex in causa sua. Proinde proponitur, ut episcopus in concreto casu a metropolita et a praeside coetus episcoporum ad renuntiationem adhortetur.

Proponitur igitur *textus art. 16 sequens:* [13] « § 1. Regulam saluberrimam traditio Ecclesiae sanctae sancivit, episcopum vinculo patris ac pastoris cum commisso sibi dominico grege coniungi usque dum morte solutum fuerit.

« § 2. Si autem episcopus residentialis ceterique in iure ipsis aequiparati ob permanentem valetudinis vel virium defectum, aliamve gravem causam implendo pastorali munere minus habiles evaserint ita ut dioecesis vel sancta Dei Ecclesia detrimentum pati censeatur, cui

constitutione neque coadiutoris neque auxiliaris congruenter praecaveri possit, obligatione conscientiae teneri se sentiant, ut ob Dei atque animarum amorem sua ipsi sponte renuntiationem a munere faciant.

« De praedicto autem imminenti detrimento pastores praemissos monere ius et officium est penes metropolitam seu patriarcham ac praesidem nationalis episcoporum coetus vi decisionis absolutae maioris partis eorumdem per suffragia secreta prolatae »...[14] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Pag. 9. [3] Insuper titulus solummodo coadiutores personae datos respicit, dum prouti infra dicetur, coadiutores quoque sedi certo certius dari debebunt. [4] 2. *De ordine capitum schematis.* In schemate quod inscribitur *de episcopis ac de dioecesium regimine* primum fieri debere videtur caput praecise de episcopis eorumve munere ac demum deinde de eorum rationibus ad S. Sedem, ad eorum coetum etc. Proponitur proinde ut praesens cap. II fiat cap. I. 3. *De materia capitis supplenda.* In schemate, quod inscribitur *de episcopis ac de dioecesium regimine* re sane vera nihil fere habetur de ipsa dioecesium regimine, exceptis nonnisi generalibus de coadiutoribus et auxiliaribus necnon de paroeciarum erectione ac circumscriptione. Quapropter materia cap. II supplenda videtur principiis saltem de regimine dioecesis, in specie vero de moderno conceptu curiae dioecesanae, eo vel magis cum neque in schemate *de cura animarum* quidquam inveniatur de curia dioecesana. [5] (e. g. quod ad unitatem regiminis, ad renunciationem episcopi etc.). [6] renunciatio autem tunc tantum necessaria dicitur, quando praedictis institutis difficultas superari nequeat; *d*) dum primo generi difficultatum, nempe ratione personae, additur: « aut alia gravi causa », difficultatibus alterius generis, ratione nempe rei, clausula haec minime adiungitur, etsi haud minus necessaria appareat; *e*) in prooemio sermo fiat de circumscriptione dioecesis, dum causa haec pertineat ad cap. IV. [7] Neque placet propositio facta in Emendationibus pag. 15, n. 89, ut nempe derelinquatur distinctio inter coadiutorem episcopo et sedi datum et statuatur e contrario coadiutor solummodo sedi datus. Etenim institutum coadiutoris episcopo dati consonat cum novissimo orientalium codice et insuper praecise distinctio illa in supra dictis circumstantiis saluberrima apparet. [8] Tandem omissione praedictae clausulae statutum par. 1 eo ipso applicatur utrique formae instituti coadiutoris. 7. *Pag. 10, art. 9. De relatione inter coadiutorem et coadiutum. a*) In lin. 8 omittatur verbum « et »; *b*) in lin. 9 post verbum « omittat » addatur « sive per se sive per vicarium generalem praecipua acta curiae ei referat eumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam ». Ratio primi est, ut addi possint verba ad *b*); ratio secundi est, ut transferantur opportune modificata verba in paragrapho 2 art. 10, linn. 15-20 contenta, inibi haud sine detrimento pro auctoritate coadiuti, ideo pro unitate regiminis, sonantia. Relinqui episcopo oportet modus quo coadiutorem certiorem faciat. Insuper patet neminem posse duobus dominis servire, quod autem praecise praecipitur vicario generali, cum statuatur ipsum oboedire debere et coadiuto et coadiutori. 8. *Pag. 10, art. 10. De relationibus inter coadiutorem et vicarium generalem.* Textus huius articuli minime placet, cum auctoritati episcopi et unitati regiminis obstet, prout supra dictum est. Insuper contradictio videtur inter statutum lin. 11 « potestas coadiuti

integra ex se manet » et statutum art. 8, linn. 27-28 « nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». Proponitur proinde sequens eiusdem articuli redactio, ratione habita art. 8: « Relationes inter coadiutorem et vicarium generalem. § 1. Si coadiutor sedi datus cum iuribus episcopi residentialis constitutus fuerit, inde a die quo officium susceperit, cessant a munere vicarii generales, facta coadiutori facultate eos denuo nominandi. § 2. Si coadiutus vicarium generalem habeat vel nominaverit, eiusdem est statuendi quaenam officia et potestates in administranda universa dioecesi competat coadiutori quaenam vero vicario ». 9. *Pag. 10, art. 11. Quandonam auxiliaris* expostulandus sit. *a*) In linn. 21-22 omittantur verba « si ob peculiarem dioecesis condicionem ». Ratio est, cum verba illa non solum superflua sint, sed insuper suggerere videantur auxiliarem expostulandum esse solummodo ob dioecesis, non autem ob episcopi condicionem. Minime vero excludi deberi videtur possibilitas expostulandi auxiliarem ob episcopi quoque condicionem; *b*) in lin. 23 verbum « auxiliarem » substituatur verbis « unum pluresve auxiliares »; *c*) tota par. 2 deleatur, cum de divisione et dismembratione sermo fiet in cap. IV. [9] *De facultatibus auxiliaris. a*) Linn. 29-32. Loco textus praeiacentis legatur: « Iura et officia necnon facultates auxiliaris ad munus rite adimplendum a iure communi definiantur seu concedantur ». Ratio est, cum bono communi melius consuli videatur si iura et officia necnon facultates auxiliaris, in casibus communiter contingentibus constituti, apprime e normis iuris communis noscantur. Iamvero par. 1 praecise de constitutione auxiliaris in casibus communiter contingentibus loqui videtur, cum de casibus particularibus habeatur in par. 2; *b*) linn. 33-37. [10] Insuper novus hic textus episcopum iuvare intendit pro casu quo auxiliaris, privata sua sequi volens, munus vicarii generalis abhorret. *d*) In linn. 37-38 verba « ne deleget » substituantur verbis « delere non soleat ». Ratio est, ut unitati regiminis consulatur, dissensionibus praecaveatur. 11. *Pag. 10, art. 13. Relationes inter plures auxiliares.* Articulus hic omnino deleatur, cum nimis et haud necessario sese immisceat in regimen dioecesium, quarum circumstantiae ideoque necessitates pervariae esse solent in distributione officiorum. 12. *Pag. 11, art. 14. Relationes inter auxiliarem et episcopum. a*) in lin. 10 deleatur verbum « residentiali », cum auxiliaris dari soleat, immo aliquando debeat, non solum episcopis residentialibus, sed etiam administratoribus, vicariis capitularibus, coadiutoribus sedi datis etc. *b*) Post lin. 11 addantur verba: « de cetero standum est, congrua congruis referendo, principiis de quibus in art. 9 ». Ratio est, cum, dum in art. 9 opportuna principia de mutua reverentia deque fraterno amore inter coadiutorem et coadiutum prolata sunt, in art. 11 autem, etsi non minus opportuna, omissa sint. 13. *Pag. 11, art. 15. Facultates auxiliaris sede vacante.* In lin. 15 post verba « non exspirant » addantur verba: « sedis vacatione durante ». Ratio est, cum circumstantiae particulares propter quas auxiliaris speciales potestates ac facultates obtinuerit, novo episcopo constituto cessare potuerint ideoque praemissae potestates et facultates minime fundatae apparent, immo forsan unitati regiminis obstare possint. [11] Verba « S. Dei Ecclesia » proponuntur, cum, uti patet, persistentia episcopi aliquando magis Ecclesiae quam dioecesi damno esse potest. [12] deest. [13] sequens lectio art. 16. De perpetuitate muneris episcopi ac de renuntiatione. [14] 15. In lin. 33 post verbum « sustentatio » addantur verba « praeprimis e parte dioecesis a qua atque... ». Ratio est cum fons sustentationis explicite determinandus videatur.

11

EXC.MUS P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

Venerabiles Patres conciliares,

Ad cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* ...[1] et quidem ad n. 12 pag. 10 nonnullas animadversiones quoad episcopos auxiliares facere mihi liceat.

Sine dubio munus et conditio episcopi auxiliaris ex natura rei difficilia sunt. Ideo tam ex parte episcopi Ordinarii quam ex parte auxiliaris sensus delicatus honestatis et caritatis requiritur. Hac ex causa sequentia exprimenda videntur:

1. In schemate bene dicitur dignitatem characteri episcopali inhaerentem magis in tuto poni debere.

Iuri praecedentiae in C.I.C., praesertim quoad capitulum cathedrale in can. 408 satis provisum est, ubi dicitur dignitates aut capitulares charactere episcopali ornatos omnibus dignitatibus ac canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis praecedere.

Utile etiam esset, si expresse statueretur, ut in officiis sacralibus ecclesiae cathedralis episcopus auxiliaris ius habeat munere vicarii loco episcopi Ordinarii fungendi, si Ordinarius ipse sit impeditus, ne praeses capituli in ordine episcopali non constitutus hoc privilegium pro se ipso postulare valeat.

2. In n. 12 cap. II episcopus monetur ut auxiliari suo opportunas facultates non solum in pontificalibus peragendis, sed etiam in administranda universa dioecesi committat. Intentio, quae maiorem aestimationem muneris episcopi auxiliaris procurare vult, certo laudanda est. Revera diversa officia ad totam dioecesim spectantia et quidem officia maximi momenti, praesertim in campo pastorali, episcopo auxiliari tradi possunt. Etiam omnino suadendum est, ut episcopus auxiliaris simul cum vicario generali pertineat ad membra principalia consilii dioecesani, quo episcopus residentialis permanenter ad regendam dioecesim utitur.

Sed ex altera parte, uti in schemate ipso dicitur, unitas regiminis dioecesani omnino salvari debet. Haec unitas autem valde cohaeret cum officio vicarii generalis.

Munus vicarii generalis in iure ecclesiastico provisum est, quia generatim rectum dioecesis regimen id exigit. Est « alter ego » episcopi et constituitur in eius adiutorium, imprimis ut episcopus quam maxime

ab officiis administrationis liberetur et eo magis muneri pastorali et sacerdotali se dedere possit.

Hic finis autem perfectissimo modo attingitur, si vicarius generalis est unus tantum, quod etiam in C.I.C. (in can. 366) tamquam norma generalis constituitur. Scimus utique in nonnullis regionibus plures vicarios generales in dioecesibus existere; sed talis praxis secundum nostrum iudicium minus commendanda est. Tunc enim difficile est unitatem regiminis dioecesani salvare, nisi episcopus ipse iterum ex magna parte officium administrationis et coordinationis vult reassumere. Tali modo autem esset quasi sui ipsius vicarius generalis.

Ex his rationibus generatim non est conveniens episcopo auxiliari illas facultates committere quae spectant ad regimen dioecesis stricte dictum.

Tales facultates sunt v. g. regimen cleri, collatio officiorum et beneficiorum, cura temporalium et administratio omnium rerum, quae cum oeconomia dioecesis et parochiarum cohaerent, relatio quoad quaestiones fundamentales inter episcopum et gubernium status, actus propriae iurisdictionis episcopalis etc.

Haec omnia convenienter in manu vicarii generalis maneant, ut res diversissimae in nomine episcopi Ordinarii bene coordinentur et unitas regiminis dioecesani prudenter salvetur.

Nec commendare possumus ut episcopus auxiliaris ipse tanquam vicarius generalis et quidem unicus constituatur. Ratio est, quia auxiliaris generatim habetur ibi, ubi amplitudo dioecesis id exigit. Munus eius principale est, ut episcopum adiuvet in verbo Dei praedicando et in functionibus pontificalibus et pastoralibus, insuper in visitationibus paroeciarum. Si in magna dioecesi auxiliaris simul munus vicarii generalis assumere deberet, tunc nec sibiipsi nec indigentiis dioecesis bene intellectis serviret.

Conclusio. Preces mea est, ut in n. 12 § 1 ultima pars hoc vel simili modo mutetur: « Quodsi in Litteris constitutionis provisum non fuerit, velit episcopus auxiliari suo opportunas facultates ad totam dioecesim spectantes committere, et quidem facultates maioris momenti, quibus auxiliaris non solum in pontificalibus peragendis sed etiam in pastoratione universae dioecesis officium suum efficaciter explere valeat.

Cavendum tamen est, ne facultates auxiliari datae muneri vicarii generalis et unitati regiminis dioecesani derogent ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (i. e. de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus).

12

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Humiliter velim quaedam proponere ad nn. 10 et 15 huius schematis de episcopis. Credo enim, ni fallor, digna esse ut audiantur et a Patribus considerentur, eo quod petunt ...[1] ut dioeceses rectius et suavius moderentur.

Prima animadversio se refert ad n. 10 schematis et agit de opportunitate privandi capitulum cathedrale, ...[2] facultate eligendi vicarium capitularem sede vacante, non obstantibus iis quae in n. 15, par. 2, et in nota 11 dicuntur. En rationes huius petitionis:

1. Quia iam dudum S. Sedes ad suppressionem huius iuris capitularis propendere videtur. Nam cum agitur de vacatione sedis per episcopi translationem ad aliam sedem, Romanus Pontifex vicarii capitularis electionem vitare solet, constituendo episcopum translatum tamquam administratorem apostolicum dioecesis *a qua,* usque ad captam novi episcopi possessionem.

2. Huic propensioni favet experientia saepe repetita. Etenim notum est quot scissiones, contentiones, quandoque etiam rixae, inter capitulares oriantur occasione electionis vicarii capitularis. Unde saepe evenit ut neque dignior eligatur, neque electus sufficienter provideat bono nomini episcopi defuncti, cum non parvo aliquando fidelium scandalo...[3]

3. Bonum Ecclesiae postulare videtur ut haec incommoda tollantur: hoc autem facile fieri posset lege generali quae statueret: vel viciniorem episcopum, qui administraret dioecesim sede vacante; vel administratorem apostolicum a S. Sede designatum; vel etiam vicarium generalem defuncti episcopi, qui interea gubernaret dioecesim pastore orbatam. Hac postrema ratione vicarius generalis, episcopi defuncti personam eiusque regiminis modum veluti continuator esset.

Secunda animadversio se refert ad n. 15 schematis et insinuat convenientiam creationis in dioecesi duorum vel plurium vicariorum generalium, attentis principaliter necessitatibus externi apostolatus. Hoc proponam ut clarius explicetur sensus n. 10, par. 1 et notulae 4.

1. Perspicuum enim est quod episcopus, iure divino, duo munera, inter alia adimplere tenetur: munus gubernandi et munus pascendi oves sibi commissas. Res enim quas episcopus in regimine dioecesano peragere debet quandoque disciplinares sunt et simpliciter iuridicae; quan-

doque vero ad munus pastorale maxime attingunt. Haec duo genera munium, de cetero, bene cohaerent cum duplici Ecclesiae charactere: character nempe socialis et iuridicus et character vitalis et mysticus. Ecclesia enim simul est et populus ac societas visibilis et corpus supernaturaliter vivum.

2. Huic duplici characteri respondent duo munera et iuridicum et pastorale. Primatum tamen indubie habent quae ad pastoralem curam pertinent. Prius est enim vita quam disciplina; prius gratia quam ius. Ius enim et disciplina ad vitam supernaturalem et ad gratiam habendam ordinantur.

3. Accidit tamen ut negotia disciplinaria et ad ius pertinentia magis in dies multiplicentur, ita ut attentio ad curam pastoralem difficilior evadat, in complexu dioecesano. Cum vero necesse potissimum sit ut episcopus praesens sit et vigilans et movens, praecipue in pastoralibus, hinc videtur oriri necessitas vel saltem utilitas summa multiplicandi vicarios generales ut pastoralibus necessitatibus provideatur...[4]

Postulo ergo ut unus vel plures vicarii generales instituantur, si fas est, ita ut nihil eorum quae ad apostolatum pertinent, nihil quae ad opera caritatis et educationis, nihil quae ad pietatem et moralitatem fovendam attinent in dioecesi sine efficaci attentione et servitio maneant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] efficacitatem. [2] (in iure proxime condendo). [3] vel desaedificatione. [4] Nostrae enim curiae episcopales non possunt esse mera instrumenta iuridica et disciplinaria, certe necessaria, sed active promovere, praevidere et coordinare debent opera ita complexa apostolatus externi, sive sacerdotum, sive laicorum.

13

REV.MUS P. D. BENEDICTUS REETZ
Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres,

Art. 16 cap. II nostri schematis inscribitur: *Quandonam commendanda sit episcopi renuntiatio.*

Forsitan vobis non displicebit audire sententiam abbatis, qui non est episcopus, circa hanc delicatam ac vere difficilem quaestionem, quae tamen etiam abbates tangit, qui secundum traditionem ab immemorabili ad dies vitae eliguntur et benedicuntur.

Inconcussum semper maneat principium: episcopus secundum natu-

ram sui muneris et consecrationis, nominatur vel eligitur ad dies vitae. Constituitur *pastor et pater* suae dioeceseos, cum qua vinculo perpetuo unitur, vinculo quasi matrimoniali, sola morte solvendo, *sicut aperte dicitur in consecratione episcopali in pontificali romano.*[1] Hinc anulum fidei in digito habet sicut sponsus Ecclesiae ei concreditae. Hoc principium in hoc capite enunciari deberet; *factum non est.*[2]

Paternitas spiritualis et supernaturalis, quam antistes in fideles suos exercet et vivit, ex natura sua perpetua est, sicut paternitas naturalis. Inter omnes constet hanc comparationem claudicare, quia non est eadem in omnibus ratio in paternitate spirituali et naturali. Evidenter tamen apparet ex tota historia Ecclesiae episcopos ut in pluribus usque ad mortem sedem suam episcopalem occupasse.

Sensus communis fidelium, qui seipsos ut filios episcopi considerant, hac in re omnino clarus et evidens est. Fideles, qui revera cum Ecclesia sentiunt, semper magno dolore afficiuntur resignatione episcopi suae dioeceseos, eodem modo ac si terra ingenti concussu moveretur. Sensus fidelium hac in re certe non est spernendus.

Inconcussum ergo stet principium supra enuntiatum. *Sed*[3] principia optima et verissima montibus comparantur, sed montes, *etiam*[4] altissimi, perfodiuntur quandoque foramine — « traforo », « tunnel », *vel iuxta dictionarium em.mi card. Bacci*[5] « cuniculo » —. Sic etiam principium de perpetuitate episcoporum in sede sua exceptiones patitur, quae regulam generalem non tollunt sed valde confirmant. Si e. g. arch. Mediolanensis ad cathedram Romanam eligitur, si ep. Herbipolensis ad sedem Berolinensem et postea ad sedem Monacensem transfertur ...[6]: adsunt revera rationes speciales et specialissimae, quae ut exceptiones a regula communi haberi debent. Etiam S. Petrus sedem suam Antiochenam ...[7] Romam transtulit, *et ideo duo habemus festa cathedrae S. Petri: hic Romae et Antiocheni.*[8]

Sunt tamen *certae rationes* quae suadent aliquando ut episcopus dioeceseos regimini renuntiet illudque committat in spiritualibus et temporalibus *episcopo coadiutori.* Tales rationes sunt *illae quae enumerantur in schemate*[9] vel etiam imbecillitas mentis vel mentis alienatio, in quam unusquisque nostrum incidere potest.

Art. 16 huius capitis optime providet de eo, quod in hoc casu sit faciendum, scil. quando bonum commune expostulat, ut regimini dioeceseos provideatur, episcopo adhuc vivente sed physice vel spiritualiter incapace munus episcopale adhuc exercendi. Puto tamen — hanc sententiam omni qua par est humilitate, discretione et scrupulositate profero, salvo meliori iudicio — puto tamen, quod hoc in casu antistitem, qui forsitan per viginti et plus annos laudabiliter episcopus Coloniensis,

Parisiensis, Londinensis vel Tarraconensis fuit, non esse transferendum ad sedem in partibus infidelium, v. g. in Velebusdum vel Dorylaeum vel aliam sedem ignotam, sed eum retinere debere nomen et titulum illius sedis, cui tot labores vitae suae consecravit. Coadiutor retineat nomen coadiutoris usque ad obitum praedecessoris sui. (In uncis tamen addere velim optimam habere significationem quod episcopis titularibus *antiqua sedes,* assignetur, ut ita successio apostolica fortiter praedicetur).

Principium enuntiatum de perpetuitate episcoporum confirmatur ex eo quod nemo nostrum dubitat de perpetuitate Summorum Pontificum. Divina providentia, « quae in sua dispositione non fallitur », in tota historia Ecclesiae nobis dedit Summos Pontifices, qui non debuerunt renuntiare muneri suo propter vires corporales vel spirituales deficientes et quotidiana oratio Ecclesiae exaudita est: « Dominus conservet eum et vivificet eum... », et adiungere possumus: « sanum eum semper custodiat ».

Concludo. Perpetuitas episcoporum ut principium inconcussum servetur, paucis exceptionibus concessis. Sancta Mater nostra Ecclesia est institutio sui generis, cum propria sua structura, non est institutio essentialiter naturalis, sed supernaturalis, est institutio a Spiritu Sancto vivificata ac proinde spiritualis, non est institutio democratica, sed monarchica et patriarchalis, non est institutio mere iuridica vel administrativa, sed Corpus Christi mysticum plenum gratiae et veritatis et vitae divinae. Est institutio cuius radices non inveniuntur in hac terra sed in caelo, in sinu Patris. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] (si abbas Secoviensis fit archiabbas Beuronensis). [7] in urbem. [8] (festum Cathedrale S. Petri). [9] permanens valetudinis defectus, aetas ingravescens.

14

Exc.mus P. D. ANTONIUS CAILLOT

Episcopus tit. Bononiensis, coad. c.i.s. Ebroicensis

Venerabiles Patres,

Iuxta usum, in Ecclesia latina vigentem, episcopis non residentialibus, tituli conferuntur venerabilium Ecclesiarum, nunc plane exstinctarum, olim autem splendentium fortitudine suorum martyrum, et fervore suorum fidelium.

Attamen, huiusmodi usus hodie non amplius respondet verae missioni, quae episcopis titularibus committitur.

Breviter rationes afferre vellem, propter quas, mea sententia, talis usus abolendus est.

1. *Ratio theologica.* Ultima hebdomada statuta est, in hac aula, collegialitas episcopatus. Nunc autem, nonne per ipsum sacramentum Ordinis episcopus vere et plene adnumeratur collegio episcopali?

2. *Ratio pastoralis.* Episcopus non residentialis ad munus pastorale in Ecclesia reapse deputatur, sicut apparet ex ipso textu liturgico: « Praedica populo tibi commisso ». Nunc autem, titulo qui ei tribuitur minime correspondet populus evangelizandus; hic titulus est mera fictio geographica. Quanto melius ergo esset, episcopum designare nomine ipsius dioeceseos, in qua revera munere suo pastorali fungitur! V. g., dicendo: « Episcopus coadiutor vel auxiliarius huius vel illius dioeceseos ».

Quando episcopus residentialis propriae sedi renuntiat, in suo corde pastorali amorem retinet suae dioeceseos, preces quotidianas pro ea effundit, necnon afflictiones et cruces aetatis vel aegritudinis, et hoc autem usque ad mortem. Quare ergo, non ei permitteretur, etiam titulum retinere, ut esset, verbi gratia: « Episcopus emeritus huius vel illius dioeceseos? ».

3. *Ratio oecumenica.* Nonne insolitum videtur, quod Ecclesia catholica romana conferat episcopis ritus latini nomina urbium, quae in oriente exstiterunt? Recordamini, hac de re, qualem urbanitatem demonstravit Pontifex Leo XIII, erga Ecclesiam Angliae, quando repristinavit hierarchiam in illa natione: etenim, novis episcopis etiam novas sedes tribuit.

4 et ultimo. *Ratio convenientiae.* Nomen quod imponitur episcopo titulari, causa est stuporis, tum apud fideles, cum apud infideles. Saepius etenim vix cognosci potest historia vel situs huiusmodi tituli, et ad doctissimos discipulos S. Benedicti recurrere debemus, ut aliquid, hac de re, noscamus, et non raro, proh dolor! comperitur, quod, titulus nonnisi ruinas designat, ad quas episcopus ne quidem accedere potest!

Concludendo, sequentes emendationes proponerem:

1. Episcopis coadiutoribus vel auxiliaribus conferatur titulus ipsius dioeceseos, ad quam deputantur a Summo Pontifice.

2. In dioecesibus maioris extensionis, episcopi auxiliarii, sub auctoritate inconcussa episcopi residentialis, committantur ad munus apostolicum determinatum, pro una speciali parte dioeceseos, in spiritu sic dictae « Pastorale d'ensemble », i. e., in spiritu actionis pastoralis communitariae.

3. Episcopi qui generalem missionem adimplent, ut sunt nuntii apo-

stolici, secretarii Congregationum, rectores Universitatum, titulo designentur illius muneris, quo revera funguntur pro bono Ecclesiae.

4. Qui autem propriae sedi renuntiant, titulum retineant « Episcopi emeriti illius dioeceseos ». Dixi.

15

Exc.mus P. D. PEREGRINUS DE LA FUENTE

Episcopus tit. Mylasensis, prael. nul. Batanensis et Babuyanensis

Venerabiles Patres,

Schema nostrum, de quo nunc sermo, in genere placet cum omnia in decretis contenta sensu caritatis « practicae » necnon recto usu supremae regulae « Salus animarum suprema lex » sint plena.

Est tamen in nostro schemate lacuna quaedam seu defectus cui oportet etiam providere congruum remedium afferendo, ita ut ille omnino laudandus sensus caritatis erga episcopos qui munus suum, sive ob senectutem sive ob infirmitatem, exercere efficaciter non amplius possunt, iis etiam fratribus in episcopatu applicetur qui ob causas sibi et Ecclesiae extrinsecas a munere pastorali exercenda impediuntur.

Adsunt quidem in hoc ipso Sacrosancto Concilio pastores sat plurimi qui in huiusmodi infausta condicione versantur, levi relicta ipsis spe, si aliqua, in proximo futuro ad proprium gregem redeundi. In futuro poterunt esse et alii... Et de his qui « pondus diei et aestus portaverunt » ac « pro Christi nomine contumeliam sunt passi », qui adhuc possunt in vinea Domini laborare diligenter, nostrum Sacrosanctum Concilium procul dubio providere deberet et eorum temporalibus necessitatibus et dignitatis honori necnon congruo muneri seu occupationi. Quod ipsi plerumque quasi occultam et omnino ignoratam vitam agant in humilitate et, saepe saepius, in paupertate et oblivione viventes, in ipsorum certe laudem est. Sed non ideo praetermittendi sunt. Eo magis quia uti testes fidei et admiratione digni ab omnibus fratribus in episcopatu necnon a fidelibus habentur, mixta quidem cum magna commiseratione erga illos ob suam praesentem ...[1] condicionem!

Nec dicatur illos plurimos, si non omnes, ad aliquam religiosam familiam pertinere quae illos, uti provisum in Iure Canonico, suscipere tenetur ...,[2] nam

1. Non omnes ad aliquam religiosam familiam pertinent necessario, cum in illa actuali vel etiam praevisa condicione et qui ad clerum sic dictum *regularem* [3] quoque inveniantur vel saltem inveniri possint.

2. Etiam quando agatur de episcopis ex Ordinibus vel Congrega-

tionibus assumptis, non semper, immo fere numquam, eorum vita aeque coordinari potest vitae in communitate religiosa. Nec semper ipsa religio, etsi optimo desiderio et caritate plena, potest congruenter eorum dignitati, prout decet et oportet, providere; eorum servitio ad libitum uti et ad varia officia illos destinare, cum ipsi non sint auctoritati superiorum religiosorum ex iure subiecti.

Sileo de aliis, fere innumeris, difficultatibus indolis practicae quae fere semper oriuntur ex diuturna praesentia istorum episcoporum in domibus religiosis ubi degere tenentur. Difficultates dicam tum ex parte ipsius episcopi cum ex parte religiosae communitatis, et haec quidem neutra partium culpam habente dum certe utraque optima intentione ducatur in omnibus...[4]

Quapropter instanter huic Sacro Concilio proponere audeo ut in decretis huius schematis etiam et de istis episcopis e sua sede iniuste expulsis congrue, uti omnino decet, provideatur. Quod quidem fieri posset sive illos assumendo uti episcopos auxiliares in aliquibus maioribus dioecesibus (cum iisdem iuribus atque privilegiis ac ceteri auxiliares) sive illis a S. Sede commendando congrua aliqua munera seu officia, sive domum uno alterove modo providendo ut ipsis ne desint neque conveniens officium et temporalia auxilia, neque alia congrua honoris et dignitatis privilegia.

Optandum ergo esset ut post n. 16 cap. II nostri schematis alius numerus, qui esset 17, adderetur haec vel similia statuens: « (*Episcopi et praelati e sua sede iniuste expulsi*). Pro episcopis et praelatis, qui vi coacti suum gregem relinquere atque in suam patriam reverti coguntur, Apostolica Sedes congrue providebit ne illis desint auxilia temporalia, digna occupatio, necnon honoris privilegia, perdurante exilio, quae illis decent »...[5] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] miseram. [2] etc. [3] saecularem. [4] Si non creditis, potestis illos interrogare. Ipsi de se loquantur, nam aetatem habent! [5] § 2. Optandum existimat hoc Sacrosanctum Concilium ut huiusmodi praesules alicui episcopo dentur in auxiliares « ad tempus » h. e. perdurante illorum e suis sedibus exilio, cum iisdem iuribus, privilegiis et honoribus aliorum episcoporum auxiliarium. Quodsi ob quamlibet rationem et in aliquibus casibus fieri nefas sit, S. Sedes ipsa providebit ut illis episcopis et praesulibus ad aliqua munera illis congrua quamprimum destinentur exercenda ».

16

EXC.MUS P. D. CAROLUS E. SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Venerabiles Fratres,

Pergo eo, ubi stabam ante paucos dies, sed cum omnia iam dicta sint, plus minusve, praetermitto fere omnia quia iam opinio mea in sententiis aliorum inclusa est, de variis numeris huius schematis.

Tamen, ad n. 15, § 2, aliquid dicere velim. Hoc quod statuitur in hoc numero non deberet statui quia conditiones, circumstantiae et momenta in omnibus dioecesibus valde differentia sunt.

Etiam ad rationem maximam quae exsistere potest pro cogendo episcopo ad renuntiandum, nempe, salus animarum suprema lex, aliquid dicere velim, quod, censeo, nondum dictum est. Nempe de iis quae ad salutem animarum conferunt, unus sic sentit, alius autem sic. Quot iniustitiae committuntur sub specie salutis animarum! Ergo etiam ex hoc capite nisi rationes aliae etiam considerentur, nemo episcopus cogi potest ut renuntietur.

Praesertim vero ad nn. 23-24 venire velim. Mea sententia, ut recte statuatur in nostro schemate quid sit et quale sit regimen episcopale et regimen dioecesium, quae sit relatio episcoporum ad S. Sedem, episcoporum ad quoddam collegium episcoporum, et ad conferentias nationales, ut statuatur, censeo humiliter, positionem illam tenere debemus...

Moderator: Venerabilis Pater, velis loqui tantum de cap. II. De cap. III, quod est de conferentiis episcopalibus, disceptatio non habetur hodie.

Orator: Erat introductio ad hoc. Si velis grato animo pergo. Ad nn. 23-24...

Moderator: Velis, Pater, manere in materia cap. II. De nn. 23 et 24 sermo fiet postea.

Orator: Bene! Postea petam iterum verbum.

Moderator et orator: Gratias!

Textus scripto traditus:

Existimo omnia de hoc themate vel quaestione apprime resolvi posse, si vera basis episcopalis regiminis et proinde dioecesium regiminis a Concilio statuatur. Ecquidem:

1. Christus fundavit Ecclesiam suam super petram, Petrum, *et* super apostolos. De hoc nemo est, qui dubitet. Apostoli *omnem potestatem* a Christo recepe-

runt ad docendum, sanctificandum, regendum populum Dei. Certo certius. Episcopi in locum apostolorum intraverunt. Utique. Ergo episcopi *omnem* illam apostolorum potestatem hereditarunt.

Proinde potestas, ministerium, munus, servitium episcoporum est id, quod apostoli receperunt. Haec est doctrina catholica et sic intelligitur ab universo populo et a magisterio ordinario docetur.

2. Atqui ad bonam administrationem Ecclesiae iura episcoporum ab initio, certe ab era iam apostolorum, coarctata sunt. Erat humanum. Spiritu Sancto ducta Ecclesia hoc statuit. Ergo: episcopi solummodo id, quod ab Ecclesia, legibus universalibus, reservationibus factis a Romano Pontifice, iis demptum est, facere non possunt. Si haec in tota sua amplitudine prae oculis habemus, facile mihi videtur ea determinare, quae ad hoc schema pertinent et quomodo exarandum sit.

3. Iure ecclesiastico patriarchatus introducti sunt. Ut docet historia fuit quasi successio quaedam S. Petri in sedibus Antiochena, Romana, Alexandrina. Unde quasi participationem in primatu patriarchae occidentis alii patriarchae receperunt. Iura eorum, fortasse ab initio, certe postea expresse a Romano Pontifice agnita sunt.

Nunc vero, si iure ecclesiastico patriarchatus introduci potuerunt, tunc etiam eodem iure aliquando cardinalatus locum in Ecclesia maximum obtinere potuit. Ex septem parochis Urbis, quod eis et eorum paroeciis maximi honoris est, collegium cardinalitium ortum habuit et iuxta primum patriarcham in regenda universali Ecclesia collocatum est. Ex quo sequitur: patriarchae orientis partem tantum Ecclesiae in participatione Romani Pontificis potestatis regunt; cardinales vero in regenda tota Ecclesia Romano Pontifici assistunt. Ergo iure ecclesiastico — eodem quo patriarchatus introducti sunt —, supra patriarchas statuti sunt.

4. Sed collegio episcoporum plus iuris tribuere quam usque hodie ei attribuebatur, ita ut collegium supra singulos episcopos ponatur, non est beneficium erga episcopos, non est augmentatio eorum potestatis, sed diminutio prorsus. Omnis is, qui aliquando episcopo suo oboedire renuit, ad collegium appellabit, multoties cum fallacia et astutia, et iam audivimus in hac aula, in quot difficilibus condicionibus Apostolica Sedes se inveniet, ut non attendat ad reclamationes. Autonomi sumus, sed solummodo cum Papa et sub eo.

Animadversiones additae:

Lin. 10 et deinceps, sicut etiam *n. 16*. Non debet consuli episcopo, ut renuntiet. Non solum ex rationibus psychicis, quamquam et hae maxime valent. Qui volunt, ut episcopi renuntient — eos interrogo, num sciverint, qui fuerint ultimi anni Leonis XIII, vel amatissimi Papae Pii X? Eodem aequalissimo modo res se habent in episcopo vetere. Si episcopus quidam revera incapax est ob permanentem defectum vel ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, Apostolica Sedes pergat facere, sicut fecit usque adhuc: episcopum admoneat, ut renuntiet, et si non facit, decernat, quid faciendum. Ergo *particularis admonitio* a Romano Pontifice pulcherrimum erit. Ast generaliter, solemni declaratione Concilii Oecumenici statuere, episcopos illos admonendos esse ad renuntiandum, peccatum est contra caritatem.

Est adhuc alia ratio et quidem ex natura episcopatus deprompta: episcopatus est aliquid stabile in perpetuum, quod nuptiis comparatur. Primis christianismi temporibus nuptiae haec considerabantur cum illa ecclesia particulari, i. e. dioecesi, initae. Post prima saecula generalis opinio invaluit, nuptias factas esse cum

universa Ecclesia. Sed hoc in mente theologorum et in universali regimine ecclesiarum permansit. Non intravit in mentem populi christiani, nec et ipsorum episcoporum generatim. Hi et populus semper conceptum retinuit, episcopos per se cum sua dioecesi nuptum esse. Immo, cum quis in aliam dioecesim transferatur, hoc non bene a populo recipitur. Accipiunt, quia est voluntas Summi Pontificis et ob eius sollertiam in bonum totius Ecclesiae.

Num paterfamilias, quia vetus et incapax es, nuptiae renuntiare potest? Non potest. Nec episcopus, nisi *ultro evidens* sit, hoc omnino *necessarium* esse ad salvandam ecclesiam.

N. 8. Facultates coadiutoris debent esse ampliores. Non est simplex vicarius episcopi. Est vicarius qualificatus. Facultates eius et ab Apostolica Sede et ab episcopo adiuto amplae determinandae sunt.

N. 12. Qua auxiliaris pendet ab episcopo adiuto. Imbuendus est tamen tali auctoritate, ut revera qua episcopus agere possit, non ut simplex delegatus adiuti.

N. 15, § 2. Nihil in hac re statui debet. Condiciones, circumstantiae, momenta diversa in singulis dioecesibus iudicium ferent, quid ab unoquoque ordinario determinandum.

17

Rev.mus P. D. AEGIDIUS GAVAZZI
Abbas nullius coad. c.i.s. Sublacensis

Venerabiles Patres Concilii, carissimi omnes,

Quamvis substantialiter a rev.mo D. Benedicto Reetz, archiabbate Beuronensi, nuper exposita sit mea propositio, tamen humiliter puto aliqualem utilitatem adesse etiam in verbis quae, obtenta licentia loquendi, proferre audeo.[1]

Liceat mihi, minimo quidem Patrum Concilii, sed forsan aliquomodo a Divina Providentia praeparato (quia abhinc duodecim annis coadiutor exc.mi episcopi abbatis « nullius » Sublacensis renunciatus sum), aliquid dicere de cap. II schematis de episcopis et praecipue de facultatibus coadiutoris.

Lego in fasciculo relationis super schema, pag. 16, secundo capoversu, « constitutionem coadiutoris remedium aliquod esse extremum » et plene assentio, si figura coadiutoris reapse deberet esse qualis est in schemate. Puto enim hanc figuram creare veram regiminis dyarchiam; et ideo, eo fine ut consulatur dignitati episcopi coadiuti, minime consulitur bono fidelium et cleri.

Si vere volumus bono dioecesis consulere, humillime censeo praxim analogam prae oculis utiliter habendam esse quam S. Congregatio Religiosorum generaliter adhibet, quando in aliquo Monasterio sui iuris, ob morbum, vel aetatem, vel aliud huiusmodi, Abbas nequit amplius munere suo, ea qua par est utilitate fungi. In his casibus, S. Congregatio

semper concedit abbatem coadiutorem cum iure successionis necnon cum plena potestate tam in spiritualibus quam in temporalibus, ita ut abbas coadiutus maneat purus abbas titularis (Titulo nempe suae abbatiae, non alius), omnia praeeminentiae signa faciat, gaudeat omnibus honoribus, sed sine ulla potestate, unica restrictione pro coadiutore manente obligatione mentis exquirendae abbatis coadiuti, in quaestionibus maximi momenti.

Praevideo obiectionem. « Haec est figura administratoris apostolici sede plena ». Concedo quoad substantiam, sed nomen non est idem; et nomen est quoddam accidens alicuius momenti.

Praevideo aliam obiectionem. Forsan dicetur dignitatem abbatialem non esse tanti momenti ac dignitatem episcopalem; et ideo praxi supradescripta sufficienter consulitur dignitati abbatis coadiuti, non tamen dignitati episcopi coadiuti. Responderem distinguendo: sensu absoluto assentio, i. e.: dignitas episcopalis certe excedit, genere suo, dignitatem abbatialem; sensu tamen relativo, i. e. relate ad subditos, nego, quia puto in nullo paternitatem spiritualem ita perfectam ac paternitatem abbatis benedictini inveniri posse; et tamen haec praxis centies adhibita est in Ordine benedictino, et, ni fallor, bono exitu. Gravissimae consequentiae e contra timendae essent, si applicaretur praxis indicata in n. 8 cap. II huius schematis.

Et puto praxim quam proposui, si acceptata fuerit a venerabilibus Patribus Concilii et confirmata a Summo Pontifice, posse plene solvere quaestionem de renuntiatione tam spinosa et gravi. Non esset amplius quaestio de sustentatione episcopi renuntiantis, de iure sepulchri in episcopali conditorio dioecesis, vel de similibus, quia non amplius esset quaestio de renuntiatione. Et, ni fallor, melius consuleretur etiam dignitati episcopali, adhibendo hanc praxim quam invitando episcopum ad renuntiationem. Haec praxis similis esset, ni fallor, eo quod fiebat apud familias patriarchales, quando, senescente patre, senior filius quasi automatice administrationem sumebat totius patrimonii indivisi. Et puto populum christianum bene visurum hanc praxim, quippe quae consulat caritati simul erga episcopum et erga fideles, evidenter, quantum fieri potest.

Venerabiles Patres, quae humiliter exposui, non proveniunt ullo modo ex quadam amara experientia personali. E contra: episcopus enim abbas « nullius » Sublacensis, cuius indigne sum coadiutor, sui animi generositate, cuius testimonium in hac aula exhibere gaudeo, a primo momento, sibi reservans regimen « quasi-dioecesis », totum et integrum regimen communitatis monasticae, sua sponte, coadiutori commisit, in aula capitulari hisce verbis monachos alloquens: « Exinde sum pro vobis

sicut mortuus ». Sex annos autem postea, cum, morbo gravescente, etiam in « quasi-dioecesi » suo munere non amplius fungi potuerit, regimen « quasi-dioecesis », vi Decreti Summi Pontificis Pii XII f. r., mihi commissum est, utique integra manente auctoritate abbatis coadiuti. Ipse vero, ex illa die, se gessit sicut episcopus mere titularis, pluries hilari animo dicens: « Ego sum hospes ».

Etsi ergo, in meo casu, qui utique secundum normas in schemate praevisas iuridice ordinatus erat, res bene processit, id factum est, non vi legis, sed unice vi extraordinariae humilitatis et caritatis abbatis coadiuti. Legitime autem, ni fallor, moveri debet dubium num lex generalis dari debeat fundata in praesumptione extraordinariae virtutis. Et haec est ratio propositionis meae. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

18

Exc.mus P. D. ROMANUS ARRIETA VILLALOBOS
Episcopus Pluviensis

Venerabiles Patres conciliares,

Salutis animarum lex suprema, cui abrenuntiare nefas est, solidam felicemque exprimit formam in institutione auxiliarium episcoporum, quos Ecclesia mater in adiutorium praebet episcopo infirmo, sive senescenti, sive laboribus oppresso, ne lucerna adhuc utiliter ardens et lucens praemature extinguatur, in damnum peregrinantis Ecclesiae. Quae si bene perpendantur, nos, episcopi residentiales, auxiliaribus applicare deberemus verba S. Leonis Magni ad Romanos: « Corona mea et gaudium vos estis ».

Attamen, fas mihi sit, iuxta ea quae personaliter observare potui, habitaque ratione altissimae dignitatis episcopalis, tria breviter considerare: *a*) de iis qui cooptandi sunt in munus episcopi auxiliaris, *b*) de facultatibus quae iis tribuendae sunt, *c*) de iis, saltem praecipuis, quae in iure canonico, hac in re, mutanda essent.

a) *De iis qui cooptandi sunt in munus episcopi auxiliaris.* Evidenter, candidatus praeditus debet esse illis qualitatibus necessariis ut digne inter episcopos adnumeretur, et quae exigantur a condicionibus peculiaribus et talis dioeceseos et talis episcopi. Sed hoc non sufficit. Humili meo iudicio, omnino requiritur ut candidatus sit persona grata episcopo resi-

dentiali. Salvo enim semper dominico praecepto caritatis, quod omnes relationes humanas regere oportet, ars psychologica nos docet existere inter homines sympathiam sive antipathiam naturalem quam dicimus. Auxiliarem opem accipere ab eo cui nulla sympathia naturalis inclinat, tormentum magis esset quam auxilium, non sine utriusque quietis pacisque detrimento, et quod gravius, non sine salutis animarum iactura.

Igitur, humiliter propono ut facultas episcopo residentiali tribuatur proprium auxiliarem seligendi qui, si ceteris de iure requisitis non careat, a competenti auctoritate, in quantum fieri potest, nominetur.

b) *De facultatibus quae iis tribuendae sunt.* Episcopi auxiliares, iuxta nomen, auxilio debent esse auxiliato. Non raro tamen accidit ut residentialis nullam, sive quasi nullam, facultatem auxiliari concedat. Nominatio, talibus in adiunctis, potius in nocumentum quam in bonum Ecclesiae vertitur, quum ita finis imponitur actioni forsan valde efficaci sacerdoti zelo praeclaro insignito. Et nemo est qui dubitet melius esset habere sacerdotem laboriosum quam episcopum otiosum.

Valde igitur est optandum ut semper in apostolicis litteris promotionis, facultates, quibus episcopus auxiliaris gaudebit, specifice exprimantur, salvo semper iure episcopo residentiali eas in posterum amplificandi.

c) *Quae sint in iure canonico mutanda.* In Actuum Apostolorum libro legimus Spiritum Sanctum posuisse episcopos regere Ecclesiam Dei, nulla facta distinctione residentiales inter et auxiliares. De apostolis, quorum omnes episcopi successores sunt, Magister dixit: « Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveritis super terram erit solutum et in caelis ». Tamen, iuxta iuridicam ordinationem actualem, episcopi qui positi sunt ad regendum ipsimet reguntur, et qui ad solvendum positi, non raro alligati et ipsi sunt, in actione sua pastorali, ab iis qui carent charactere episcopali. Talis est casus episcoporum auxiliarium iis in dioecesibus in quibus vicarius generalis — sede plena — et vicarius capitularis — sede vacante —, non de illis electus est. In talibus adiunctis, episcopus auxiliaris, non sine populi admiratione, recurrere debet ad vicarium generalem seu capitularem, non episcopali dignitate praeditum, ad facultatem obtinendam, valide assistendi, e. g. matrimonio.

Quae rerum conditio non bene componitur cum sublimi episcopali dignitate, quae splendidissime, in hoc Concilio nostro, praefulget.

Proinde etiam ius canonicum ita aptetur ut in dioecesibus ubi auxiliaris episcopus existit, ipse pariter sit vicarius generalis — sede plena — et, ipso iure, vicarius capitularis — sede vacante —. Quod si plures sint episcopi auxiliares, sit tunc facultas capitulo cathedrali unum ex ipsis seligendi. Gratias. Dixi.

Moderator: Velint Patres audire! Crastina die a moderatoribus proponetur suffragationi Patrum haec quaestio: « An placeat Patribus omitti disceptationem de cap. V huius schematis (quod caput est "de paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione"), eiusque materiam remitti ad opus reformationis Codicis Iuris Canonici ». Suffragatio de hac quaestione, uti dixi, fiet crastina die.

Rogantur etiam Patres ut qui de cap. III huius schematis loqui volunt, nomina sua et summam sui sermonis tradant secretariatui generali.

Proxima congregatio generalis erit crastina, feria nempe III, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

APPENDIX

I

SCHEMA DECRETI DE CURA ANIMARUM *

PROOEMIUM GENERALE

1. Miserentissimus Deus, qui « praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum »,[1] redemptionem, semel pro semper et semel pro omnibus,[2] ab Unigenito per proprium sanguinem inventam,[3] singulis hominibus usque ad consummationem saeculi statuit per Christi Ecclesiam esse impertiendam.

2. In Ecclesia Romanus Pontifex, successor Petri, cui oves et agnos pascendos Christus ipse concredidit, supremam et universalem animarum curam habet ex divina institutione sibi commissam, ideoque « super omnes alias (ecclesias) ordinariae potestatis obtinet principatum » ac potestatem vere episcopalem et immediatam.[4]

3. Episcopi autem qui, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt tamquam veri pastores, assignatas sibi dominici gregis partes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis, singuli singulas pascunt,[5] ita tamen ut non solum ovibus quae iam Principem Pastorum fideliter sequuntur provideant, sed etiam eas Christo lucrifacere satagant quae aut nondum in Illum crediderunt aut a via Illius aberraverunt. Quibus omnibus succurrere debent sive ministerio verbi,[6] sive ministerio gratiae et cultus,[7] sive ministerio regiminis, nullis parcentes laboribus donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » [8] tandem omnes ambulent.

4. Tanto pastorali munere explendo Episcopi presbyteros in suos cooperatores deligant et rite instituant oportet, inter quos parochi eminent, eosque suae pastoralis sollicitudinis participes efficiant, curam animarum illis committendo.

---

* In initio fasciculi legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non afficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

5. Eos quoque qui, Deo mancipati religiosae vitae se dederunt, cooperatores efficere plurimique aestimare Episcopi debent ad aedificationem et incrementum mystici Corporis Christi.[9]

6. Laicos denique, viros ac mulieres, qui in apostolatus munere adiutricem operam praestent,[10] Episcopi advocare et iuxta eorum cuiusque condicionem, sedula cura efformare et apostolatus operibus applicare satagant.

NOTAE

[1] *Eph.* 1, 5.
[2] Cf. *1 Pt.* 3, 18.
[3] Cf. *Heb.* 9, 12.
[4] Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. dogm. *de Ecclesia* c. 3: Denz. 1827.
[5] Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. dogm. *de Ecclesia* c. 3: Denz. 1828.
[6] Cf. *Act.* 6, 4; 20, 24.
[7] Cf. *2 Cor.* 9, 1; 5, 8.
[8] *Eph.* 5, 9.
[9] Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943; *A.A.S.,* 35, 1943, p. 241.
[10] Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c.

CAPUT I

DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE

7. [*Prooemium*]. Christus, Filius Dei vivi (cf. *Mt.* 16, 16), missus est a Patre de coelo ut salvum faceret populum suum a peccatis (cf. *Mt.* 1, 21).

Venit igitur in mundum tamquam *Veritas* ipsa (cf. Io. 14, 6), magister bonus et unicus (cf. *Mt.* 19, 16; 23, 8), vera lux mundi (cf. *Io.* 8, 12) ut omnem hominem illuminaret (cf. *Io.* 1, 9) et credentes in se e tenebris eriperet (cf. *Io.* 12, 46).

Venit pariter tamquam *Vita* (cf. *Io.* 14, 6), ut omnes per sanguinem crucis suae (cf. *Col.* 1, 20) vitam gratiae haberent et abundantius haberent (cf. *Io.* 10, 10), divinae consortes effecti naturae (cf. *2 Pt.* 1, 4).

Venit denique tamquam *Via* ad Patrem (cf. *Io.* 14, 6) ut nonnisi per se, pastorem bonum (cf. *Io.* 10, 14) et principem pastorum (cf. *1 Pt.* 5, 4), oves errantes et dispersae in unum congregarentur (cf. *Io.* 10, 52) atque in domum Patris reducerentur.

Antequam tamen caelos, ad dexteram Patris sessurus, conscenderet Christus salutiferum redemptionis opus perenne reddere voluit sanctam aedificando Ecclesiam.[1] Ideoque, quemadmodum eum miserat Pater, sic et ipse in universum mundum Apostolos suos misit eorumque in apostolico munere successores, Episcopos scilicet qui Ecclesiam Dei regerent (cf. *Act.* 20, 28) tamquam veri et authentici magistri, pontifices ac pastores, totique hominum generi inenarrabilia eius dona (cf. *2 Cor.* 9, 15) communicarent.

Quo igitur uberius ac perfectius hanc salutiferam missionem divinitus acceptam Episcopi, sub ductu auctoritateque Romani Pontificis, explere valeant, singula eorum officia, prout temporum nostrorum expostulant adiuncta, urgenda atque accuratius determinanda sunt.

8. [*Episcopus magister fidei*]. Divina revelatio non solum ut bonum depositum per Spiritum Sanctum custodiendum (cf. *2 Tim.* 1, 14) et ab erroribus defendendum considerari debet, sed potissimum ut praeconium, omnibus adhibitis communicationis instrumentis, ad extremos orbis fines diffundendum et ad universum terrenarum rerum ambitum applicandum, ita ut omnia in Christo revera recapitulentur (cf. *Eph.* 1, 10). Unde Episcoporum magisterium ampliorem in dies extensionem, necnon aptiorem cum nostrae aetatis necessitatibus cohaerentiam capiat oportet. Plane scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus hodie homines maxime premuntur et anguntur: eorum mentem divina luce perfundat, eorum animum serenet. Plures enim ex eis evangelium salutis penitus ignorant; plures vero, doctrinis variis et peregrinis abducti (cf. *Heb.* 13, 9) aut nugacitatis fascinatione decepti (cf. *Sap.* 4, 12), a Christo defecerunt: hos et illos debet Episcopus, doctor fidei, ad lumen veritatis perducere.

Doceat in primis quae sit divina salutis oeconomia; quae instrumenta divinitus data ad aeternam felicitatem assequendam. Ne praetermittat tamen ostendere res ipsas terrestres et humana instituta ad hominum profectum conferre posse, dummodo miserentissimo Dei consilio inserviant. Indigitet quanti sit aestimanda persona humana cum sua libertate et ipsa corporis vita; familia prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis legibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas aut opum affluentia; qua denique ratione recte solvendae sint de pace ac bello, de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de fraterna omnium populorum conversatione atque opitulatione gravissimae quaestiones.[2]

Hinc per praedicationem et exemplum Episcoporum materna erga omnes homines, pauperes praesertim ac tenuiores, patebit Ecclesiae sollicitudo, qua, divini Magistri instar, per suam socialem doctrinam non parum conferre potest ad terrenae quoque civitatis aequam iustamque gubernationem.

Et quoniam evangelicum nuntium ea via ac ratione est pandendum qua facilius animi attingantur et ad veritatem alliciantur, debet Episcopus apprime cognoscere mentem, consuetudines, circumstantias, pericula, praeiudicatas opiniones personarum ac coetuum ad quos mittitur, et formam sui magisterii eorum captui, ingenio, necessitatibus indesinenter aptare, ita ut unusquisque de fontibus salutis (cf. *Is.* 12, 3) et sacrae doctrinae thesauro possit cum gaudio haurire.

9. [*Episcopus pontifex*]. Episcopus, sub Romani Pontificis suprema auctoritate, dioecesis cui praeficitur est veri nominis pontifex. Ipse enim plenitudinem perfectionemque Christi sacerdotii possidet, eiusque participationem quandam cum suis presbyteris, diaconibus ac ministris communicat. Ipse ordinarius ac praecipuus Sacramentorum est confector ac distributor; ipse totius vitae liturgicae in dioecesi dux est, promotor ac custos.

Hinc fit ut per eum divinae gratiae fontes omnibus pateant, et christifideles, paschale mysterium intimius cognoscendo ac vivendo, unum arctissimumque efficiant corpus, cuius caput est Christus.[3]

Qua perfector et in statu perfectionis acquisitae positus, Episcopus clericorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studebit et sic particularem ecclesiam sibi creditam sanctificare, et tamquam membrum vivum et sanctum, in unam Sanctam Catholicam atque Apostolicam Ecclesiam inserere.

10. [*Episcopus pater et pastor*]. In munere suo obeundo, quod ad curam

animarum exercendam spectat, Episcopus vere et proprie *pater* est et *pastor,* eiusque ministerium notas exhibere debet dilectionis et sollicitudinis paternae, ita ut et ipse dicere possit cum Apostolo Paulo: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19), itemque: « facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis » (*1 Thess.* 2, 7-8); « si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui » (*1 Cor.* 4, 15). Episcopus namque exemplum ex Christo Iesu, principe pastorum (cf. *1 Pt.* 5, 4) sibi sumere tenetur, qui expresse ait: « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis » (*Io.* 10, 11). Sic igitur munus suum Episcopus habeat veluti *servitium caritatis,* dicente eodem Christo Iesu: « qui maior est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator... Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat » (*Lc.* 22, 26-27), et idcirco summa cum diligentia curare debet ut omnes fideles, et in primis sacerdotes, bene cognoscat, ut singulis pro eorum condicione apte consulere queat.

Magnopere pariter satagere tenetur ut variae apostolatus formae recte accommodentur necessitatibus fidelium iuxta praesentes condiciones non solum spirituales et morales, sed etiam sociales, demographicas et oeconomicas, adhibitis quoque — pro opportunitate — mirabilibus hodiernis instrumentis communicationis socialis. Item, opus est ut Episcopus sedulo studeat officium urgere quo fideles operam suam praestare adstringuntur ad incepta provehenda apostolatus et actionis catholicae. Associationes quoque Episcopus promovere vel fovere ne omittat, quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequantur, ad perfectiorem scilicet vitam christianam provehendam, aut ad doctrinam christianam vel incrementum publici cultus promovendum, aut ad fines sociales persequendos, aut ad quaedam pietatis vel caritatis opera exercenda.

In primis autem summam diligentiam adhibeat Episcopus, ut egentibus et tenuioribus semper benignissimus adsit, cum missionem Christi Salvatoris exsequendam habeat, qui professus est in Seipso hanc impletam esse Scripturam: « evangelizare pauperibus misit me » (*Lc.* 4, 18).

11. [*Episcopus Romani Pontificis cooperator*]. Flagrantis caritatis afflatu commoti arctissimeque cum Iesu Christo coniuncti eiusque in terra Vicario, Episcopi participare tenentur sollicitudinem illam omnium ecclesiarum, quae Romano Pontifici, successori Petri, praecipue incumbit.

Quapropter unusquisque Episcopus non solum gregis sibi commissi sacer pastor est, sed qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto Apostolici muneris inter alia gravissimo etiam officio adstringitur una cum Romano Pontifice ceterisque Episcopis dilatandi Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae et allevandae.[4] Illos potissimum Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur vel in carceribus detinentur, Episcopi fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precationis operisque Confratrum ardore leniantur et mulceantur. Iamvero pluribus in regionibus orbis terrarum verbum Dei nondum nuntiatum est, atque ob parvum sacerdotum numerum in non paucis dioecesibus, non sufficiente aut penitus deficiente exercitio curae animarum, plurimi christifideles in periculo versantur a vitae honestate desciscendi et ipsam fidem catholicam amittendi. Necesse

ergo est ut quilibet Episcopus se officio adstrictum sentiat quam maxime curandi ut opus propagationis fidei aliaque opera missionaria pontificia ab omnibus fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Praeterea vero, omnes Episcopi dioecesium in quibus sacerdotes sive dioecesani sive religiosi sunt numerosiores satagere tenentur ut, quantum possibile sit, nonnullis ex clericis suae cuiusque dioecesis ad regiones Missionum vel ad dioeceses ubi pauciores sunt sacerdotes mittantur ut ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad tempus praefinitum peragant.

Iidem Episcopi prudenter curare studeant ut vocationes ecclesiasticae et religiosae magis magisque foveantur aptique et idonei sacrorum administri rite praeparentur pro Missionibus et dioecesibus quae cleri penuria laborant.

12. Mandat igitur Sancta Synodus ut Pontificia Commissio constituta ad Codicem Iuris Canonici reformandum, eum in finem ut Ecclesiae leges de disciplina aptius nostris temporibus accommodentur, in Codicem suis in locis referenda curet praescripta quae in huius Decreti Appendice Prima traduntur.

Normae autem quae in huius Decreti Appendice Secunda proponuntur, in Directorium Generale de cura animarum pro Episcopis referantur, quod Sancta Synodus quamprimum conficiendum statuit ac decernit, ut locorum Ordinariis certae rationes praebeantur ad proprium munus facilius meliusque obeundum.

NOTAE

[1] Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. dogm. *de Ecclesia*: Denz. 1821.

[2] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55, 1963, p. 257 sqq.

[3] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947; *A.A.S.,* 39, 1947, p. 521 sqq.

[4] Pius XII, Litt. Encycl. *Fidei Donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49, 1957, p. 257; Benedictus XV, Epist. Ap. *Maximum Illud,* 30 nov. 1919: *A.A.S.,* 11, 1919, p. 440; Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18, 1926, p. 68.

CAPUT II

DE PASTORALI PAROCHORUM OFFICIO

13. Episcopi sunt pastores et patres gregis sibi commissi, et ita quidem « ut inter cetera Episcoporum lineamenta et dotes illud emineat, ut iidem paternam in se referant imaginem ».[1] Quod potissimum in eos ostendant oportet qui gregis potiorem partem efformant, parochos videlicet, qui per sacrum presbyteratum « providi cooperatores » ordinis episcopalis sunt constituti[2] et administrationem quamdam in Christi corpore mystico aedificando habent per curae animarum officium.[3]

14. Parochi autem sunt et ipsi, sub Episcopo, veri pastores animarum et patres, eius filii eiusque adiutores. Hinc parochorum necessitudines cum Episcopo vinculis non solum iuridicae disciplinae sed potissimum supernaturalis caritatis inniti debent; ita quidem ut eorum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate profundiorem perficiat ipsorum cum Christo per Ecclesiam spiritualem unionem et pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem.

15. Parochi enim sunt Episcopi adiutores in exsequendo Christi mandato ut

verbum Dei omnibus gentibus nuntietur; unusquisque igitur eorum non tantummodo magna cum diligentia et sollertia curam pastoralem fidelium sibi commissorum exercere tenetur, verum etiam satagere debet ut lumen fidei hominibus effulgeat qui in paroeciae territorio commorantur sed Christum ignorant. Item, parochus sedulo adlaboret oportet ut fideles bene spirituali pabulo pascantur per actuosam participationem divinae Liturgiae piamque ac devotam Sacramentorum receptionem, sicque alacriter et constanter in virtutum exercitium incumbant, in exemplum praecellentes caritate erga Deum et proximum. Pariter, parochus obligatione obstringitur summopere curandi ut pueri in doctrina christiana perfecte instituantur, ut ad effectum deducatur doctrina socialis Ecclesiae praesertim quoad opifices, ut necessaria et opportuna subsidia ne desint pauperibus et aegrotis et miseris quibuslibet, iis non exceptis qui cultu humano civilique minus sunt praediti, iisve qui ob casus adversos corporis aut mentis grave aliquod detrimentum patiuntur.

16. Necesse est igitur ut Episcopus facilius procedere valeat ad legitimam officii paroecialis provisionem faciendam, abrogatis quantum fieri potest iuribus praesentationis vel designationis promovendorum, quae aliis personis competant. Per liberam enim collationem officii paroecialis melius fieri potest ut ad singulas paroecias regendas ii semper deputentur qui scientia, pietate, zelo apostolico ceterisque dotibus et qualitatibus sint magis idonei.

17. In paroecia, cui administrandae praeficiuntur qua proprii eiusdem rectores, parochi stabiles esse debent; attamen, cum officium paroeciale praecipue et essentialiter consistat in munere pastorali exercendae curae animarum, Episcopus, ubi necessitas vel magna utilitas boni animarum illud exposcat, parochos legitime transferre vel amovere potest, salva utique naturali et canonica aequitate, sed servando modum procedendi qui nec longas moras patiatur nec multiplices sollemnitates requirat. Eodem modo, expedit omnino ut Episcopus sine magna difficultate officio exsolvere valeat parochos qui, ratione provectae aetatis, iam nequeunt curam animarum rite ac fructuose promovere.

18. Mandat igitur Sancta Synodus ut congrua praescripta vel normae determinentur in Codice Iuris Canonici reformando aut in conficiendo Directorio Generali de cura animarum pro parochis, ut principia generalia huius Decreti apte ad praxim accommodentur.

NOTAE

[1] Ioannes XXIII, *Epist.* ad Archiep. Pechinen., 29 iun. 1961: *A.A.S.*, 53, 1961, p. 466.

[2] Pontif. Rom., *De Ordinatione Presbyteri.*

[3] S. Thomas, *Summa Theol.*, II^{a}-II^{ae}, q. 184, a. 6, ad 3.

Caput III

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET RELIGIOSOS PRAESERTIM QUOAD APOSTOLATUS OPERA [1]

19. [*Prooemium*]. Ecclesiae Christi Pastores, quo plenius pascendi dominici gregis munus sibi demandatum exsequi valeant, utriusque Cleri indigent auxilio, saecularium scilicet et religiosorum sacerdotum, qui ita in Presbyteratus officium

consecrantur, ut sint providi cooperatores ordinis episcopalis, in adiutorium Episcoporum catholicorum et ad eorum societatis et operis adiumentum.[2]

At reliquis quoque Institutorum status perfectionis sodalibus, licet charactere sacerdotali destitutis, quippe qui Deo mancipati, religiosae vitae se dederint, officium prae laicis urgentius incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum Mystici Corporis Christi.[3]

Nihil mirum, proinde, si Sacrorum Antistites qui quovis tempore Religiosorum opera usi sunt, potiore ratione nostra aetate cum magis ingravescat necessitas magisque animarum periclitetur salus, etiam a Religiosis omnibus,[4] qui perfectionem caritatis Salvatoris mundi prosequuntur, auxilium postulent.

Hi sane, miros fructus perpetuantes quos in Ecclesia decursu saeculorum in regno Christi dilatando et animarum salute procuranda protulerunt, apostolatus operibus maiore in dies studio ac mensura, pro sua cuiusque condicione incumbant, sub auctoritate Sacrorum Praesulum, quibus secundum divinam ordinationem animarum cura est concredita, perfecta concordia activitatisque coordinatione sive inter se sive cum Clero saeculari sedulo servata.[5]

Religiosi id praestare debent imprimis, orationis, expiationis atque propriae vitae exempli apostolatu, ad cuius ampliorem aestimationem et generosius studium Sacrosancta Synodus eos magnopere hortatur.[6] At, salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur, ad externa quoque apostolatus opera accedant oportet; quae, si exerceantur in spiritu caritatis et oboedientiae atque iuxta normas Apostolicae Sedis, non est dubitandum quin, nedum noceant, potius ad ipsorum Religiosorum vitam spiritualem conferant. Qua autem ratione ipsi Religiosi hisce operibus, sub Episcoporum moderamine, in singulis dioecesibus vacare debeant, attenta propria cuiusque Instituti natura, accurate est definiendum, ut haec intentior et universalior activitas ordinate procedat et quodvis damni periculum penitus avertatur.

Quapropter Sacrosancta Oecumenica Synodus haec quae sequuntur decernit ac statuit:

I – PRINCIPIA FUNDAMENTALIA

20. [*Primum principium: Episcopi sub Romani Pontificis auctoritate in dioesibus duces apostolatus*]. Religiosi aliique sodales statuum perfectionis, qui ratione propriae professionis in Ecclesia peculiari vinculo Romano Pontifici[7] tamquam Supremo Superiori devinciuntur, apostolatui operam navant, iuxta munus una cum Instituti approbatione acceptum, vel etiam, ab ipso Romano Pontifice specialiter vocati.

Quoad apostolatum vero in dioecesibus exercendum, principium fundamentale esto: Episcopos, utpote Apostolorum successores, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam, mandatum accepisse gregis Domini partem sibi concreditam pascendi sub Romani Pontificis auctoritate; ideoque varia apostolatus opera utriusque Cleri in propria dioecesi apte ordinandi.

Quapropter Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia Episcopos prosequi debent et, quoties ad apostolatus opera vocantur, ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint,[8] servatis quidem de iure servandis.[9]

Quin immo Religiosi magno honori sibi ducant Sacrorum Pastorum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsequi ut in opera apostolatus externa magis magisque incumbant et ampliores partes in ministerium salutis humanae sub Epi-

scoporum regimine suscipiant, secundum sui quisque Instituti indolem et Constitutiones, quae, si necesse sit, ad hunc finem sunt congrue accommodandae.[10]

21. [*Secundum principium: Religiosi in apostolatu exercendo tales remanere debent*]. Religiosi aliique sodales statuum perfectionis in externa apostolatus opera immissi, tales manent et omnino manere debent animo et opere.

Quapropter Episcopi singulorum Institutorum vitam religiosam, peculiarem Religiosorum finem, Constitutiones et Statuta necnon Superiorum auctoritatem in subditos, ad normam iuris,[11] tueantur.

Proinde etiam in apostolatu, sub Episcoporum regimine exercendo, regularis observantia, qua Religiosorum vita spiritualis maxime custoditur ac fovetur, et subiectio propriis Superioribus debita, integrae maneant oportet, quod in bonum ipsius apostolatus cessurum non dubitatur.[12]

22. [*Tertium principium: De exemptione Religiosorum*].[13] Romanus Pontifex vi suae potestatis episcopalis ordinariae et immediatae in omnes et singulas Ecclesias et in omnes et singulos Pastores et fideles,[14] in bonum Ecclesiae universae ad Seipsum vel, ut in Ecclesia Orientali, etiam ad Patriarcham,[15] avocare potest Religiones, easque ab Ordinariorum locorum iurisdictione subducere.[16]

Haec autem exemptio, nisi aliter expresse a Romano Pontifice statutum fuerit, non est absoluta et illimitata. Ipsa enim ordinem internum potissimum[17] respicit quo melius in Religionibus omnia sint inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu utantur, ac denique incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur.[18]

Cum vero de apostolatu agitur locali, ab iis praestando qui adiutricem dant operam Ecclesiasticae Hierarchiae, prorsus necesse est ut sine Episcopo nihil fiat[19] a sacris utriusque Cleri administris, itemque a religiosis utriusque sexus sodalibus.

Idcirco, in singulis dioecesibus firma manet, ad normam iuris, subiectio Religiosorum Ordinarii loci potestati prout episcopale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt,[20] ita ut sarta tecta sit dioecesana disciplina.[21]

Debitum autem obsequium erga Sacros Praesules minime impedit quominus Religiosi, sicut praeteritis temporibus, ita etiam hodie bonorum operum in Ecclesia validi sint suscitatores strenuique promotores, dummodo eorum incepta a competenti ecclesiastica auctoritate semper legitime sanciantur atque cum ceteris apostolatus operibus rite coordinata procedant.[22]

II – NORMAE DE SUBIECTIONE RELIGIOSORUM ORDINARIIS LOCORUM IN OPERIBUS EXTERNIS EXPLENDIS

23. [*Subiectio Religiosorum cuiusvis ritus Ordinariis vel Hierarchis locorum*]. Religiosi omnes cuiusvis ritus, etiam religionis exemptae, Ordinarii vel Hierarchae loci iurisdictioni ad normam iuris[23] subsunt in iis omnibus quae ad cultum divinum, ad curam animarum et ad apostolatus opera, in dioecesi exercenda, spectant, salvis, pro Orientalibus, Patriarcharum iuribus.[24]

24. [*Subiectio Religiosorum pro diversitate ritus*]. § 1. Religiosi omnes, exempti quoque, operam navantes in locis ubi ritus a proprio diversus unicus est vel ita fidelium numero praevalet ut communi aestimatione unicus censeatur, a loci Ordinario vel Hierarcha huius ritus in iis quae sacrum ministerium respiciunt, pendent, eique ad normam iuris subiiciuntur.[25]

§ 2. Ubi vero plures sunt loci Ordinarii vel Hierarchae, iidem Religiosi in mu-

nere obeundo apud fideles rituum diversorum, tenentur normis quae ab ipsis Ordinariis et Hierarchis communi consilio dantur.[26]

25. [*Subiectio Religiosorum in locis Missionum*]. Licet etiam in locis Missionum vigeat exemptio Religiosorum intra ambitum suum legitimum, tamen, propter peculiaria adiuncta sacri ministerii in his locis exercendi, observanda sunt specialia statuta a Sede Apostolica data vel approbata[27] quoad rationes inter Ordinarium loci et Superiorem religiosum moderandas, praesertim in Missione alicui Instituto concredita.

26. [*Subiectio Religiosorum legibus et decretis Ordinarii loci*]. § 1. Omnes Religiosi, etiam exempti, tenentur legibus, decretis et ordinationibus, etiam[28] ab Ordinario loci latis, quae spectant ad sacram praedicationem populo impertiendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera et uniformem agendi modum in actibus ad bonum commune dioecesis spectantibus, necnon ad fidelium aedificationem ac decorem clericalem.

§ 2. Iidem insuper legibus et decretis, etiam[29] ab Ordinario loci latis cultum respicientibus tenentur in suis ecclesiis et oratoriis publicis necnon semipublicis, si ad haec ordinarie fideles accedant, salvo proprio ritu quo legitime utuntur et habita ratione ordinis Divini Officii choralis et sacrarum functionum ad finem specialem Instituti pertinentium.

27. [*Subiectio Religiosorum decisionibus Conferentiarum Episcoporum*]. Item ea omnia, quae Episcopalis Conferentia in natione aut regione pro omnibus servanda edixerit, Religiosi una cum Clero saeculari studiose servare debent, sub Ordinarii loci moderamine.[30]

Idem servandum erit quoad actionem pastoralem et socialem ab Episcopis praescriptam aut commendatam.

III – DEDICATIO RELIGIOSORUM EXTERNIS OPERIBUS APOSTOLATUS

28. [*Norma generalis de immissione Religiosorum in opera apostolatus*]. Ut Religiosorum immissio in externa apostolatus opera, iuxta principia superius tradita, rite ordinateque procedat, prae oculis in primis habenda est diversitas Institutorum, quae ex proprio eorum fine speciem et munus in Ecclesia adimplendum sortiuntur, cauto praesertim ne ob activitatem intentius exercendam, vita religiosa et contemplativa detrimentum capiant.

Insuper attendenda est diversitas ipsorum operum, inter quae praeminent illa quae sunt unicuique Instituto propria.

29. [*Opera propria Institutorum specialiter promovenda*]. Opera cuiusque Instituti propria, quae scilicet, probante Apostolica Sede, sive ab ipsa fundatione, sive ob venerandas traditiones suscepta et inde Constitutionibus aliisve propriis Instituti legibus definita et ordinata sunt, Religiosi sedulo promoveant, peculiari habita ratione spiritualium necessitatum dioecesium et servata cum Clero saeculari et cum aliis Institutis similia opera exercentibus fraterna concordia.

Etenim, Instituta statuum perfectionis merito censentur, una cum ecclesiastica approbatione, munus accepisse opera propria in Ecclesia, servatis servandis, promovendi. Quare, etiam Ordinarii locorum opera Institutorum propria utpote in

bonum animarum tum Ecclesiae universae, tum ipsius dioecesis ordinata, libenter foveant ac tueantur.[31]

30. [*Moderamen generales operum propriorum et operum ab Ordinario loci Religiosis commissorum*]. § 1. Opera propria, quae in Instituti domibus, etiam conductis, exercentur, ab eiusdem Superioribus dependent, qui iuxta Constitutiones ea regunt ac moderantur.

Attamen etiam huiusmodi opera Ordinarii loci iurisdictioni, ad normam iuris, subiiciuntur.[32]

§ 2. Opera vero, etiam Instituti propria, quae ab Ordinario loci committuntur aut cum eius mandato exercentur, eiusdem Ordinarii auctoritati et directioni subsunt, firmo tamen manente iure Superiorum Religiosorum invigilandi, non solum super vitam sodalium, sed etiam super munerum adimpletionem, quae ipsis commissa sint.[33]

31. [*Opera et associationes propria in domo condenda permissa*]. Ad ordinatam et fructuosam cooperationem consequendam inter varia opera quae sive ad dioecesim ipsam, sive ad paroecias, sive ad Instituta status perfectionis pertinent:

1) Constituendae novae domus permissio facultatem secum fert pia opera Instituti propria exercendi, nisi quaedam expresse ab Ordinario loci in ipsa permissione concedenda excepta sint.[34] Idem valet, sublato quovis privilegio, quoad associationes Instituti proprias erigendas, quae non sint constitutae ad modum corporis organici; pro aliis autem ad modum corporis organici constitutis erigendis, Ordinarii loci licentia in singulis casibus requiritur.[35]

2) Domorum religiosarum iam constitutarum sodales nequeunt sine expressa Ordinarii loci licentia, opera ad cultum divinum vel ad animarum curam vel ad apostolatum spectantia, licet suae religionis propria vel ipsi domui religiosae adnexa, ex novo[36] inire; aut, iam antea legitime inita, deserere, sine expresso Ordinarii loci consensu, salvo recursu in suspensivo ad Apostolicam Sedem.[37]

3) Collatis consiliis cum Superiore competenti, loci Ordinarius decernere valet quae spectant ad coordinanda opera,[38] quae ad cultum divinum vel ad animarum salutem in ecclesiis vel domibus Religiosorum geruntur, cum activitate paroeciae, in cuius territorio sitae sunt, firmo praescripto n. 26, § 2.

32. [*De peculiaribus operibus suscipiendis*]. Non expedit quidem ut Religiosi aliique ipsis aequiparati, munia suscipiant, etiam sacerdotalia, quae illos a vita communi habitualiter segregent.[39] Nihilominus in casu specialis necessitatis, Superiores, rogati ab Ordinario loci, quosdam sodales ad haec munia destinare curent, sedulo servatis normis ab Apostolica Sede datis et adhibitis cautelis ne vita religiosa aliquod patiatur detrimentum.

33. [*De opera subsidiaria a Religiosis praestanda*]. § 1. Apostolica navitas sodalium statuum perfectionis, qui vitam mere contemplativam non profitentur, non ita circumscribitur operibus sive propriis Instituti sive ceteris occasionaliter assumptis, ut pro urgentibus animarum necessitatibus et Cleri penuria, ab Ordinariis locorum vocari nequeant non tantum Sacerdotes, sed et omnes sodales viri et mulieres statuum perfectionis, ut in variis dioecesium vel regionum ministeriis adiutricem operam praestent.

§ 2. Si Ordinarii loci iudicio Religiosorum auxilium necessarium aut valde utile censeatur ad multiplicem apostolatus operam exercendam et ad caritatis ac pastoralis muneris incepta fovenda in paroeciis saecularibus vel in dioecesanis as-

sociationibus, a Superioribus religiosis, eodem Ordinario rogante, petitum auxilium pro viribus praestandum est.[40]

Id sane fieri non debet cum gravi detrimento disciplinae religiosae vel operum quae Institutum in bonum Ecclesiae iam suscepit. Sed, religiosa disciplina quantum fieri potest incolumi servata, sodales cum debita dependentia a propriis Superioribus, prompto animo suum exhibere debent auxilium.

34. [*Applicatio normarum extra ambitum dioecesanum*]. Normae de sodalium statuum perfectionis immissione in opera et ministeria dioecesana, sub moderamine Episcoporum exercenda, ad alia quoque opera et ministeria quae ambitum dioecesis superant, congrua congruis referendo, applicandae sunt.

35. [*Applicatio normarum in locis Missionum*]. In locis Missionum ubi tot tantisque variis necessitatibus spiritualibus populorum in peculiaribus et quandoque valde arduis condicionibus vitae et laboris est occurrendum, praecedentes normae de immissione Religiosorum in opera apostolatus opportune aptandae sunt iuxta speciales Instructiones Apostolicae Sedis; ita quidem ut religiosa vita et disciplina, peculiaribus exigentiis accommodata, sarta tecta semper maneat et Superiorum Religiosorum auctoritas in suos subditos cum potestate Ordinarii loci sic coordinetur ut efficaciter exerceri valeat.

IV – DE MINISTERIO PAROECIALI RELIGIOSIS COMMITTENDO

36. [*De directione paroeciarum Religiosis committenda*]. Quoties gravis spiritualis fidelium necessitas urgeat in dioecesi, Religiosi ad maiorem in posterum partem habendam in paroeciis regendis ab Ordinario loci vocari possunt.

37. [*De modo committendi Religiosis paroecias*]. Ordinarius loci auctoritate propria potest, de consensu competentis Superioris, paroeciam religioso Instituto committere,[41] etiam ecclesiam religiosam in paroecialem erigendo. Haec paroeciae commissio potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus:[42] in utroque casu id fieri debet mediante conventione scripta inter Ordinarium et competentem Superiorem Instituti, qua, inter alia, expresse et accurate indicentur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant.

V – DE OPERIBUS APOSTOLATUS RITE COORDINANDIS

38. [*Coordinatio apostolatus: necessitas*]. Quo impensior Religiosorum activitas apostolica in commune bonum cum Ecclesiae universae tum singularum dioecesium vel regionum plenius cedat, necessaria est sive inter diversa Instituta sive cum Clero saeculari, etiam in ambitu paroeciali, arcta operum et actionum coordinatio, pari zelo et diligentia ab Ordinariis locorum et Superioribus religiosis promovenda, ex qua una acies ad Regnum Dei in animabus roborandum et extendendum, potentissima constituatur.

39. [*Coordinatio apostolatus: caritas, regula suprema*]. Fecunda coordinatio actionis apostolicae non pendet solum ab ordinata dispositione operum et virium, sed maxime a supernaturali animarum et mentium habitu, qui in caritate radicatur ab eaque nutritur et profluit. Ideo, ad hanc exoptatam coordinationem obtinendam norma suprema ea sit ut, singulorum iuribus servatis, omnia ab omnibus mutua

cum aestimatione et perfecta caritate fiant, solum attendendo ad gloriam Dei et animarum salutem.

40. [*Coordinatio apostolatus*: *quoad opera etiam propria*]. Perfecta apostolatus coordinatio, praeter varia opera communia dioecesis comprehendit etiam opera propria singulorum Institutorum, quae in bonum dioecesis vel regionis cedunt.[43]

41. [*Coordinatio apostolatus*: *competens Auctoritas et ratio procedendi*]. § 1. Apostolatus opera rite coordinare competit imprimis Apostolicae Sedi pro universa Ecclesia, deinde sive Sacris Praesulibus in sua cuiusque dioecesi, sive variis Episcoporum Conferentiis ad hoc legitime constitutis, si de apostolatu agatur per integras regiones promovendo.

§ 2. Sane, omnino decet et expedit ut hac in re Sacri Praesules, pro parte apostolatus a Religiosis suscepta, non procedant nisi praeviis consiliis initis cum Superioribus, qui aequum ferre valent iudicium de iis quae a suis sodalibus convenienter praestari possunt.

Superiores vero religiosi Sacrorum Praesulum placitis iuxta normas statutas libenter obsecundent.

42. [*Coordinatio apostolatus*: *Consilium coordinans*]. Valde exoptandum est ut speciale in unaquaque dioecesi instituatur Consilium cui Ordinarius loci praesit et in quo uterque Clerus partes habeat. Huius Consilii munus erit ea quae ad apostolatus opera eiusque coordinationem spectant investigare, perpendere atque practicas expromere conclusiones quas Ordinarius loci ad effectum deducere valeat, servatis de iure servandis.[44]

Quando autem in praefato Consilio de re Institutorum laicalium sive virorum sive mulierum propria tractabitur, Superiores aliique legitimi delegati horum Institutorum vocandi erunt, informationes super quaestionibus discutiendis daturi et mentem suam manifestaturi.

Expedit quoque ut similia Consilia instituantur pro totius nationis vel alicuius regionis territorio, ut munia et incepta apostolica quae ad universaliores tendunt effectus, consiliis collatis cum Superioribus religiosis, efficacius promoveantur et aptius coordinentur.

43. [*Coordinatio apostolatus*: *conventus utriusque cleri*]. Curent pariter Sacri Praesules ut habeantur utriusque Cleri conventus et collationes indolis culturalis et pastoralis, ad fovendam mutuam cognitionem et firmiorem compaginem in apostolatu exercendo. Quibus conventibus et collationibus uterque Clerus interesse tenetur.

44. [*Coordinatio apostolatus*: *adiutrix opera Conferentiarum Superiorum Maiorum*]. Conferentiae Superiorum Maiorum in pluribus nationibus erectae hanc Institutorum coordinationem in apostolatu pro sua parte promoveant, habita ratione [45] eorum quae ab Episcopis circa apostolatum statuta fuerint.

45. [*Coordinatio apostolatus*: *Conferentiae inter Episcopos et Religiosos*]. Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religiosos, quoties id opportunum videbitur, conveniant Episcopi et Superiores religiosi per se aut per suos delegatos, ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in natione aut provincia pertinent.[46]

46. [*Resolutio de quaestionibus ad novum Codicem remittendis*]. Ad Pontificiam Commissionem, quae Codicem Iuris Canonici reformandum curabit, munus demandatur tractandi et suis in locis ea inserendi, quae in Appendice huius capitis proponuntur, habita ratione animadversionum, quae a Patribus Concilii scripto fiant.[47]

NOTAE

[1] Ut ex ipso titulo colligitur, obiectum directum huius *Capitis* non sunt opera apostolatus, quibus curae animarum subvenitur, in se considerata et propter se descripta, sed quatenus a Religiosis, sub Episcoporum regimine, exercentur.

In hoc schemate exarando Commissio Mixta (scilicet Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine, ac Commissio de Religiosis) brevitati, quantum potuit, consulere curavit. Materia autem est ampla et complexa, quae paucioribus verbis saepe sine integritatis ac perspicuitatis praeiudicio haud facile exponi potest.

[2] Cf. Pontif. Roman., *De ordinatione Presbyteri.*

[3] Pius XII, Litt. Encyl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35, 1943, p. 241.

[4] Vox « Religiosus », licet *sensu stricto et specifico* designet sodalem qui vota publica in aliqua Religione nuncupavit, attento tamen elemento fundamentali, tribus speciebus status perfectionis adquirendae communi, nempe christianae perfectionis professione evangelicis consiliis solide fundata, nihil impedit quominus eadem vox, praesertim si adiective sumpta, *latiore sensu* adhiberi valeat pro aliis quoque sodalibus status perfectionis. Determinatio sensus stricti vel lati ex ipsa rei natura vel contextu sermonis innotescit.

[5] His verbis congruenter declaratur schematis finem non esse Religiosos ad opera apostolatus exercenda vocare et excitare, quasi in eo ipsi hucusque defecerint; sed illos hac de re pluribus titulis iam bene meritos, urgere ut apostolicis ministeriis ob prementes hodiernas necessitates, maiore studio ac mensura incumbant, et quidem sub Sacrorum Praesulum moderamine, perfectaque concordia et coordinatione sive inter se sive cum Clero Saeculari. Eorum autem apostolatus intra iustos limites contineatur oportet, ne periculoso activismo cum spirituali detrimento personali et ipsius apostolatus perniciose cedant (cf. n. 28).

[6] In Ecclesia, apostolatus non exhauritur solis operibus *externis,* quae scilicet personas ministrandas directe attingunt, v. g. praedicatio, ministratio aegrotis, etc.; comprehendit etiam opera *interna* quae intra personam illa operantem sistunt, ut orationes et expiationes, merito vocatae opera vitae contemplativae (cf. S. Th., *Summa Theol.,* II^{a}-II^{ae}, q. 188, a. 3). Igitur, orationes et expiationes tamquam authenticus, fecundus et necessarius apostolatus habendae sunt, peculiaris quidem religiosorum vitae contemplativae et in sua forma genuina conservandus. Ideo, etsi omnes Religiosi apostolatui incumbere debeant, ad opera autem *externa* implenda non sunt omnes indiscriminatim vocandi, sed pro cuiusque eorum condicione vitae ab ipsa Ecclesia probata; etenim, non tantum fundamentalia principia vitae religiosae sunt servanda, sed et ipsae exigentiae vitae contemplativae, secundum propriam cuiusque Instituti indolem (cf. n. 28).

[7] Cf. CIC can. 499, § 1; CICO, *De Religiosis,* can. 23.

[8] Pius XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43, 1951, p. 28.

[9] Animadversum est aliquando huiusmodi clausulas « servatis quidem de iure servandis » vel « ad normam iuris » legem enervare. Pro rei veritate, e contra, dicendae sunt perfecta indole iuridica et haud raro opportune adhibitae, non ad sermonem inutiliter ampliandum vel legem arbitrario modo coarctandam aut attenuandam, sed ad illam rite definiendam et intra debitos limites continendam. Significant enim ius de quo agitur non esse absolutum, sed congruenter circumscribendum, ne summum ius summa evadat iniuria et referuntur ad ius pro tempore vigens.

[10] Constitutiones dicuntur accommodandae, non necessario cum mutatione *finis* specialis Instituti, quasi deberet de vita contemplativa transire ad activam vel ad diversa opera non sibi propria. Fine quidem cum indole propria Instituti servato,

constitutiones exigentiis hodierni apostolatus et debitae Ordinario loci subordinationi, prout necessarium, melius aptentur, ut sodalium activitas efficacior sit et congruentius ordinata procedat.

[11] « Ad normam iuris ». Valent hic ea quae dicta sunt in nota 9.

[12] Principium hic statutum iis quae in notis 5 et 6 habentur, plane respondet.

[13] Commissio Mixta noluit de *exemptione Religiosorum* ex professo tractare. Mandato Summi Pontificis obsequens, servata quidem exemptione, normas tradidit quibus Religiosi magis, sub Episcoporum moderamine, in apostolatus opera incumberent et amplior vigeret cooperatio inter Clerum diocesanum et Religiosos (cfr. Quaestiones Positae, pag. 9, ad II *c*).

[14] Cf. CIC can. 218, § 2: Potestas Romani Pontificis est potestas « vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles »; cf. cann. 615; 618.

[15] Cf. CICO, *De Religiosis,* cann. 10, § 1 et 164.

[16] Cf. CIC can. 500; CICO, *De Religiosis,* can. 24.

[17] Exemptio dicitur ordinem potissimum *internum* respicere, quo scilicet melius in Religionibus omnia sint inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu utantur, ac denique incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur (cf. Leo XIII, Const. Apost. *Romani Pontifices,* 8 maii 1881: *Acta Leonis XIII,* vol. II [1882] p. 234). Dicitur autem *potissimum,* quia, etsi praevalenter, non tamen exclusive ordinem internum respicit: exemptionem autem ad ordinem internum simpliciter et unice restringere, esset procul dubio illam pessumdare, imo aequipollenter negare. Sed multiplices sunt casus, in quibus Religiosi etiam exempti iurisdictioni Ordinarii loci sunt obnoxii, debita dumtaxat facta differentia inter ordinem *internum* et ordinem *externum.* Dum enim casus legitimae immixtionis Ordinarii loci in ordinem *internum,* qui est proprius Instituti, rariores sunt, casus subiectionis Ordinario loci in ordine *externo,* qui est proprius dioecesis, longe plures exstant, ut ex ipso Codice Iuris Canonici (*plus quam quinquaginta*) clare eruitur, praesertim relate ad apostolatus opera, quae Sacrorum Praesulum moderamini nativo iure subsunt. In schemate autem exarando constans fuit cura, ut, ex una parte, servaretur incolumis ordo internus Institutorum quae propriam et efficacem in Constitutionibus habent ordinationem iuridicam qua eorum vitae et disciplinae apte consulitur; et, ex altera parte, ut casus dependentiae Religiosorum ab Ordinario loci *in ordine externo,* praesertim quoad apostolatus opera exercenda, *maiore cum amplitudine* tractaretur, etiam a Codice in pluribus derogando, « prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt » (Pius XII, *Annus Sacer,* Allocutio diei 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43, 1951, p. 28). Porro ex eiusmodi casibus, quidam in ipso Decreti schemate referuntur, alii vero, utpote magis particulares, ad Commissionem pro reformando Codice (prouti in Appendice iuridica) opportune remittuntur.

[18] Leo XIII, Const. Apost. *Romani Pontifices,* 8 maii 1881: *Acta Leonis XIII,* vol. II (1882) p. 234.

[19] Pius XII, *Epist.* ad Card. Valeri pro Congressu utriusque Cleri in Hispania, 20 sept. 1956: *A.A.S.,* 48, 1956, p. 633.

[20] Pius XII, *Alloc.* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43, 1951, p. 28.

[21] Leo XIII, Const. Apost. *Romani Pontifices,* 8 maii 1881, l. c.

[22] Hoc ultimum comma additum est ad dissipandum quorumdam timorem ne subordinatio Religiosorum Ordinario loci, in operibus apostolatus exercendo, eorum spiritum « inventionis » (v. « iniziativa »), scil. ad nova et proficua incepta capessenda pro regno Dei et animarum salute, practice suffocaret, tollendo possibilitatem nova incepta excogitandi et promovendi: id quod maximo cum bono Ecclesiae et animarum in praeterito praestiterunt.

[23] Clausula restrictiva « ad normam iuris » (cf. supra dicta in nota 9) additur, quia apostolica opera universaliora exercenda sunt secundum mandatum competentis auctoritatis, quae esse potest vel ipsa Apostolica Sedes vel Conferentia Episcoporum alicuius regionis. Immo, tale mandatum certa ratione in ipsis constitutionibus Instituti haberi potest. Sic, pro Instituto ad missiones paroeciales peragendas condito, Ordinarius loci qui huiusmodi Instituti domum in sua dioecesi permiserit, sodales impedire nequit quominus in alias dioeceses quoque se conferant missiones praedicaturi.

[24] Cf. CICO, *de Religiosis,* can. 5, § 2; *de Clericis,* can. 240-282.

[25] Cf. CICO, *de Religiosis,* can. 5, § 1; *de Clericis,* cann. 5, 15 et 195, § 1, 4°.

[26] Cum omnes casus dependentiae ab Ordinario loci, in eiusmodi adiunctis, praevideri nequeant, consulto, iuxta animadversionem in Commissione Praeparatoria Centrali factam, textus redactus est in actuali forma indolis magis generalis (cf. CICO, *De Clericis,* can. 4).

[27] Haec specialia statuta Sedis Apostolicae ordinem *externum* directe tangunt, scilicet, opera missionalia a religiosis, sub auctoritate Superioris Ecclesiastici Missionis, adimplenda, incolumi manente vita religiosa, ut perspicue habetur in *Instructione* S. Congregationis de Propaganda Fide diei 8 decembris 1929 « Ad Vicarios Praefectosque Apostolicos et ad Superiores Institutorum, quibus ab Apostolica Sede Missiones concreditae sunt ». Ideoque, officium utriusque Superioris, Ecclesiastici nempe et Religiosi, his verbis fundamentaliter definitur: « Regula primaria sit ut Superior (Ecclesiasticus) Missionis, praeter casus in iure praevisos, ne sese ingerat in disciplinam regularem et universim in ea omnia, quae ad vitam religiosam referuntur. Vicissim, Superior Religiosus ne sese immisceat aut quocumque modo se occupet in iis quae ad regimen Missionis pertinent » (Praefata *Instructio,* § 21).

Prae oculis autem habendum est Religiosos, in Missionibus, sub duplici regimine iuridico constitui posse. Vel sunt in Missione proprio Instituto ab Apostolica Sede concredita, quo casu applicandae sunt speciales normae praefatae Instructionis; vel in Missione ab Ordinario loci simpliciter admissi sunt, tunc iure communi reguntur, attento quidem peculiari capite VIII: *De Vicariis et Praefectis Apostolicis* (cf. CIC, Lib. II, Tit. VII; CICO, *De Clericis,* cann. 368-373).

[28] Particula « etiam » hic consulte ponitur, quia huiusmodi leges, decreta et ordinationes, quibus tenentur Religiosi, imprimis ab Apostolica Sede prodire possunt et prodeunt.

[29] Pro particula « etiam », cf. superius dicta in nota 28.

[30] Cf. Decretum *De Episcopis ac de dioecesium regimine,* caput III: De nationali Episcoporum coetu seu Conferentia n. 24. Inter alia recensentur negotia cum Gubernio Civili tractanda, quae totam attingant nationem: talia sunt ex. gr. negotia de re scholari, administrativa, de morali usu iurium civilium, et his similia.

[31] Non solum *vita religiosa* incolumis servanda est, sed et ipsius Instituti *vocatio specialis,* quae ex fine et operibus propriis dignoscitur. Inde magni momenti est distinctio inter opera *propria* Instituti, iuxta veluti missionem ab Apostolica Sede una cum approbatione acceptam sedulo promovenda, et *alia,* etsi indoli Instituti consentanea. Propterea Religiosi non sunt *indiscriminatim* ad quaelibet opera apostolatus exercenda vocandi; sed imprimis, ad illa quae sibi propria sunt. Huius normae neglegentia certo detrimento verteret tum Instituto, tum ipsi apostolatui in Ecclesia, licet dioecesis aliquod emolumentum particulare ex ea percipere posset. Hoc autem minime excludit coordinationem exercitii operum propriorum cum aliis in dioecesi, ut specialiter inculcatur in n. 29.

[32] Cf. supra nota 23.

[33] Opera *propria* alicuius Instituti Religiosi sunt duplicis rationis: vel sunt propria reduplicative, i. e. non solum obiective pro sua specifica natura, sed etiam subiective quoad eorum possessionem, quatenus in dominio proprietatis Instituti posita

(etiam in domibus Instituti conductis) v. g. Collegium quod Institutum iuventuti erudiendae possidet. Vel opera sunt propria tantum obiective pro sua specifica natura, dum in concreto ab Ordinario loci cui pertinent accipiuntur exercenda: v. g. directio Seminarii dioecesani alicui Instituto ad clericos formandos condito commissa; praedicatio missionis paroecialis a sodalibus Instituti missionariorum ab Ordinario loci in determinata paroecia permissa.

Hac distinctione clare patet dependentiam ab Ordinario loci in operibus etiam propriis exercendis non eamdem esse in utroque casu: laxiorem quidem in priore (cf. § 1), rigidiorem in altero (cf. § 2).

[34] Hoc praescriptum derogat CIC can. 497, § 2 (cf. CICO, *de Religiosis,* cann. 9, § 1, 1°; 19, § 2), saltem quatenus in eo exclusio alicuius operis proprii Instituti in erectione domus permittenda expresse non habeatur.

[35] Iuxta CIC can. 686, § 3, pro associatione fidelium « ad modum organici corporis constituta » erigenda, Religiosi semper indigent, singulis in casibus, Ordinarii loci licentia; pro alia autem associatione propria Instituti erigenda, licentia includitur in ipsa permissione erigendi domum. Schema hunc ultimum casum assimilat operibus propriis de quibus in prima parte huius numeri 1, et proinde associatio inde ab initio excludi posset (cf. CICO, *De Clericis,* cann. 533, § 2; 552, § 2; 556, § 2).

[36] Hic derogatur iterum CIC can. 497, § 2, qui facultatem exercendi opera propria ipso facto erectionis domus *simpliciter concedit,* sine determinato tempore; dum schema huius licentiae usum restringit ad tempus ipsi domus erectioni proximum, ita ut specialis licentia Ordinarii requiratur si opus ex novo ineatur. Quoad domus suppressionem cf. CICO, *De Religiosis,* can. 20.

[37] Cf. CICO, *De Religiosis,* can. 10.

[38] Facultas hic Ordinario loci concessa directe spectat « ad opera coordinanda ». Ei ergo non competit opera imponere vel aliquem religiosum exigere ad aliquod opus perficiendum: competit vero opera ab Instituto actu gesta vel legitime assumenda « cum activitate paroeciae » coordinare. Sic ordo internus Instituti ab omni detrimento servatur, quod in bonum ipsius Ecclesiae redundat.

[39] Cum vita communis in quavis religione sit stricte obligatoria (cf. CIC can. 606, § 2; CICO, *De Religiosis,* cann. 137, 152, § 2), non est relinquenda nisi propter graves et cogentes causas, adhibitis omnibus cautelis necessariis ne sodalis, extra propriam familiam versatus, ab eiusdem disciplina in ipsa vita communi fundata alienus fiat neque spiritum proprium amittat (cf. CICO, *De Religiosis,* can. 181).

[40] Hic non datur Ordinario loci facultas *exigendi* tale subsidiarium auxilium; sed, ipso rogante, Superiori imponitur *obligatio* « pro posse » petitum auxilium praestandi, cui Superiori etiam pertinet de possibilitate vel impossibilitate id praestandi pro sua prudenti conscientia iudicare. Sic ordo internus Instituti incolumis servatur et dioecesis necessitatibus inquantum fas est subvenitur.

Insuper haec auxilii subsidiarii praestatio modum etiam habet servandum in commate sequenti descriptum: « Id sane fieri non debet ... » consequenter ad ea quae in secundo principio fundamentali ponuntur (cf. supra n. 21; CICO, *De religiosis,* can. 154).

[41] Facultas Ordinario loci hic concessa derogat CIC can. 1442. Si autem de aliqua paroecia in Missione alicui determinato Instituto commissa ageretur, recursus obligatorius ad Apostolicam Sedem forte esset retinendus ne opera Superioris Missionis, qui etiam est sodalis Instituti cui Missio committitur, paroeciae religiosae ultra modum multiplicentur.

[42] Commissio Mixta consulte abstinuit determinare modum committendi paroeciam Religiosis sive per *unionem iuridicam* domui religiosae, iuxta CIC can. 1425 (cf. CICO, *De Clericis,* can. 490), sive per *meram commissionem permanentem* Insti-

tuto datam, mediante speciali conventione secundum praxim praeter Codicem inductam et in Codice pro Ecclesiis Orientalibus sancitam (cf. CICO, *De Clericis,* can. 491).

[43] Cf. supra n. 29.

[44] Huiusmodi Consilium coordinans aliquomodo praeformatur in CIC can. 303, quo Vicarii vel Praefecti Apostolici suadentur « ... prout siverit opportunitas, (ut) missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares proprii territorii congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint ordinanda perfectius ».

[45] Non omnia quae in Conferentia Episcoporum tractantur per modum praecepti intimantur. Ideo, consulto retenta est formula: « habita ratione », quae certo includit etiam observantiam eorum quae reapse praecipiuntur.

[46] Iste conventus, praeter Conferentias constitutas inductus, suam habere potest utilitatem. Non est organum permanens, sed participantes singulis in casibus convocandi sunt, etiam intra limites unius dioecesis quin ad organum interdiocesanum recurratur.

[47] Quasdam quaestiones, praesertim de dependentia Religiosorum ab Ordinariis locorum, Commissio opportune remittendas esse censuit (in Appendice) ad Commissionem pro reformando Codice Iuris Canonici, ne Concilium ad particularia descendere videretur.

Caput IV

DE PASTORALI CURA PECULIARIUM QUORUMDAM FIDELIUM COETUUM

47. [*Prooemium*]. Pastores animarum curam peculiarem quorumdam coetuum fidelium sedulo habere tenentur, qui ob suam vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent, aut eadem penitus carent. Quamplurimi enim sunt *migrantes,* qui ob victus, vitae ac laboris necessitates vel ob tristes suae nationis condiciones ac vel etiam ob vexationes religionis causa obortas, patrium locum derelinquunt, et regiones vel civitates adeunt, in quibus populus alia lingua loquitur et quandoque fidem catholicam non profitetur. Nisi igitur apte illorum cura spiritualis peculiari modo suscipiatur, in fide et pietate facillime tepescere solent ac saepius a vita christiana degenda prorsus deficiunt, eo vel magis quod quamplures migrantes a propria familia separati diu manere debent, proptereaque in magnis periculis haud raro sunt ne gravem morum honestatis iacturam faciant; iidem praeterea saepius insidiis pravorum hominum patent, qui eorum consuetudinem quaerunt potius ad spiritualem ipsorum ruinam, quam ad materialem ipsorum utilitatem.

Peculiarem habeant Sacri Pastores sollicitudinem ut iuvenibus sive catholicis sive etiam non catholicis, qui e regionibus Missionalium studio excolendis, in dioeceses ipsorum ad tempus se conferunt doctrinae condiscendae ususque rerum adipiscendi causa, spiritualis cura impertiatur.[1]

Item, plane singulari modo consulendum est bono spirituali fidelium *maritimorum,* qui dicuntur, qui scilicet aut vitam in navibus ducere debent, sive artem nauticam vel piscatoriam exercentes, sive operam in illis impendentes, aut portibus addicuntur maritima itinera adparaturi.

Peculiari pariter pastorali subsidio indigent fideles *aëronavigantes,* viri nempe et mulieres qui, in velivolis aut in aërodromis ministeria explentes, vel extra moenia

civitatis commorantur, vel parumper hic atque illic consistunt dum itinera conficiunt.

Nomades etiam, qui longe lateque passim semper vagantur artem circensibus ludis exercentes, speciali sacrorum pastorum cura impense adiuvandi sunt, ut vitam christianam ducere valeant.

Denique, *peregrinatores* (vulgo *turisti*) qui delectationis vel rusticationis causa per externas civitates iter faciunt, vel in salubribus locis ad montes aut ad marium lacuumque oras commorantur aut etiam in campis consistunt, peculiari egent cura spirituali, ut opportuna commoda quae inde hauriri possunt, in detrimentum fidei et morum ne cedant sive ipsorum, sive christifidelium, qui ibidem in diversoriis operam suam impendunt aut proprium domicilium habent.

Ut igitur apte ac fructuose praefatorum coetuum fidelium cura pastoralis exerceatur, Sancta Synodus mandat ut peculiare Directorium Pastorale pro diversis singularum nationum seu regionum adiunctis conficiatur, in quo expresse ratio etiam habeatur principiorum et normarum generalium quae sequuntur:

48. [*De fidelium migrantium cura pastorali*]. Naturale hominum et familiarum ius ad emigrandum ad arbitrium ob totalitarismi vel imperialismi aut immoderati nationalismi placita abrogari vel iniuste coartari non potest.[2]

Episcopi et parochi sollerter consulere tenentur migrantium bono spirituali et etiam, quo melius fieri potest, eorum bono sociali.[3] Non solum autem ad alium ritum assumendum migrantes nullimode induci debent, verum etiam sedulo curetur oportet ut iisdem verbum Dei in propria eorum lingua nuntietur, qua pariter iidem uti valeant in receptione Sacramentorum.[4]

Ut migrantium bono apte prospiciatur peculiares constituantur Comitatus dioecesani et Subcomitatus paroeciales; insuper autem iis in nationibus in quibus quamplurimi migrare solent specialis constituatur Commissio Episcoporum, ut actio pro migrantibus melius determinetur et coniuncta procedat.[5]

Norma generalis ubique semper servetur ut iurisdictione personali pro migrantibus eorum missionarii a loci Ordinario instruantur utque paroeciae personales legitime constituantur pro migrantibus eiusdem nationis vel eiusdem linguae aut ritus ubi eorundem magna exstat multitudo.

49. [*De cura pastorali fidelium maritimorum*]. « Opus Apostolatus Maris », ad pastoralem maritimorum curam exercendam, in universo orbe promovetur et dirigitur a Secretariatu Generali Internationali, cuius est etiam operam dare ut missionarii maritimorum in nationibus quoque non catholicis munus suum obire valeant.[6]

In qualibet maritima natione peculiaris Commissio Episcoporum constituatur, vel saltem quidam deputetur Praesul ad Opus Apostolatus Maris in tota natione promovendum et moderandum, imprimis vero ad curandum ut in doctrina christiana plene instituantur atque in religiosa et morali educatione rite perficiantur alumni Institutorum et Scholarum quae ad nautas excolendos et efformandos ordinantur.

50. [*De pastorali fidelium aëronavigantium cura*]. Ordinarii locorum, in quorum territorio sint aërodromi civiles, sedulo promoveant « Opus Apostolatus Caeli », quod dicitur, ad bonum spirituale curandum sive eorum qui iter per aërem peragunt, sive eorum qui in velivolis aut in aërodromis aliquo ministerio funguntur. Ad Missam saltem diebus festis celebrandam et ad Sacramenta, pro opportunitate, administranda idoneus sacerdos deputetur, qui etiam praecipuis linguis lo-

quatur; oratorium quoque, in maioribus saltem aërodromis, erigatur et proprius cappellanus designetur.

51. [*De fidelium nomadum cura pastorali*]. Episcoporum Conferentiae Nationales peculiarem Commissionem Episcopalem constituant, cuius sit opportune providere ut nomadum cura spiritualis diligenter exerceatur per aptos et idoneos cappellanos, a proprio eorum cuiusque Ordinario loci designatos et de consensu competentis eorum Superioris, si sint Religiosi. Cappellani nomadum iurisdictioni Ordinarii loci subsunt, in cuius territorio actu commorantur, et ab eodem facultates obtinere debent quae ad sacrum ministerium exercendum sunt necessariae.

52. [*De cura pastorali fidelium peregrinatorum*]. Iis in nationibus, in quibus magna esse solet peregrinatorum multitudo, a competenti Episcoporum Conferentia Nationali peculiaris Commissio aut determinatus Praesul designetur, ut eorum curae pastorali apte et opportune prospiciatur secundum normas ab Ordinario loci statutas, in cuius territorio peregrinatores actu commorantur.

Sedulo etiam satagant Ordinarii, ut in rebus fidei et morum apprime instituantur personae utriusque sexus, quae praeparentur ad operam suam rite navandam in tabernis et in diversoriis, ad quae peregrinatores confluere solent.

Item, Ordinarii prudentem sed sollertem diligentiam adhibeant ut leges seu edicta aut decreta ab auctoritate publica nationis vel regionis condantur vel urgeantur, quibus morum integritas in tuto ponatur.

NOTAE

[1] Pius XII, Litt. Encycl. *Fidei Donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49, 1957, p. 245; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* 28 nov. 1959: *A.A.S.,* 51, 1959, pp. 861-862.

[2] Pius XII, *Nuntius radiophonicus* de Encycl. *Rerum Novarum,* 1 iun. 1941: *A.A.S.,* 33, 1941, p. 195; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53, 1961, pp. 411-412.

[3] S. Pius X, Motu proprio *Iampridem,* 19 mart. 1914: *A.A.S.,* 6, 1914, p. 174; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51, 1959, p. 527.

[4] Conc. Later. IV, c. IV: Mansi, XXII, p. 998.

[5] S. Pius X, Motu proprio *Iampridem,* l. c., pp. 174-175; Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia,* 1 aug. 1952: *A.A.S.,* 54, 1952, p. 702, n. 43.

[6] *Leges Operis Apostolatus Maris,* auctoritate Pii XII conditae, 21 nov. 1957: *A.A.S.,* 50, 1958, p. 375, n. 2.

CAPUT V

DE CATECHETICA POPULI CHRISTIANI INSTITUTIONE *

53. [*Prooemium*]. Primum Ecclesiae officium est praedicare evangelium; Christus Iesus enim Apostolis mandatum dedit: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui

* Hoc caput confectum est a Commissione Conciliari de disciplina Cleri et populi christiani.

vero non crediderit condemnabitur ».[1] Id autem tum maxime facit Ecclesia, cum pro suorum sapientia institutorum et legum pueris adultisque doctrinam religionis impertit, eosque in vitae christianae plenitudinem introducit. Quapropter saepissime Romani Pontifices enixe Ordinarios locorum hortati sunt ad tam pium tamque salutare opus doctrinae christianae tradendae impensiore cura provehendum, cum sacerdos quilibet nullo graviore officio teneatur, nullo arctiore nexu obligetur, quam mandato fideles in christiana doctrina instituendi.[2] Idipsum autem vehementer urget etiam haec Sacrosancta Synodus. Maxima enim et sedula cura hodiernis temporibus institutio catechetica tradatur oportet, quia ex una parte fides multorum languescit et placitis mundi saepius fideles inquinantur et ipsa fidei integritas in pluribus regionibus in discrimen vocatur; ex altera parte vero manifeste patet plurimos fideles profundius sentire mysterium Ecclesiae, itemque fructuosa comprobatur impensior annuntiatio praeconii salutis per peculiarem actionem biblicam, liturgicam, homileticam; ideoque firmiter sperare licet vitam christianam magis magisque efflorescere posse.

Ut autem accuratae normae praefiniantur ad institutionem catecheticam ordinate et fructuose pueris adultisque tradendam pro diversis eorum aetate, ingenio et condicione, Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur statuit:

54. [*De necessitate institutionis catecheticae populi christiani*]. Catechetica institutio, una cum verbi Dei praedicatione et Sacra Liturgia, vitae christianae veluti cardo ac radix habenda est, quapropter Ecclesiae interest, ipsam infantibus, iuvenibus, immo et adultis sedula cura, studio ac perseverantia semper tradi.

55. [*De fine institutionis catecheticae*]. Eo institutio catechetica tendit, idque imprimis tamquam finem persequitur, ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita, iidemque homines ad vitam agendam excitentur fidei christianae consentaneam et bonis operibus semper praestantem.

56. [*De methodo adhibenda in catechesi*]. Methodus in catechetica institutione adhibenda imprimis respondere debet materiae sacrae de qua agitur, sed et indoles, facultates atque aetas auditorum aliaeque eorum vitae circumstantiae prae oculis habendae sunt, quo aptius atque melius finis supra descriptus attingi valeat.

57. [*De catechetica praeparatione*]. Ita catechistae ad munus suum praeparandi sunt, ut Ecclesiae doctrinam plane apteque cognoscant et in legibus psychologicis atque paedagogicis disciplinis cum theoretice tum etiam practicis exercitationibus satis sint versati, ipsique in fide et caritate vere « radicati et fundati » consistant.[3]

58. [*De catecheticae institutionis ordinatione*]. Activitas catechetica in paroecia, dioecesi et natione ita ordinanda atque disponenda est, ut ad omnes sive pueros sive adolescentes sive etiam adultos perveniat. Necessarium est praeterea, ut catechistae opportuna adiumenta et continuam formationem recipere pergant. Sic quoque agendum semper est, ut per centra catechetica in qualibet dioecesi vel natione erecta vel in posterum erigenda, per libros, folia periodica, congressus, et mutuam consultationem internationalem, praeeunte et moderante Officio catechetico apud Apostolicam Sedem erecto,[4] institutio catechetica magis magisque viva et efficax sit, temporum adiunctis plene respondeat atque sacro suo fini attingendo fructuose inserviat.

59. [*De libris catecheticis*]. Pro omni genere catecheseos apti libri conficiendi sunt.

a) Iis qui catecheticam institutionem recipiunt, catechismi imprimis aliique libri ad rem utiles praesto sint, diversis quidem aetatis ac culturae gradibus necnon

vitae exigentiis ac condicionibus convenienter accommodati. Curandum est ut hisce in libris fides et vita christiana apte et fideliter exponantur, utque ipsi spiritu apostolico in aedificationem Ecclesiae sint imbuti. In omnibus autem aetatis atque institutionis gradibus fideles ad manus habeant selecta capita Sacrae Scripturae et, tempore opportuno, integrum Novum Testamentum.

b) Pro catechistis manualia adsint quae libris supra recensitis respondeant, necnon programmata institutionis catecheticae, quibus iidem adiuventur ad suum laborem recte et secundum ordinem ab Episcopis statutum perficiendum.

60. [*Mandatum de Directoriis catechisticis*]. Mandat igitur Sancta Synodus ut conficiatur Directorium de catechetica populi christiani institutione, in quo agatur de principiis fundamentalibus institutionis catecheticae et formationis populi christiani, deque ordinatione institutionis catecheticae et elaboratione librorum ad rem pertinentium.[5]

NOTAE

[1] *Mc.* 16, 16.

[2] S. Pius X, Litt. Encycl. *Acerbo nimis*, 15 apr. 1905: Pii PP. X Acta II, p. 69 sqq.

[3] Cf. *Eph.* 3, 17.

[4] Cf. Pius XI, Motu proprio *Orbem Catholicum*, 29 iun. 1923: *A.A.S.*, 15, 1923, p. 327.

[5] Huius Directorii schema in Appendice adnectitur.

APPENDIX PRIMA *

DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE

NORMAE VEL PRAESCRIPTA IN CODICEM IURIS CANONICI REFERENDA

1. [*Episcopi magisterium personale*]. Episcopus tenetur officio opportune praedicandi per se ipse verbum Dei, nisi legitimo prohibeatur impedimento. Praeterea, catholicam doctrinam saepius exponat etiam per litteras pastorales, in singulis dioecesis ecclesiis legendas.

Quo plenius Episcopus officium suum praedicandi Evangelium explere valeat, praescripto can. 1327, § 2 CIC de hac ipsius obligatione additur nunc praescriptum de eius obligatione docendi fideles etiam per litteras pastorales publice legendas in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis intra fines sui territorii sitis.

---

* De quaestionibus, quae in hisce Appendicibus proponuntur, nulla fiet disceptatio in Congregationibus Generalibus, sed unusquisque Pater Conciliaris libere poterit animadversiones suas scripto facere easque tradere Secretario Generali Concilii.

Appendices autem, iussu ipsius Sacrosancti Concilii, remittentur una cum omnibus animadversionibus a Patribus prolatis ad Commissionem de reformando Codice I. C. vel ad alias Commissiones, quae Directoria pastoralia redigenda curabunt.

2. [*Episcopus custos et iudex de rebus fidei et morum*]. § 1. Episcopus in universa sua dioecesi custos est et iudex de rebus fidei et morum, eique proinde plerumque deferantur in prima instantia causae criminales de hac materia, nisi agatur de sanctionibus statutis in cann. 2320, 2343, § 1, 2367 et 2369 CIC, quorum delictorum cognitio in foro externo S. Congr. S. Officii reservatur.

§ 2. Eaedem causae plerumque pariter in gradu appellationis ad Metropolitam deferantur, qui tamen, sicut et competens tribunal Apostolicae Sedis, sententiam condemnatoriam non proferat inaudito proprio Ordinario delinquentis.

Aequum est omnino ut nemo unquam damnetur, nisi praemonito seu consulto eius Ordinario, cui peculiaria personarum adiuncta melius innotescere solent aut innotescere possunt. Item, prorsus expedire videtur ut etiam in rebus fidei et morum iudex in prima instantia sit Ordinarius loci, nisi circumstantiae particulares aliud exigant vel suadeant; ideoque in suo robore etiam immutata manet reservatio S. Congregationi S. Officii, etiam in Ecclesia Orientali, quae respicit cognitionem quoad forum externum quattuor gravissimorum delictorum de quibus in cann. 2320, 2343, § 1, 2367, 2369 CIC expresse statutam decreto eiusdem S. Congregationis diei 21 iul. 1934.[1] Nullimode autem opportunum censetur ut Conferentiis Episcoporum regionalibus et nationalibus potestas iudiciaria et coactiva tribuatur, proindeque decernitur ut in causis quoque de rebus fidei et morum a sententia definitiva Ordinariì loci in primo iurisdictionis gradu lata appellationem recipiat Metropolita, ad normam can. 274, 7° CIC. Hac nova disciplina magna ex parte derogatur praescripto can. 247, § 2 CIC: « Congregatio S. Officii iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint »; quod praescriptum refertur etiam in can. 193, § 2 CICO. In suo robore integre manet praescriptum can. 501, § 2 CIC: « Superioribus (religiosis) quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant », et praescriptum can. 27 CICO, *de Religiosis*: « Superior quilibet severe prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittat ».

3. [*Vigilantia in libros*]. § 1. Locorum Ordinarii, etiam per sacerdotes idoneos, vigilent in libros et in ephemerides, quae in proprio territorio edantur aut venales prostent, etsi ex alia lingua sint translati, eaque scripta prohibere non omittant quorum lectio damnum aut periculum spirituale fidelibus sit allatura.

§ 2. Nomina eorum qui libros pravos Ordinario vel sacerdotibus ad vigilantiam exercendam deputatis denuntiaverint, semper secreto serventur; denuntiationes autem anonymae nihili faciendae sunt, nisi ex earum peculiaribus adiunctis aliisque elementis saltem probabiles evidenter appareant.

§ 3. Libri ne prohibeantur antequam eorumdem auctores certiores fiant de erroribus de quibus accusantur, iique liberam habeant facultatem sese defendendi, etiam per alios quos maluerint.

§ 4. Nisi gravis causa quandoque aliud suadeat, rationes prohibitionis librorum publice breviter exponantur, ut fideles probe noscant quale et quantum sit periculum ex eorum lectione oriturum.

§ 5. Nova libri prohibiti editio permittatur si deleta, mutata, correcta fuerint ea quae delenda, mutanda, corrigenda indicata sint; auctor vero libri prohibiti facultate gaudeat alios libros, etiam de eadem materia scribendi vel edendi ubi primum constet eum erroneas suas opiniones emendasse.

Plura accuratius determinantur quae de iure et officio Ordinarii loci quod attinet ad libros noxios prohibendos praescribuntur in cann. 1395, § 1 et 1397, §§ 3-4 CIC, pluraque nova statuuntur de modo quo ea in re idem Ordinarius procedere debet, ut, quantum fieri potest, aequa ratio hodiernae mentis et animi indolis hominum habeatur. Integra in suo robore manent singula praescripta hucusque vigentia de competentia S. Congr. S. Officii in hac materia, et ad unum Romanum Pontificem pertinet prudenter definire utrum et quomodo aliquid eadem de re sit immutandum.

4. [*Vicariatus Foraneus et Vicarii foranei munus*]. § 1. Singuli vicariatus foranei, seu decanatus et archipresbyteratus, pluribus paroeciis constent, quae loci propinquitate, viarum communicatione, affinitate sive culturali sive oeconomica sive sociali, facilius eadem ratione regi possunt.

§ 2. Ad munus vicarii foranei Episcopus eligat sacerdotem quem doctrina sacra, zelo apostolico et hospitalitate praestantiorem iudicaverit, quique pastoralem actionem communem in vicariatu foraneo apte promovere ac moderari valeat.

§ 3. Vicarius foraneus ad quinquennium constituitur, quo exacto potest denuo confirmari.

§ 4. Semel saltem in anno omnes vicarii foranei congregentur et Episcopus cum iisdem praefiniat quae ad commune pastorale ministerium attineant.

Notio determinatur vicariatus foranei, qui in can. 217, § 1 CIC simpliciter pluribus paroeciis constare dicitur; quod idem refertur in can. 161, § 1 CICO, *de Clericis,* de proto-presbyteratu. Item, peropportunae quaedam determinationes fiunt praescriptorum can. 446, §§ 1 et 2 CIC et can. 484, §§ 1 et 2 CICO de qualitatibus seu dotibus quae in vicario foraneo vel in protopresbytero requiruntur, et de tempore ad quod in officio constituuntur. Novum autem est praescriptum de annuo vicariorum foraneorum conventu cum Episcopo, qui plurimum absque dubio expedit ut commune munus pastorale in tota dioecesi aptius et fructuosius exerceatur.

Integre in suo robore manent praescripta cann. 447-450 CIC et cann. 485-488 CICO de facultatibus necnon de iuribus et officiis propriis vicarii foranei vel protopresbyteri.

5. [*Vicariorum Generalium constitutio*]. § 1. In magnis dioecesibus plures Vicarii Generales constitui possunt, prout Episcopus iudicaverit expedire.

§ 2. Episcopus potest quoque plures Vicarios episcopales constituere, quibus, vi officii, sit iurisdictio ordinaria in determinata tantum dioecesis parte, vel in determinato tantum negotiorum genere.[2]

Magis extenditur praescriptum can. 366, § 3 CIC: « Unus tantum (Vicarius Generalis) constituatur, nisi vel rituum diversitas vel amplitudo dioecesis aliud exigat ». De Syncello, quo nomine in Ecclesia Orientali venit Vicarius Generalis, statuitur in can. 432, §§ 3 et 4, 1° CICO: « Unus tantum constituatur nisi amplitudo eparchiae vel alia rationabilis causa plures exigat »; « Si in aliqua dioecesi ritus latini adsint communitates fidelium ritus orientalis, constituatur Syncellus qui de iis curam suscipiat; qui, si fieri potest, sit et ipse ritus orientalis, secus, sacerdos latini ritus, idoneus ac rerum orientalium bene doctus, assumatur ». De plurium Vicariorum constitutione pro determinata tantum dioecesis parte vel pro diversitate negotiorum nihil dicitur in iure scripto hucusque vigenti, sed eadem iam in pluribus regionibus fieri solet.

6. [*Peculiare Consilium pro Cleri distributione*]. Instituatur apud Apostolicam Sedem peculiare Consilium, cuius erit praedisponere, ordinare ac moderari ea

omnia quae ad aptiorem cleri distributionem, pro ecclesiarum necessitatibus, attinent.[3]

7. Similiter constituantur apud Conferentias Episcopales nationales vel regionales peculiaria consilia, quorum erit ordinare ac moderari ea omnia de quibus agitur in n. 7, sed in ordine nationali vel regionali.

8. [*Missiones Nationales vel Praelaturae pro Cleri distributione*]. Ad corpus aliquod mobile constituendum, quod in ea loca accedere possit quae speciali indigent adiutorio, Consociationes, pro rerum adiunctis et locorum indigentia, cleri saecularis constituantur — quales in aliquibus regionibus iam exstant ibique « Missiones nationales » nuncupantur — quaeque propriis legibus ab Apostolica Sede adprobatis ditatae, in Praelaturas, cum aut sine territorio, erectae, sub regimine sint certi Praelati, uniuscuiusque Praelaturae Ordinarii.

9. [*Praelati munus*]. Istius Praelati erit Seminarium nationale vel regionale erigere ac dirigere, in quo alumni instituantur in servitium totius nationis vel regionis.

Eidem Praelato ius erit alumnos ita institutos incardinandi, eosque ad Ordines promovendi « titulo Praelaturae seu Missionis nationalis vel regionalis ».

Onus tandem Praelato incumbit providendi decorae sustentationi eorum, quos promoverit titulo praedicto, cui consulendum est per conventiones cum Ordinariis dioecesium ad quas sacerdotes Praelaturae destinentur, vel per bona propria Praelaturae vel aliis mediis idoneis. Similiter providendum est iis qui vel ratione valetudinis vel alias ob causas, munus sibi commissum relinquere debent.

10. [*Institutum incardinationis et excardinationis recognoscendum*]. Ut transitus clericorum ab una ad aliam dioecesim facilior et expeditior reddatur, haec — firmo manente instituto iuridico de incardinatione et excardinatione clericorum — servanda statuuntur:

a) extra casum verae necessitatis, Ordinarius loci litteras excardinationis vel saltem licentiam ad tempus abeundi ne deneget clericis, qui mitti vel incardinari postulaverint ad dioecesim alteram, gravi inopia cleri laborantem, sed prudenter inquirat utrum clericus ille aptus sit ad ministerium exercendum in dioecesi aliena. Contentione exsurgente, Commissionis apud Apostolicam Sedem institutae vel Commissionis nationalis aut regionalis erit diiudicare.

b) Clericus, qui a sua dioecesi ad aliam, ad tempus indefinitum, legitime transmigraverit, huic dioecesi ipso iure, transacto quinquennio, incardinatur, nisi vel ipse contrariam antea voluntatem manifestaverit, vel Ordinarius dioecesis originis, aut Ordinarius dioecesis hospitis, consensum antea revocaverit.

11. [*Associationes fidelium*]. Salvo iure Ecclesiae erigendi et moderandi consociationes, quarum finis et activitas ad competentiam pertinet unius auctoritatis ecclesiasticae, integrum est fidelibus — sive clericis sive laicis — privatis inter se initis conventionibus, associationes ad pietatem excolendam, ad opera christianae caritatis exercenda, ad varia opera socialia fovenda, constituere atque iuxta statuta libere condita moderari. Quae tamen associationes subsunt vigilantiae et sollicitudini pastorali auctoritatis ecclesiasticae.[4]

Peropportunum videtur ut in Codice I. C reformando expressa ratio huiusmodi associationum habeatur, quae *laicales* hucusque vocari solent,[5] sed aptius denominari possunt: « Associationes piae privatorum » vel « Associationes collectivae ».

Item, in Codice I. C. reformando normae accuratiores determinandae sunt de Tertiis Ordinibus, de Confraternitatibus, de Piis Unionibus, ut hodiernis adiunctis aptius respondeant et melius atque efficacius finem suum assequantur.

NOTAE

[1] *A.A.S.*, 26, 1934, p. 550.

[2] Cf. Schema Decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine », p. 12, nota 4.

[3] Normae, quae in nn. 6-7-8-9-10 referuntur a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani confectae sunt.

[4] Hic numerus excerptus est e schemate Decreti « De fidelium associationibus » apparato a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani, quae hanc proposuit notam explicativam:

a) Ius nativum fidelium constituendi associationes in fines supernaturales, implicite tantummodo in iure Codicis I. C. agnoscitur (c. 684), sed diserte in Decreto S. C. Concilii, *Corrienten.*, 13 nov. 1920 (*A.A.S.*, 13, 1920, p. 139) affirmatur. Hoc autem fidelium ius in ipso Codice enuntiari debet. His associationibus a fidelibus, sive clericis sive laicis, constitutis (ad quoscumque fines supernaturales, iis tamen exceptis quorum prosecutio uni hierarchiae ecclesiasticae reservatur) hodie *associationes laicales* vocari solent, sed denominatio magis apta in iure canonico tribuatur, v. gr. associationes piae privatorum vel associationes collectivae, utpote a privatis personis constitutae atque ab iisdem, iuxta statuta libere inita, gubernatae.

Eas associationes, cum ipsae sint sub potestate et regimine laicorum constitutae, auctoritas ecclesiastica, vi suae iurisdictionis, dirigere nequit, quemadmodum societates ecclesiasticas et confraternitates dirigit. Attamen, cum illae associationes, non secus ac singuli fideles, auctoritati subsint hierarchiae ecclesiasticae, huic competit ius vigilandi, ut semper servetur integritas fidei et morum atque ut nulli in iisdem abusus irrepant, immo et ius ea ordinandi, quae a bono communi Ecclesiae vel dioecesis requiruntur. Possunt quidem tales associationes privatae certis sub condicionibus, per formale decretum, personalitate morali donari *iuris privati* coram Ecclesia. Huius personalitatis moralis iuris privati ratione, praedictae associationes non fierent verae et propriae personae morales ecclesiasticae, quales communiter intelliguntur, nec proinde earum bona temporalia fierent bona ecclesiastica: remanerent bona privata in patrimonio associationis, quae ab Ecclesia agnosceretur tamquam legitimum subiectum iurium et officiorum, quae personis moralibus competunt.

b) Ad difficultates superandas simplicioremque reddendam disciplinam, omnes *associationes ecclesiasticae,* quae dicuntur, per legitimum erectionis decretum constituantur, nec proinde distinctio iam fieri debet inter associationes quae ab ecclesiastica auctoritate sunt erectae (c. 684) et associationes quae ab eadem auctoritate sunt simpliciter approbatae (c. 686, § 1). Personalitate morali ipso iure gaudeant omnes associationes a legitima auctoritate ecclesiastica erectae, et eandem personalitatem accipiant per formale decretum auctoritatis competentis associationes, quae hucusque erant ab ecclesiastica auctoritate simpliciter approbatae. Pariter personalitatem moralem ipso facto obtineant plurium associationum eiusdem generis seu speciei confoederationes, quae per decretum competentis auctoritatis ecclesiasticae erigantur.

Optatur praeterea ut, si fieri potest, denominatio magis apta eligatur ad has associationes designandas, ut v. gr. associationes piae publicae vel ecclesiales. Latior insuper requiritur definitio finium, quibus tales associationes constitui possunt.

Associationes ecclesiasticae, quas dicunt, reguntur a moderatoribus iuxta statutorum praescripta. Atque iurisdictioni et vigilantiae competentis auctoritatis ecclesiasticae, a Commissione pro Codice I. C. reformando determinandae, subsunt associationes internationales; iurisdictioni et vigilantiae omnium Ordinariorum locorum, in quorum dioecesibus sunt, associationes interdioecesanae; iurisdictioni et vigilantiae Ordinarii loci subsunt, servatis propriis earum statutis, sectiones dioecesanae associationum interdioecesana-

rum vel internationalium. Fideles laici etiam in associationibus, quas ecclesiasticas vocant, munus exercere possint moderatoris, iuxta propria cuiusque associationis statuta.

Duae dumtaxat sint species associationum quae ecclesiasticae dicuntur: *tertii Ordines saeculares* et *sodalitates catholicae*. De tertiis Ordinibus saecularibus, quibus adscribuntur fideles ut sub moderamine alicuius Ordinis ad christianam perfectionem contendere nitantur, leges serventur quae in CIC cc. 702-706 statuuntur; de sodalitatibus catholicis autem, quae omnes alias associationes complectuntur, una et eadem legislatio condatur, cui statuta particularia Confraternitatum, Piarum Unionum aliarumque Sodalitatum, quae sibi proprium nomen servare valent, accommodentur oportet. Sodalitates catholicae, illae praesertim quae in posterum constituantur, considerent opportunitatem titulum seu nomen eligendi hodierni temporis usibus accommodatum. Sedes tandem sodalitatum catholicarum non est obligatorio modo constituenda in ecclesia vel oratorio, sed etiam in loco non sacro haberi potest.

[5] Cf. supra nota 4.

APPENDIX SECUNDA

DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE

PRAECIPUAE NORMAE REFERENDAE IN DIRECTORIUM GENERALE PRO EPISCOPIS

Prooemium

1. Est in Ecclesia « visibile magisterium, a quo credenda interius exteriusque profitenda fides publice proponitur; visibile quoque ministerium, quod visibilia Dei mysteria, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus Deo cultus comparatur, munere publico moderatur ac curat; visibile regimen, quod membrorum inter se communionem ordinat, externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit... ».[1]

2. Magisterio, ministerio ac regimine efficitur cura animarum, quae est prima et essentialis actio pastoralis Episcopi, qui verus est magister et doctor fidei, pontifex magnus, pater et pastor gregis sibi commissi. Episcopi igitur, ratione sui muneris, ius et officium est curam gerere animarum, universam pastoralem actionem in sua dioecesi proponere, coordinare, ad unitatem reducere atque moderari, ita ut ipse sit veluti architectus et dux totius apostolatus in salutem omnium, qui in territorio dioecesis actu commorantur.

3. At si unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen, qua legitimus Apostolorum successor, participare tenetur sollicitudinem illam omnium ecclesiarum, quae Romano Pontifici praecipue incumbit. Quapropter gravissimo officio astringitur una cum Romano Pontifice dilatandi Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae et allevandae.[2]

4. Quo plenius, perfectius atque efficacius suum ipsorum munus Sacri Pastores adimplere valeant, *Directorium* hoc *generale de cura animarum pro Episcopis*, de mandato Sacrosanctae Synodi Vaticanae Secundae proponitur, in quo generalia tantum principia et praecipuae actionis pastoralis normae, nostris temporibus accommodatae, indicantur.

Huiusmodi Directorium aptum fundamentum erit pro directoriis pastoralibus,

a singulis Episcoporum Conferentiis conficiendis et edendis, quae particulares singularum nationum vel regionum condiciones magis respiciant et principia generalia ad usum practicum applicent, attentis quidem omnibus locorum, temporum ac personarum adiunctis.

I – Episcopus Magister Fidei

5. [*Ministerii verbi primaria necessitas*]. Episcopi ipsi conscii debent esse et sacerdotes certiores facere essentiale et indispensabile munus Pastorum esse verbum Dei praedicare.

6. [*Episcopi magisterium personale*]. Per seipsum, nisi legitimo detineatur impedimento, tenetur Episcopus opportune praedicare verbum Dei. Saepius autem catholicam doctrinam exponat quoque per litteras pastorales, in singulis dioecesis ecclesiis publice legendas.

7. [*Sedula cura in ministerio verbi*]. Ministerio verbi divini in suis dioecesibus sedulo invigilent Episcopi et curent, ut tum sacerdotes in modum cursuum specialium, tum alumni in Seminariis efficaciter instruantur ut in munus praedicationis fructuose incumbere valeant.

8. [*Praedicatio in omnibus Missis*]. Curent imprimis Episcopi ut diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto in omnibus Missis, quae ubivis, etiam in ecclesiis vel oratoriis Religiosorum, adstantibus fidelibus celebrantur, brevis homilia aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat.

Necessarium videtur homiliae suam significationem restituere nexumque interiorem cum liturgica actione. Praedicatio homiletica et liturgica relationes mutuas et fecundas habent inter se; praedicatio enim dirigere debet fideles ad mysterium paschale Christi quod liturgia eucharistica repraesentatur.

9. [*Evangelizationis programma generale organicum et missionarium*]. Homilia est praedicatio verbi Dei necessaria sed non sufficiens: inseri et ordinari debet in summario seu programmate organico evangelizationis (quod potest esse nationale): ita christifideles de praecipuis christianae doctrinae partibus constanter ac plenius erudiantur ut verbum Dei largius quam maxime hominibus annuncietur.

In programmate — quod erit pars Directorii de evangelizatione — praevideantur: *a*) catechesis adultorum et puerorum; *b*) praedicationes extraordinariae; *c*) evangelizatio missionaria sive kerigmatica; *d*) breviores catecheses occasione administrationis sive Sacramentorum (baptismi, matrimonii) sive sacramentalium (funerum, benedictionum domus vel aliorum locorum et institutionum); *e*) usus mediorum communicationis socialis pro verbi Dei evangelizatione.

10. [*Vigilantia in ministros verbi Dei*]. Sedulo invigilare Episcopus numquam omittat, ut omnes sacerdotes — etiam religiosi — in verbo Dei praedicando congrua scientia sacra sint instructi et ferventi zelo apostolico sint incensi. Eos opportune moneat qui profanas vocum novitates proponere audeant, et ipsam facultatem praedicandi iis auferat qui non resipuerint.

11. [*Directorium de evangelizatione*]. Commendatur ut in Conferentiis Episcoporum conficiendum curetur Directorium de evangelizatione, in quo normae statuantur ab omnibus servandae qui verbum Dei fidelibus annuntiant.

Ratione habita de his quae hucusque dicta sunt, in Directorio evangelizationis exponantur etiam:

1) praecipua principia: *a*) de necessario studio assiduo Sacrae Scripturae, doctri-

nae Sanctorum Patrum, sacrae liturgiae atque magisterii ecclesiastici; *b*) de praedicatione homiletica prae ceteris praedicationis generibus adhibenda; *c*) de munere liturgico concionis infra Missam; *d*) de ratione quam concionator habere debet peculiarium condicionum, quae propriae sint fidelium, quibus verbum Dei exponitur; *e*) de cura a concionatoribus adhibenda ut fideles aeque solvere valeant quaestiones et difficultates, quibus in vita quotidiana anguntur; *f*) de condicionibus historicis, psychologicis, socialibus quae influunt in cogitationes et mores; *g*) de auxilio et cooperatione laicorum in evangelizatione eorumque testimonio quo efficacia verbi Dei omnibus monstretur.

2) In ipso Directorio una cum contentione animi ut omnibus hominibus evangelium annuntietur — « praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15), « quod in aure auditis praedicate super tecta » (*Mt.* 10, 27) — caritas elucescat qua possit et debeat ignosci « iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate » (*Heb.* 5, 2).

12. [*Institutio alumnorum Seminarii eorumdemque professorum delectio*]. Curet Episcopus ut alumni Seminarii dioecesani, ii praesertim qui in studia in curriculo theologico incumbunt, prudenter in progressivo tyrocinio pastorali exerceantur. Accuratissime magistros seu professores eligat et sedulo vigilet ut iidem suo munere rite fungantur.[3]

13. [*Disciplina de doctrina sociali Ecclesiae obligatoria in scholis*]. Diligentiam sollerter adhibeat Episcopus ut disciplinae de doctrina sociali Ecclesiae magis ac magis studeatur, eaque tamquam disciplina obligatoria in catholicis scholis cuiusvis ordinis, maxime vero in Seminario dioecesano, tradatur.[4]

14. [*Scholarum erectio et alumnorum religiosa institutio*]. § 1. Episcopus sedulo satagat ut omnium scholarum alumni apte integreque in doctrina catholica instituantur, et summopere curet ut scholae catholicae, etiam mediae et superiores, legitime erigantur, iis praesertim in regionibus in quibus scholae publicae, ab auctoritate civili erectae, sunt neutrae vel acatholicae.

Unius dumtaxat Ordinarii loci est iudicare an necessitas exigat ut alicubi pueri scholas acatholicas vel neutras frequentent, quo in casu cautelae erunt adhibendae ab ipso Ordinario praestitutae ut periculum evitetur ne alumni fidem amittant aut in ea frigescant.

§ 2. Sedulo curet Episcopus ut in publicis scholis mediis et Universitatibus sacerdotes undequaque idonei sint qui alumnorum catholicae institutioni et spirituali vitae promovendae sese accurate addicant. Curet insuper ut in catholicis scholis mediis et Universitatibus sacerdotes sint qui de spirituali, liturgica et apostolica vita alumnorum sedulam curam agant.

15. [*Cursus theologiae vel culturae religiosae*]. Cursus theologiae vel culturae religiosae Episcopus curet ut iuxta opportunitatem locorum promoveantur pro laicis ita ut religiosa instructio condicionibus profanae instructionis commensuretur et luce christiana illuminari possint res et facta hominum.

II – Episcopus Pontifex

16. [*Momentum Sacrae Liturgiae*]. Cum Sacra Liturgia praecellentissimum locum habeat inter omnia quae ad aedificationem Mystici Corporis Christi pertinent, Episcopi totam animarum curam in sua dioecesi exercendam informent ad normam Constitutionis *De Sacra Liturgia* Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani Secundi.

17. [*Ministerium personale Episcopi quoad Sacram Liturgiam*]. Sacras functiones peragens, dignitate et pietate Episcopus appareat fidelibus sicut Pontifex qui « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » (*Hebr.* 5, 1).

Populum suum edoceat Missam pontificalem ab Episcopo sollemniter celebratam perfectius exprimere unitatem, sanctitatem et catholicitatem totius Ecclesiae Christi; ideoque magnopere fideles adhortetur ut illi intersint.

18. [*Liturgica fidelium institutio*]. Cum per SS. Eucharistiam perfecta Dei glorificatio hominumque sanctificatio procuretur, summopere curet Episcopus ut vita ovium sibi commissarum illa quam maxime nutriatur. Invigilet igitur ut sacrosanctum Missae sacrificium fidelibus explicetur in sua intima connexione cum redimente sacrificio Crucis atque cum Christi resurrectione et glorificatione; ut ipsi discant redemptionem sibi praecipue per Missae sacrificium et Sacramenta Novae Legis applicari. Omnibus modis procurare satagat ut Liturgia non absconditum mysterium ipsis maneat, sed paedagogus fiat quo manuducantur; ut tandem actionem liturgicam conscie, actuose et fructuose participent.

19. [*Ordinatio cultus et piorum exercitiorum*]. Ad pietatis incrementum, foveat et ordinet Episcopus cultum SS. Eucharistiae aliaque pia exercitia in honorem mysteriorum Domini, itemque vigilet et ordinet publicae venerationis actus erga Beatissimam Virginem Mariam et Sanctos Caelites, ita ut omnia iuxta probatas Ecclesiae formas et liturgicas leges fiant.[5]

20. [*Observantia normarum liturgicarum, cultus splendor, schola cantorum*]. Urgeat Episcopus ut normae liturgicae rite ac digne serventur in Missa, in officio chorali et in quolibet actu catholici cultus.

Ordo, dignitas, perspicuitas actionis liturgicae faveat cultus splendori, ad quem promovendum multum etiam confert schola cantorum, quae expedit, si possibile sit, ut constituatur non solum in ecclesia cathedrali sed in paroeciali quoque et ceteris principalibus ecclesiis.

21. [*Directorium de Sacra Liturgia*]. Commendatur ut in Conferentiis Episcoporum conficiendum curetur Directorium de Sacra Liturgia, in quo normae statuantur ab omnibus servandae in participatione celebrationis S. Missae, administrationis Sacramentorum et sacramentalium aliorumque pietatis exercitiorum.

In Directorio praecipua exponantur principia, ratione habita de iis quae hucusque sunt dicta, praesertim: *a*) de dirigendis fidelibus ad cultum Dei sive — strictiore sensu — per actus latriae seu adorationis quae actibus liturgicis exprimitur, sive — largiore et pleno sensu — per obsequium Deo debitum in vita hominum, publice et privatim; *b*) de sanctificanda die dominica — sicut dies hebdomadaria fraternae et communis participationis mysterii paschalis Christi, per eucharisticam actionem praesentis in Ecclesia, et expectati in Parousia, sicut dies pacis et quietis quae fidelibus praefigurat et parat sabbatum pacis aeternae; *c*) de formatione fidelium ut spiritu communitatis participent conscie et active sacram liturgiam, secundum normas a Concilio editas (cf. Decretum *De Sacra Liturgia*); *d*) de administratione Sacramentorum quae pastoralem artem exigit diversimode accommodatam erga eos qui christianam vitam ducunt, et eos qui a longe veniunt, qui nempe indifferentes et infensi sunt; de sacramentalibus etiam administrandis quae subsidia valde utilia sunt vitae christianae; denique de sic dictis paraliturgiis quae, ab Epicopo adprobatae, serio et digne peractae, possunt esse iter quo facilius ducantur homines ad mysterium liturgicum.

22. [*Liber precum*]. In qualibet natione vel provincia ecclesiastica communis libellus precum in quo sint etiam cantus gregoriani et populares, habeatur, a Conferentia Episcoporum probatus, ut fideles una voce, rite ac devote orando et cantando actuose participent liturgiam, non solum qua singuli, sed etiam quatenus ad christianam communitatem pertinent.[6]

23. [*Sollemnitas in Sacramentis administrandis et taxarum substitutio*]. Enixe commendatur ut in administratione Sacramentorum et sacramentalium nullum fiat discrimen, quoad sollemnitatem externam, pro diversa condicione sociali et oeconomica familiarum. Summopere etiam probandum est conamen omne quo minui vel etiam tolli possint taxae, quae occasione Sacramentorum vel sacramentalium persolvi solent, ne argui possit Ecclesia de pecuniae quaestu vel lucro.

Taxae laudabiliter substitui poterunt liberis fidelium oblationibus, si iudicio Conferentiae Episcoporum nationalis vel saltem provincialis idipsum opportunum censeatur.[7]

Hac de re perutile erit fideles docere profundam significationem religiosam oblationum ad mentem multorum Patrum, quae a S. Thoma explicatur: [8] oblationes revera Deo primum offeruntur et deinde per actionem Ecclesiae destinantur cultui Dei, substentationi sacerdotum, in auxilium pauperum.

III – Episcopus pater et pastor

24. [*Cognitio sacerdotum eorumque ac religiosorum cura*]. § 1. Quia tenetur Episcopus commissas sibi oves cognoscere, sacerdotes imprimis suos bene noscat et paterno amore diligat ac diligenter congruae eorum sustentationi consulat.[9]

Cursum renovationis pro sacerdotibus instauret, quo illi aliquoties congregentur pro longioribus exercitiis spiritualibus ad vitae renovationem ordinatis, idemque perficiatur lectionibus de actuali statu studiorum, praesertim de Sacra Scriptura et theologia, de socialibus maioris momenti quaestionibus, necnon de novis methodis actionis pastoralis.[10]

Parochos autem peculiari benevolentiae caritate prosequatur ut perarduum suum officium diligentissime exsequantur; rectis et opportunis eorum inceptis faveat; contra iniustos adversarios strenue defendat; eos aegrotos consoletur, iisque defunctis ipse, per se vel per alium, eorum exsequias peragat.

§ 2. Religiosos viros similiter ac religiosas mulieres paterna benevolentia suscipiat et, quantum fieri possit, monialibus egenis auxilium praestet.

25. [*Cognitio omnium qui in dioecesi sunt*]. § 1. Episcopus bene cognoscere et ex corde diligere satagat omnes laicos qui in sua degunt dioecesi, eos quoque — immo et praecipue — qui religionem neglegunt aut despiciunt, vel longe ab Ecclesia aberrant, cum non egeant qui sani sunt medico sed male habentes.

§ 2. Ad omnes semper Episcopi sollicitudo extendatur qui quoquo modo eius curae pastorali committuntur, cuiuscumque sunt aetatis vel condicionis vel nationis; sive incolae sunt aut advenae vel peregrini; sive catholici sunt, etiam alieni ritus, salva tamen proprii eorum Ordinarii, si habeatur, auctoritate, vel christiani fratres separati vel etiam homines non baptizati; ita ut omnibus amantissimus appareat vultus Christi Iesu in Ecclesia.

26. [*Cognitio status dioecesis*]. § 1. Cum apostolatui in universa dioecesi exercendo Episcopus praesideat, apprime noscat necesse est condiciones omnes, non solum morales et spirituales, quibus vita hominum raro quidem in melius, saepe vero in deterius afficitur. Vanus secus et inefficax foret zelus ad homines

prout de facto sunt non directus; nec aptum remedium afferri valeret ignotis malis ac obstaculis.

§ 2. Quinimmo evolutionis mundi ac historiae sensum percipiat oportet Episcopus, quo praevidere valeat mutationes suam dioecesim afficientes vel minitantes iisdemque providere; quales sunt, v. g., ingentes hominum aggregationes in suburbiis civitatum, in quibus locum aptum parare oportet pro paroecia fundanda vel ecclesia; desertio e contra regionum ruralium, ubi servitium divinum alio forsan modo distribuendum erit; migrationes ad longum vel ad breve tempus ratione laboris operariis impositae; instructionis progressus vel informationis. His enim de causis aliisque similibus necesse est ut actio pastoralis opportuno tempore diversa accommodata ratione exerceatur.

27. [*Novae paroeciae aut vicariae aut saltem domus seu « centra pastoralia » opportuno tempore erigenda*]. § 1. Sedulo curet Episcopus ne novae paroeciae nimis sero erigantur, postquam scilicet recentes constitutae ac immigrantes familiae a vita christiana, ob curae pastoralis defectum, abscesserint.

§ 2. Si fluxus immigrantium copiosus fuerit et paroecias erigere novas difficile sit, Episcopus vicarias condat aut saltem instruat « missiones cum cura animarum »[11] vel « domus » seu « centra pastoralia »,[12] quae dicuntur, in ipsis praegrandibus aedificiis, habitationi hominum destinatis, vel alibi.

28. [*Commissio dioecesana pro novis erigendis paroeciis et subsidia petenda*]. § 1. Ubi Officium dioecesanum paroeciarum non habetur, instruat Episcopus Commissionem dioecesanam quae de novarum paroeciarum erectione ac de templorum paroecialium aedificatione constanter ac diligenter agat.

§ 2. Urgeat fidelium obligationem contribuendi ad erectionem novarum paroeciarum in sua cuiusque dioecesi et, si casus ferat, peculiarem quamdam associationem constituat, cuius sit pecuniam colligere ad ecclesias aedificandas vel restaurandas.[13]

Curet autem Ordinarius loci ne paroeciae gravibus oneribus graventur pro ecclesia construenda, instauranda, exornanda. Numquam vero parvipendatur momentum operum caritatis et apostolatus, quae in casu necessitatis, ipsis ecclesiarum ornatibus anteponenda sunt.

29. [*Dioecesanum Officium Pastoralis socialis*]. Quo plenior et accuratior acquiratur cognitio sive fidelium sive status dioecesis, instituendum videtur Officium dioecesanum Pastoralis socialis, ad quod advocentur viri in rebus pastoralibus versati et in scientiis auxiliaribus theologiae pastoralis periti.

Pervestigationes sociales et religiosae sub Episcopi moderamine maximi momenti sunt, quippe quae tempora et mores illustrent et animarum pastores edocere valeant de vulgari popularique sensu deque christianae vitae actione et exercitatione.

Magni quoque facienda est, immo et advocanda, opera peritorum, qui humanae naturae scientiae vel doctrinae sociali student, i. e. psychologi, sociologi, anthropologi et paedagogi.

30. [*Actio pastoralis novis condicionibus aptanda*]. Ad hoc ut actio pastoralis efficax evadat necesse est ut novis condicionibus aptetur. Nam mysterium seu oeconomiam salutis Deus in Ecclesia operatur, secundum variationes temporum et locorum, libertate hominum servata: « Architectus (divinus), ait S. Augustinus, aedificat per machinas transituras domum manentem ».[14]

Aptetur ergo oportet apostolatus novis condicionibus quibus quotidie, totum

per orbem, vitae ratio celeri cursu innovatur, quibusque impares sunt apostolatus rationes hucusque usitatae, sed apostolico zelo novae imponuntur adhibendae rationes. Huiusmodi sunt incredibiles progressus scientiarum, technicae quoque et culturae; multitudinum accessio ad novos producendi, vivendi ac studendi modos; vividior tamen inter homines distinctio ex eo proveniens, quod non omnes pari gradu progrediantur; subitaneus, ideoque sine ulla praeparatione vel adaptatione, transitus a vetustis culturae vitaeque modis ad extremos oppositos; maior in dies conscientia ac vindicatio dignitatis humanae, simul cum talibus laboris vel productionis condicionibus qualibus cedere cogitur persona multitudini, libertas automatismo; mundi unificatio, qua omnia, quae ubique terrarum aguntur, omnibus immediate nota fiunt et effectus in eos influunt.

Quibus addantur oportet mirabilia communicationis vel diffusionis instrumenta, quibus nec vir ruri degens, nec pueri, nec homo fere ullus, immunes servari queant a doctrinis variis et peregrinis quae ubique et undique circumferuntur et seducunt multos.

31. [*Actio pastoralis super universam dioecesim*]. § 1. Summopere curet Episcopus ut in universa dioecesi vel in peculiaribus eiusdem regionibus, communiter fiat apostolatus generalis.

§ 2. Videat Episcopus: *a*) ne ulla oblivioni detur hominum portio vel classis illorum qui catechizandi sunt;

b) ne apostolici operarii, sacerdotes utriusque cleri, religiosi ac religiosae, laici quoque, mutuo se ignorent, vel quod peius est, sibi opponantur et contradicant;

c) ne ulla apostolatus forma in paroecia, sive iuvenum instructio, sive piae associationes, sive actio catholica, socialis vel caritativa, sibi primatum decernat infleturque prae alia.

Apostolatus generalis fit per diaria folia, per radiophoniam et televisionem, per lectionum cursus quae ad opifices, ad magistros, ad technicos, ad scriptores, ad familias deferant christianam doctrinam eiusdemque doctrinae defensionem et applicationem eosque omnes persuasos faciant de necessitate sese christiane instruendi et praemuniendi.

Cum « nostra hac aetate hominum convictum graviter commotum Ecclesia videat ad summam mutationem spectare... amplissima munera Ecclesiam manent... ut virtutem perennem, vitalem, divinam Evangelii in venas iniciat eius, quae hodie est, humanae communitatis... ».[15]

Ex quo oritur ut adaequata, communis et ordinata sit actio eiusdem Ecclesiae in omnibus humanae navitatis campis, in quibus rerum progressio et mundi mutatio efficitur: qui sunt peculiares locorum condiciones et diversa personarum genera (vulgo *zone humaine*), provinciae, nationes vel ipsum continens.

Idcirco, ad actionem dioecesanam quod attinet, communis et coniuncta requiritur actio omnium « pastoralis » sectionum: « pastoralis » nempe liturgicae, catecheticae, missionalis, caritativae, socialis, familiaris, scholasticae etc. sub Episcopi auctoritate ac moderamine, ita ut omnes apostolatus dioecesis vires, sive personae (sacerdotes, religiosi et laici) sive institutiones, gradatim inserantur communi actioni ad totius dioecesis bonum consequendum et provehendum.

Huiusmodi autem coniuncta pastoralis actio, quae aliquibus in locis iam efficaciter usu venit quaeque diversis nuncupatur vocibus (*pastorale d'ensemble,* vel *pastoralis communitaria* aut *collectiva*) non eadem ratione eodemque modo omnibus locis perficitur vel perfici potest.

Attamen semper et ubique haec necessaria videntur:

a) Impensa sit sollicitudo atque studium diligens de quaestionibus non solum

theoreticis sed etiam practicis, de factis nempe humanae societatis in unoquoque navitatis campo, ubi mundi mutatio re perficitur;

b) actio Ecclesiae pastoralis sit oportet: illius namque missio est lumen et vitam Christi Iesu afferre hominibus, qui huiusmodi societatis quaestiones persequuntur. Quod praesertim obtineri potest per idoneas ac paratas christianorum communitates;

c) requiritur denique magnanima ac liberalis adiutrix opera omnium christifidelium et christianarum institutionum sub regimine, prudentia et exemplo Episcopi, cui principaliter ius et officium Pastoris competit.

32. [*Coordinatio apostolatus in dioecesi et opera utriusque cleri*]. § 1. Valde exoptandum est ut speciale in unaquaque dioecesi instituatur Consilium utriusque Cleri, cui Ordinarius loci praesit et in quo uterque Clerus partes habeat; cuius Consilii erit ea quae ad apostolatus opera eiusque coordinationem spectant investigare, perpendere atque practicas expromere conclusiones, quas Ordinarius loci ad effectum deducere valeat, servatis de iure servandis.[16]

Expedit quoque ut similia Consilia instituantur pro totius nationis vel alicuius regionis territorio, ut munia et incepta apostolica quae ad universaliores effectus tendunt, consiliis collatis cum Superioribus religiosis, efficacius promoveantur et aptius coordinentur.

§ 2. Curent pariter Sacri Praesules ut habeantur utriusque Cleri conventus et collationes indolis culturalis et pastoralis, ad fovendam mutuam cognitionem et penitiorem compaginem in apostolatu exercendo. Quibus conventibus et collationibus uterque Clerus interesse tenetur.

§ 3. Ad fovendas denique concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopum et Religiosos, quoties id opportunum videatur, conveniant Episcopus et Superiores religiosi, per se aut per suos delegatos, ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in dioecesi pertinent.

33. [*Laici in auxilium actionis pastoralis vocandi*]. Diligenter studeat Episcopus ius, immo et nobilissimum officium, paterne urgere quo laici christiani adstringuntur suam cooperationem in Ecclesia et pro Ecclesia praestandi, sive singuli sive inter se organice consociati, in operibus apostolatus provehendis, iuxta principia et praecepta a sacra Hierarchia statuta.

34. [*Ratio sacerdotes applicandi ad apostolatum laicorum*]. § 1. In apostolicis inceptis laicorum, sive localibus praesertim dioecesanis, sive nationalibus, curet Episcopus ut numquam desit assiduum et continuum ministerium sacerdotale. Unde opus est ut sacerdotes, quantum per eos stat et pro rerum adiunctis, ad huiusmodi perutile ac Deo gratissimum ministerium libenter sese paratos semper exhibeant.

§ 2. Episcopus vero ad tanti momenti officium sacerdotes vere idoneos magna seligat cura, attenta eorum indole et aptitudine,[17] audito etiam, si id expedire ei videatur, prudentium laicorum consilio; eos, quantum fieri potest, ab aliis muneribus quae vere illud officium impediant, exoneret atque eorum sustentationi congrue provideat.

35. [*Clericorum et sacerdotum praeparatio ad laicorum apostolatum*]. § 1. In clericorum institutione pastorali curet Episcopus ut debitum locum habeat studium doctrinale ac practicum de laicorum necessaria cooperatione ad Ecclesiae apostolatum, de diversis formis et operibus apostolatus laicorum, deque proprio sacerdotum in hac re munere.

§ 2. Sacerdotes ipsi, Episcopo hortante et vigilante, hanc suam praeparationem indesinenter prosequantur, non solum per orationem et vitae spiritualis incrementum, sed etiam per constans studium doctrinae sacrae, nec non condicionum temporum ac locorum in quibus cum laicis operari tenentur, sive ut animatores apostolatus sive ut spirituales laicorum moderatores. Ad hunc finem obtinendum commendandi sunt conventus sacerdotum, quibus et eorum apta quoad laicorum apostolatum instructio promoveatur et mutua collaboratio foveatur.

36. [*Quomodo apostolatus laicorum fovendus sit*]. § 1. Videat Episcopus ut sacerdotes huic ministerio vacantes digne ac competenter, pro sua missione accepta, Hierarchiam repraesentent apud laicos, eius principia directiva ac praecepta fideliter communicando, aptas relationes inter laicos et Hierarchiam fovendo, ipsamque de eorum legitimis optatis certiorem reddendo.

§ 2. In laicorum cooperatione petenda semper ratio habeatur eorum dignitatis propriae, ita ut, quoties laici ad auxilium subsidiarium aut completivum sacrae Hierarchiae praestandum vocantur, libere agere valeant intra suae competentiae limites, attento quidem Ecclesiae communi bono, ac suam personalem responsabilitatem exercere.[18]

37. [*Consilium Pastorale Dioecesanum*]. Expedit omnino ut Episcopus constituat Consilium Pastorale Dioecesanum, illudque frequenter coadunet.

Dioecesani Consilii Pastoralis sodales seu membra ab Episcopo eligi poterunt inter sacerdotes et religiosos viros, etiam Religionis laicalis, qui operibus apostolatus modo praecipuo sese devovent. Religiosae autem mulieres et laici utriusque sexus ab Episcopo seorsim convocari poterunt ut audiantur circa particularia apostolatus negotia.

38. [*Consilii Pastoralis dioecesani competentia*]. Ad Consilium Pastorale dioecesanum proprie pertinet: 1° Episcopum certiorem facere de vera fidelium condicione et de eorum spiritualibus necessitatibus eidemque consilio adesse; 2° quaestiones examinandas et propriam activitatem assignare diversis Commissionibus, quae in dioecesi sunt constitutae ut opera apostolatus foveantur ac coordinentur.

Praeter huiusmodi Commissiones exstant etiam Secretariatus, qui ad opera apostolatus sive generalis sive peculiaris explenda in multis dioecesibus constituti sunt.

39. [*Visitatio pastoralis dioecesis*]. Visitatio Pastoralis diligenter fiat ab ipso Episcopo vel ab eius delegato, qui sit sacerdos in dignitate constitutus, quoad omnia quae ad normam iuris spectant libros paroeciales, administrationem bonorum ecclesiasticorum, loca sacra et sacram supellectilem; ab ipso Episcopo, nisi sit impeditus, quoad omnia quae ad personas et apostolatum et ad directionem ac incrementum actionis pastoralis magis directe attinent.

Visitatio Pastoralis per plures dies prorogari potest, si necessitas id exposcat; in eadem autem, inter alia, haec peragantur:

1) Verbum Dei ab ipso Episcopo, si fieri potest, praedicetur;

2) Confirmationis Sacramentum sollemniter administretur;

3) Singuli pueri et puellae quoad doctrinam christianam interrogentur etiam per alios examinatores si casus ferat;

4) Infirmi visitentur, quatenus fieri potest;

5) Instituta ecclesiastica et actionis catholicae, confraternitates, ceterae fidelium associationes, scholae catholicae diligenter inspiciantur;

6) Accurata inquisitio fiat de Consiliis et Secretariatibus dioecesanis, de dioecesanis Operibus apostolatus vel caritatis aliusve activitatis;

7) Collatio de re spirituali et pastorali fiat cum sacerdotibus et cum religiosis utriusque sexus, itemque — si oportere videatur — cum fidelibus, qui in directione apostolatus laicalis opem ferunt.

40. [*Instituta studiorum pastoralium*]. Enixe commendatur ut in singulis nationibus Instituta condantur quae, collata cum Institutis provinciarum ecclesiasticarum opera, in promovenda de re pastorali studia peculiariter incumbant.

41. [*Directorium pastorale*]. Vehementer suadetur ut huiusmodi Institutorum cura in singulis regionibus vel nationibus Directorium pastorale conficiatur, ab Episcopis in suis Conferentiis probandum.

Directorium Pastorale eo tendit ut secundum varia rerum et locorum adiuncta sacerdotes opportune instituantur ad ea omnia prudenter et fructuose agenda, quae necessaria sunt aut utilia in exercitio sacri ministerii et curae animarum.

IV – Episcopus cooperator Romani Pontificis

42. [*Collaboratio pro Ecclesia persecutione afflicta, et pro operibus internationalibus*]. Tenentur Episcopi opem ferre Sedi Apostolicae in allevanda Ecclesia persecutione afflicta, in sustinendis operibus seu institutis catholicis internationalibus, in colligendis fidelium oblationibus ut eadem Apostolica Sedes apte occurrere possit necessitatibus omnium ecclesiarum.

43. [*Collaboratio in evangelizandis gentibus vel acatholicis*]. Magno cum zelo Sedem Apostolicam Episcopi adiuvare satagant in cura missionum apud gentes vel acatholicos.

Hinc ferventem spiritum apostolicum et missionarium excitare et excolere studeant in alumnis Seminarii dioecesani, in clericis seu sacerdotibus, in religiosis et sodalibus associationum actionis catholicae. Libenter concedant ut eorum sacerdotum aliqui legitime transferantur ad Missiones; ut pueri item seu iuvenes ad easdem destinentur, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, sed servitio propriae suae dioecesis necessarii non videntur.

Territorium aliquod ab Apostolica Sede designandum petant, cuius evangelizatio peculiariter ita suae dioecesi concredatur ut Ordinarius loci officio teneatur curandi ut sacerdotes et religiosi utriusque sexus et idonei laici legitime illuc mittantur, in perpetuum vel ad tempus praefinitum.

Si autem proprium praefatum territorium evangelizandum habere nequeant, sedulo saltem Episcopi satagant ut nonnulli idonei suae dioecesis sacerdotes et laici per certum annorum tempus, alii post alios, mittantur ad territorium Missionum ut opera apostolatus et caritatis sub auctoritate Ordinarii loci apte ac naviter foveant et promoveant.

44. [*Auxilium aliis dioecesibus praestandum*]. Episcopi, qua Apostolorum successores, recolant sibi omnium ecclesiarum sollicitudinem cordi esse debere. Se sentiant sponsores in solidum. Curent proinde auxilio iuvare illas dioeceses, in quibus, ob parvum sacerdotum numerum, integritas fidei et praxis christiana in discrimen vertuntur.[19]

45. [*Seminaria et piae fundationes condenda*]. Quantum fieri potest, erigantur, ubi adiuncta id suadeant, peculiaria Seminaria in adiutorium orbis regionum, quae clero magis indigere videantur.

Apud ordinaria etiam Seminaria piae fundationes constituantur ad hoc ut nonnulli iuvenes ibidem ali et institui possint in praefatum laudabilem finem.

46. [*Peculiares Praelaturae constituendae*]. Episcopis commendatur ut peculiares foveant Praelaturas, ab Apostolica Sede erigendas, quae propria Seminaria habeant ad clericos efformandos, qui specialia opera apostolica iis in dioecesibus, in qualibet parte orbis catholici, perficere poterunt ubi idonei ad ea perficienda sacerdotes desunt; ut puta, ad apostolatum exercendum characteris socialis, intellectualis, penetrationis in diversos personarum coetus, et huiusmodi. A proprio Praelato praefati sacerdotes illuc mittentur ubi eiusdem loci Ordinarius eos advocabit, cuius iurisdictioni plene subiecti esse debebunt, firma tamen obligatione proprii eorum cuiusque Praelati vigilandi et curandi ut in vita spirituali et formatione specifica et technica assidue magis magisque perficiantur.

47. [*Sacerdotes ab una ad aliam dioecesim mittendi*]. Episcopi auxilio sint, quantum possunt, dioecesibus, quae bonis necessariis carent ad operam apostolatus explenda. Imprimis autem cordi habeant ut, si fieri potest, aliquot sacerdotes sive ad tempus praefinitum sive ad tempus indeterminatum mittant in servitium dioecesium, sub omnimoda auctoritate earum cuiusque Ordinarii loci, quae paucitate clericorum laborant.

48. [*Centrum Pastorale in Curia Romana*]. Maximi faciant Episcopi Centrum Pastorale, quod apud Apostolicam Sedem est constitutum.

Centrum Pastorale seu Officium orientationis et coordinationis pastoralis apud S. Congregationem Concilii est constitutum, cuius proprium munus est:

1) Operam dare ut ubique ea cura pastoralis constanter exerceatur quae vere consentanea sit peculiaribus adiunctis personarum, rerum et locorum;

2) Normas generales praestituere de cura pastorali exercenda, quae in singulis regionibus ab Ordinariis locorum apte et opportune determinentur et compleantur pro diversa fidelium mente et vivendi ratione;

3) Documenta colligere et excutere de mediis et methodis, quibus cura pastoralis in diversis regionibus exercetur, et de eorumdem vi et efficacia, ut etiam alibi, pro opportunitate, adhibeantur vel excludantur;

4) Curare ut probati libri edantur sive ad illustrandam seu exponendam doctrinam christianam et antropologicam, sive ad normas deontologiae tradendas pro iis qui munere medici, advocati, et huiusmodi funguntur;

5) Adhortari et auxilium ferre, ut in singulis nationibus Centrum Pastorale ab Ordinariis constituatur, idemque fructuose muneris sui officium exsequatur.

Ut plenius munere suo fungatur Centrum Pastorale, inter eius membra et consultores adnumerentur oportet etiam nonnulli sacerdotes et laici, qui ad opera apostolatus exercenda in diversis nationibus incumbunt.

NOTAE

[1] Cf. Conc. Vat. I: (Primum) Schema Constitutionis Dogmaticae *de Ecclesia Christi,* Patrum examini propositum, cap. IV: Ecclesiam esse societatem visibilem: Coll. Lac. VII, 568.

[2] Pius XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49, 1957, p. 237.

[3] Cf. CIC can. 1369, § 3.

[4] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53, 1961, p. 453 sq.

[5] Ioannes XXIII in *Epistula* ad singulos Catholicae Ecclesiae Episcopos ceterosque

Patres Concilii Oecumenici Vaticani II, in Epiphania Domini (a. 1963) sic scribit: « Haud desunt qui ingenui, candidi, religionis fervore acti, haud parvo numero consilia iniciant, id suadendi causa, ut novae formae privatarum ac publicarum supplicationum introducantur. Quae omnia eo spectant, ut latissime per catholicum orbem diffundantur precandi formae, quae singularibus adiunctis temporis, loci, sermonis, et maiorum institutis respondeant. Necesse minime est, saltem in praesens, ut nova et peculiaria precum genera admittantur. Satis enim sunt ea, quae, a religiosa potestate probata, consueta hactenus nobis facta sunt »: *A.A.S.* 55, 1963, p. 154.

[6] Cf. supra nota 5.

[7] Abolitio « classium », qua abrogatur CIC can. 1234, § 2, est aliquid novum in iure. Quoad taxas derogatur CIC can. 1507, § 1 et CICO, *de bonis Ecclesiae,* can. 245, §1.

[8] Cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* IIa-IIae, q. 86, a. 2. « Ea quae sunt populi, puta preces et sacrificia et oblationes » per sacerdotem Domino debent exhiberi. « Et ideo oblationes quae a populo Dei exhibentur, ad sacerdotes pertinent; non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut fideliter eas dispensent, partim quidem expendendo eas in his quae pertinent ad cultum divinum, partim vero in his quae pertinent ad proprium victum (quia qui altari deserviunt, cum altari participant, ut dicitur 1 Cor. 9); partim etiam in usus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiae sustentandi ».

[9] Presbyteri, iam ab aetate apostolica (*Act.* 14, 22; *1 Tim.* 5; *1 Pt.* 5) sunt praecipui cooperatores Episcoporum (Clementis Pp.: *Ep. ad Cor.*) collecti in « presbyterium », cuius caput est Episcopus cum quo arcte uniuntur (S. Ignatius: *ad Eph.* 2; *ad Magn.* 2, 6, 13; *ad Smirn.* 8-12 etc.).

[10] Hac de re conferatur sive schema: *a*) « De Clericis » a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani apparatum; sive schema: « De Sacrorum alumnis formandis », a Commissione de Seminariis, de studiis et de educatione catholica apparatum.

[11] *Missio cum cura animarum* hic intelligitur officium quo Ordinarius loci potestatem confert sacerdoti ut curam animarum exerceat in coetus fidelium, qui in praefinito loco vel regione commorantur.

[12] *Domus* seu *Centra pastoralia* hic intelliguntur loca, non necessario sacra ad normam CIC can. 1154, intra fines paroeciae sita, in quibus, stata quadam frequentia, parochus sive per se sive per alios sacerdotes, adiuvantibus quoque, quatenus possibile sit, piis laicis, administrationes religiosas, catechesim, opera caritatis et alia ministerii pastoralis munia exercet pro fidelibus, qui nimium distant ab ecclesia paroeciali vel religiosa, eum in finem ut, donec nova paroecia erigatur, cura animarum prorsus non deficiat.

[13] Cf. supra nota 8.

[14] S. Augustinus, *Sermo* 362: PL 39, 1615.

[15] Ioannes XXIII, Const. Ap. *Humanae salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54, 1962, p. 6.

[16] Huiusmodi Consilium coordinans aliquomodo praeformatur in CIC can. 303, quo Vicarii vel Praefecti Apostolici suadentur « prout siverit opportunitas, (ut) missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares proprii territorii congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint ordinanda perfectius ».

[17] Cf. Pius XII, Adhort. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.*, 42, 1950, p. 660.

[18] Cf. Pius XII, *Alloc.* ad II Congr. Apost. Laic., 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49, 1957, p. 927.

[19] Normae, quae in nn. 44-45-46 referuntur, a Commisisone de disciplina Cleri et populi christiani confectae sunt.

APPENDIX TERTIA

DE PASTORALI PAROCHORUM OFFICIO

NORMAE VEL PRAESCRIPTA IN CODICEM IURIS CANONICI REFERENDA

I – De Parochorum obligationibus

1. [*Definitio parochi*]. Parochus est sacerdos cui collatum est officium curae animarum in paroecia sub Ordinarii loci auctoritate exercendae.

Praescripti can. 451, § 1 CIC: « Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda » duplex mutatio fit: *a*) Parochus esse non potest persona moralis; *b*) Paroecia parocho non confertur in titulum, ad modum alicuius beneficii ecclesiastici, sed parocho confertur officium paroeciale. Clarius proinde apparet quod parochi proprie et principaliter constituuntur ad munus pastorale exercendum. Personam moralem esse non posse parochum iam nunc statuitur in can. 489, § 1 CICO: « Parochus est presbyter cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Episcopi auctoritate exercenda ».[1]

2. [*Lex residentiae*]. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam. Loci tamen Ordinarius potest, iusta de causa permittere ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam et praesertim in domo pluribus parochis communi, dummodo ne paroecialium perfunctio munerum exinde detrimentum patiatur.

In can. 465, § 1 CIC, qui ex integro refertur in can. 506, § 1 CICO, decernitur: « Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius potest iusta de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat ». Ordinario loci conceditur nunc facultas permittendi ut parochus etiam extra territorium suae paroeciae commoretur, et conditio ad hanc licentiam concedendam necessaria modo generaliore exprimitur, ne anxietates vel dubia habeantur utrum revera nihil omnino detrimenti inde capiat perfunctio munerum paroecialium.
Eidem Ordinario facultas praeterea fit permittendi ut plures parochi insimul commorentur; plures enim paroeciae sunt parvae et longe distant, communis autem residentia plurium parochorum valde prodesse potest eorum vitae spirituali et intellectuali, et ideo etiam eorum actioni pastorali; iidem autem pro necessitate statim — per hodierna instrumenta communicationis et locomotionis — se conferre possunt quocumque proprium munus exercere debeant.

3. [*Tempus vacationum*]. § 1. Parochus feriarum seu vacationum gratia, a paroecia quotannis ne absit ultra unum mensem continuum aut intermissum, seu quattuor hebdomadas, pariter continuas vel intermissas, nisi Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedendum putaverit.
§ 2. In vacationum tempore dies non computantur, semel in anno, quibus parochus spiritualibus exercitiis vacat ad normas a proprio Ordinario statutas.

In can. 465, § 2 CIC parocho abesse permittitur per duos menses intra annum « nisi gravis causa, iudicio ipsius Ordinarii, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat ». Rerum et personarum circumstantiae nunc exigunt ut parochi, ex regula ordinaria, a paroecia sua intra annum ne absint ultra unum mensem. Ceterum, hodierna socialis communicationis media nonnihil quietis seu solatii parochis quotidie plerumque praebere solent. Facultas tamen Ordinario aufertur minuendi tempus vacationum parochis legitime concessum.

In can. 506, § 2 CICO parocho abesse permittitur tantummodo « quadraginta dies intra annum, sive continuos sive intermissos, nisi gravis causa, iudicio ipsius Episcopi, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat ».

Praescriptum de diebus annuae recollectionis spiritualis non computandis in tempore vacationum parochis legitime concesso, statuitur in can. 465, § 3 CIC et in can. 506, § 3 CICO, et sola claritatis causa expresse nunc quoque enunciatur.

4. [*Parochi vicarius substitutus*]. § 1. Cum absentia ultra hebdomadam, quacumque de causa, est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere, cum omnibus facultatibus in his quae ad curam animarum pertinent, etiam quoad matrimoniorum celebrationem, ab eodem Ordinario probandum. Quod si vicarius substitutus designatus non fuerit, eiusdem munus ipso iure assumat vicarius cooperator; si plures vicarii sint, primus; si omnes aequales, senior ordinatione sacerdotali, vel senior aetate; si vero vicarii desint, parochus vicinior; si tandem de paroecia agatur religiosis concredita, Superior domus religiosae.

§ 2. Etiam pro tempore brevioris absentiae, infra hebdomadam, parochus ne discedat nisi sacerdotem designaverit qui ipsius locum teneat in omnibus quae ad curam animarum pertinent et ad matrimonii celebrationem. Quod si iste sacerdos designatus non fuerit, in casu urgentis necessitatis facultates parochi pro cura animarum et celebratione matrimoniorum ipso iure competunt sacerdoti de quo in § 1.

Ut gravia incommoda vitentur, quae ob parochi absentiam haud raro in exercitio curae animarum contingere solent, accuratius determinantur praescripta can. 465, §§ 4-6 et can. 474 CIC, quae prorsus eadem referuntur in can. 506, §§ 4-6 et can. 515 CICO. Adduntur: 1) Quoties vicarius substitutus a parocho expresse non designatur, ipso iure eiusdem munus assumit sacerdos qui vacantis paroeciae regimen interim, ad normam can. 472, 2° CIC, assumere debet ante vicarii oeconomi constitutionem, vel ad normam can. 513, 2° CICO ante constitutionem vicarii administratoris. 2) Idem praescriptum valet etiam pro casu quo parochi absentia sit infra hebdomadam duratura. 3) Vicarius substitutus matrimoniis legitime adsistere potest ipso iure, si haec facultas eidem expresse a parocho non concedatur.

5. [*Missa pro populo*]. § 1. Debet parochus post captam possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, Missam pro populo sibi commisso applicare singulis diebus dominicis ceterisque festis de praecepto, nisi iusta de causa alia die applicanda videatur.

§ 2. Missam pro populo applicandam parochus celebrare debet in ecclesia paroeciali aut, si plurium paroeciarum curam habeat, alternis vicibus in ecclesia paroeciali singularum paroeciarum sibi commissarum, nisi tamen rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.

Claritatis causa in § 1 praescriptum can. 466, § 1 CIC completur expresse referendo praescriptum can. 339, § 1 CIC, sublata tamen obligatione applicandi Missam

pro populo etiam diebus festis de praecepto *suppressis.* Decreto S. Congr. Concilii diei 3 dec. 1960 index taxativus confectus est festorum, quibus inest obligatio applicandi Missam pro populo, in quo adhuc enumerantur sex et viginti festa non de praecepto; [2] sed cum clerici multis in regionibus vitam in egestate degant, penitus abroganda videtur obligatio Missae applicandae pro populo diebus festis de praecepto *suppressis.* Statuitur praeterea ut, contra praescriptum can. 466, § 3 CIC et can. 507, § 3 CICO, parochi licentia Ordinarii loci non indigeant ut Missam pro populo applicent alia die ab ea qua iure adstringuntur, saepius enim difficile est ad loci Ordinarium in singulis casibus recurrere ad hanc licentiam impetrandam.

Quia vero parochus qui plures paroecias regendas habeat, unam tantum Missam diebus praescriptis pro universo populo sibi commisso applicare debet (can. 466, § 2 CIC et can. 507, § 2 CICO), peropportune in § 2 huius n. 5 determinatur in quanam ecclesia singulis vicibus Missa sit celebranda, salva facultate in can. 466, § 4 CIC et can. 507, § 4 CICO parocho concessa eam alibi celebrandi si rerum adiuncta id exigant vel suadeant.

In Ecclesia Orientali haec mitior viget disciplina: « Applicandae divinae Liturgiae pro populo obligatione tenentur parochus et quasi-parochus omnibus dominicis aliisque festis de praecepto, salvo iure particulari praescribente ut divina Liturgia saltem decies in anno, in praecipuis sollemnitatibus applicetur » (can. 507, § 1 CICO).[3]

6. [*Bonorum temporalium administratio*]. Parochi aliique bonorum temporalium paroeciae administratores consilio unius vel plurium laicorum utantur aliquoties aut semel saltem in anno, iuxta normas ab Episcopo vel iure particulari statutas. Qui consiliarii a parocho vel ab ipso Episcopo inter viros in re oeconomica vere peritos eligi debent et ad nutum Episcopi sunt amovibiles.

Integra in robore suo manent praescripta can. 1183 CIC de consilio fabricae ecclesiae; sed cum in pluribus locis hoc Consilium constitui non soleat, vel laici in illud non cooptentur, praescribitur nunc ut ubique quotannis unus vel alter laicus, vere peritus, audiatur in bonis temporalibus paroeciae administrandis, quia clerici plerumque non sunt doctrina de re oeconomica bene instructi.

7. [*Vita communis inter parochum et vicarios*]. In paroeciis instauretur parochi et vicariorum cooperatorum vita communis, quatenus id, pro locorum adiunctis, iudicio Episcopi fieri possit.

Hoc praescripto peropportune determinatur et urgetur norma iam statuta sive in Ecclesia Latina: « Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda » (can. 134 CIC), sive in Ecclesia Orientali: « Consuetudo vitae communis inter clericos caelibes laudanda est iisque suadenda, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda » (can. 75 CICO).

8. [*Retributio vicariis assignanda*]. Vicariis paroecialibus iusta retributio assignetur, secundum normas a loci Ordinario statutas.

Accuratius normae determinantur quae hac de re statuuntur in iure hucusque vigenti. Etenim, in can. 472, 1° CIC praescribitur ut vicarius oeconomus ab Ordinario loci constituatur: « assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione », quod idem statuitur in can. 513, 1° CICO pro vicario oeconomo, qui ab Episcopo constituendus dicitur.

Vicarius autem adiutor constituendus decernitur: « assignata eidem congrua fructuum portione, nisi aliter provisum sit » (can. 475, § 1 CIC), et idem decernitur in can. 516, § 1, 1° CICO, omissa tamen clausula seu condicione: « nisi aliter provisum sit ».

De vicariis cooperatoribus denique sive in can. 476, § 1 CIC sive in can. 517 CICO modo tantum generali decernitur ut iisdem « congrua remuneratio assignetur ».

9. [*Parochus magister fidelium*]. Parochus curet ut diebus dominicis ceterisque festis de praecepto in omnibus Missis, in ecclesia paroeciali celebratis, secundum normas ab Ordinario loci statutas brevis post evangelium concio habeatur, in qua nuntietur evangelium salutis.

Pressius determinatur et extenditur praescriptum can. 1344, § 1 CIC: « Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare ».

Quidquam amplius, sed ad modum consilii, statuitur in can. 1345 CIC: « Optandum est in Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat ».

10. In sacris concionibus habendis parochus nihil aliud sibi proponat nisi praedicare verbum Dei, illudque exponat prout in fontibus revelationis continetur et ab Ecclesiae magisterio profertur atque explicatur.

In suo robore integre manent praescripta can. 1347 CIC cum simplex declaratio fiat praescripti enuntiati in § 1: « In sacris concionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet », et paucis verbis ea exprimuntur quae dicuntur in § 2: « Divini verbi praecones abstineant profanis aut abstrusis argumentis communem audientium captum excedentibus; et evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant, non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes ».

11. [*Institutio puerorum pro sacramentis suscipiendis*]. Parochus peculiari studio curet ut pueri ad sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Confirmationis rite suscipienda praeparentur, atque catechetica institutione apprime imbuantur. Item magnopere satagat ut per adolescentiam catechetica puerorum institutio diligenter protrahatur, attentis normis in Episcoporum Conferentiis forte latis.

Episcopi erit normas urgere quae hac de re statuuntur in can. 1330, 1° et 2° CIC, vel alias aptiores pro locorum et personarum adiunctis praefinire. Opportunum autem seu necessarium est praescriptum extendere can. 1331 CIC: « Praeter puerorum institutionem de qua in can. 1330, parochus non omittat pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere ».

12. [*Institutio catechetica a clericis et religiosis et etiam a laicis tradenda*]. Ad institutionem catecheticam pueris et adulescentibus tradendam parochus, si necessitas id exposcat, operam adhibeat clericorum ac etiam, secundum normas ab Episcopo statutas, religiosorum, etsi exemptorum, et laicorum qui in doctrina christiana bene eruditi sint atque ad docendum idonei.

Ut fideles vitam vere christianam degere valeant necesse est omnino ut a pueritia et adulescentia optime in doctrina religiosa instituantur, proindeque prorsus oportet ut accuratius determinentur seu extendantur haec praescripta hucusque vigentia: « Parochus in religiosa puerorum institutione potest, immo, si legitime sit impeditus, debet operam adhibere clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium *doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint » (can. 1333 § 1 CIC); « Si Ordinarii loci iudicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores

religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen regularis disciplinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis » (can. 1334 CIC).

13. [*Scholae catholicae a pueris frequentandae*]. § 1. Pro locorum et rerum adiunctis, curent parochi ut scholae catholicae in sua cuiusque paroeciae pro pueris erigantur ac sedulo moneant parentes de gravi obligatione qua ipsi tenentur ut eorum filii scholas catholicas frequentent.

§ 2. Erga pueros vero et adolescentes qui scholas non-catholicas frequentant, parochus peculiarem sollicitudinem exhibeat cum ipsi sint peculiaribus periculis expositi ideoque speciali auxilio indigeant; quare enixe satagat ut iidem, tempore ac loco aptis doctrina christiana idonee instituantur et ipsorum eorumque parentum — quantum fieri potest — fiduciam sibi concilient.

Ecclesiae ius scholas cuiusvis disciplinae et cuiuscumque gradus condendi (can. 1375 CIC) peculiariter urgetur quod attinet ad scholas elementarias, quae magis sunt ubilibet necessariae. Praeterea, expresse declaratur obligatio parentum diligenter curandi ut ipsorum filii scholam catholicam frequentent ubi eadem habetur, itemque parochi monentur de sollicita cura adhibenda ne competenti institutione catechetica careant pueri et adulescentes qui scholas frequentent acatholicas, vel neutras, aut mixtas seu quae etiam acatholicis patent.

Attamen, quantum fieri potest, praescriptum servari debet can. 1374 CIC: « Solius Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut scholae acatholicae, neutrae, mixtae celebrentur ».

14. [*De vocationibus cura peculiaris*]. § 1. Paterna sollicitudine parochus pueris et iuvenibus consulat qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, illosque ad studia incipienda vel prosequenda, quantum in se est, adiuvet.

§ 2. Parocho cordi sit etiam fovendi iuvandique vocationes ad status perfectionis christianae.

§ 3. Promoveat quoque parochus laicorum vocationes ad apostolatum, perpetuum vel temporarium in territorio Missionum exercendum, scholas v. g. dirigendo vel operam praestando in orphanotrophiis, nosocomiis, associationibus actionis catholicae et huiusmodi.

Prorsus opportunum seu necessarium est ut extendatur seu perficiatur praescriptum can. 1353 CIC: « Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant ».

II – De Parochorum nominatione

15. [*Ius Ordinarii loci affirmatur*]. § 1. Loci Ordinario competit canonica provisio paroeciarum in proprio territorio; nisi aliud probetur; qua potestate caret Vicarius Generalis sine mandato speciali.

§ 2. In canonica provisione paroeciarum facienda loci Ordinarius iuris praescripta servare debet, sed quaelibet, quantum fieri potest, legitime revocentur privilegia, iura quaesita, consuetudines nominandi, eligendi, praesentandi sacerdotes, quibus officium paroeciale sit concedendum.

De officii paroecialis provisione in § 1 norma expresse ponitur, quae de cuiuscumque officii ecclesiastici provisione statuitur in can. 152 CIC et in can. 94 CICO. In § 2 autem praescribitur ut, servatis de iure servandis, omnes concessiones — quantum fieri potest — revocentur quae nunc vigent quoad plurium paroeciarum provisionem faciendam, cum in can. 455, § 1 CIC decernatur: « Ius nominandi et instituendi parochos competit Ordinario loci, exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, vel salvo privilegio electionis aut praesentationis, si cui legitime competat », et in can. 496, § 1 CICO: « Ius nominandi et instituendi parochos competit Episcopo, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio, excepto privilegio praesentationis, si cui legitime competat, et firmo iuris praescripto de beneficiis Sedi Apostolicae reservatis ». In suo robore manet praescriptum can. 456 CIC: « Ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit », cui consonat praescriptum can. 497 CICO: « Ad paroecias domui religiosae unitas Superior, cui ex statutis id competit, presbyterum suae Religionis praesentat Episcopo; qui eidem servato praescripto can. 500 § 2, institutionem concedit ». Cetera iura vel privilegia nominandi aut praesentandi promovendos ad paroecias legitime revocari debent, quatenus scilicet si de iure praesentandi aut eligendi parochum agatur, quod conventione Apostolicam Sedem inter et Nationes alicui est agnitum, eadem Apostolica Sedes curabit ut, quantum fieri possit, utriusque partis consensu tollatur; ubi vero id obtineri nequeat, Apostolica Sedes — utraque parte item consentiente — illud ius ita moderari satagat, ut eligendus vel praesentandus assumi debeat unus ex tribus sacerdotibus ab Ordinario loci designatis. Si vero agatur de iure praesentandi aut eligendi parochum, quod alicui competat ex lege fundationis, loci Ordinarius curabit, ut, consentientibus iis quorum interest, ius illud abrogetur; iis autem id nolentibus, praesentandus vel eligendus assumatur ex tribus a loci Ordinario designandis. Idem Ordinarius suffragia spiritualia aliave obsequia determinet pro patronis, eorumque familiaribus, qui iuri praesentandi renuntiaverint, salvis insuper aliis privilegiis ac oneribus iuri patronatus adnexis.

16. [*Idoneitas promovendorum*]. Ad comprobandam promovendorum ad officium paroeciale idoneitatem normae serventur in iure praescriptae.

Dotes quae in parocho requiruntur, et quid loci Ordinarius servare debeat, praecipue in cann. 453, § 2 et 459 CIC itemque in cann. 493 et 500 CICO statuuntur.

17. [*Paroeciae pleno iure Capitulis non uniendae*]. Nulla paroecia Capitulo canonicorum sit unita pleno iure, et in qualibet ecclesia cathedrali vel collegiali quae simul sit paroecialis, parochus instituatur — sive inter capitulares selectus, sive non — qui omnibus facultatibus gaudeat, quae ex iuris praescripto parochis competunt.

In suo robore manent praescripta can. 415 CIC, sed derogatur praescriptis can. 471, §§ 1-2 CIC in his quae attinent ad constitutionem et praesentationem vicarii, qui actualem curam gerat animarum in paroecia pleno iure unita ecclesiae capitulari.

18. [*Paroeciae saeculares Religiosis committendae*]. Salvis peculiaribus praescriptis de paroeciis domui religiosae uniendis, loci Ordinarius potest paroecias saeculares regendas concredere religiosis a proprio Superiore praesentatis, peculiari congrua conventione inita cum eiusdem Religionis competenti Superiore.

Hoc praescripto omnes Episcopi ampliore facultate donantur quam ea quae in territorio Missionum competit locorum Ordinariis ad normam can. 297 CIC: « Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito eorum

Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, vicariatui vel praefecturae addictos, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis ».

19. [*De abolenda reservatione beneficiorum curatorum*]. Apostolica Sedes non amplius sibi reservat beneficia curata, nisi sint beneficia consistorialia.

Hinc abrogatur exceptio in can. 455, § 1 CIC et in can. 496, § 1 CICO statuta quoad ius Ordinarii loci nominandi parochos in paroeciis Apostolicae Sedi reservatis, itemque abrogantur — solummodo quod attinet ad beneficia cum adnexa cura animarum, quae non sint beneficia consistorialia — reservationes quae statuuntur in can. 1435, § 1, 1°, 2° CIC, non autem quae ibidem n. 3° et 4° statuuntur, utpote quae ex aliis iuris canonici praescriptis profluant (cf. cann. 729 et 1431 CIC).

20. [*Nominatio vicariorum cooperatorum*]. Ordinario loci competit ius libere nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari, nisi ipse parochum audire voluerit.

Derogatur praescriptio can. 476, § 3 CIC, quo loci Ordinarius obligatione tenetur audiendi parochum. In can. 517, § 3 CICO iam statuitur: « Vicarios cooperatores e clero saeculari nominat Episcopus, audito, nisi aliter prudenter iudicaverit, parocho ».

III – De Parochorum stabilitate, amotione et translatione

21. [*Officium paroeciale et stabilitas parochorum*]. § 1. Cum officium paroeciale in spiritualem fidelium utilitatem institutum sit, parochi omnes in sua quisque paroecia stabiles sunt prout postulat cura pastoralis.

§ 2. Quilibet parochus potest, id exigente bono animarum, amoveri a paroecia servatis normis quae sequuntur.

Generali praescripto in § 1 enuntiato abrogatur distinctio inter parochos inamovibiles et parochos amovibiles, et idcirco abrogantur praescripta can. 454, §§ 2 et 3 CIC et can. 494, §§ 2 et 3 CICO; exinde autem vim suam ipso facto amittunt praescripta iuris canonici, quae praefata distinctione nituntur, ut mox infra accuratius exponetur. Pariter cessat distinctio inter paroecias amovibiles vel inamovibiles, et cum omnes paroeciae simpliciter tamquam paroeciae constitutae vel constituendae habendae sint, eo ipso abrogata censeri debent praescripta can. 454, § 3 CIC et can. 494, § 3 CICO.

22. [*Amotio parochi*]. Episcopus potest quemlibet parochum a paroecia legitime amovere quandocumque eius ministerium, etiam citra gravem ipsius culpam, noxium aut saltem inefficax reddatur ob aliquam ex causis in iure recensitis, aut aliam similem, iudicio eiusdem Episcopi.

Immutato in suo robore manet praescriptum can. 454, § 5 CIC et can. 494, § 5 CICO de parochorum ad religiosam familiam pertinentium amovibilitate ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu; ad parochos autem e clero saeculari quod attinet, iidem a paroecia amoveri nequeunt nisi id expostulet aut suadeat aliqua gravis causa, quae bono animarum detrimentum afferat. Praecipuae eiusmodi causae non taxative sed solummodo demonstrative enumerantur in can. 2147, § 2 CIC, ideoque expresse dicitur parochos a paroecia legitime amoveri posse etiam ob alias causas quae, iudicio Episcopi, noxium aut saltem inefficax eorum ministerium reddant; cuiusmodi sunt, v. g., imperitia et in-

scitia et inertia in praedicatione verbi Dei, in curanda catechetica institutione fidelium, in promovenda actione catholica, in fovendis operibus socialibus, in ceteris mediis adhibendis quae ad curam animarum fructuose exercendam sunt necessaria.

23. [*Vicarius adiutor*]. Ab officio amoveatur parochus, qui ob aliquam causam permanentem suis muniis rite obeundis impar evaserit, et solummodo in casu extraordinario, iusta de causa, ei vicarius adiutor detur, omissa amotione.

Experientia constat quod plerumque bono animarum non apte cavetur per vicarii adiutoris institutionem, qui saepe saepius a parocho directe aut indirecte impeditur quominus officium suum diligenter et efficaciter explere valeat. Hinc, in casibus tantum peculiaribus, ad modum exceptionis, nunc ratio adhibenda praecipitur, quae hucusque tanquam norma communis servabatur: « Si parochus ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evaserit, Ordinarius loci det vicarium adiutorem, praesentatum a Superiore, si de paroecia agatur religiosis concredita, qui suppleat eius vicem » (can. 475, § 1 CIC), itemque veluti causa amotionis parochi enumeratur in can. 2147, § 2, 1°: « Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si, iudicio Ordinarii, per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat ». Etiam in can. 516, § 1, 1° CICO eodem modo statuitur ut vicarius adiutor detur parocho saeculari, nihilque merito dicitur de parocho religioso, utpote qui sit semper amovibilis ad nutum.

24. [*Modus procedendi in amotione*]. § 1. Ad parochi amotionem valide decernendam Episcopus, auditis tribus parochis consultoribus et veritate gravitateque causae cum eis discussa, amovendum — nisi agatur de parocho vitio mentis laborante — scripto vel oretenus ad paroeciae renuntiationem faciendam paterne invitet, ei significans amotionis causam et argumenta quibus ipsa innititur, simulque indicans quibus subsidiis ei renuntianti consulere intendat.

§ 2. In dioecesibus quarum territorium partes comprehendat pertinentes ad distinctas nationes, unus saltem e parochis consultoribus audiendis eiusdem sit nationis ac parochus amovendus.

Ut in definiendo negotio amotionis parochi expeditius procedatur simulque tutius caveatur ne iura amovendi iniuste laedantur, duae fiunt innovationes praescriptorum can. 2148 CIC, in quo statuitur ut Ordinarius duos examinatores audire debeat et certum tempus praefiniat intra quod amovendus renuntiationem faciat; praeterea, nunc expresse additur ad validitatem amotionis decernendae sollemnitates seu clausulas servandas esse, quae in hoc praescripto determinantur.

25. § 1. Parochus renuntiationi consentire ipso iure praesumitur, si certo constiterit eum, nullo legitimo impedimento detentum, Ordinario loci nihil respondisse intra septem dies ab accepta invitatione ad renuntiandum.

§ 2. Quod si certo non constet invitationem ad renuntiandum parocho innotuisse et ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse, Ordinarius opportune provideat iterando invitationem ad renuntiandum.

Invitatione ad renuntiandum iterata, eo ipso rursum parocho conceditur spatium septem dierum ad respondendum; sed facultas abrogatur concedendi expressam prorogationem temporis utilis ad respondendum, de qua in can. 2149, § 2 CIC. Item, abrogatur praescriptum can. 2149, § 1 CIC de amotionis a paroecia decreto conficiendo, si parochus invitatus ad renuntiationem faciendam nihil respondit; nunc enim sufficit ut, in

casu, Ordinarius paroeciam ex renuntiatione vacantem declaret, prouti decernitur in can. 2150, § 1 CIC, cuius etiam canonis praescripta §§ 2 et 3 integre in suo robore manent.

26. Parochus qui paroeciae renuntiare renuat, rationes seu probationes Episcopo in scriptis exhibere potest intra quindecim dies ab interposita oppositione.

Hoc praescripto abrogatum manet praescriptum can. 2151 CIC: « Parochus, si oppugnare velit causam adductam in invitatione, potest dilationem ad probationes afferendas postulare, quam Ordinarius pro suo prudenti arbitrio concedere potest, dummodo ne sit cessura in detrimentum animarum ».

27. § 1. Episcopus, auditis iisdem tribus parochis consultoribus super oppositione et rationibus ab amovendo forte allatis, eas approbat aut definitive reiicit.

§ 2. Decisio, sive affirmativa fuerit sive negativa, parocho significatur decreto.

§ 3. Edito decreto amotionis, Episcopus paroeciae vacanti potest novo pastore stabiliter providere, firmo iure parochi amoti recursum interponendi ad Apostolicam Sedem, sed in devolutivo tantum.

Haec nova disciplina plures affert immutationes iuri hucusque vigenti:

a) Ex praescripto can. 2152, § 1 CIC Ordinarius, ut valide agat, rationes a parocho contra invitationem adductas perpendere, approbare aut reicere debet auditis iisdem duobus examinatoribus, quorum consilio parochum ad renuntiationem faciendam invitavit. Nunc Ordinarius eadem peragere tenetur cum tribus parochis consultoribus, quos audire debet ad normam superius statutam in n. 24, § 1.

b) Penitus abrogata manent praescripta can. 2153 CIC de recursu quem parochus ad eundem Ordinarium interponere potest contra decretum amotionis.

c) Derogatur praescripto can. 2146, § 3 CIC, quo statuitur: « Pendente recursu (parochi amoti ad Sedem Apostolicam), Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit ».

In suo robore integre manent praescripta cann. 2154-2156 CIC de parocho renuntianti vel amoto pro viribus consulendo ut honesta sustentatione non careat.

Abrogata manent singula cann. 2157-2161 CIC praescripta de modo procedendi in remotione parochorum amovibilium.

28. [*Translatio parochi*]. § 1. Si bonum animarum vel Ecclesiae necessitas seu utilitas id postulet, Episcopus potest parochum transferre a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad quodlibet aliud officium ecclesiasticum, etsi diversi ordinis seu gradus.

§ 3. Ut parochi translatio valide decernatur, Episcopus debet in omnibus eumdem modum procedendi servare, qui superius nn. 24-27 praescribitur pro parochi amotione.

Normae peculiares abrogantur in cann. 2162-2167 CIC statutae ad parochorum translationem legitime decernendam, in quarum locum peropportune eaedem normae reponuntur quae legitimam parochorum amotionem moderantur, cum in utroque casu parochi propriam suam paroeciam revera amittant. Insuper facilius ac securius et amotionis et translationis negotium legitime definiri potest, si prorsus idem sit modus procedendi qui sive pro amotione sive pro translatione necessario servari debeat.

29. [*Cessatio parochi a munere*]. § 1. Ad loci Ordinarium pertinet, auditis tribus parochis consultoribus ut valide agat, in singulis casibus decernere utrum, ratione habita ministerii paroecialis recte ac fructuose exercendi, in officio perma-

nere possint parochi qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint, vel alium aetatis terminum attigerint, in Conferentiis Nationalibus Episcoporum pro diversis locorum adiunctis praestitutum.

§ 2. Ordinarius loci providere debet ut parochi qui in officio ratione aetatis permanere non possunt congruam habeant sustentationem, iidemque privilegiis honorificis adhuc uti frui possunt quibus ratione officii legitime gaudebant.

Hac nova disciplina apte cavetur ut bono animarum pro necessitate recte congrueque consulatur, quin parochorum iura laedantur qui diutius sacro ministerio exercendo se dediderunt.

NOTAE

[1] Omnes annotationes can. CICO in hac Appendice, nisi aliud expresse dicatur, sunt *de Clericis* (Pius XII, Motu proprio *Cleri Sanctitati,* 2 iun. 1957: *A.A.S.,* 49, 1957, pp. 432-600).

[2] *A.A.S.,* 52, 1960, p. 986.

[3] Quasi-parochus in Ecclesia Latina Missam pro populo applicare debet saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., Sancti Ioseph eius Sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum (cann. 306 et 466, § 1 CIC).

APPENDIX QUARTA

DE PASTORALI PAROCHORUM OFFICIO

PRAECIPUAE NORMAE REFERENDAE IN DIRECTORIUM GENERALE PRO PAROCHIS *

1. [*Parochi definitio*]. Parochus [1] est sacerdos cui, tamquam pastori proprio, officium curae animarum exercendae in paroecia sub Ordinarii loci auctoritate est collatum.

Ratione igitur missionis, quam in aedificationem Corporis Christi ipse recepit, parochus est filialis Episcopi collaborator atque pastor animarum, quarum salutem prosequi debet tamquam sacerdos, magister et rector in spiritu caritatis.

I – De parochi unione cum Episcopo

2. [*Parochus particeps sollicitudinis pastoralis Episcopi*]. Parochus singulari et strictiore nexu cum Episcopo se unitum semper sentiat, quatenus per paroeciale officium sibi ab Episcopo collatum, ipsius pastoralem sollicitudinem ac responsabilitatem participat.

3. [*Necessitudines parochi cum Episcopo*]. Habeat igitur parochus Episcopum

* Hoc Directorium confectum est a Commissione Conciliari de disciplina Cleri et populi christiani.

tamquam patrem sui sacerdotii eumque diligat in caritate non ficta. Ipsi oboedientiam, reverentiam et fidelitatem praestet eiusque mandatis, decretis et consiliis animo prompto et sincero parere studeat.

4. [*Instrumentum unionis fidelium cum Episcopo*]. Parochus insuper, cum sit obvium inter Episcopum et christifideles unionis vinculum, amorem et oboedientiam paroecianorum erga Episcopum excitet ac foveat; publicas saepe pro eo precationes promoveat; in suam paroeciam secundum opportunas occasiones invitet; praecipua documenta episcopalia suis ovibus nota faciat.

5. [*Parochus particeps sollicitudinis Episcopi de universa Ecclesia*]. Haud unquam immemor paroeciam partem esse Ecclesiae, cor suum et corda fidelium parochus dilatet ad integram dioecesim universamque Ecclesiam actuosa caritate amplectendam.

Fideles impense exhortetur ad fratres piis precibus et subsidiis adiuvandos, qui ob eorum constantiam in fide graviter opprimuntur aliave gravi necessitate laborant. Quem in finem etiam communiter pia exercitia, collectas, etc., peragere ne omittat, secundum normas ab Ordinario loci statutas.[2]

II – De parocho qua sacerdote

6. [*Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum vitae paroecialis veluti centrum efficiendum*]. Qua sacerdos, spirituales hostias parochus offerre ne desinat Deo Patri acceptabiles per dilectissimum Filium Eius Iesum.

Cum Eucharistiae Sacramentum culmen sit ad quod omnia tendere debent, simul et fons a quo omnia procedunt, ut revera centrum fiat vitae paroecialis, toto corde parochus adlaboret. Paschale mysterium, quod in Missae Sacrificio adest et operatur, fidelibus suis patienter incessanterque revelet ut conscia firmaque evadat eorum devotio.

Fructum quoque, qui consistit in intimiore unitate cum Corpore Mystico seu Ecclesia, frequenter recolat quo perfectius caritate fraterna inter se fideles in Domino uniantur. Sic firmior efformabitur communitas paroecialis quae sponte in opera caritatis et pietatis effundatur.

7. [*Personalis parochi pietas imprimis fovenda*]. Ut parochus suum officium, cum erga Deum tum erga fideles sibi commissos, rite adimplere valeat, imprimis sedulo diligenterque curam agere debet de sua vita supernaturali indesinenter alenda, illud Domini Iesu, cuius sacerdotium participat, semper prae oculis habens: « et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate ».[3] Congruum igitur tempus impendat in piam ac devotam recitationem divini Officii, in quotidianam meditationem ceteraque pietatis exercitia, quae ab Ecclesia sacrorum administris praescribuntur.

8. [*Actuosa participatio fidelium Sacrae Liturgiae promovenda*]. Studeat parochus divina officia ita ordinare et fideles instruere ut Sacra Liturgia totam vim suam et efficaciam exserat ad eorum animos christiane efformandos. Enixe quoque curet ut actuosa promoveatur fidelium participatio, interna et externa, illos instituens iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum.

9. [*Functiones sacrae devote celebrandae*]. Tum quia sancta sancte tractanda sunt, tum etiam quia parochus suo exemplo fideles ad sancta cognoscenda ac diligenda permovere debet, accurate invigilet ut in divinorum officiorum celebratione

et in Sacramentorum administratione tali se gerat dignitate ac pietate, in verbis pronuntiandis et in caeremoniis peragendis, ut adstantes ad devotionem excitentur atque Sacrae Liturgiae sensum et saporem debite percipiant.

10. [*Sacramenta indesinenter administranda*]. Parochus, ardenti desiderio permotus animas quamplurimas Deo lucrandi, in Sacramentis administrandis, quae sane divinae gratiae causa sunt instrumentalis, indesinenter adlaborare debet.[4]

Sedula cura prospiciat, iuxta ecclesiasticas leges, administrationi Sacramentorum initiationis christianae — Baptismatis nempe, Confirmationis et Primae Communionis —, omni nisu et cura satagens, ne eorum administratio ob parentum incuriam vel defectum formationis, ultra tempus debitum procrastinetur. Ita quoque functiones et occupationes paroeciales disponere atque ordinare curet, ut fideles ipsum semper paratum inveniant ad suas confessiones excipiendas; [5] paterna item ac caritatis plena sollicitudine ductus Sacram Communionem aegrotantibus deferat, fideles christianam doctrinam iterum iterumque doceat, omniaque quae potest adhibeat media, ne quispiam sine Sacramentorum refectione moriatur.

11. [*Dominicae diei sanctificatio*]. Meminerit parochus diei Domini sanctificationem, cui sane multae et valde inter se diversae rationes nostris hisce diebus obstant, veluti fundamentum esse praxis vitae christianae, cum singulorum tum etiam familiae et societatis: vita quidem christiana sine religione consistere nullo modo potest, neque ipsa religio nisi sanctificetur dies Domini, qua animarum vires spirituales reficiuntur ac crescunt, et vincula caritatis non solum in domestica communitate sed in tota etiam christiana societate peculiariter roborantur. Itaque parochus in christifidelium memoriam saepe obligationem revocare debet dies festos sanctificandi et praesertim diem dominicam, qua sane ab Ecclesia commemoratur et participatur mysterium paschale Christi, ut fideles, liberi a culpis et a terrenis curis, in Dei laudes incumbant cum fratribus suis communicantes.

12. [*Ecclesiae ac sacrae supellectilis munditia ac decor semper curanda*]. Intimo pietatis spiritu curet parochus ut ecclesia sibi commissa ea munditia ornetur quae in domo Dei elucere ac fulgere semper debet.[6] Altarium igitur ornatui, sed et sacrorum vasorum, tabernaculi, corporalium, linteaminum aliarumque omnium rerum ad sacram supellectilem pertinentium conservationi ac decori sedula cura prospiciat. Itaque, amore ductus, quidquid ab huiusmodi rerum sanctitate, simplicitate et dignitate sit absonum omni nisu vitet. Liturgicas quoque leges de custodia Sacrae Eucharistiae et sacrorum oleorum sedulo diligenterque servare satagat.

III – De parocho qua magistro

13. [*Doctrina christiana constanter tradenda*]. Ut magister, parochus verbum Dei populo christiano nuntiare tenetur eumque catechetica institutione enixe excolere debet.

Christianam doctrinam constanter exponat servato ordine ac methodo in communi summario seu programmate pro tota natione vel regione in Conferentiis Episcoporum statuto, ut brevi annorum spatio apte integreque de singulis eiusdem doctrinae capitibus omnes fideles edoceantur.

14. [*Qualitates magisterii parochi*]. Nihil aliud in sacris concionibus habendis parochus intendat nisi praedicare verbum Dei, illudque prout in fontibus revelationis continetur et ab Ecclesiae magisterio proponitur.

In praedicationis ministerio exercendo parochus tam in ratiocinatione quam in

linguae usu sese communi auditorum captui accommodet, eorumque difficultates vitaeque problemata scite pertractet ut practice et efficaciter dirigantur in propriis uniuscuiusque officiis recte exsequendis.

Fideles assidue monere parochus ne praetermittat, singulos obligatione teneri ut seipsos etiam pro aliis sanctificent, ut curam fratrum coram Deo suscipiant, ut christianam mundi instaurationem procurent.[7] Item, fidelibus in memoriam frequenter revocet ipsos per baptisma membra Christi effectos, hac de causa etiam alterum alterius membra factos esse, ut non quae sua sunt singuli considerantes sed ea quae sunt aliorum, vere catholicum et apostolicum sensum acquirant.

15. [*Explanatio Sacrae Scripturae*]. In sacris concionibus parochus Sacras Scripturas sincera fide et incenso fervore sic exponat, ut fideles earum crebra et attenta lectione summe delectentur. Peculiares coetus fidelium commendet ac promoveat in quibus, praeside sacerdote aut aliquo laico vere perito, selecta Sacrae Scripturae capita plenius et profundius exquirantur atque explanentur, non autem ad meram eruditionem acquirendam, sed praecipue ut spirituale vitae alimentum hauriatur.

16. [*Institutio puerorum catechistica*]. Peculiari studio parochus curet, adiutorio usus praecipue religiosorum sodalium et laicorum catechistarum, ut pueri catechetica institutione plene imbuantur, tum in praeparatione ad Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Confirmationis rite suscipienda, tum etiam modo habituali in scholis paroecialibus catechismo tradendo constitutis, in scholis catholicis et, quantum fieri potest, in scholis quoque non catholicis intra fines paroeciae exsistentibus. Christianam hanc puerorum institutionem etiam post eorum adolescentiam protrahere satagat.[8]

17. [*Doctrinae expositio in peculiaribus adiunctis*]. Semper, data occasione, dum v. g. sponsos ad matrimonium contrahendum praeparat, Sacramenta administrat, funus defunctorum persolvit aliave publica pia exercitia celebrat, parochus doctrinam exponere ne omittat, quae ad rem pertinet, quo fideles exinde uberiores fructus percipiant.

Praedicationem quadragesimalem, ab Ecclesia saepius commendatam, ne omittat; item, occasionem capiat ex aliis suetis pietatis exercitiis (ex novendialibus vel triduanis supplicationibus aliisque id genus), ut adstantibus principia tradat de christiana doctrina et praxi quae relationem habeant cum actionibus vel liturgicis temporibus de quibus in casu agatur.

18. [*Spiritu missionario semper agendum*]. Parochus, sciens se respondere teneri non tantum de eorum animabus, qui ad ecclesiam sponte accedunt, sed de animabus omnium qui coetum socialem sibi commissum efformant, et sciens quoque se plene inter eos adnumerari, qui Christi mandatum receperunt: « Euntes ergo docete omnes gentes »,[9] cordi habeat bonum omnium qui in paroecia degunt et Deum ignorant vel neglegunt. Praeter media supernaturalia, orationem scilicet et mortificationem, opportunis mediis atque inceptis pastoralibus — uti sunt colloquia domi habenda, conferentiae pro personis eiusdem gradus et condicionis, vel etiam media quae opinionem publicam efformant, etc. —, eos quaerat et patienter ad Deum ducere curet.

Statuto denique tempore, missionarias praedicationes in paroecia habendas foveat, forma vero et methodo convenienter aptatis exigentiis temporum, locorum et personarum.

19. [*Scientia theologica et pastoralis rite excolenda*]. Meminerit quoque parochus studium sacrarum disciplinarum atque problematum pastoralium pertinere

ad proprium statum, cum huiusmodi studium condicio sit necessaria ut recte et efficaciter munere suo perfungatur.

Prae oculis etiam habeat in sacra praedicatione verbum Dei in auditorum animabus alte inserendum esse, et ad hunc finem nonnulla subsidia, uti sunt scientiae psychologicae et sapiens paedagogia religiosa, utiliter adhiberi posse.

IV – De parocho qua rectore

20. [*Omnium cura suscipienda*]. Divini Pastoris praecepto obtemperans, parochus summa cum humanitate erga omnes se gerat. Peculiariter vero pauperes et miseros atque aegrotos, maxime vero morti proximos, sibi commendatos habeat.[10]

21. [*Singularum familiarum visitatio*]. Quoniam pastor bonus oves suas cognoscere debet, parochus ne omittat singulas paroeciae familias frequenter visitare, de omnium necessitatibus paterne sollicitum se exhibens.[11]

22. [*Spiritualis uniuscuiusque fidelis formatio*]. Diligenter adlaboret ut fideles, unusquisque pro sua condicione, socialem Ecclesiae doctrinam cognoscant eosque educet ad eamdem doctrinam in praxim adducendam, ita quidem ut ipsi consilium Dei super se plenius adimplere valeant, ut scilicet per vitam suam quotidianam, in statu quo vocati sunt, propriam operentur sanctificationem, christianamque mundi instaurationem; proximorum tandem saluti invigilent, eorum nempe quos in vita sua domestica, sociali vel oeconomica Pater Caelestis ipsis comites dedit.[12]

Curet praeterea ut laicus templi custos bene calleat doctrinam christianam et rudimenta sacrae Liturgiae cognoscat, necnon normas practicas de cura ecclesiae et rerum sacrarum. Sic enim optimum adiutorium praestare poterit in catechesi paroeciali tradenda, et apte institutus erit ut cum parocho collaboret in digna cura habenda de domo Dei.[13]

23. [*Christiana familiarum institutio*]. Maxime curae habens ut vero spiritu christiano singulae familiae bene informentur, parochus sanctitatem matrimonii crebro fideles doceat; institutionem prae-matrimonialem ne neglegat sed illi, ea qua potest diligentia, faveat. In matrimoniis vero celebrandis, Directorii Pastoralis normis utatur, quibus dignitas ac sensus matrimonii ineundi clarius manifestentur; consociationes promoveat in quibus, una cum sacerdote ac nonnunquam etiam cum medico christiano, illae tractentur quaestiones, quae ad vitam coniugalem, puerorum institutionem familiaeque sanctificationem pertinent.

24. [*Vocationes fovendae ac paterna sollicitudine curandae*]. Prae oculis habeat parochus maximam suae vitae sacerdotalis suaeque vocationis gloriam in eo sitam esse, quod peridoneum instrumentum sit in manibus Domini ad promovendas alias vocationes in servitium Ecclesiae et animarum. Quapropter pueros et iuvenes qui indicia praebent ecclesiasticae vocationis paterna sollicitudine exquirat, confirmet, eis animum addat, eorum directionem spiritualem modo speciali curet illosque ad studia incipienda vel prosequenda, quantum in se est, adiuver.

Consideret etiam corde magno et animo volenti vocationes tum ad amplectendum statum perfectionis, cuiusvis generis est, tum ad ingrediendas associationes sacerdotum saecularium constitutas in servitium alicuius regionis vel socialis ordinis, quae peculiares persentiant apostolicas necessitates.

Laicis quoque ne dedignetur viam adaperire qua apostolatum in Missionum territoriis in perpetuum vel ad tempus exerceant, scholas v. g. dirigendo, orphanotrophiis, nosocomiis, associationibus fidelium operam praestando vel aliis huiusmodi.

25. [*Praeparatio laicorum ad apostolatum eorumque consociationes*]. Probe conscius sit pastor laicorum partem ita ad essentiam Ecclesiae pertinere, ut ipsis deficientibus, missione ipsa sibi concredita deficiat. Ideoque summopere ut fideles de sua responsabilitate conscii fiant laboret; ut illam assumant cohortetur; ad officium suum implendum praeparet; illosque semper consilio et auxilio adiuvet.

Consociationes imprimis apostolatus laicorum et actionis catholicae parochus commendet, vel erigendas curet, ut fideles ad plenius perfectiusque vitam christianam agendam excitentur ac sustineantur, et praescriptis ac normis Hierarchiae ecclesiasticae integre fideliterque obtemperent.

26. [*Piae fidelium associationes fovendae*]. Parochus etiam fovere ne omittat sodalitia aliasque fidelium associationes, ex quibus tam uberes fructus pietatis et apostolatus oriri possunt. Ad devotionem erga Sanctissimam Eucharistiam excitandam, quae fiat, ut optatur, veluti centrum totius vitae paroecialis, parochus promovere satagat e. g. Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti. Item, iuxta normas traditas in Conferentiis Episcoporum, promoveat Sodalitium Doctrinae Christianae, ad necessarios laicos catechistas sibi comparandos et instituendos, qui praevalidum adiutorium praestare possint in crescente illo apostolatu catechistico, qui sane maxima sollicitudine perficiendus est.[14]

27. [*Institutiones peculiares promovendae*]. Omnia omnibus factus, studeat pastor ut pro diversis fidelium coetibus diversa suscitet auxilia vel media opportuna.

Pro pueris igitur vel puellis, oratoria vel recreatoria habeantur, aliaeque res opportunae, in quibus non tantum aptis mediis recreentur sed etiam christiane efformentur et ad imminentem sibi laboriosam vitam praeparentur.

Ipsis item praesto sint fidelium associationes, eorum aetati et personalibus qualitatibus accommodatae.

28. [*Diversi fidelium coetus*]. Diversis fidelium condicionibus diversas commendet vel erigendas curet associationes, quibus ipse vel unus ex vicariis cooperatoribus aderit. In eis tractetur de peculiaribus uniuscuiusque officiis ac quaestionibus ratione sui muneris exsurgentibus, sive operarii sunt, sive agricolae sive superioribus studiis incumbunt vel liberali disciplina funguntur quo potiore fructu eorumdem bonum promoveatur, quin tamen caritas et consensus atque unitas inter fideles ullum detrimentum patiantur.

Peculiaris quoque magistrorum associatio, saltem interparoecialis vel dioecesana, constituatur, ut qui munere docendi in scholis funguntur vividiore semper spiritu christiano incensi, accuratius in dies atque perfectius alumnos instituant.

29. [*Operariorum cura*]. Operarios qui in sua paroecia sunt, praecipuo amore habeat parochus, tum in honore Eius qui fabri filius vocari voluit, tum quia ob difficiliorem saepe suam condicionem proniores sunt ad societates materialistica doctrina imbutas amplectendas, quas efficax putant esse medium ad iustitiam socialem instaurandam et quarum ope meliorem sibi fore condicionem sperant.[15]

Sollicitus sit hanc illorum condicionem probe cognoscere, quod ad mercedem laboris attinet, ad ipsius laboris condiciones loci, temporis modique perficiendi, ad eorum habitationem, recreationem quoque, ut aequum de eis iudicium ferre valeat, cum eorum vitam secundum veritatem noverit; ut iniustitias, undequaque veniant, reprobet; ut, e contra, iustas operariorum expostulationes agnoscat et omne illud approbet quod, aequis mediis, bonum sociale et oeconomicum promovere potest.

Ipse humilitatis et paupertatis amore et exercitio in exemplum praeeat, caveatque ne modus suus vivendi iniuriosus sit illis qui de crastino nunquam sunt securi.

Diligenter pariter satagat ut omnes fideles semper reminiscantur et observent praeceptum Domini: « quod superest, date eleemosynam » (*Lc.* 11, 41).

30. [*Aequabilis in omnes consuetudo*]. Quando diversae in paroecia sunt fidelium condiciones, summopere caveat pastor ne operarii quasi inferioris habeantur vel videantur condicionis, neve erga ipsos despectionis nec etiam commiserationis sensus habeatur; cum aequo ceteris titulo ac iure fideles et ipsi sint in Ecclesia (cf. *Iac.* 2, 1-5).

Omni igitur vigilantia videat ne in paroeciali vita quidpiam fiat vel sit, quod eos a communitate fidelium arcere possit.

Aequabili quoque animo se gerat parochus erga coetus fidelium, etsi numero pauciores, alius stirpis vel nationis, si qui forte sint in sua paroecia.[16]

Noverit pastor idemque certiores paroeciae fideles faciat, eos, qui foris sunt, in Dei agnitionem venire non verbis neque liturgica actione, sed actuosa caritate qua fideles omnes fratrum onera portantes familiamque efformantes veram, sine personarum acceptione omnibus omnia facti, verum Christi evangelium et amorem in vita sua manifestant.

31. [*Actionis catholicae coetus inter operarios*]. Omnibus viribus inter operarios excitare procuret actionis catholicae coetus quorum actio maxime efficax esse potest; ipsi enim alios suae condicionis socialis haud difficulter adire valent eamdemque vitam participant, mentem sermonemque eumdem tenent. Qui si vero apostolico zelo erunt incensi, Ecclesiae spem magnam constituent.

32. [*Novae apostolatus formae*]. Peculiari studio prosequatur novasque apostolicas formas quaerat parochus pro iis, qui, sive sunt operarii sive sunt alterius condicionis, ingentes illas « insulas » incolunt, nunc temporis aedificatas, ad quas difficile sacerdoti fit aditus, in quibus etiam ardua onerosaque est vita communis novaeque morales ac pastorales oriuntur quaestiones.

Idem, sed diversa prorsus ratione, dicendum de tuguriis in quibus vivitur condicione homine indigna.

33. [*Status animarum conficiendus*]. Curet praeterea parochus ut libros vel schedas de statu animarum ad normam iuris diligenter conficiat, neque opportunas pervestigationes statisticas omittat circa praxim religiosam et statum sociologicum personarum suae paroeciae, quippe quae pervalida sint adiumenta ad actionem pastoralem.[17]

Omnia haec documenta aliaque similia quae necessitatis vel utilitatis causa sunt conficienda, debet parochus in archivo paroeciali sedulo colligere ac diligenter custodire, iuxta formulas modosque in Conferentiis Episcoporum apte determinatis.[18]

34. [*Consilium paroeciae*]. Quotiescumque rerum adiuncta id requirere videantur, parochus Consilium cogat, constans praesidibus sodalitiorum paroecialium, cui intersint vicarii cooperatores, eique praesit, ut fraterne collata opera, utiliora incepta quae ad paroeciam spectant perpendantur atque ad effectum deducantur.

35. [*Opera interparoecialia*]. Parochus partes diligenter expleat sibi assignatas in apostolatus operibus rite erectis, quae fines propriae paroeciae vel dioecesis excedunt, quo aptius et perfectius curae animarum exercendae prospiciatur.

In parvis praesertim paroeciis, opera apostolatus interparoecialia constituantur, quo melius faciliusque ad finem suum consequendum, viribus unitis, agere valeant.

Semper vero cum his omnibus sacerdotibus vel laicis qui quomodocumque in eodem patrisfamilias agro laborant, fraterne et lucide cooperetur, ne dispersi conatus sine fructu efficiantur maximo cum animarum detrimento.

V – De parochi cum vicariis consuetudine

36. [*Mutua caritas ac reverentia*]. Cum vicarii sint parochi cooperatores in cura animarum exercenda, congruit ut ad instar familiae parochum inter et vicarios conversatio instituatur, iidemque mutua caritate ac reverentia ad invicem semper utantur.

Vicarios parochus consiliis et auxilio adiuvet et dirigat, iisque potissimum exemplo adsit.

37. [*Rerum agendarum communicatio*]. Rerum agendarum ordinem rationemque communicare ne omittat parochus tempore opportuno cum vicariis, quorum etiam consilium audiat de gravioribus paroeciae negotiis, ut sic variae necessitates paroeciae communiter et attente perpendantur et aptior agendi ratio in bonum animarum rite definiatur.

38. [*Vicariorum cum parocho consensio*]. Vicarii cooperatores adiutricem operam parocho in opus ministerii summo studio praebeant, et cum eo curam adhibeant ut difficultates atque obstacula superentur quae forte in cura animarum exercenda exsurgant.

Iidem vicarii prudentissime caveant quascumque fidelium factiones vitare quae plenae et perfectae communi concordiae obstent.

39. [*Concessiones vicariis faciendae*]. Vicarios nec nimis arceat parochus ab activitatibus pastoralibus nec nimis oneribus gravet. Quare curet parochus ut singuli vicarii: *a*) cotidie congruum quietis tempus habeant, ne in vita spirituali aut in corporis valetudine detrimentum patiantur; *b*) quotannis vacationibus saltem per tres hebdomadas fruantur, sive continuas sive intermissas; *c*) Congressibus interdum interesse possint, qui ad eorum formationem pastoralem perficiendam utiles censeantur; *d*) congruo spatio temporis uti valeant, quo in studia praesertim ecclesiastica incumbere et ad varia opera ministerii pastoralis rite exercenda sese praeparare possint.

Vicariis paroecialibus iusta retributio assignetur, secundum normas ab Ordinario loci statutas.[19]

40. [*Quid peculiariter prohibeatur iis qui munere cedunt*]. Vicarii et parochi, ad aliam paroeciam vel ad aliud officium translati, nullo modo sese amplius negotiis immisceant paroeciae cui iam addicti fuerint.

NOTAE

[1] Parochis aequiparantur (CIC can. 451) cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus, et parochorum nomine in iure veniunt: quasi parochi, qui quasi paroecias regunt, de quibus in can. 216, § 3, et vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sunt praediti.

[2] Curam etiam prudenter adhibeat ut opinio publica recte edoceatur de vera condicione fidelium, qui in qualibet orbis parte persecutionem patiuntur.

[3] *Io.* 17, 19.

[4] « Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum saepe, prout sese offert occasio, praemonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis aut cuiuscumque incommodi habita ratione » (*Rit. Rom.*, tit. I, cap. un., 5).

[5] « Reliquum Nobis est, ut S. Ioannis M. Vianney pastorale ministerium fusius recolamus, quod in diuturno vitae ipsius spatio adsiduum fuit veluti martyrium, et in quo perfungendo sacramenti Poenitentiae administratio peculiari laude refulsit atque uberrimos salutaresque edidit fructus...

Arsiensis Curionis exemplis excitati animarum moderatores curent, ut huic tantae gravitatis officio alacres debitaque doctrina instructi se dedant » (Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51, 1959, pp. 573-574).

[6] Difficile in sacerdote excusari posset incuria quoad ecclesiam et res ad cultum pertinentes: neglectio enim circa munditiam et decorem non ex impetu humanae passionis natura sua transeuntis originem duceret, sed potius ex defectu habituali fidei et amoris erga Dominum nostrum in Sacra Eucharistia, necnon ex parvitate zeli pro domo Dei.

[7] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53, 1961, pp. 457, 460, 462.

[8] Pius XI, Motu proprio *Orbem catholicum,* 29 iun. 1923: *A.A.S.,* 15, 1923, pp. 327-328; S. C. Concilii, Decretum *Provida sane,* 12 ian. 1935: *A.A.S.,* 27, 1935, pp. 145-154.

[9] *Mt.* 28, 19.

[10] Fideles expresse commemorantur quorum, praesertim nostris temporibus, parochus curam peculiarem habeat oportet. De aegrotis idem praescribitur in CIC can. 468, § 1 et CICO, *de Clericis,* can. 509, § 1; nulla autem derogatio praescripto CIC can. 467, § 1 et CICO, *de Clericis,* can. 508 facienda proponitur, quamvis ex parte tantum illud referatur.

[11] Parochus familias paroeciae visitando melius ac facilius praescripta servat de ovibus suis cognoscendis (CIC can. 467, § 1 et CICO, *de Clericis,* can. 508, § 1) et de statu animarum conficiendo (CIC can. 470, § 1 et CICO, *de Clericis,* can. 511).

[12] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53, 1961, pp. 453, 454, 455, 460.

[13] Valde expedit ut laici, templorum custodes, sint semper homines normales, qui apte omnia perficere valeant ad commissum sibi munus pertinentia, et qui praeterea idonei sint, sicuti ceteri laici quolibet saeculari munere perfungentes, ad ea sibi comparanda quae ad vitam digne ducendam necessaria sunt. Parochi ergo vitare debent ne munus custodis ecclesiae sit veluti refugium pro hominibus desidia plenis vel anomalia aliqua laborantibus.

Hunc in finem, et tamquam medium concretum adhibendum, optimum sane erit si, ubi id fieri possit, scholae constituantur pro futuris ecclesiarum custodibus, parochis quidem collaborantibus et adiuvantibus. Hisce in scholis alumni discere possunt, praeter religiosas disciplinas supra recensitas, etiam artem aliquam qua fiant opifices qualificati vel fabri (e. g. librorum religatores, sutores, fabri lignarii, etc.). Sic enim talem laborem perficere poterunt qui, dum eis occasionem praebeat sibi comparandi necessaria ad vitam in industria sic dicta familiari, permittat quoque ut ipsi sine nimio incommodo ab officina abesse possint pro tempore quo ecclesiae curae incumbere debeant.

[14] Cf. CIC, can. 711, § 2 et 1333.

[15] Plurimi opifices maximam spem habent non iam in doctrina materialistica quam plerumque ignorant, sed in consociationibus vel in collegiis corporatorum opificum (*sindacati*) vel in partibus politicis, quae materialisticis principiis innituntur, quippe quae sunt acriora vel in reclamando vel in agendo, saltem in speciem.

[16] Omnibus compertum est maxima detrimenta et damna oriri posse pro vita spirituali fidelium « minoritatis ethnicae » quae dicitur, si ipsi a sacris Pastoribus negligantur vel posthabeantur.

[17] Cf. Pius XII, *Allocutiones* 29 apr. 1949; 16 maii 1951; 10 febr. 1952: *A.A.S.,* 44, 1952, p. 158.

[18] Expedit ut in Conferentiis Episcoporum apte, pro diversis locorum peculiaribus

adiunctis, formulae determinentur documentorum, quae ad statum animarum spectant, itemque modus praescribatur conficiendi librum aut schedarium de statu animarum, in quo accurate adnotetur etiam quae attinent ad migrationes fidelium. Documenta autem quae ad exteras regiones mitti debeant, non solum lingua vulgari sed etiam lingua latina in eodem folio inscribantur oportet.

[19] Determinatio additur praescripto CIC can. 476, § 1 et CICO, *de Clericis,* can. 75.

APPENDIX QUINTA

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET RELIGIOSOS PRAESERTIM QUOAD APOSTOLATUS OPERA

DE QUIBUSDAM PARTICULARIBUS QUAESTIONIBUS PRO REFORMANDO CODICE IURIS CANONICI

1. [*De subiectione Religiosorum legibus et decretis Ordinarii loci vel Conferentiarum Episcopalium in quibusdam casibus particularibus*]. Omnes Religiosi, etiam exempti, tenentur legibus, decretis et ordinationibus ab Ordinario loci vel a Conferentia Episcoporum latis, quae respiciunt, inter alia:

a) usum publicum instrumentorum omnium communicationis socialis;

b) accessum ad publica spectacula;

c) adscriptionem vel cooperationem societatibus seu associationibus, quas Ordinarius loci vel Conferentia Episcopalis cavendas esse edixerit;

d) habitum ecclesiasticum, firmis quidem manentibus CIC can. 596 et CICO, *de Religiosis,* can. 139 et secundum hanc quae sequitur rationem: Ordinarius loci vel Conferentia Episcopalis, ad vitandam fidelium admirationem prohibere potest quominus Clerici, sive saeculares sive religiosi, etiam exempti, habitum laicalem publice deferant. Item prohibere potest quominus publice deferatur habitus clericalis vel religiosus propter aliquam intolerantiam ex parte Gubernii Civilis vel morum populi, vel propter aliam gravem causam bonum commune dioecesis, vel regionis aut nationis respicientem.

Ex his quae dicta sunt de habitu ecclesiastico non licet deducere Ordinarium loci vel Conferentiam Episcopalem facultatem habere Religiosis Clericis imponendi *pro suo arbitrio* habitum Cleri Saecularis, et multo minus aliis Religiosis prohibendi proprium habitum.

2. [*De licentia Ordinarii loci requisita ad causam civilem introducendam*]. Omnes religiosae personae, sive physicae sive morales, exemptae vel non exemptae, atque etiam omnes coetus quos Religiosi moderantur, prohibentur quominus sine licentia Ordinarii loci ubi degit persona quae actionem promovet et, si casus ferat, Ordinarii loci in quo causa introducitur, per se vel per alios causam civilem aut criminalem apud magistratum laicum instituat.

Haec ab Ordinario loci dependentia Religiosorum, quae eorum nativam facultatem propria iura legitimis mediis tuendi laedere videtur, non sine reluctantia a Commissione de Religiosis, omnibus perpensis rationibus, admissa est (cf. CIC can. 1646 et can. 1652; CICO, *de Iudiciis,* cann. 161, 167).

3. [*Commissio operis ab Ordinario loci conventione facienda*]. Pro quavis commissione operis apostolatus ab Ordinario loci alicui Instituto status perfectionis facienda, servatis ceteris de iure servandis, ineatur conventio scripta inter ipsum et competentem Instituti Superiorem, qua, inter alia, perspicue definiantur quae ad opus explendum, ad sodales eidem addicendos et ad res oeconomicas spectant.

De hac re nihil habetur nec in CIC neque in CICO.

4. [*De moderamine operum ab Ordinario loci Religiosis commissorum*]. Sodales religiosi pro operibus, quae ab Ordinario loci Religiosis committuntur aut cum eius mandato exercentur, veri idonei eligendi sunt atque, praesentante vel saltem assentiente proprio Superiore, ab ipso Ordinario loci nominantur ad certum tempus mutuo consensu definitum. Iusta vero de causa a munere amoveri poterunt ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam iudicii sui aperire, eoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

In art. III cap. III huius schematis Decreti, in quo agitur de dedicatione Religiosorum externis operibus apostolatus, facta distinctione inter opera *propria* religiosi Instituti et opera quae ab Ordinario Religiosis *committuntur,* traduntur normae generales quoad moderamen eorumdem operum. Norma quae hic statuitur pro altero casu, analoga est praescripto can. 456 CIC quoad nominationem parochi religiosi.

Quoad remotionem vero ab huiusmodi officio, haec dispositio respondet praescripto CIC can. 454, § 5 (cf. CICO, *de Clericis,* cann. 494, § 5; 516, § 1; 518, § 1).

5. [*Commissio operis ab alia persona conventione facienda*]. Quotiescumque opera alicui Instituto committenda est non a loci Ordinario, sed de eius licentia ad normam cap. III, art. III, n. 30, § 2, ab alia persona physica vel morali sive ecclesiastica sive civili, id non fiat nisi per scriptam conventionem Ordinario loci praevie exhibendam, in qua perspicue definiantur quae ad opus explendum, ad sodales eidem addicendos et ad res oeconomicas spectant.

De hac re nihil habetur neque in CIC neque in CICO.

6. [*De suppressione domus religiosae vel operis*]. § 1. Domus religiosa sive formata sive non formata, ad Religionem exemptam pertinens, supprimi nequit sine beneplacito Apostolico et inconsulto Ordinario loci.

Hic numerus derogat can. 498 CIC, vi cuius domus Religionis exemptae stricto iure supprimi potest inconsulto Ordinario loci, etsi Sedes Apostolica pro praxi habeat (quod plerumque ipsi Superiores religiosi facere solent) ad suppressionem domus religiosae non procedere nisi Ordinario loci audito.

§ 2. Cum a Superioribus ob personarum penuriam suppressio alicuius domus vel operis petitur, Ordinarius loci petitionem benigne consideret.

Praescriptum § 1 tamen, congruenter temperatur hac secunda paragrapho. Generaliter enim Superiores suppressionem domus petunt ob difficultates illam sustentandi, deficientibus sodalibus vel reditibus. In his extremis casibus, licet dioecesis suppressione domus detrimentum patiatur, Superiores ad impossibilia non debent cogi.

7. [*De Ecclesiis non paroecialibus Religiosorum vel iisdem commissis*]. § 1. Rector cuiuscumque ecclesiae religiosae, quae non sit adnexa domui religiosae, a

loci Ordinario est approbandus. A munere vero amoveri potest ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu, iuxta normam statutam in can. 454, § 5 CIC.

Primum comma plane congruit cum can. 480, § 2 CIC (cf. CICO, *de Clericis,* can. 520, § 2): hoc in casu Rector ecclesiae nominatur a competente Superiore religioso, sed indiget approbatione Ordinarii loci.

Alterum comma est complementum prioris, sed praescriptum in sua forma est novum, quatenus nempe, saltem explicite, Episcopo agnoscitur facultas removendi, iusta de causa, huiusmodi Rectorem, aequo iure ac Superiori religioso, iuxta eam normam quae pro remotione parochi religiosi statuitur in can. 454, § 5 CIC.

Differt hic casus ab illo de ecclesia alicui domui religiosae adnexae, cuius Superior, munere etiam fungens (nisi aliter provisum fuerit) Rectoris ecclesiae, ad normam Constitutionum instituendus et amovendus est.

§ 2. In ecclesiis Religiosorum, etiam domibus religiosis adnexis et exemptis:

a) Functiones paroeciales peragi nequeunt.

Praescriptum plane congruit cum CIC can. 481, et CICO, *de Clericis,* can. 521: sed in seqq. numm. huius paragraphi derogatur pluribus correlativis canonibus.

b) Divina officia etiam sollemnia ibidem celebrari possunt, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum.

Ut patet, extenditur etiam ad ecclesias Religiosorum praescriptum can. 482 CIC (cf. CICO, *de Clericis,* can. 522).

c) Si ecclesia, Ordinarii loci iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine gravi incommodo possint paroecialem ecclesiam adire ibique divinis officiis interesse:

I) loci Ordinarius potest Rectori aliive legitimo Superiori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet, et catecheticam institutionem et Evangelii explicationem tradat;

II) parochus potest ex eadem Sanctissimum Sacramentum, inibi forte asservatum, pro infirmis desumere.

In utroque commate *extenditur ad ecclesias Religiosorum,* etiam domibus religiosis adnexas et exemptas, praescriptum can. 483 CIC (cf. CICO, *de Clericis,* can. 523), quod in actuali Codice valet solummodo de ecclesiis quae non sint adnexae (can. 479, § 1 CIC) domibus religiosis.

d) Sine Rectoris vel alius legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris.

Haec norma plane congruit cum praescripto can. 483 CIC (cf. CICO, *de Clericis,* can. 523): sed praescriptum iisdem omnino terminis (etiam, ex. gr. pro inciso « licentia *dari* vel *negari* debet ad normam iuris ») extenditur ad ecclesias domibus religiosis adnexas et exemptas. Idem valet de seq. num. *e*), ubi tamen attendendi sunt cann. 1337 et 1338.

e) Quod attinet ad conciones in ecclesia ad populum habendas, licentia Ordinarii loci semper requiritur ad normam iuris concedenda.

f) Rector ecclesiae aliusve legitimus Superior, sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debet curare seu vigilare ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, et ne quidquam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.

Quae in can. 485 CIC (cf. CICO, *de Clericis,* can. 525, § 1) partim dicuntur de Rectore simplicis cuiusdam ecclesiae, hic extenduntur ad *Superiorem* religiosum qui ad normam Constitutionum munere fungitur Rectoris ecclesiae adnexae domui religiosae et exemptae, qui idcirco debet haec sua officia adimplere « *sub auctoritate Ordinarii loci* ».

g) Si ecclesia pertinet ad aliquam Religionem, bonorum administrationi, sacrae supellectili atque aedium sacrarum conservationi et decori Superior religiosus consulere debet. Si ecclesia non est religiosa, iisdem consulere debet Rector sub dependentia Ordinarii loci, salva proprii Superioris religiosi vigilantia.

Nihil novi videtur hoc praescriptum continere, idque congruit quoad substantiam cum praescripto can. 630, § 4 CIC (quoad sacrarum aedium conservationem, etc.), et CICO, *de Clericis,* can. 525, §§ 1 et 2, ubi res clarius exhibetur, iis fere terminis qui in hoc numero « Appendicis iuridicae » assumpti sunt.

§ 3. Ecclesiae Rector aliusve legitimus Superior etiam curare et vigilare debet, sub auctoritate proprii ecclesiae Ordinarii, ut onera fideliter impleantur.

Nulla in hac paragrapho videtur adesse innovatio.

8. [*De cura animarum in ecclesiis Religiosorum exercenda*]. In omnibus ecclesiis et in omnibus oratoriis publicis vel semipublicis, ad Religiosos pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut episcopalia documenta publice legantur, ut diebus dominicis et festis de praecepto in Missis Evangelium explicetur, et catechetica institutio habeatur, ut denique specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus vel dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad Episcopalem Curiam postea sedulo mittenda.

Oratoria *semipublica,* cum in commodum ipsius communitatis erecta sint neque liberum sit illa adire (cf. CIC can. 1188, § 2, 2°), de se ad ordinem internum Instituti religiosi pertinent, in quem Ordinarius loci sese immiscere non debet. Attamen, si « de facto habitualiter christifidelibus pateant », aequum est ut Ordinarius loci, pro suo munere pastorali in hos fideles exercendo, intervenire valeat prouti hic conceditur, facultatem ipsi a CIC can. 483 concessam (cf. CICO, *de Religiosis,* can. 159 § 2) extendendo.

9. [*De visitatione ecclesiarum et oratoriorum ab Ordinario loci*]. Ordinarius loci ius habet visitandi Religiosorum etiam exemptorum ecclesias et oratoria etiam semipublica si ad haec ordinarie fideles accedant, relate ad observantiam legum generalium et decretorum episcopalium de cultu divino.

Quod si forte abusus in hac re Ordinarius deprehenderit, frustra Superiore religioso monito, propria auctoritate ipse per se providere potest.

Facultas, quae hic Episcopo agnoscitur visitandi ecclesias et oratoria Religiosorum exemptorum, derogat can. 512, § 2 CIC, ubi ius visitationis valet quidem pro ecclesiis et oratoriis *Congregationis* religiosae clericalis, non vero pro ecclesiis et oratoriis eorum qui in iure nomine « Regularium » veniunt (cf. can. 488, 7°).

Quoad oratoria *semi-publica,* valet animadversio superius facta (ad num. 8).

Item facultas exstirpandi abusus, in subiecta materia, quae in ecclesiis Religiosorum etiam exemptorum irrepserint, quatenus dicitur « propria auctoritate ipse per se providere potest », derogat canoni 617, § 1, ubi Episcopus potest solummodo rem deferre ad Sedem Apostolicam (cf. CICO, *de Religiosis,* cann. 166, § 1; 167, § 2, 2°).

10. [*De visitatione scholarum aliorumque operum ab Ordinario loci*]. § 1. Ordinarius loci quaslibet Religiosorum scholas, collegia, oratoria, recreatoria, patronatus etc., exceptis tantum scholis internis pro Instituti propriis alumnis, visitare potest, sive per se sive per alium, in iis quae ad alumnorum institutionem ac disciplinae rationem, atque ad personas seu ad taxas ab alumnis solvendas spectant.

Haec clausula CIC can. 1382 *dupliciter derogat*: *a*) quia ius visitationis Ordinarii loci ad plura extendit in praefato canone non contenta; *b*) quia exemptionem a visitatione Ordinarii loci confert omnibus scholis internis pro Instituti propriis alumnis (in can. 1382 agitur solummodo « de scholis internis pro professis religionis exemptae »): eadem enim est pro omnibus ratio.

§ 2. Item quascumque scholas, hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, etsi Religiosorum etiam exemptorum sint propria vel iisdem concredita, Ordinarius loci visitare potest, sive per se sive per alium, quoad observantiam iustarum legum civilium de paedagogica et hygienica institutione deque tutela ac securitate adversus infortunia.

11. [*De subiectione associationum fidelium Ordinario loci*]. Omnes fidelium associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, licet subsint ductui ac moderamini alicuius Religionis, iurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normam sacrorum canonum eas invisendi ius habet et munus.

Quod si in externa apostolatus opera vel in cultum divinum promovendum incumbant, praescripta de hac re ab Ordinario loci edita servare debent.

Amplior haec Ordinarii loci potestas quoad associationes *derogat* canoni 690, § 1, quatenus hic supprimitur incisum: « nisi speciale obstet privilegium » (cf. CICO, *de Clericis,* can. 532, § 2). Item valet de iure visitandi.

12. [*De emptione et alienatione non facienda inconsulto Ordinario loci*]. Religiosis omnibus, etiam exemptis, prohibetur sive per se sive per alios emere vel alienare bona immobilia aut aedes exstruere in dioecesi, inconsulto Ordinario loci.

Huiusmodi prohibitio Religiosis facta multipliciter derogat praescriptis vigentis Codicis, ubi Religiosorum « acquirendi » facultas peculiaribus restrictionibus non est obnoxia (cf. CIC can. 531), et « alienandi » facultas eas restrictiones tantum habet, quae in can. 534 recensentur. Ceterum, hoc novo praescripto non requiritur pro Religiosis positiva Ordinarii loci licentia, sed dicitur tantummodo quod emptio aut alienatio, item aedium exstructio, fieri non debet « inconsulto Ordinario loci ».

13. [*De stipe quaeritanda et subsidiis publice colligendis*]. § 1. Conferentia Episcopalis cuiusque nationis valet, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Religionibus servari debent, iis non exclusis quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen earumdem mendicandi iure.

Cum haud raro contingat stipem extra ambitum dioecesanum quaeritare, poterit opportunitas adesse, ut communes normae intra ambitum alicuius nationis seu regionis

a Conferentia Episcoporum, auditis Superioribus, praestituantur, ad huiusmodi rem provide moderandam (cf. CIC cann. 621-624; CICO, *de Religiosis,* cann. 171-173).

§ 2. Item, ad subsidia ope subscriptionis publicae colligenda ne procedant Religiosi sine consensu Ordinarii loci ubi subscriptio promovetur.

Huiusmodi praescriptio, in suis terminis, est *nova, atque* eo tendit ut, in eiusmodi quaeritandi forma (pro religiosis aut piis causis seu fundationibus aut institutis etc.), quae frequentior in dies fieri videtur, quilibet praecaveatur abusus, et debitae moderationis normae serventur.

14. [*De oblationibus fidelium intuitu paroeciae factis*]. Oblationes et legata pia, quae in ecclesia paroeciali religiosa fiunt, etiamsi haec sit ipsius communitatis religiosae, praesumuntur intuitu paroeciae facta, nisi aliud certo constet.

Huiusmodi norma seu clausula, saltem inde ab aliquot annis, in conventionibus de paroeciis concredendis Religiosis communiter inseritur, iuxta instructiones et praxim S. Congregationis Concilii.

APPENDIX SEXTA

DE PASTORALI CURA PECULIARIUM QUORUMDAM FIDELIUM COETUUM

PRAECIPUAE NORMAE REFERENDAE IN DIRECTORIUM GENERALE

I – De pastorali cura fidelium migrantium

1. [*Prooemium*]. Apostolica Sedes, cui ius et officium competit ea omnia quaerere et parare quae in universum spirituali ac morali bono cedant fidelium migrantium actionemque communem promovere, coordinare et moderari, opportunas edidit leges et normas pro emigrantium cura gerenda in Constitutione Apostolica *Exsul Familia,* anno 1952 promulgata.[1]

Sed Concilii Patres magnopere exoptant ut illae normae ac leges, quae de emigratione adhuc vigent, diligenter recognoscantur novisque rerum personarum ac locorum adiunctis opportune accommodentur, ita ut hac in re maiores habeant facultates sive Episcoporum Conferentiae sive ipsi Episcopi, quorum auctoritas sarta tecta servari debet.

Nomine « migrantium » ii praesertim veniunt qui ob victum quaeritandi necessitatem variasque alias rationes vitae vel occupationis vel ob tristes suarum nationum condiciones vexationesque religionis causa obortas patrium locum, sive ad tempus sive in perpetuum, relinquunt.

Cum migrationes hominum, sive externae sive internae, sive ad tempus sive in perpetuum, sive liberae sive coactae, magis in dies augeantur et universas fere orbis terrarum gentes ac nationes respiciant, Sacri Pastores gravissima earumdem migrationum problemata attento animo considerent oportet, ut filiorum migrantium spirituali atque sociali bono prospiciant ac pro viribus consulant.

Id enim faciendum est, ut iidem Ecclesiae ubique persentiant caritatem, eo praesentiorem efficacioremque, quo magis eius cura eiusque indigent auxilio.[2]

PRINCIPIA GENERALIA

2. [*Episcoporum et parochorum obligatio*]. § 1. In primis tenentur Episcopi sollertem actuosamque curam habere de fidelibus migrantibus.[3]

§ 2. Parochi quoque fidelibus suis, qui alio emigrant, consulere debent donec iidem in novam ecclesiasticam communitatem inserantur, fideles vero qui in eorum paroeciam veniunt paterna caritate excipere tenentur iisque, quo melius fieri possit, adiutricem operam praebere ad eorumdem bono sive spirituali sive sociali consulendum.[4]

3. [*Emigrantium ritus servandus*]. Meminerint Sacri Pastores sancte servandum esse ius antiquitus fidelibus recognitum ad proprium ritum in divinis celebrandis propriumque sermonem in ministrandis sacramentis et in verbo Dei audiendo.[5]

4. Sacri Pastores fideles suos edoceant:

a) [*Ius naturale emigrandi asserendum*]. Deus rerum universarum Creator, in totius generis humani utilitatem bona omnia condidit, unde hominibus pateant oportet commigrandi viae; id enim haud minus in humanum genus pietas quam naturae ius ipsum suadet; [6] itemque ius familiarum ad servandam unitatem, ad fovendum congruum incrementum et honestam sustentationem exercetur.[7]

b) [*Errores refellendi*]. Ficta, commenticia atque iniqua esse declarent decreta quae naturale ius hominum ad migrandum proprio arbitrio coërceant et populos alio migrare compellant, incolas invitos deportent, civesque e familia, e domo, e patria abstrahere audeant.[8]

c) [*Mutua conversatio et tranquilla aggregatio fovenda*]. Sedulo foveant ordinatam, aequabilem ac temperatam migrantium conversationem, qua inter advenas et incolas fraterna vigeat caritas et bonum commune plenius ac perfectius promoveatur, atque eorumdem tranquilla et sana in novam communitatem aggregatio melius praeparetur.[9]

NORMAE PRACTICAE

5. [*Normae de emigratione servandae sunt et opportune tradendae*]. Normae pro migrantibus a competenti auctoritate ecclesiastica statutae, sedulo et integre ab omnibus clericis et religiosis et laicis — pro personarum, rerum, locorum, temporum adiunctis — semper servari debent.

De iis, quae ad migrationem spectant, rite edoceantur alumni qui studiis curriculi theologici vacant, et saepius de iis agatur a parocho cum suis cooperatoribus necnon in conventibus sive sacerdotum sive sodalium actionis catholicae aliarumque associationum, quae ad opera apostolatus promovenda sunt constitutae.

6. [*Comitatus dioecesani et Subcomitatus paroeciales; dies pro migratione*]. Peculiares Comitatus dioecesani et Subcomitatus paroeciales ad migrantium bonum apte curandum constituantur [10] et quotannis dies pro migratione, secundum normas ab Ordinario loci praefinitas, sollemniter celebretur.[11]

7. [*Commissio Episcopalis pro emigratione constituenda*]. In singulis nationibus, in quibus quamplures migrare solent, specialis constituatur Commissio Episcoporum ut accuratius de rebus seu negotiis agatur, quae ad fideles migrantes attinent.

8. [*Sacerdotes eiusdem nationis aut linguae migrantium eligendi*]. In singulis dioecesibus, in quibus quamplures migrare solent, cura pastoralis immigrantium sa-

cerdotibus ab Ordinario loci committatur, qui sint eiusdem illorum nationis aut saltem illorum linguam patriam moresque et usus plene noverint. Idem autem Ordinarius ea omnia congrue suppeditare satagat, quae ad eorum honestam sustentationem requiruntur et ad opera apostolatus ab iis explenda sunt necessaria.

9. [*Sacerdotes pro migrantibus ad alias dioeceses mittendi*]. Episcopi dioecesium, e quibus magna fieri solet singulorum fidelium vel familiarum discessio, libenter concedant ut, pro necessitate, unus pluresve sacerdotes, qui suae ipsorum iurisdictioni subiiciuntur, aliam dioecesim in perpetuum aut ad tempus praefinitum petant ad curam pastoralem ibi — sub respectivi Ordinarii loci auctoritate — exercendam pro fidelibus, qui ad eamdem dioecesim migrant.

10. [*Iurisdictio missionariorum migrantium: paroecia personalis vel mixta*]. Missionarii fidelium migrantium iurisdictione personali ab Ordinario loci donentur pro illis intra certos fines territoriales exercenda. Ubi autem fidelium migrantium eiusdem nationis vel eiusdem linguae patriae magna est multitudo, paroecia personalis vel mixta [12] pro iis legitime constituatur, aut saltem peculiaris Missio pro eorum cura animarum designetur.

11. [*Subiectio missionariorum iurisdictioni Ordinarii loci*]. Fidelium migrantium missionarii, in suo explendo munere, Ordinarii loci iurisdictioni subsunt, et in sacro ministerio exercendo libenter ac sedulo cum clero paroeciali allaborare satagant.

12. [*Facultas adeundi parochum vel missionarium seu cappellanum migrantium*]. Fideles migrantes parochorum vel cappellanum seu missionarium propriae suae cuiusque linguae patriae libere adire possunt Sacramentorum recipiendorum causa; qua quidem facultate gaudent pariter quod attinet ad celebrationem matrimonii, sive iidem sive eorum descendentes usque ad secundum gradum lineae rectae inclusive.[13]

13. [*De matrimonio immigratorum celebrando*]. Expedit autem ut parochus loci, antequam matrimonio fidelium immigratorum adsistat, si nupturientes qui recentius advenerunt proprium missionarium adire omiserint, consulat ipsum missionarium vel, si casus ferat, examen nupturientium eidem committat.

14. [*De confessionibus audiendis*]. Quando agitur de audiendis confessionibus immigratorum, si desit missionarius eiusdem sermonis, sacerdos linguae ignarus, formulas secundum poenitentium sermonem exaratas sibi paret caveatque ne confessiones in lingua sibi ignota excipiat. Absolutio generalis immigratorum, extra periculum mortis, et exceptis casibus in quibus Ecclesia eam universaliter permittit,[14] omnino prohibetur.

15. [*Propriae scholae immigrantium condendae et opera seu consociationes*]. De consensu Ordinarii loci, possunt immigrantes proprias scholas pro necessitate vel utilitate condere, ubi non obstent leges civiles in loco vigentes. Curare possunt etiam ut propria sua opera seu instituta et associationes legitime erigantur, quae tamen cum actione catholica allaborare debent in loco instituta.

16. [*Collaboratio parochorum fidelium emigrantium et immigrantium*]. § 1. Parochi sedulo curent ut fideles, qui alio migraturi sunt, per Officium dioecesanum migrationis praemoneantur, quoad fieri poterit, de opere seu labore quem obire poterunt ac de iis omnibus quae ad bonum familiae comparandum sunt necessaria; itemque opportune praeparentur ut novis vitae condicionibus rite occurrant; praecipue vero ut peculiari institutione catechetica in fide catholica firmiter roborentur.

Proprius emigrantium parochus eorum schedam personalem et familiae trans-

mittere satagat ad parochum vel Ordinarium loci quo illi se conferunt, iisdemque suadeat ut quam primum illuc pervenerint parochum adeant aut missionarium pro immigratis constitutum.

§ 2. Parochus loci immigrationis statim ac de eorum adventu certior factus fuerit, eos paterne excipiat et visitare ne omittat eosque, sive per se sive per Officium dioecesanum migrationis sive per sodales actionis catholicae opportune doceat de omnibus quae necessaria vel utilia sint tum ad eorumdem bonum spirituale fovendum, tum etiam ad eorumdem bonum oeconomico-sociale promovendum. Prae oculis profecto habeat diversitatem educationis, indolis et traditionis advenarum eorumque mores, ut illorum mentes animumque alliciat et facilius Christo lucrifaciat.

§ 3. Parochus autem et Ordinarius loci paterna sollicitudine fideles prosequantur, qui solummodo ad tempus alio demigrant, hortatorias litteras et commentaria dioecesana vel paroecialia ad illos mittant eosque visitare satagant, servatis de iure servandis.

17. [*Migratio familiarum fovenda et iura migrantium tuenda*]. Auctoritates ecclesiasticae et consociationes catholicae magna diligentia et sollertia nitantur ut potestas civilis admittat, quatenus fieri valeat, vel faciliorem reddat migrationem familiarum, ne earumdem unitas seu integritas pessumdetur aut periclitetur.

Pariter sedulo curent ut immigrantium iura, quae secundum doctrinam socialem Ecclesiae iis competunt quod attinet ad laborem et mercedem et habitationem, sancte serventur, utque illorum dignitas, fides religiosa, boni mores integre custodiantur.

II – De pastorali cura fidelium maritimorum

Nomine maritimorum, veniunt ii omnes qui nauticam vel piscatoriam artem exercentes sive gubernandi sive inserviendi causa in navibus vitam iugiter ducere coguntur ac proinde nonnisi raro et difficilius communi parochi cura frui valent, vel portibus addicuntur maritima itinera adparaturi.[15]

18. [*Secretariatus Generalis Internationalis A. M.*]. Magni faciant Episcopi Secretariatum Generalem Internationalem ad Opus Apostolatus Maris in universo orbe moderandum institutum, ut ubique apte et fructuose pastoralis cura maritimorum exerceatur eiusque inceptis libenter faveant, praesertim ut Opus Apostolatus Maris constituatur etiam in nationibus non catholicis.

19. [*Unitas Operis Apostolatus Maris commendatur*]. Expedit ut omnes sacerdotes, qui in navigantium aliorumque maritimorum spiritualem curam incumbunt, unum efforment Opus Apostolatus Maris.

20. [*Leges ac normae ab Apostolica Sede datae servari debent*]. Leges ac normae, quas Apostolica Sedes de Opere Apostolatus Maris accurate statuit, religiose servari debent.[16]

21. [*Commissio Episcopalis constituenda*]. In unaquaque natione maritima peculiaris Commissio Episcopalis constituatur, vel unus saltem Praesul promotor deputetur ad moderandum Opus Apostolatus Maris in tota natione.

22. [*Munus Commissionis Episcopalis*]. Commissio Episcopalis totis viribus satagat ut in Institutis ad nautas educandos nec non in scholis nauticis christiana instructio et religiosa ac moralis educatio perficiatur.

23. [*Apta cappellanorum institutio*]. § 1. Cum munus cappellani Apostolatus Maris sive in portibus sive in mari difficilius plerumque evadat aptamque requirat

praeparationem, Commissio Episcopalis curet ut sacerdotes ad hoc ministerium, de consensu Ordinarii proprii electi, per conveniens temporis spatium, ductu directoris vel in scholis seu cursibus internationalibus ad hoc dispositis, de percipiendis ac persolvendis propriis officiis studium practicum peragant.

§ 2. Sacerdotes qui ad hoc munus apostolicum specialiter deputantur accurate de doctrina theologica ac sociali necnon de linguis atque variorum populorum moribus consuetudinibusque, quae vitae modernae propriae sunt, praeparentur oportet.

24. [*Cappellani munus in navi*]. Ubi in navi cappellanus proprius permanenter aderit, non solum habitualem curam pastoralem maritimorum ad modum cuiusdam paroeciae ipse exerceat, sed etiam, occasione nacta, illos doceat dogmata christianae religionis illustrando, opportunis conferentiis etiam institutis, necnon eos exhortetur ut vitam legi divinae conformem agant.

Curet etiam privatim ac prudenter cum illis de huiusmodi religiosis quaestionibus colloqui.

25. [*Idoneus nauta qui in navi apostolatus opera gerat*]. Si desit in navi sacerdos — quod plerumque evenire solet — unus ex nautis instituatur qui curam habeat de vita religiosa ac morali communitatis navigantis, orationi praesit, petentibus religiosam instructionem praebeat, aegrotantibus aut morientibus sollicita pietate assistat et in funeribus, si quae occurrant, orationes et preces effundat.

26. [*Sacerdotes in portibus designandi*]. Consulendum est ut in singulis portibus unus vel plures adsint cappellani iuxta navium frequentiam, qui unice dicentur in auxilium, in primis spirituale, maritimis praestandum et naves omnes visitandas curent.

27. [*Coetus laicorum qui in portibus Apostolatus Maris opera foveant*]. Insuper in singulis portibus instituatur coetus laicorum utriusque sexus, qui, ductu cappellani, Opus Apostolatus Maris foveant atque adiuvent, maritimos ad sedem Apostolatus Maris invitent, aegrotantes in nosocomiis degentes visitent, hospitalitatem christianam ipsis acatholicis offerant etc.

III – De pastorali cura fidelium aëronavigantium

Cum magis magisque in dies aëria itinera et commeatus multiplicentur, diligenter curetur oportet bonum spirituale fidelium aëronavigantium eorumque omnium, sive virorum sive mulierum, qui in velivolis et in aërodromis operam praestant seu laborem.

28. [*Apostolatus Coeli in aërodromis exercendus*]. Singulis in locis ubi aërodromi civiles exstant, sedulo curent Ordinarii ut Apostolatus Coeli qui dicitur, apte et fructuose exerceatur ad bonum spirituale aëronavigantium eorumque qui in velivolis et in aërodromis operantur.

29. [*Sacellum in aërodromis erigendum*]. § 1. Sacellum in aërodromis, si fieri potest, erigatur et sacerdos deputetur, linguis exteris eruditus, qui etiam cappellani officio, praesertim in aërodromis maioribus, fungi valeat.

§ 2. In sacello, saltem die dominica aliisque diebus festis de praecepto sacrosanctum Missae sacrificium, statutis horis et ordinata cura, celebretur et sacramentales confessiones excipiantur. Hinc faciendum est ut in tabellis clare significentur horae celebrationis Missarum et horae pro audiendis confessionibus in variis linguis.

In iisdem sacellis oleum infirmorum in tuta ac decenti custodia asservari debet.

30. [*Aëronavigantium curae opportune consulendum erit*]. Ubi vero oratorii sacri aedificatio vel proprii cappellani nominatio sit impossibilis, Ordinarius loci spirituali aëronavigantium curae opportune consulat.

31. [*Cura fidelium in velivolis vel aërodromis operam navantium*]. Ecclesiasticae Auctoritates et actionis catholicae consociationes sollicita cura eos omnes prosequantur, qui in velivolis vel in aërodromis operam navant. In doctrina christiana apprime edocti sint oportet ac bonis moribus praediti, ita ut fidem catholicam integram servent et vitam vere christianam ducant, itemque idonei sint ad opera apostolatus opportune explenda.

IV – De pastorali cura fidelium nomadum

Cum assidua et ordinata parochi cura spirituali careant nomades, qui varias orbis terrarum regiones continuo circumire solent, vel propter artem circensibus ludis exercendam vel propter insitam natura et congenitam animi proclivitatem, opus est ut magis pro iis sollicitudine Sacri Pastores afficiantur.

32. [*Commissionis Episcopalis constitutio et cappellani nomadum designatio*]. In singulis nationibus, Conferentia Episcoporum peculiarem instituat Commissionem Episcopalem ut opportunae leges seu normae, ad pastoralem nomadum curam exercendam, condantur. Peculiaris autem eorum cappellanus ab Ordinario loci designetur, consentiente proprio eiusdem Superiore maiore si ipse sit religiosus.

33. [*Centra missionalia erigenda*]. Iis in regionibus, ubi magna est nomadum multitudo, pro illis peculiaria centra missionalia constituantur ut, moderatore sacerdote designato ab Ordinario loci, etiam probi et idonei laici ad eorum bonum spirituale, morale et sociale convenienter allaborent.

34. [*Cappellani munus et obligatio*]. Cappellani nomadum subsunt, ad normam iuris, Ordinario loci in quo actu commorantur et una cum parocho operam suam praestare tenentur. A proprio autem Directore pendent in iis quae methodum spectant in apostolatu erga nomades adhibendam.

35. [*Parochorum cura pro nomadibus*]. Cum autem nomades et circenses artifices, ut experientia docet, iter frequenter parvisque in comitatibus arripiant, ideoque sine cappellano maneant, cappellanorum cura pastoralis — quae saepe est exigua — adiuvari debet a parochis, in quorum iurisdictionis loco nomades et circenses artifices tabernacula sua ponunt, ita ut parochi curent visitare atque advocare eos ad divinum cultum cum apta praedicatione pro illis specialiter celebrandum, etiam diebus ferialibus, non solum festivis.

36. [*Peregrinationes sacrae fovendae*]. Fovendae sunt nomadum peregrinationes, una cum cappellanis, ad Sanctuaria regionis, ut fides eorum magis magisque augeatur etiam iuxta eorum vivendi modum, quod est habitualiter peregrinari.

V – De pastorali cura fidelium peregrinatorum

Homines quamplurimi, sive singuli sive turmatim, per annum, animi relaxationis vel rusticationis vel sanitatis curandae causa, suas domos ad tempus relinquere solent, externas civitates aut montes aut marium lacuumque oras petituri. Decet omnino ut homines eorumque familiae, constanti assueto labore congrue quiescere

viresque reficere valeant, sed prorsus oportet etiam ut gravia pericula moralia praepediantur, in quae sive peregrinatores saepius incurrere possunt sive cives et ruricolae apud quos ii devertuntur. Quamplures enim a familiaribus suis seiunguntur, viri et mulieres plerumque in promiscuo sunt, cupiditatibus abripiuntur praesertim si in campis consistunt, boni cum pravis conversantur, dies festos de praecepto difficilius sanctificare possunt.

37. [*Delegatus Episcoporum designandus pro cura peregrinatorum*]. In singulis nationibus, si expedire videatur, Delegatus a Conferentia nationali Episcoporum designetur ut curae pastorali peregrinatorum aptius prospiciatur. Ad eundem finem adsequendum etiam peculiaria consilia idoneorum sacerdotum et laicorum instituantur atque diaria vel commentaria periodica edantur.

38. [*Coordinatio apostolatus pro peregrinatoribus in natione vel regione facienda*]. Expedit quoque ut Conferentiae Episcopales, sive regionales sive nationales, de spirituali peregrinatorum cura inter se agant, attentis hodiernis adiunctis et maximo eiusdem momento pro christiana vita servanda eo vel magis quod apostolica opera bene coordinanda est, quia saepe agitur de quaestionibus, quae exsuperant cleri unius regionis vel nationis condiciones. Sic maior quoque habebitur disciplinae uniformitas, ut v. g. abstinentiam a carnibus quod spectat.

39. [*Ordinarii loci competentia*]. Salvis praescriptis, quae a Conferentia nationali Episcoporum sint praefinita, proprium est Ordinarii loci ea omnia decernere quae attinent ad pastoralem curam peregrinatorum pro peculiaribus locorum et personarum adiunctis.

Peregrinatorum enim pastoralis cura permulta problemata ponit, quorum solutio expedit ne arbitrio iudicioque singulorum paroeciarum rectorum relinquatur.

40. [*Constitutio delegati Episcopalis et peculiaris Officii*]. Ut salutaris finis facilius obtineatur, valde opportunum est, in dioecesibus, ad quas peregrinatores affluunt vel quo transeunt, episcopalem delegatum vel potius officium a peregrinatorum negotiis constituere ut vigilem det operam illorum saluti procurandae, qui relationes habeat cum Commissione vel Praesule, a Conferentia Episcopali designatis.

41. [*Apta praeparatio sacerdotum ad apostolatum pro peregrinatoribus*]. Opus est ut in Seminariis et in theologiae pastoralis studiis de quaestionibus quoque agatur, quae ad curam animarum peregrinatorum spectant, ut apti parentur sacerdotes, linguis scilicet variis periti, doctrina moribusque clari, qui hominum peregrinantium animum, mentem, usus, consuetudinesque plane noscant, iuxta diversos eorum coetus.

42. [*Officia sacerdotum qui spiritualem peregrinatorum curam gerunt*]. § 1. In locis ubi frequentiores sunt peregrinatores, idonei sacerdotes ab Ordinario loci deputentur qui eorum curam pastoralem habeant.

§ 2. Iidem autem non solummodo in ecclesia verbum Dei competenter illis proponant, sed etiam conferentias seu lectiones de quaestionibus theologicis, vel de quaestionibus cum rebus fidei aut morum connexis, ad illos habeant extra loca sacra, itemque cum illis de eiusmodi quaestionibus prudenter colloquantur.

§ 3. Curandum est ut functiones religiosae, praesertim sacrosanctum Missae sacrificium, diebus dominicis et festis de praecepto, horis quidem hospitibus magis aptis fiant; praedicatio autem habeatur etiam in lingua peregrinatorum, qui maiore numero adsistunt. Item consulendum est ut praesto sint confessarii eiusdem sermonis seu linguae peregrinatorum.

43. [*Cura habenda pro fidelibus in « campis » degentibus*]. Cum magis magisque in dies plures sint fideles qui in campis (*Campings*) commorantur, eorum animabus apte provideatur, pro posse, opportunis sedulisque curis.

44. [*Laicorum catholicorum consociationes earumque munus*]. Ordinarius loci et parochus magna diligentia et sollertia curent ut, praesertim in tabernis et in deversoriis in quibus sacerdos adesse nequit, laici probi et idonei operam dent — secundum normas et methodum actionis catholicae — ut peregrinatores Deum ne obliviscantur et bonum spirituale animae suae ne neglegant. Illi pariter, prudenter quidem sed sedulo nitantur, ut leges seu edicta aut decreta ab auctoritate civili condantur et urgeantur, quibus publica morum integritas in tuto efficaciter ponatur.

45. [*Associationes catholicae constituendae*]. Catholicae associationes erigantur ad bonum spirituale fovendum sive eorum qui tabernas seu deversoria gerunt, sive eorum qui in iisdem operam navant. Sollicita etiam cura a Sacris Pastoribus adhibeatur ut normis doctrinae christianae informentur statuta collegiorum aut societatum, quae ad eorum bonum sociale promovendum sunt erecta.

46. [*Opera ab Institutis peregrinationibus fovendis opportune petenda*]. Ad christianam peregrinatorum vitam fovendam in illis, quarum interest, dioecesibus Sacri Pastores collaborationem uniuscuiusque loci Instituti laicorum, cuius opera, ad rem quod attinet, prodesse valeat, exposcant.

NOTAE

[1] Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia,* 1 aug. 1952: *A.A.S.,* 54, 1952, p. 652.

[2] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51, 1959, p. 527.

[3] S. Pius X, Motu proprio *Iampridem,* 19 mart. 1914: *A.A.S.,* 6, 1914, p. 174.

[4] S. Pius X, *l. c.*

[5] Conc. Later. IV, c. IV: Mansi, XXII, p. 998.

[6] Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia, l. c.,* p. 683.

[7] Pius XII, *Nuntius radiophonicus* de Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 1 iun. 1941: *A.A.S.,* 33, 1941, p. 195; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53, 1961, pp. 411-12.

[8] Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia, l. c.,* p. 684; *Nuntius radiophonicus* in pervigilio Nativitatis anni 1952: *A.A.S.,* 45, 1953, p. 53 sq.

[9] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55, 1963, p. 286.

[10] S. Pius X, Motu proprio *Iampridem, l. c.,* pp. 174-175; Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia, l. c.,* p. 702, n. 43.

[11] Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia, l. c.,* p. 702, n. 48.

[12] Nomine *paroeciae mixtae* ea paroecia venit, quae territorialis simul et personalis est, i. e. in qua parochus qui eiusdem nationis et linguae est ac immigrantium, iurisdictione personali gaudet pro suis concivibus, extra suam paroeciam degentibus sed intra certos definitos limites.

[13] In Constitutione Apostolica *Exsul Familia,* caput IV, n. 40 conceditur ius, de quo agitur, alienigenis eorumque descendentibus *in primo gradu lineae rectae,* quod multis Patribus ob graves rationes nimis restrictivum videbatur; quapropter non pauci Patres Commissionis Centralis praeparatoriae Concilii Oecumenici et Commissionis de Episcopis et de dioeceseon regimine ius adeundi proprium missionarium sine limitatione aut ultra primum gradum lineae rectae extendendum censuerunt. Omnium desideriorum

ratione habita proponitur hic solutio media, scilicet extensio huius iuris usque ad secundum gradum lineae rectae inclusive.

[14] C. S. Poenitentiariae Ap. Instructio 25 martii 1944: *A.A.S.*, 36, 1944, p. 155.

[15] *Leges Operis Apostolatus Maris,* auctoritate Pii XII conditae, 21 nov. 1957: *A.A.S.*, 50, 1958, p. 375, n. 2.

[16] Cf. nota 15.

APPENDIX SEPTIMA

DE CATECHETICA POPULI CHRISTIANI INSTITUTIONE

PRAECIPUAE NORMAE REFERENDAE IN DIRECTORIUM GENERALE *

1. [*Prooemium*]. Regnum Christi in terris non nisi labore et industria Ecclesiae constabiliri potest, quae operam det hominibus educandis, maxime vero pueris adultisque doctrina christiana instituendis. Ad quem finem bene assequendum non sufficit ut apti et idonei libri catechetici habeantur, sed requiruntur praeterea cum accurata et efficax ordinatio catechistica, tum normae, nostris temporibus congruenter accommodatae, de methodo institutionis catechisticae tradendae.

Plura ad rem peropportune haud multo ante ab Apostolica Sede pro universa Ecclesia praescripta sunt, potissimum a Pio XI, qui Motu proprio *Orbem Catholicum,* die 29 iunii 1923, apud Sacram Congregationem Concilii peculiare Officium instituit, cuius est universam in Ecclesia actionem catecheticam moderari.[1] Quae quidem Sacra Congregatio Concilii, Decreto *Provido sane,* die 12 ianuarii 1935, certas definitasque normas statuit ad institutionem catecheticam pressius ordinandam.[2] Quae ut maiorem vim et effectum sortiantur, haec a Sacrosancta Synodo accuratius determinantur et statuuntur.

I– De methodo institutionis catecheticae tradendae

2. [*Proprius institutionis catecheticae finis*]. Proprius institutionis catecheticae finis est ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva sit et explicita; itemque ut iidem excitentur ad vitam agendam, quae fidei christianae sit consentanea et bonis operibus perficiendis iugiter intenta.

3. [*De methodi necessitate*]. Ad fideles ergo in doctrina christiana fructuose edocendos requiritur ut in tradenda institutione catechetica opportunae serventur normae, quibus finis revera attingi possit ad quem ipsa institutio ordinatur. Pueri enim fidei veritatibus fundamentalibus instituendi sunt, sed oportet praeterea ut ad ea praesertim consideranda et memoriae tradenda alliciantur, quae eos ad amorem Dei moveant. Adolescentes vero gradatim perduci debent ad integram doctrinam christianam clare percipiendam et firmiter amplectendam, ita ut plena cum delibe-

* Hoc Directorium, confectum a Commissione Conciliari de disciplina Cleri et populi christiani, fundamentum praebebit pro Directoriis nationalibus a singulis Episcoporum Conferentiis conficiendis, quae particulares condiciones singularum nationum ac regionum magis respiciant et generalia principia usui practico applicent.

ratione Deo adhaereant eiusque mandata servent omni tempore vitae suae. Institutione adultorum denique catechesis continuari et compleri debet, spectatis praesertim peculiaribus eorum temporis adiunctis.

4. [*Ratio servanda in catechetica institutione*]. In catechetica institutione veritates fidei praedicentur uti Evangelium Regni Dei ad salutem hominum, earumdemque plena cohaerentia ostendatur in Christo Iesu Magistro et Salvatore et Domino.

In christiana igitur doctrina exponenda parochi et catechistae innitantur Sacra Scriptura et Traditione ecclesiastica, prout praesertim in textibus et actione liturgica exprimuntur.

5. [*Unitas vitam inter et catecheticam institutionem*]. In doctrina christiana proponenda a factis revelationis divinae et a rebus visibilibus ad invisibilia procedatur, ut hi qui instituuntur efficaciter inducantur ad orationem, ad participationem Liturgiae, ad receptionem Sacramentorum, ad opera caritatis et apostolatus, riteque perpendant a vita quotidiana fidem nunquam seiungi debere.

6. [*Integra et plena institutio praebenda*]. Ad normas scientiae paedagogicae et artis docendi, in catechetica institutione tradenda, non solius intellectus sed omnium facultatum eorum qui instituuntur ratio habeatur, pro diversa singulorum aetate et ingenio et condicione.

7. [*Parentum obligationes*]. Pueri primis fidei rudimentis a parentibus erudiantur, qui etiam diligenter satagere debent ut illi usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum ad sacram Synaxim accedant.[3] Item, parentes curare tenentur ut filii sui cursus catecheticos studiose et assidue frequentent, qui ipsis sive in paroecia sive in schola destinantur. Ubi vero catechesis paroecialis et scholae catholicae forte deficiant, pueri in doctrina christiana a parentibus plene erudiantur oportet. Communitas paroecialis praeterea catechesim foveat et curet, puerosque ac neophytos et catechumenos omni cum caritate suscipiat et adiuvet.

8. [*Puerorum institutionis methodus*]. § 1. Methodus intuitiva et positiva adhibeatur, qua facilius et fortius puerorum attentio concilietur.

§ 2. Eadem autem institutio festis ac temporibus liturgicis vertente anno aptetur; et facta et verba salutis explicet quae in Sacra Scriptura proferuntur.

§ 3. Per aptas etiam et idoneas exercitationes secundum normas artis docendi, practice et efficaciter adiuventur pueri ut memoriae mandent ea omnia quae necessario omnes scire tenentur.

9. [*Adsistentia Missae et Sacramentorum susceptio*]. Summa cum diligentia studeat parochus vel catechista sacrificii Missae mirabilia Sacramentorumque divitias tam cordi quam rationi adaperire puerorum, ut cum tanti frequentatione mysterii etiam crescat eorum salutis effectus, paschalique mysterio, quod qualibet die dominica pro eis renovatur, non tantum intersint ad vitandam culpam, sed etiam illud toto corde participent.

Sacerdoti celebranti communiter respondere seque cum eo actuose unire addiscant.

10. [*Catechetica adolescentium et iuvenum institutio*]. In catechetica institutione adolescentibus et iuvenibus tradenda:

a) Peculiaria instituta, alia pro maribus alia vero pro feminis, foveantur, quae etiam aptis mediis sint instructa ad eorum animos honeste oblectandos.

b) Diligentissime adnitendum est ut ii singuli veritates fidei et morum penitus percipiant, deliberato actu voluntatis plene illis adhaereant, apte easdem profi-

teantur et etiam strenue simul ac suaviter eas defendere valeant ab acatholicorum aliorumque adversariorum impugnatione.

c) Specialis adhibeatur industria et sollertia ut iidem fortiter in fide firmentur, et eventus vitae quotidianae recte iudicare valeant, moresque suos ita informent ut bonum sive proprium, sive familiae, sive civitatis vere promoveatur.

11. [*Institutio de re sociali*]. « Doctrinae praecepta, quae sunt de rebus socialibus, plerumque per tres hos gradus ad effectum adducuntur: primum quae sit vera rerum condicio circumspicitur; deinde hic rerum status diligenti aestimatione cum praeceptis iisdem confertur; tum demum quid suscipi possit quidve suscipi debeat statuitur, ut normae, quae traditae sunt, pro temporum locorumque habitu, usurpentur. Qui tres procedendi gradus tribus hisce verbis: *aspicere, iudicare, agere,* passim significantur.

Ex quo valde oportere videtur, hunc gerendarum rerum ordinem iuvenes, non tantum cum animo reputent, sed etiam, quoad fieri possit, in re praesenti servent; ne, quae didicerint praecepta, ea opinentur esse dumtaxat mente volvenda, et non opere pariter explicanda ».[4]

12. [*Institutio praematrimonialis*]. Specialis autem institutio accurate tradatur oportet nupturientibus. Omnibus enim pueris et adolescentibus positiva educatio castitatis impertienda est, atque doctrina de sublimitate vocationis ad virginitatem illustranda; [5] sed adolescentiores et iuvenes apte et idonee etiam edoceri debent de « problematibus amoris » quae dicuntur, de modo sese gerendi tempore sponsalium, de iis quae attinent ad familiam legitime constituendam, de iuribus et officiis coniugum, de christiana filiorum educatione. Quibus de rebus nupturientes per plures saltem hebdomadas rite instituantur oportet a sacerdote, necnon a medico qui spiritu vere christiano sit imbutus, secundum normas a loci Ordinario statutas.

Pro certo habeat pastor aptissimum illud esse tempus, quo cor simul ac gratia in idem tendunt, ad pleniorem de Dei amore et de vita christiana sermonem habendum.

13. [*Institutio catechetica adultorum*]. Nullimode unquam catechetica institutio adultorum neglegatur, eorum praesertim qui, etsi ab infantili aetate baptizati, nullam vel fere nullam in doctrina christiana institutionem receperunt.

14. [*Institutio pro diversis fidelium coetibus*]. In peculiaribus coetibus fideles coadunati, pro diversa eorum condicione specialem habeant institutionem in doctrina christiana, ut de propriis singulorum officiis apprime recte eruditi, testes revera esse possint Christi Iesu, cum in vita personali et domestica, tum in vita professionali et sociali.

15. [*Catechumenatus*]. Institutum quoddam, ad instar catechumenatus, erigatur ut ii, qui ad Ecclesiam Catholicam convertuntur, de veritatibus fidei et morum congruenter erudiantur ita ut vitam vere christianam degere possint, et plenam cum ceteris fidelibus unionem habeant.

Enixe quoque commendatur ut iuvenum, qui in materialismo atheo fuerunt educati, christiana institutio ac spiritualis cura, quantum fieri potest, sacerdotibus idoneis committatur, qui sint eiusdem eorum nationis eorumque mentem, linguam moresque bene cognoscant. Praeterea optandum est ut illis praesto sint, magna cum caritate et sollertia, iuvenes actionis catholicae et sodales Institutorum Saecularium, quorum proprius finis specialis sit christiane eos instituere qui catholice educati non fuerint.

16. [*Ubi desunt sacerdotes*]. Curent parochi, ubi id peculiariter requiri vi-

deatur, ut fideles apte formentur ad opportuna media adhibenda, quibus, etiam deficiente sacerdote, nutriantur in fide, et cultum Deo, per congruas orationis formulas, communiter exhibeant.

17. [*Directoria de catechesi*]. In singulis Conferentiis Episcoporum Directorium de catechesi conficiatur, iuxta normas in hoc communi Directorio contentas.

18. [*Materia in Directoriis continenda*]. In his Directoriis catecheticis conficiendis, praeter alia:

a) Formulae enuntientur veritatum fundamentalium fidei et doctrinae moralis, et quidem iisdem vel fere iisdem verbis quibus ipsae per saeculorum decursum exprimi solent.[6] Formulae quoque recolantur precum, quas oportet ut omnes memoria integre teneant.[7]

b) Normae praefiniantur quae in catechismis conficiendis servari debent quod attinet ad finem in catechesi persequendum et ad praecipua doctrinae capita exponenda.

c) Peculiares notiones referantur, pro fidelibus latini ritus, de singulorum rituum orientalium Hierarchia, disciplina, liturgia, traditionibus ecclesiasticis; ac vicissim pro fidelibus rituum Orientalium, ut mutua Orientis et Occidentis cognitio melius promoveatur magisque Ecclesiae unitas in varietate et varietas in unitate elucescat.

19. [*Programmata*]. Expedit etiam ut in singulis provinciis ecclesiasticis in catechetica institutione tradenda eadem serventur programmata quae pro diversa fidelium aetate et condicione iisdem in Conferentiis Episcoporum praefiniuntur.

Idipsum prorsus in singulis saltem dioecesibus integre ac fideliter servetur.

II – De catechismo et de libris catecheticis

20. [*Libri catechetici*]. Catechetica institutio viva voce tradita principatum tenet, quia « fides ex auditu »; [8] oportet autem ut etiam libri catechetici adhibeantur, in quibus facta historiae salutis proponuntur, doctrina catholica exponitur, textus clari et breves exhibentur qui in memoria sunt infigendi, ut fideles ad vitam christianam rite informentur.

21. [*Librorum catechismi multiplicatio vitanda*]. Minime expedire videtur unicus catechismus in Ecclesia universali adhibendus, quia nimis diversae sunt condiciones cultus atque humanitatis plurium nationum seu populorum; insuper autem patet omnino, doctrinam christianam alio vel alio modo proponi et explicari debere sive fidelibus, quorum maiores ab antiquitus religioni catholicae adhaeserunt, sive neophytis, qui a parentibus acatholicis progeniti sunt, sive haereticis vel schismaticis vel paganis qui tamquam catechumeni instituuntur ut in Ecclesiam Catholicam ingrediantur. Sed neque expedire videtur ut in singulis dioecesibus proprius habeatur catechismus, quia difficillimum est ut ubique revera apte perfecteque conficiatur, et praeterea puerorum praesertim institutio haud leve damnum saepius pateretur ex catechismorum varietate, cum frequentius contingere soleat ut familiae alio se transferant.[9]

22. [*Directorium catechisticum et Catechismi*]. Curabunt Episcopi in Conferentiis Nationalibus ut, secundum normas in proprio Directorio Catechistico enuntiatas, unicus seu communis Catechismus pro tota natione conficiatur, vel saltem pro alia aut alia nationis regione, si peculiaria locorum et personarum adiuncta id expostulent.

23. [*Catechismi forma*]. In catechismo, non negativo seu polemico modo doctrina christiana exponatur, sed ad modum simplicis ostensionis et explicationis veritatis in praedicatione Christi et Apostolorum comprehensae et in deposito fidei Ecclesiae concredito. Praecipui tamen errores efficaciter refellantur, qui contra fidem et Ecclesiam Catholicam divulgari solent.

24. [*Catechismi materia*]. In catechismo, facta et verba ex Sacra Scriptura referantur et nexus cum Liturgia intime servetur, ut vita christiana efficacius foveatur.

Item expresse declaretur officium quo fideles omnes tenentur congruum apostolatum exercendi, ut bonum spirituale proximorum promoveatur.[10]

25. [*Catechismi momentum*]. Catechismus, ordine systematico confectus et speciali auctoritate ordinarii magisterii ecclesiastici praeditus, tamquam praecipuus, post Sacram Scripturam, haberi debet omnium librorum, qui pro catechesi adhibentur.

26. [*Peculiares libri catechetici*]. Peculiares pro diversis auditorum condicionibus libri catechetici conficiantur, pro pueris scilicet, pro adolescentibus qui vel studiis incumbunt vel in operibus exercendis occupantur, pro his qui ad matrimonium contrahendum praeparantur. Item, peculiares libri catechetici adhibendi sunt ad aptam et congruam institutionem impertiendam iis, qui in Ecclesia Christi excipi cupiunt.

27. [*Normae de libris catecheticis*]. In libris iis conscribendis, normae didacticae et psychologicae serventur pro diversa aetate et pro peculiaribus condicionibus eorum quibus iidem destinantur; item ratio artis typographicae diligenter habeatur; imagines pariter addantur, aptissime selectae, quibus decet omnino ut sint instructi.

28. [*Librorum catecheticorum commentaria*]. Cuiuslibet libri, qui ab Ordinario loci sit probatus ut ad tradendam catecheticam institutionem adhibeatur, peculiare commentarium typis etiam edatur, quo facilius et melius catechistae munere suo fungi valeant.

29. [*Sacrorum Librorum usus*]. Singuli fideles inde ab adolescentia ad manus habeant libros in quibus vel capita selecta Sacrorum Librorum perlegant, vel, crescente aetate, integrum Novum Testamentum, adnotationibus rite instructum ad eorum captum accommodatis.

30. [*Libri ad pietatem fovendam*]. In qualibet natione libri populares habeantur, a Conferentiis Episcoporum probati, quibus fideles utantur sive ad orandum et canendum in actuosa participatione Liturgiae ac piorum exercitiorum, sive in receptione Sacramentorum, ut vita spiritualis foveatur cum singulorum fidelium tum etiam familiarum aliarumque communitatum.

III – De institutionis catecheticae coordinatione

A) *De Officiis constituendis quorum sit institutionem catecheticam moderari*

31. [*Officia vel Commissiones pro catechetica institutione promovenda*]. § 1. Ad institutionem catecheticam moderandam, rite promovendam sapienterque coordinandam, Officia vel Commissiones constituantur quae regulas statuant, consilia dent, executionique invigilent.

§ 2. Sicut pro universa Ecclesia institutum est Pontificium Officium Catechisticum,[11] congruo membrorum et consultorum numero instructum, ita in qualibet natione vel regione a propriis Conferentiis Episcoporum similiter Commissio nationalis vel regionalis constituatur, cui adnexum sit Centrum seu Officium catechisticum Nationale vel Regionale.

32. [*Officium Catechisticum Dioecesanum*]. Quaelibet etiam dioecesis proprium suum Officium Catechisticum Dioecesanum rite instructum habeat, cuius sit, praeside Episcopo, totam actionem catechisticam in dioecesi moderari.

Huius Officii moderator sit sacerdos ab Episcopo designatus, in methodologia catechetica perfecte planeque eruditus, prudentia item ac zelo apostolico vere probatus.[12] Eidem autem operis socios pro necessitate dabit Ordinarius, ex presbyteris, religiosis et laicis de re catechetica vere peritis.

33. [*Officii Catechistici competentia*]. Ad Officii Catechistici Dioecesani moderatorem, sub Episcopi auctoritate, pertinet:

a) Institutionem catecheticam pro pueris, pro adolescentibus et pro adultis in tota dioecesi ordinare et connectere simulque curare ut catechesis apte cum ceteris apostolatus mediis componatur, quibus animarum cura exercetur.

b) Prospicere ut religionis magistri et catechistae rite formentur; urgere ut religiosi, « qui in scholis primariis publicis aut privatis doctrinam christianam pueris ac puellis explanaturi sint, tum in ipsa catechesi tum in ratione eam pueris proponendi ita instituantur, ut examen coram Ordinario vel iudicibus ab eodem delegatis sustinere valeant »; [13] invigilare ut parentes apte praeparentur ad filios catechetica institutione, pro suo officio, erudiendos, itemque ut plena atque integra sit catechumenorum institutio religiosa eademque uberius ac perfectius post receptum baptisma producatur.

34. [*Normae servandae*]. Per Officium Catechisticum Dioecesanum normae tradantur oportet ut parentes fructuose et efficaciter filios doctrinam christianam doceant; ut ad pueros catechizandos inquirant piarum associationum sodales; ut omnes in paroecia sint benignissimi erga catechumenos et neophytos; ut, pro necessitate, operam adhibeant clericorum, religiosorum et laicorum ad institutionem catecheticam tradendam; ut scholae catecheticae paroeciales foveantur et munere suo rite fungantur; ut singuli fidelium ordines accurate doctrina christiana imbuantur; ut paroecia quotannis opportune de impensis prospiciat quae fieri debent pro operibus catechisticis; itemque ut privati etiam fideles pecuniam munifice conferant ad eiusmodi sumptus faciendos; ut in qualibet paroecia, in qua alio modo non sit sufficienter provisum, instituatur Sodalitium doctrinae christianae — quod alio titulo in diversis locis donari potest — ut, ipso parocho praeside et moderatore, vel aliquo sacerdote a parocho designato, facilius ac melius omnibus rebus consulatur, quae necessariae sint ad institutionem catecheticam fidelibus rite ac fructuose tradendam.

Singuli parochi fideliter ac integre servent normas ab Ordinario statutas per Officium Catechisticum Dioecesanum.

B) *De magistris religionis et catechistis formandis*

35. [*Praelectiones de theologia pastorali*]. Ut sacerdotes utriusque cleri plene ac perfecte praeparentur ad institutionem catecheticam rite tradendam, diligentissime serventur praescripta circa lectiones de theologia pastorali in ordinario cur-

riculo studiorum habendas, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum.

36. [*Scholae pro catechistis*]. A Conferentiis Episcoporum condantur instituta superiora nationalia necnon interdioecesanae catechistarum scholae, ut clerici et religiosi et laici apte et idonee praeparentur, qui sive optimi magistri religionis seu catechistarum institutores esse possint, sive Officia Catechistica bene moderari valeant.[14]

37. [*Catechistae ex officio*]. Commendatur ut formentur, si fieri potest, catechistae ex officio, qui scilicet peculiariter destinentur ad munus catechizandi. Propria eorum iura et officia ab Ordinario loci accurate in peculiari statuto definiantur.

38. [*Magistri religionis et catechistae*]. § 1. Magna cum sollertia et industria Episcopi curent et parochi ut parentur magistri religionis et catechistae qui doctrina dogmatica et morali plenius sint edocti.

§ 2. Eamdem sollicitudinem habeant respectu parentum, necnon laicorum actioni catholicae vel piis associationibus deditorum, qui erga pueros vel adultos simili officio persaepe funguntur.

39. [*Congressus catechistici celebrandi*]. Peculiares conventus seu congressus dioecesani vel interdioecesani saepius agantur, ut clerici et religiosi et laici semper magis idonei efficiantur ad doctrinam christianam fructuose tradendam.

NOTAE

1 *A.A.S.*, 15, 1923, pp. 327-28.

2 *A.A.S.*, 27, 1935, pp. 145-154.

3 Cf. CIC cann. 854, § 5 et 859, § 1.

4 Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53, 1961, p. 456.

5 Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.*, 46, 1954, p. 161.

6 Huiusmodi formulae spectabunt praesertim ad:

a) Praecipua fidei mysteria, nempe: 1) Unitatem et Trinitatem Dei, 2) Incarnationem, Passionem, mortem et Resurrectionem Domini Nostri Iesu Christi. Pariter ad Creationem et originem atque finem hominis; Revelationem; Ecclesiam; gratiam sanctificantem; septem Sacramenta; Deiparam Virginem Mariam. Formulae ex integro recipi debent in Catechismis edendis, etsi hi explanationem formularum peculiari indoli personarum ad quas diriguntur accommodent;

b) Decalogi et Ecclesiae praecepta; septem opera misericordiae corporalis et septem opera misericordiae spiritualis; virtutes theologales et cardinales; septem dona Spiritus Sancti; septem vitia capitalia.

7 Hae preces sunt praecipue: Signum Crucis; Pater noster, seu Oratio dominica; Ave Maria, seu Angelica Salutatio; Credo, seu Symbolum Apostolorum; Salve Regina; Confiteor; Angelus Domini; actus fidei, spei, caritatis et doloris seu contritionis.

8 *Rom.* 10, 17.

9 Omnium consensu probatus et exceptus fuit Catechismus Romanus, qui ex decreto Concilii Tridentini confectus et auctoritate S. Pii V vulgatus, puram ac integram doctrinam complectebatur, qua fideles informari oportebat; sed subsequentibus temporibus alii et alii catechismi editi sunt sicque contigit ut fere sublata sit consensio in ratione exponendi fidelibus doctrinam christianam et haud paucis videatur non ubique christifideles omnes prorsus easdem veritates profiteri.

10 Exponantur etiam officia socialia et civica fidelium, ita ut ipsi, intra limites quidem libertatis, quos Ecclesiae dogma et moralis theologia statuunt, semper agere sciant

ut boni cives et boni filii Ecclesiae, atque propugnent ac componant bonum animarum quod Ecclesia persequitur et bonum commune quod Status contendit.

[11] Cf. Pius XI, Motu proprio *Orbem Catholicum,* 29 iun. 1923: *A.A.S.*, 15, 1923, p. 327.

[12] Officii Catechistici Dioecesani moderator ab officiis oneribusque vacare debet, quae impedire possint quominus munus suum fructuose explere valeat. Eidem autem operis socios pro necessitate dabit Ordinarius, cuius est etiam curare ut omnia comparentur, quae ad institutionem catecheticam in tota dioecesi rite tradendam requiruntur.

[13] S. C. de Religiosis, *Instructio,* 25 nov. 1929: *A.A.S.*, 22, 1930, p. 29 n. 2.

[14] Cf. CIC can. 1365, § 3; Pius XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1949: *A.A.S.*, 41, 1949, pp. 165-66; S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, *Instructio,* 21 dec. 1944: *A.A.S.*, 37, 1945, p. 173; S. C. de Religiosis, *Statuta Generalia* adnexa Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, art. 48, § 1.

II

ANIMADVERSIONES
QUOAD SCHEMA DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE

INTER PRIMAM ET SECUNDAM CONCILII PERIODUM A PATRIBUS SCRIPTO EXHIBITAE

1

EM.MUS P. D. PAULUS CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Laudabiliter hoc schema cum maiori latitudine tractat *de facultatibus episcoporum,* speciatim in nn. 2 et 3 et *de cooptatione aliquorum episcoporum pro Ss. Congregationibus* in n. 5.

Perutiles videntur praecisiones in cap. II de *coadiutoribus* et *auxiliariis.*

Prudens est *non urgendi quoad renuntiationem episcoporum residentialium* (n. 16). Pendet evidenter non ab annis, sed a valetudine et ab aliis circumstantiis. Sed opportune statuit par. 2 in casu renuntiationis.

Cap. III optime agnoscit *conferentias episcopales.* Sed optandum valde est ut recursus ad Sanctam Sedem non sit necessarius, in quibusdam casibus, v. g.:

1. quando agitur de organizatione practica et competentia operum apostolicorum et Actionis Catholicae;

2. quando agitur de approbatione textuum liturgicorum in vulgari lingua per aliquam episcopalem commissionem, quorum membra sint simpliciter a Sancta Sede probata;

3. quando agitur de tempore scholaritatis et de programmatis vitae et studiorum in seminariis, saltem in rebus particularibus et intra limites a Sancta Sede determinatas. Nam apparet evidenter contra leges psychologiae et paedagogiae uniformiter statuere pro omnibus regionibus, in quibus cultura, temperamentum, traditiones tam diversi modo sese praebent.

Cap. IV et cap. V optima sunt de *congruenti circumscriptione dioecesium* ac provinciarum ecclesiasticarum et *paroeciarum,* sed cur obligatio audiendi capituli cathedralis, cuius membra manent extra functiones paroeciales et non praebent in hac causa utilem competentiam?

Peropportunae etiamque urgentes sunt *facultates concessae episcopis* in Appendice I.

Attamen, quoad n. 2, optandum est ut sint omnes, sine discriminatione, concessae facultates de quibus gaudent superiores religiosi, et etiam in materia pecuniaria.

Quoad n. 10, facultas dimittendi sodales religiosos e sua dioecesi, urgente causa simpliciter gravi, videtur opportuna.

Quoad n. 19, non apparet necessaria sacerdotis vel diaconi adsistentia pro sacerdotibus simplici debilitate oculorum laborantibus, si celebrent tantummodo Missam votivam Deiparae Virginis aut Missam defunctorum.

Pro erectione Stationum Viae Crucis, necessario est definire ut sacerdotes, ab Ordinariis talem facultatem habentes, non obligantur recurrere ad Patres Franciscanos pro ullo ritu vel ulla subscriptione.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMAR CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

I would prefer to see a greater treatment of the nature of the episcopate given in this schemata, in which the position of the Auxiliary Bishop is treated from a purely juridical viewpoint. Some indication of the theology of the episcopate belongs in this draft.

Although there are indications of a more modern and realistic approach to the relationship between the Bishop and the Roman Curia, there is no indication that a re-ordination of the Roman Curia itself has been considered. Although this may be a subject which more properly belongs to the revision of Canon Law, I believe it should be discussed in the Council and to this end, I am submitting the recommendations I have already made to the Code Commission.

I would agree that all taxes assessed by the Roman Curia be abolished and that the expense of the Curia be borne by an annual assessment on every Diocese, Religious, Congregation and Order.

I believe that an indication of the relationship between the Bishop and his Clergy, both Diocesan and Religious, belongs in this schemata.

De Curia Romana. Codex a can. 242 usque ad can. 264 inclusum reconsiderandus est. Curia Romana ipsa renovanda est; secundum Concilii Vaticani II Patrum sententiam aspectus eiusdem curiae aedificans positivusque clarior splendere debet. In singulis, diversae curiae congregationes « secretariatus » appellandae sunt ut earum ratio quae non est regere sed coordinare atque persequi evidentior fiat. Munera multarum partium coniungenda sunt, opere curiae totius coordinato. De competentia multis in rebus controversia. Opus Ecclesiae renovatione huius commissionis plena promoveri potest. Proposita sequentia ut curia renovetur submittuntur.

Secretariatus ad Ecclesiis serviendum. Hoc consilium negotia congregationum ad quas varii regendae Ecclesiae aspectus nunc spectant ad coordinandum servire possit. Ad uniendum: *a*) Congregationem Consistorialem; *b*) Congregationem de Propaganda Fide; *c*) Congregationem pro Ecclesia Orientali.

Secretariatus pro vita liturgica. Haec commissio amplificationem vitae liturgicae tota in Ecclesia prosequi possit. Ad uniendum: *a*) Congregationem Sacrorum Rituum; *b*) Congregationem de Disciplina Sacramentorum; *c*) Sacram Poenitentiariam; *d*) Congregationem pro Ecclesia Orientali quoad aspectum liturgicum.

Praeterea, infra hunc secretariatum pars specialis pro arte sacra, architectura atque musica erigatur.

Secretariatus pro Sacrae Doctrinae consulendo. Hic secretariatus officii studii atque progressus Sacrae Doctrinae promovendi fungatur. Ad uniendum: *a*) Congregationem Sancti Officii; *b*) Congregationem de Seminariis et Universitatibus; *c*) Commissionem Biblicam; *d*) Congregationem Concilii (partem catecheticam).

Incorporatio Congregationis S. Officii in talem secretariatum novam rationem aedificantem atque positivam isti commissioni adhuc magna cum suspicione metuque

infeliciter consideratae designet. Aspectus S. Officii et aliarum curiae partium qui negativi videantur eliminandi sunt. Novus finis positivus in omnibus christianae doctrinae rebus stabiliendus et explendus est.

Secretariatus de vitae christianae statibus. Hic secretariatus propositus in tota Ecclesia adornanda et progressu eiusdem nutriendo magnopere adiuvare possit. In singulis partibus quae laicis, religiosis et clericis consulant constare debet. Ad uniendum: *a*) Congregationem Concilii (quoad disciplinam clericorum, etc.); *b*) Congregationem negotiis religiosorum sodalium praepositam; *c*) Congregationem negotiis laicorum praepositam (erigendam).

Secretariatus pro unitate christianorum. *a*) Secretariatus iam constitutus; *b*) Negotia de acatholicis adhuc infra S. Officii competentiam; *c*) Commissio Pontificalis pro Russia.

Supremum Ecclesiae tribunal. Proponitur ut unicum totius Ecclesiae tribunal cui de omnibus rebus disputatis competat constituatur. Ad uniendum: *a*) Signaturam Apostolicam; *b*) Sacram Rotam Romanam; *c*) Sectionem iudicialem: 1. S. Officii; 2. Congregationis de Sacramentis; 3. Congregationis de Religiosis, Cong. Concilii; 4. Poenitentiariae; 5. Congregationis pro Ecclesia Orientali.

Congressus Ecclesiarum. Congressus Ecclesiarum proponitur ut negotia omnium secretariatuum vel curiae romanae sectionum coordinentur et res ab Ecclesia in omnibus orbis terrarum regionibus gestae dirigantur.

Congressus duabus cameris componendus est. Prima camera, pars permanens curiae, secretarios secretariatuum curiae omnium et capita variarum sectionum infra illos Secretariatus singula includat. Munus sit huius camerae omnia negotia omnium curiae secretariatuum coordinare. Huic camerae ordine constanti conveniendum est.

Altera Congressus Ecclesiarum camera legatos a conferentiis episcoporum regionalibus ex omni parte mundi electos includat.

Hae duae camerae quinquennio vel ad mentem Summi Pontificis conveniant ad renovationem Ecclesiae secundum Concilii Vaticani II spiritum producendam; ad conferentias episcoporum regionales apud sedem principalem repraesentandas; ad Ecclesiae ubique in mundo negotia coordinanda.

Illas curiae romanae sectiones quae ad Summum Pontificem pertinent ipse disponat.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Sperandum est omnes Patres animadversiones de quaestionibus, quae in Appendicibus proponuntur, tempestive secretario generali Concilii tradere. Fortasse, statuendum sit tempus intra quod vota sua patefacere debebunt.

Principia hoc in schemate proposita bene provideant aptiori, expeditiori et fructuosiori episcopalis muneris exercitio.

Unum, tantum, additamentum opportunum esse videtur:

Ad pag. 25 sub n. 36: placet quod episcopus auctoritate propria paroecias personales erigere valet. Sed episcopus etiam debet habere ius supprimendi vel mutandi in paroecias territoriales paroecias personales iis in locis ubi olim plures fideles diversi sermonis aut nationalitatis stabiliter commorati sunt sed nunc fere omnes fideles sunt eiusdem sermonis et nationalitatis. Saepe accidit in Civitatibus

Foederatis Americae Septemtrionalis et in aliis nationibus ad quas plures immigrantes venerunt quod filii immigrantium facti sunt cives novae patriae, loquentes eandem linguam ac alii cives illius nationis. His in casibus, paroeciae personales non sunt necessariae nec utiles.

4

EXC.MUS P. D. IOANNES AHERN

Episcopus Cloynensis

N. 22, pag. 16, lin. 4. Omittantur verba « et ad effectum deducantur ».

Ratio est, quia verba « decisiones... debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur et ad effectum deducantur », si iuxta ordinaria principia interpretationis intelliguntur, obligationem videntur imponere, tum in conscientia tum iuridicam, unicuique episcopo quaslibet conferentiae decisiones semper et sine ulla exceptione ad effectum deducendi. Sed e n. 23 clare eruitur res ita non esse, nam ex n. 23 licitum est cuilibet episcopo ob graves rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere, dummodo antea scripto certiorem faciat conferentiam per ipsius praesidem de suis agendi rationibus. Praeterea, infra in n. 24, obligatio iuridica ad effectum deducendi decisiones conferentiae restringitur ad quattuor casus ibidem taxativae enumeratos. Itaque tum unitati fovendae tum bono communi in universa natione promovendo satis consulitur per verba in n. 22 « decisiones prolatae ab episcopis, in conferentia nationali legitime coadunatis, debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur » et per praescripta n. 24 quoad quattuor casus inibi enumeratos.

5

REV.MUS P. D. IACOBUS ALBERIONE

Superior generalis S.S.P.

Secundum Ecclesiae leges: imprimis religiosi tenentur ad vitam religiosam et ad apostolatum proprium, a Sancta Sede approbatum. Deinde, si tempus et facultas sint, ad apostolatum dioecesis; secus periculum evenire potest habendi religiosos qui vitae religiosae valedicunt et proprium commodum tantum quaerunt, sine ullo emolumento neque pro dioecesibus, neque pro Institutis religiosis.

Mihi videtur quod episcopi considerant religiosos solum relate ad apostolatum externum. Sed « nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam ».

6

EXC.MUS P. D. CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus et Pientinus

Gaudente animo omnia salutat quae in schemate inveniuntur. Votum suum humiliter exprimere audet, ut quae inveniuntur in duobus appendicibus in praxi deducantur antequam novum exaretur Codex.

7

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pag. 6, n. 2, lin. 4, dicitur: « salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae ». Optandum est habere paritatem inter episcopos orientales et latinos, quoad facultates; aut saltem determinanda sunt iura et privilegia Ecclesiae orientalis, ut locus non detur arbitrariis agendi modis, hac in re.

Pag. 7, n. 5, opportunius diceretur, loco « a conferentia episcopali nationali designandi », « audita conferentia episcopali nationali ».

Pag. 11, n. 15, § 2: melius est talem optionem non exprimere, quia casu quo « aliud graves rationes suadeant », exclusio Auxiliaris odiosa esset ipsi, quia revelaret, ipso facto, rationes graves (aliquando ex parte ipsius auxiliaris) existere pro hac exclusione.

Pag. 11, n. 16, § 1: raro accidit ut episcopi, in permanenti valetudinis defectu vel in aetate ingravescente, seipsos convincere possint de necessitate sponte renuntiandi ab officio.

Pag. 16, n. 23, lin. 10: si conferentia rationes agendi sufficientes non invenit, quid faciendum?

Pag. 32, n. 16: cum nullus fiat casus de his impedimentis minoris gradus a nupturientibus, cumque semper dispensatio dari debeat, cur non supprimere talia impedimenta?

Pag. 35, n. 28: in re tam gravi, qualis est reductio Missarum, maior securitas haberetur, si reductio reservatur Sedi Apostolicae.

8

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere. 1. Hoc schema decreti normaliter consequitur schema praeclarissimum constitutionis dogmaticae cui titulus *de Ecclesia,* pars I, cap. II *de episcopatu.* Expectaretur consequenter ut ad praxim reducat, in ambitu legislationis, principia instaurata in supradicta constitutione — ut ceteroquin nota 3 sub pag. 7-8 posita indicare videtur, necnon sub pag. 14, n. 17, linn. 1-3 invenitur. Prout enuntiatur schema, non intelligitur sub quo respectu concipere velit muneris episcopalis perfunctionem in concreto, et speciatim, cur incipiat tractando de relationibus inter episcopos et curiam romanam, etc.

2. His perpensis, propono mutationes, quoad hos respectus praesentationis, quae implicite requirunt modificationes titulorum in capitibus et suis partibus, substitutionesque quasdam terminorum et consociationum verborum. Ita melius appareret ligamen vigens inter gubernandi potestatem et episcopalem consecrationem, necnon et inter exercitium huius potestatis et institutionem canonicam, quae est conditio sine qua non plenae efficacitatis potestatis et unitatis in regimine Ecclesiae.

3. Id explanat cur substituam verbis « habeant seu concedantur facultates » verba « polleant potestatibus »; etenim, in contextu hic et nunc adhibito, verba priora usitata connotant delegationem potestatum, cum vero posteriora connotent

exercitium potestatum, ex ipsa consecratione episcopali possessarum, quibus Summus Pontifex proprium liberumque cursum obtinere sinit aut restringit, secundum exigentias temporum et conditionum, ad bonum animarum.

4. Ob eamdem causam substituo verbis « *Romanus* Pontifex » et « *romanae curiae* », verba « *Summus* Pontifex » et « *Apostolicae Sedis curia* », nam non ideo Papa est dux supremus Ecclesiae quod est episcopus Romae, sed in quantum est successor Petri.

5. Ex alia parte, schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* profert episcopum tamquam pollentem, consecratione sua, munere animarum et grege. Deceret igitur efficere radicitus mutationem in praxi iuridica hodierna, talem ut radices sumat in traditione et rationem habeat temporis praesentis. Haec mutatio consisteret in hoc quod omnis episcopus, nominatus a Papa aut aliter iuxta disciplinas varias in usu aut instaurandas, munus acciperet gregis curandae tanquam *episcopus* aut *chorepiscopus* prout primum aut secundum locum obtinet. Nulli iam remanerent episcopi « residentiales » nec « titulares » i. e. *nullo grege* sibi concredito. Unicuique dioecesi assignaretur numerus episcoporum quem exigeret munus animarum aut bonum fidelium. Unus simpliciter appellaretur « episcopus praeses » talis loci, ceteri, « episcopi coadiutores aut auxiliarii » *eiusdem sedis.* Ita reditus fieret ad disciplinam chorepiscoporum quae passim iam viguit in Ecclesia, sive occidentali, sive orientali, a saec. II ad XIII, sed nunc cum significatione pleniore quae melius correspondeat conceptui proprio pastorum et gregum suarum, prout definitius intelligitur tempore nostro. Ideoque in textu schematis adhibenda videtur designatio « praeses » loco « residentialis ».

6. Semper quoque verus episcopus praeficiendus esset gregi quae non est neque adhuc dioecesim proprie dictam constituit, v. g. abbatia « nullius » aut praefectura apostolica. Consequenter abbas aut praefectus efficiatur episcopus, aut abbatia seu praefectura dioecesi iam constitutae uniatur, tamquam archidiaconatus aut vicariatus foraneus sub mediato regimine ipsius episcopi praesidis.

7. Haec est ordinatio et rubricae titulorum et rerum qui orirentur ex supradictis animadversionibus, solis ibi rebus indicatis quae modificationem acceperunt:

Caput I - De munere regendi episcoporum.

I - *De exercitio potestatum cuiuslibet episcopi.*

3. [Principium fundamentale]. § 1. [De potestatibus episcopi praesidis]. § 2. [De potestatibus episcopi coadiutoris aut auxiliaris].

II - *De rationibus inter episcopos et Apostolicam Sedem.*

4. [Principium fundamentale]. § 1. [De Papa et de episcopis]. § 2. [De muniis Summi Pontificis]. § 3. [De Consilio Apostolico constituendo].

5. [Apostolicae Sedis dicasteria].

Caput II - De episcoporum praesidium coadiutoribus et auxiliaribus.

8. [Potestates coadiutoris aut auxiliaris].

12. [Potestates speciales auxiliaris].

[*Introductio*].

Pag. 5, n. 1, linn. 10-11. Legatur ut sequens: « ... sicque eorum regiminis potestas missioni suae pressius cohaeratur, proindeque roboretur oportet... ». *Ratio*: hic modus loquendi aptius significat exercitium gubernationis radicitus effluere ex munere episcopali, formasque dicendi pugnaces commode arcet, ut « asseratur », « vindicetur ».

Caput I - De rationibus inter episcopos et Sacras romanae curiae Congregationes.

Pag. 6. Huic titulo substituere decet sequentem: *De episcoporum munere regendi. Ratio*: antequam tractetur de relationibus inter episcopos et Sedem Apostolicam, convenit in situ definire iura et potestatem episcopi in quantum constituitur iure divino pastor Ecclesiae.

Pag. 6, n. 2 [Prooemium]. Ut totum caput coordinatione cum sequentibus gaudeat, substituere decet textui praesenti considerationes breves: 1. de natura potestatis quam Christus apostolis commisit, iuxta indicationes traditionis apostolicae (cf. Evangelia, Actus, Epistulas); 2. de modo quo successores apostolorum has potestates exercuerunt in Ecclesia universali, cum orientali, tum occidentali usque ad saec. XII, si non ultra; 3. de exercitio harum potestatum in lumine axiomatis « animarum salus, lex suprema » et exigentiarum temporis hodierni; 4. de modo proprio orientalibus concipiendi exercitium suae potestatis: non agitur de privilegiis, sed de traditionibus.

Pag. 6, I. *De episcoporum facultatibus.* Huic titulo sequentem substituere decet: *De cuiuslibet episcopi potestatibus. Ratio*: decet, antequam tractetur de potestatibus alicuius categoriae episcoporum, declarare eas quibus in communi polleant prout potestatibus propriis, et deinde tantum potestates peculiares unicuique categoriae.

Pag. 6, n. 3, lin. 14: « § 1. [Omnium episcoporum potestates]. Quisque episcopus, qua in collegio episcopali cooptatus, gaudere habitualiter debet exercitio omnium potestatum ordini episcopali (sive successoribus apostolorum) propriarum, in finibus tamen muneris quo fungitur in Ecclesia ».

« § 2. [De episcopi praesidis potestatibus]. Insuper episcopus praeses (olim residentialis vocatus) ordinariam ac immediatam potestatem in sua dioecesi aut eparchia exercet, sub primatu iurisdictionali Summi Pontificis ad normam iuris communis explendam.

Item, potestate propria, potest suos subditos a legibus generalibus dispensare in casibus particularibus, praesertim in eis quae ad curam animarum spectant, dummodo specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel patriarchae orientali vel alteri auctoritati facta non fuerit. Item reservatio haec fieri potest ab ipso patriarcha orientali vel alia auctoritate competenti ».

« § 3. [De episcopi coadiutoris aut auxiliaris potestatibus]. Episcopo coadiutori aut auxiliari competit exercitium potestatis tam magisterii quam ministerii iuxta normas iuris communis, necnon, sub auctoritate episcopi praesidis ad normam iuris, exercitium potestatis regiminis ».

Pag. 7, II. *De praxi Sacrarum Congregationum relate ad episcopos.* Substituere oportet huic titulo, titulum sequentem: *De relationibus inter episcopos et Apostolicam Sedem.*

Pag. 7, n. 4. [Principium fundamentale] modificandum videtur ita: « § 1. [Principium fundamentale]. Ad explendam missionem suam pastorum in variis Ecclesiae universalis partibus, episcopi inveniunt in Summo Pontifice, prout successore Petri, auctoritatem summam quae, una cum plenitudine trium potestatum: legislativae, executivae et iudiciariae, secure confert unitatem gubernationis toti Ecclesiae. Consequenter Summus Pontifex quasi caput relate ad membra cum episcopis totius orbis terrarum agit ut principium et effector unitatis, nec eis se substituit aliter nisi titulo subsidiaritatis ». *Rationes:* 1) Consequenter « quaestiones

minoris momenti, necnon negotia quae unam tantum nationem attingunt, episcopis relinquantur sive singulis sive in nationalem conferentiam coadunatis » (pag. 37, n. 1, linn. 5-8). 2) Hoc tantum modo perveniri poterit ad rationem gubernandi absque nimia auctoritatis congestione in manibus paucorum (décentralisation), ita ut regimen totius ecclesiae sit compatibile cum natura Ecclesiae universalis ecclesiarumque particularium.

« § 2. [De Summi Pontificis muneris exercitio]. Ad perfungendum munere suo pastoris supremi, Summus Pontifex eget instrumentis quae nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum omnium ecclesiarum et in servitium eorumdem sacrorum pastorum (pag. 7, n. 4, linn. 4-6). Iamvero sacri pastores, ob auctas in regendis dioecesibus difficultates, exoptant ut Apostolicae Sedis instrumenta magis in dies augeant suum, quod praestant, efficax atque multiplex erga episcopos auxilium, qua consilio qua ope » (pag. 7, n. 4, linn. 11-14).

« § 3. [De Consilio Apostolico constituendo]. *a*) Unum constituitur Consilium Apostolicum constans ex Summo Pontifice aliisque Pentarchiae patriarchis, cardinalibus dioecesium Ordinariis, reliquis patriarchis orientalibus, primatibus occidentalibus et aliquibus episcopis a Conferentiis nationalibus episcopalibus designatis, ut signum perfectius efficiatur regiminis collegialis totius Ecclesiae utque commune bonum magis promoveatur. *b*) Huic Consilio Apostolico ius competit in casibus particularibus pro Ecclesia universa legiferandi, peculiaribus officiis vel commissionibus ad adiuvandum institutis, viris etiam peritis undequaque adscitis in studium quaestionum hodierni ministerii pastoralium et problematum urgentiorum in diversis Nationibus vigentium, ita ut Sacris Congregationibus in suum proprium munus ducendi et moderandi adiumento sint. *c*) Hoc Consilium Apostolicum ab ipso Summo Pontifice statis temporibus, ad minus semel in anno, convocaretur ».

Animadversio explicativa. Convenit Papae prae manibus habere instrumentum aptum ad leges ferendas in suo nomine vique suae auctoritatis ad necessitates ordinarias Ecclesiae universalis. Soli autem episcopi, pastores gregum et membra collegii apostolici, consecratione episcopali radicitus constituuntur idonei ad hoc munus exercendum.

« § 4. [Apostolicae Sedis dicasteria]. Altera dicasteria potestatem mere executivam habent, et suum munus secundum normas a Summo Pontifice traditas exercent, altera causas ad Apostolicam Sedem missas vel ab ipsa reservatas iudicant intra tamen limites suae competentiae. Numquam haec dicasteria legem conficere queunt, ne quidem « in obliquo »; sed quotiescumque eis proponitur causa quae exigit exercitium potestatis legislativae, praedicta dicasteria debent eas referre ad Consilium Apostolicum.

Pag. 9, n. 7, linn. 21-22. Substituatur verbo « sedi » verbum « episcopo ». *Ratio:* terminus ad quem missionis episcopi cum coadiutoris tum auxiliarii non est episcopus praeses sed populus huius episcopi, qui, ob causam unam alteramve iam non potest perfecte fungi munere suo episcopali.

Pag. 9, n. 8, § 1. Legatur textus ut sequitur: « Coadiutori, aut auxiliari ea in universa dioecesi seu eparchia potestas regiminis in spiritualibus competit quae, vi suae consecrationis et missionis, iure communi ad eum spectat ».

§ 2. Substituatur textus sequens: « In casibus particularibus, exercitium huius potestatis ampliari vel potestas in temporalibus concedi ab Apostolica Sede, aut a competenti auctoritate pro orientalibus, vel ab episcopo praeside potest ».

§ 3. Legatur: « Episcopus praeses autem habitualiter aliis ne deleget quae coadiutor aut auxiliaris potest et vult per se exercere ».

Pag. 10, n. 12, linn. 30-31. Post verba « eiusdem iura », legatur textus ut sequitur: « officia et potestates definiantur quae necessaria videntur ad munus rite adimplendum ».

Pag. 10, n. 12, linn. 33-35. Post verba « provisum non fuerit », legatur textus ut sequitur: « velit episcopus praeses determinare exercitium potestatum necessariarum et opportunarum auxiliaris quibus ipse non solum in pontificalibus peragendis sed etiam in administranda universa dioecesi officium suum efficaciter explere valeat ».

Pag. 11, n. 16, lin. 32. Incipiatur textus ut sequitur: « Exercitio muneris episcopalis renuntiantibus titulus *episcopus emeritus* eiusdem dioecesis decernetur, et congruens... ».

Pag. 14, n. 18, linn. 19-21. Textui substituatur sequens: « Praeter Concilia plenaria necnon provincialia, quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, stabiliter in unaquaque Ditione constituatur et ab Apostolica Sede recognoscatur nationalis episcoporum conferentia ». *N. B.* In codice reformando supprimatur praescriptum can. 281: « petita tamen venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum ».

Pag. 14, n. 18, § 2. Addendum videtur: « Decet cardinales et primatus esse membra « ex officio » consilii conferentiae, absque tamen iure ad munus praesidis.

Pag. 15, n. 19, lin. 7. Post « coadiutores » addendum videtur « auxiliares ».

Pag. 15, n. 19, § 2. Tota haec paragraphus supprimenda videtur.

Pag. 18, nota 6 (quin immo). Si accidat ut plures extent conferentiae episcopales in eadem natione, praesides conferentiarum consilium nationale coordinationis constituent cuius munus erit efficere ut opus quod bonum totius nationis amplectitur, secundum collaborationem veram intimamque perficiatur.

Caput IV - De dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.

In genere. Magnopere exoptatur ut in novarum dioecesium erectione non amplius obligatio statuatur canonicorum capituli cathedralis erigendi, et ut in codice reformato institutio coetus consultorum dioecesanorum ex communi iure efficiatur, neque consideretur ut creatio ad tempus, i. e. dum capitulum canonicorum cathedrale instauretur (cc. 391, § 1 et 423). Optandum etiam videtur ut episcopi praesides, quibus id placeat, possint cum omni prudentia capitulum suum canonicorum abolere, aut desinere vacantias occurrentes complere, ita ut haec institutio paulatim decidat cum in plurimis dioecesibus absit, neque iam exigentiis hodiernis neque mentibus hominum praesentium correspondeat.

In specie. Pag. 21, n. 27, § 3, lin. 5. Inserendum videtur verbum « aut » post § 1. Lin. 8. Addere oportet: « aut, si agitur de archidioecesi erecta in urbe capitali provinciae civilis, cooptetur provinciae ecclesiasticae viciniori et archiepiscopus cooptatus efficiatur vice-praeses provinciae ecclesiasticae ».

Pag. 21, n. 28, lin. 12. Addendum videtur: « seu coetus consultorum dioecesanorum ».

Pag. 21, n. 31, lin. 28. Addere: « sive propriae dioecesis, sive alterius vicinae dioecesis ».

Pag. 24, n. 33, linn. 5-6. Substituere verbis: « ... ampliores habuerint episcopi facultates » verba « ampliori fruerint episcopi potestate ».

Pag. 24, n. 35, lin. 26. Completiorem sensum efficere his verbis: « auditis capitulo cathedrali seu consultorum dioecesanorum coetu et iis, ... ».

Pag. 25, n. 36, lin. 4. Addenda sunt post verba « auditis capitulo cathedrali » sequentia: « seu consultorum dioecesanorum coetu ».

Appendix prior. - De Rationibus inter episcopos et Sacras Romanae curiae Congregationes.

In genere. I. Tota haec appendix deberet effluere ex contextu principiorum explicitorum in initio animadversionum mearum de schemate (cf. pag. 2, 3°). Nedum igitur de « facultatibus collatis episcopis » tractetur, determinentur causae quas Sedes Apostolica sibi reservat tamquam signum unitatis et ad potissimum Ecclesiae regimen in bonum animarum.

II. Indice causarum, quibus circumscribitur innata episcoporum potestas, sic constituta, fines in quibus haec potestas libere exerceri potest simul determinarentur.

III. Admitti non potest ut dicasteria possint restringere potestates Ordinis episcopalis innatas. Quamobrem causae limitantes ultimatim definiendae essent ab ipso Consilio Apostolico, sed iuxta indicem effectam a variis Conferentiis episcopalibus nationalibus aut regionalibus universi mundi.

IV. In appendice priore non vere agitur de relationibus inter episcopos et Ss. Sanctae Sedis Congregationes, sed potius de exercitii potestatum episcoporum delimitatione. Exinde, convenit mutare titulos, rationem rerum, easque iuxta ordinationem quam propono:

Appendix prior - De exercitii potestatum episcoporum delimitatione in certis rebus.

a) Potestates quarum exercitium pro omnibus episcopis coarctatur.

b) Potestates quarum exercitium pro episcopis praesidibus coarctatur.

c) Potestates quarum exercitium pro episcopis coadiutoribus aut auxiliaribus coarctatur.

In specie. Totus titulus commutandus est in favorem tituli sequentis: *De exercitii potestatum episcoporum delimitatione in certis rebus.*

Pag. 27, lin. 3. Textus mutandus est sequenti modo: « Indices... (linn. 1-3); sed et quaedam criteria practica, generalia quidem at non minus utilia, prae oculis habita sunt eum in finem ut episcopis praesertim praesidibus stabiliter et ipso iure eae recognoscerentur potestates quibus, ad mentem D. N. I. C., fructuosius clariusque in servitium christifidelium exercere possent sua munera veri pastoris, pontificis ac doctoris fidei in dioecesi sibi commissa. Consentaneum igitur visum est ut episcopi praesides potestate propria consulere valerent casibus in quibus: *a*) facultatem vel gratiam vel dispensationem quarum concessio Sedi Apostolicae vel alii auctoritati specialiter reservata non sit; *b*) ex rei natura... (nil immutandum); *c*) ex rei natura, nullum adesse periculum abusus in potestate exercenda; *d*) locorum temporumve... (nil immutandum) ».

Pag. 28, linn. 1-2. « Indices profecto non sunt habendi tamquam completi et taxativi ». Appendix tota veritatem huius assertionis comprobat. Non facile discernitur principium aut principia iuxta quae electio harum rerum facta est.

Pag. 28, linn. 3-13. Hae lineae, in lumine adnotationum mearum generalium nullum sensum iam retinent. Ipsae partes dicasteriorum iterum examinandae et potestates eorum definitius determinandae sunt. In iure condendo, complures faculta-

tes concessae Nuntiis aut Delegatis Apostolicis, agnoscerentur tamquam annumerandae inter potestates episcopis proprias.

Pag. 28, linn. 14-19. Haec quam maxime placent.

Pag. 28-36, nn. 1-29 [A)]. Solummodo hic indicantur, at non taxative, numeris adhibitis in « Facultatibus » designandis, quae:

1. coarctatione ex parte Summi Pontificis aliusve auctoritatis pendente, ex principiis supra expositis, indigere mihi videntur: sub A): 1, 2, 5, 6, 12, 23, 29; sub B): 2, d); alia: dispensandi supra ordinandorum defectu aetatis ultra annum cum dimidio;

2. nulla coarctatione ex parte Summi Pontificis aliusve auctoritatis pendente, ex iisdem principiis, mihi videntur: sub A): 3, 4, 7, 8, 9, 10, 14, 15, 17-22, 24-28; sub B): 1, 2 a), b), c), 3, 4; aliae: 1. (13): dispensandi, iusta de causa, super ordinandorum defectu aetatis, non tamen ultra annum cum dimidio; 2. (15, nota): consecrationem episcopalem extra tempora conferendi; 3. (16): dispensandi ab omnibus impedimentis matrimonialibus, etiam maioris gradus; 4. (11): concedendi religiosis mulieribus *et laicis delectis* facultatem corporalia, purificatoria et pallas prima quoque ablutione purificandi.

Pag. 36, nn. 1-4 [B)]. Tota haec pagina refici oportet, quia hic agitur de potestatibus aut iuribus quae, non ex concessione sed ex natura sua, episcopis competunt. Evidentius enim apparet episcopos decere haec omnia facere et habere. Nec, saltem nostris temporibus, apparet necessitas, ne quidem utilitas, ne dicam convenientia tam multis et inextricabilibus poenis et censuris mulctare homines quorum nulli vel paucissimi sic arcentur in delictis patrandis, ex eo quod amore Dei minus quam obligatione legis nutriti sunt. Ceteroquin, hae poenae a sua mentalitate hodierna alienae et repugnantes factae sunt.

Appendix altera - De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos.

Pag. 37, n. 1, lin. 5. Post verbum « ambitum » addantur haec verba: « et mere executivum ».

Pag. 37, n. 2, lin. 14. Huic sententiae addenda essent haec verba: « item bene determinetur haec potestas legislativa eis nullomodo concedi, nisi tamquam commissio pro authentica codicis interpretatione constituta.

Pag. 38, n. 5. Scribatur oportet: [Omnes taxae abolendae]. Afferant omnes mundi dioeceses, pro ratione redituum, contributionem pecuniariam ad omnes necessitates Apostolicae Sedis sublevandas, ita ut diversa huiusdem dicasteria « modernizari » et constanter perfici possint ad efficientiam maximam obtinendam, et ut acta et rescripta sua possint gratis omnibus concedere.

9

Exc.mus P. D. CAESAR BENEDETTI
Episcopus tit. Tidditanus, vic. ap. Cuevensis

In cap. III, art. II, pag. 15, n. 19, par. secunda legitur: « Ex peculiaribus statutis etiam episcopi mere titulares, in natione degentes, *possunt* in nationalem episcoporum conferentiam cooptari, in eoque suffragio deliberativo aut consultivo tantum frui ».

Hic quaeritur quaenam sit vicariorum apostolicorum positio. Episcopis mere titularibus, sine iurisdictione, aequiparantur an episcopis residentialibus?

10

EXC.MUS P. D. EDUARDUS THOMAS BOZA MASVIDAL

Episcopus Vindensis, aux. S. Christophori de Habana

Schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* mihi ex integro placet. Desidero autem exponere commissioni conciliari meum votum ut habitus seu vestes episcopales simpliciores reddantur, ut ad simplicitatem et paupertatem evangelicas melius accedamus.

Commendetur episcopis ut crux pectoralis sit simplex et non magno valore. Quamvis ornamenta sacra, in quantum possibile sit, debent esse pretiosa ob splendorem cultus et in honorem Dei, vestes personales, e contra, debent esse modestae et, exceptis solemnioribus actibus, in cotidianis laboribus sint similiores vestibus aliorum sacerdotum et nihil habeant pompae aut vanitatis.

Exoptandum est etiam ut tituli mere honorifici inter clericos supprimantur.

11

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA

Episcopus Ferentinus

Ad 26 ss. Prorsus necessaria videtur dioecesium nimis parvarum unio.

Perdifficile enim est istarum dioecesium regimen propter carentiam personarum, collaborationis, mediorum apostolatus, etc.

Multa problemata in parvis dioecesibus sunt paene insolubilia.

12

EXC.MUS P. D. NICOLAUS CAPASSO

Episcopus Acerrarum

Alle altre proposte già da Noi inviate in precedenza aggiungiamo la seguente:

In sede di Concilio o di revisione del Codice di D. C. sarebbe opportuno stabilire che i Vescovi, giunti a 75 anni completi, debbano ritirarsi.

Il dover continuare il servizio dopo i 75 anni e cioè anche a 80 e a 90 anni, come spesso avviene, costituisce un grave peso per il vescovo e un grave danno per la diocesi.

Vi sono tanti Presuli, che vorrebbero ritirarsi; ma non essendoci nè legge nè consuetudine al riguardo, se ne astengono, per non ingenerare sospetti d'indegnità nel pubblico.

Certo, occorre provvedere alla loro sistemazione: in alcune Nazioni, come in Italia, c'è la legge delle pensioni; in altre Nazioni si potrebbe promuovere questo stesso sistema; i Vescovi religiosi, missionari possono ritornare nelle loro comunità, ecc. È chiaro che il Papa, in casi particolari, potrà prorogare i termini del servizio.

Lo stesso può stabilirsi pei parroci, almeno dove vi è clero sufficiente.

Certo vi sono delle difficoltà; ma ciò non vuol dire che il problema non debba essere neppure affrontato in un'assise tanto importante, qual è il Concilio ecumenico.

13

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiuenensis

Sacrosancta Synodus decernere dignetur ut honores et privilegia quibus decorantur episcopi sponte, propter bonum animarum, a munere episcopali renuntiantes (cap. II, n. 16), ipso iure concedantur etiam illis episcopis residentialibus qui sunt quidem adhuc veri ac legitimi pastores suarum dioecesium, sed iniuste armis impiis vique expulsi sunt a proprio territorio et in exilio coguntur vivere et forsan etiam mori.

Ratio est quia ex una parte tales episcopi pauciores vel numerosiores sicut nunc est, semper vel fere semper invenientur in Ecclesia Dei; ex alia parte autem decet omnino ut post tot aerumnas habeant aliquod solatium.

14

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

N. 3, lin. 16. Loco « ... sive ad Ecclesiae unitatem conservandam » clarius dicerem: « ... sive ad Ecclesiae unitatem conservandam *communeque animarum bonum promovendum* ». Ratio: quia Summus Pontifex potest sibi causas reservare non solum quando periclitatur unitas Ecclesiae sed etiam quando id postulat bonum commune animarum.

N. 26, lin. 16. Loco « aptiori » legatur « aptior*e* ».

P. S.: Titulus schematis fortasse melius mutaretur in *De episcopis in dioecesium regimine,* ne putetur hic agi de figura dogmatica et iuridica episcopi, de qua e contra fuse agitur in schemate *de Ecclesia.*

In pag. 28, ante n. 1. *Quoad normas generales* haec facultas addatur: « Dispensandi a generalibus Ecclesiae legibus in casu tantum peculiari, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre ipsi episcopi prudenter iudicaverint, dummodo tamen agatur de re in qua Sedes Apostolica, aut alia auctoritas cui forte reservatio ab eadem Sede Apostolica facta fuerit, dispensare solet ».

N. B.: Haec est vera innovatio relate ad CIC can. 81 et CICO. Quoniam autem haec facultas, iisdem fere verbis, conceditur episcopis orientalibus in schemate *de Ecclesiis orientalibus,* nulla est ratio cur denegetur episcopis occidentalibus.

In pag. 29, lin. 7. Loco « perceptis praebendae fructibus », melius est dicere « *concessis* praebendae fructibus ».

In pag. 36, linn. 1-2. Melius ita dici potest: « Audiendi ubique terrarum confessiones *fidelium cuiusvis ritus,* etiam religiosorum utriusque sexus ». *Ratio*: sic clarius indicatur facultatem sese extendere etiam ad alienos ritus.

In pag. 36, lin. 3, ob supra dictam rationem ita dicatur: « Absolvendi ubique terrarum *fideles cuiusvis ritus, etiam religiosos utriusque sexus,* ab omnibus peccatis etc. ... ».

In pag. 36, linn. 14-15. Clariorem formulam propono: « Verbum Dei ubique praedicandi, nisi loci Ordinarius expresse renuerit ».

In pag. 36, sub n. 5 aliam facultatem adderem: « Edendi ubique terrarum,

sine ulla praevia licentia aut censura, libros et imagines sacras de quibus in CIC can. 1385, necnon et scribendi iuxta CIC can. 1386, nomine tamen et dignitate propria explicite patefactis, et praemonito, nisi et ipse scriptor seu editor sit episcopus residentialis, Ordinario loci in quo libri vel imagines vel scripta publici iuris fiunt ». *Ratio*: cum episcopus sit, vi suae consecrationis, authenticus doctor fidei, videtur inconveniens quod debeat obtinere licentiam ab alio episcopo (qui generaliter hoc munus simplici sacerdoti committit!) pro edendo vel scribendo. Tamen debet suum nomen et suam qualitatem episcopalem lectoribus manifestare. Si agitur de episcopo mere titulari, conveniens est ut debeat praemonere Ordinarium loci; non debet e contra, etiam in iure vigenti, si sit Ordinarius loci qui publicat extra suam dioecesim.

In pag. 37, lin. 14 post *b*) addatur novum votum: « *bb*) Recursus contra episcopos anonymi aut pseudoepigraphi nullo umquam pacto, ne notitiae tantum quidem causa, a Ss. Congregationibus admittantur. Si recursus, legitime subscriptus, vertatur circa ea quae sunt praeter ius commune quaeque proinde episcoporum prudentiae relinquuntur, episcopi ne vexentur. Si autem recursus, legitime subscriptus, sit de re gravi aut de re contra ius commune, admittatur quidem recursus sed praemoneatur recurrens ut sit paratus respondere, etiam poenaliter si casus ferat, de suo recursu; episcopis vero nomen sui accusatoris non taceatur, ut possit plenius sese defendere ». *Ratio* huius voti est in hoc: nimis facilis mos clericorum et laicorum recurrendi ad Ss. Congregationes contra episcopos ob vel levissimas causas, auctoritatem episcoporum valde deprimit eosque reducit ad munus cuiusdam « functionarii ».

In pag. 38, post n. 4, novus numerus ponatur: « 4 bis. (*Quomodo sint conficienda Acta Ss. Congregationum*). Acta Sacrarum Congregationum ita clare conficiantur ut nullam, pro posse, dent ansam cavillationibus, dubiis, variis interpretationibus, quae eorumdem Actorum vim practice enervent ».

Apud omnes constat aliquando (v. g. in Decretis S. Officii 1 iulii 1949) textum non clarum causam fuisse interpretationum discordantium, cum damno pro praxi et pro ipsis episcopis.

15

Exc.mus P. D. PHILIPPUS CONDURU PACHECO

Episcopus tit. Decorianensis

In schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* omittantur: pag. 11, can. 15 § 1 et § 2; pag. 32, can. 15; pag. 34, cann. 23 et 26.

16

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Caput II: par. 9, pag. 10, lin. 5. Meo iudicio unitas regiminis postulat ut coadiutor nihil agat *contra* voluntatem episcopi, nisi habeat facultates speciales ad hoc, ab Apostolica Sede concessas. Velim, ergo, ut par. 9, pag. 10, lin. 5, post verbum « habeatur » addantur sequentia verba: « ... nihil agens contra expressam voluntatem episcopi ».

Caput III: par. 22, pag. 16, lin. 1: loco « Firmo praescripto n. 24 » dicatur « Firmis praescriptis nn. 23 et 24 » cum etiam n. 23 provideat pro casibus in quibus decisiones conferentiae episcoporum ad effectum non deducantur. Pag. 16, lin. 30: post n. 24 addatur novus numerus ut sic: « Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum conciliorum plenariorum in regione ».

17

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

1. Ad n. 3 (pag. 6, linn. 21-23): textus sic emendetur: « quapropter causae Romano Pontifici hucusque reservatae minuantur et facultates ipsis episcopis recognitae *amplificentur...* ». *Ratio* est: quum episcopi iurisdictione ordinaria polleant iure divino, utpote ii quos « posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei », omnibus facultatibus gaudent quae ad munus suum adimplendum necessariae sunt. Hae vero quandoque de facto restringuntur, nempe quum Romanus Pontifex ad bonum commune Ecclesiae universalis vel particularis fovendum (v. g. ad tuendam uniformitatem administrationis, ad praecavendos abusus etc.) easdem facultates per privilegium primatus iurisdictionis ad propriam suam iurisdictionem revocandas decreverit. Distinctio haec haud mere « nominalis » vel quaestio verborum videatur: tangit enim punctum theologicum de divina constitutione hierarchica.

2. Ad n. 24 (pag. 16, lin. 14): ad verba « necnon ab Apostolica Sede recognitae ». Onerosior videtur recursus ad Sanctam Sedem pro omnibus ac particularibus regionis rebus. Haud simile « concilio nationali » (quod statuta stabilia fert ac approbatione indiget Summi Pontificis), « conferentia » saepe saepius de hic et nunc agendis sententiam practicam determinat. Sufficeret proinde si, ad obligationem singulorum episcoporum, approbatio Sanctae Sedis requiratur, solummodo si sententia conferentiae haud fuit moraliter unanimis vel sit contra ius commune. Aliter adhuc cumulatior fiet congeries rerum in capite (« centralizatio ») quam Sacrosanctum Concilium potius cupit alleviare, sparsis per diversa membra oneribus.

18

EXC.MUS P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Schema in suo generali themate placet: 1. in prima parte a cap. I usque ad cap. V; 2. in appendicibus etiam sub reservatione quarumdam animadversationum.

Episcopus est iure divino verus Pastor, pontifex et rector fidei. Porro, in praxi, haec doctrina non videtur semper applicari. Frequenter enim episcopus apparet ut simplex delegatus et quasi vicarius Sanctae Sedis. Praesens schema reddit episcopo suum proprium locum et suas proprias functiones in triplici capite: 1. relationes episcopatus cum curia romana (c. 1); 2. relationes inter episcopos; 3. regimen dioecesium.

1. Quoad relationes episcoporum cum curia, Romanus Pontifex sibi reservare potest omnia iura et functiones necessarias bono universali et unitati Ecclesiae. Sed episcopi hanc animarum curam participant tamquam pastores, doctores

et rectores, et detinent veram sollicitudinem Ecclesiae et omnem potestatem necessariam efficaciae eorum missionis. Curia romana est primario episcoporum adiutrix et non tutrix.

Congregationes Romanae (n. 2), in nomine Romani Pontificis collaborant cum episcopis, in virtute potestatis ab eo delegatae tamquam adiutores pro bono fidelium et in unione corporis episcopalis cum Summo Pastore.

De facto longe abest praxis principiis; nam potestas episcopalis ligatur in multis, et exerceri nequit nisi per recursum ad R. Pontificem, practice ad romanam curiam, per indulta. In re liturgica, in sacramentis ministrandis extra regulas ordinarias, in permissionibus obtinendis pro religiosis exemptis, in benedictionibus reservatis, centies occurrit necessitas Romam adeundi.

Sunt exempla quaedam: sacerdos caecutiens, ut ab officio divino dispensetur, recurrere debet ad S. Sedem, quae regulariter commutat obligationem in tria rosaria recitanda; sacerdos valetudinarius, qui e domo nequit exire sine periculo gravis aegrotationis, a sola S. Sede obtinet facultatem celebrandi habitualiter in propria domo — episcopus illam licentiam concedere nequit nisi per modum actus; ad delegandum sacerdotem qui benedicat et instauret aliquam « Viam Crucis », episcopus indiget indulto apostolico; si forte quaedam monialis, praeter casum urgentiae, opus habet recurrere ad medicum vel « dentistam », ut exeat e clausura necesse est ut romana curia consultetur; religiosa, quae testamentum scripserit in favorem patris aut matris, si eveniat mors unius vel alterius, ad S. Congregationem accedere debet ut possit testamentum mutare; etc.

Videtur quod potestas episcopalis, quae est ordinaria, nequeat minui, nisi propter bonum commune Ecclesiae. Atqui bonum commune Ecclesiae exigere videtur: 1. ut episcopus, qui pastor est et iudex ordinarius, potestate propria, non delegata, possit de legibus universalibus Ecclesiae, pro suis subditis, in casu particulari dispensare; 2. ut episcopus fratribus seiunctis appareat propria potestate praeditus; quod est maximi momenti ad unionem ecclesiarum; 3. ut centralisatio nimia non generet quamdam diffidentiam erga romanam curiam; 4. ut tempus non perdatur a secretariis variis, qui in tot indultis postulandis aut concedendis, sive in dioecesibus, sive in curia romana, pretiosum tempus expendunt, tempus tanto pretiosius quanto pauciores sunt sacerdotes — « parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis ».

Practice idem sentit et iudicat ipsa curia romana. Nam si postulatio quaedam a superiore religioso, v. g. ad romanam curiam dirigitur, romana curia ipsa exigit ut submittatur Ordinario et ab eo approbetur; Ordinarius iudicare debet utrum sit fundata vel non. Sic fit ut concessio a curia romana pendeat a iudicio episcopi. Nonne melius et citius esset, si episcopus ipse posset concedere facultates petitas.

Unde concludo, votum exprimendo ut in C.I.C., can. 81 mutetur et redigatur modo magis congruente cum dignitate et potestate ordinaria episcoporum.

Circa precum formulas, benedictionum, erectionum piarum, ita, in Rituali Romano inveniuntur circa 80 reservatae S. Pontifici. Quas semper Romanus Pontifex concedit per indultum.

Non mihi latet aspectus quaestionis quem non tractavi; pro indultis concessis taxa exigitur, iuste quidem et necessario; est enim « honor » de quo loquitur S. Paulus, vere debitus Ecclesiae romanae pro sollicitudine universali quotidie gravante. Nonne tamen melius esset aliquam taxam annuam unicuique dioecesi imponere, secundum numerum fidelium et etiam secundum opes regionis cuiusque?

Desideratur in Congregationibus curiae (nn. 4-5) praesentia quorumdam episcoporum aut aliorum peritorum diversarum nationum, non solum praesentia nominali, sed effectiva, tanquam membra et consultores ad participandos labores et decisiones circa problemata regiminis et pastoralis in nostro saeculo tam difficile. Qui episcopi aut periti designari deberent a collegio episcopali eiusdem nationis.

2. Nulla animadversio in hoc cap. II.

3. Vota huius cap. III placent generatim. Quoad episcopos auxiliares, optatur ut non destinentur titulo episcopali existenti in territorio actuali eiusdem dioecesis, sed nominentur generatim episcopi Ecclesiae catholicae sine titulo speciali.

4. Cap. IV. Conferentiae episcopales sive nationales sive regionales sunt valde utiles ad statuendum circa problemata urgentia aut decisiones necessarias in quibusdam circumstantiis.

Auctoritas conferentiae episcopalis statuenda est sive a coetu Concilii, sive a Summo Pontifice, iuxta indicationes nn. 22, 24, 25 et aliorum in appendice (pag. 17).

Utilia sunt etiam in conferentia episcopali concilium permanens episcopatus eiusdem nationis et commissiones episcopales ad parandos labores sive conferentiae, sive conciliorum.

Schema de episcopis affirmat in pag. 27 et in linn. 9-21 principia quaedam adprobanda, scil.: recursus ad Sanctam Sedem non erit necessarius: *a*) in casibus petitionum quas S. Sedis facile concedit; *b*) in indultis semper concessis quando adest sola episcopalis commendatio; *c*) quando nullum abusus periculum adesse potest; *d*) in casibus qui exigunt ad Sanctam Sedem recursum fere continuum.

Quaedam regulae generales elargiendae sunt in n. I, pag. 20, linn. 20-25: v. g.: indultum iam concessum a Sancta Sede valorem servat per totum tempus quo durat causa concessionis, iudicio episcopi.

Quoad Congregationes Religiosarum, quod conceditur in n. 9 (pag. 30, lin. 12) posset etiam concedi congregationibus oboedientiae pontificalis, nam transitus ad aliam congregationem semper conceditur ob commendationem episcopi.

Transitus e clausura aut remansio religiosae extra clausuram causa sanitatis aut servitii necessarii posset ab episcopo concedi. Item de exclaustrationibus, semper concessis cum rationabili causa. Etiam de saecularizationibus religiosarum, de confirmatione postulationis superiorum, de prolongatione superiorissae ad alium tertium triennium, de sanatione professionis dubiae, de auctorisationibus circa pecuniarias operationes emptionis, mutuationis et alias semper concessas cum episcopi approbatione (cf. schema, pag. 35, linn. 19-24), etc.

Quoad Sacramenta, iuxta n. 16, pag. 32, linn. 4-5, episcopus deberet potestatem dispensandi omnia matrimonii impedimenta, a quibus Sancta Sedes habitualiter dispensat, etiam « maioris gradus », i. e. disparitas cultus, religio mixta, crimen neutro machinante, consanguinitas in 2, et 2-3 gradu, affinitas...

Quoad Missae celebrationem, missae votivae in locis peregrinationis vel occasione cuiusdam solemnitatis exterioris ab episcopo pendere deberent.

Episcoporum potestas circa missarum stipendia, stipium taxa, et etiam circa dignitatem quarumdam nominationum, elargienda posset sine abusus periculo, v. g. canonici, parochi qui succedunt praelato aut episcopo nominari possent sine recursu ad Sanctam Sedem.

19

EXC.MUS P. D. IOANNES CRAWFORD

Episcopus tit. Caffenus, vic. ap. Insularum Salomonicarum Occidentalium

1. Inter facultates episcoporum, quoad Missae celebrationem, pag. 32, haec ponatur: « Concedendi facultatem Missam inchoandi horis post mediam noctem et postmeridianis, iusta de causa ». (Desideratum, praesertim in missionibus; necessitas, pro sacerdote, adeundi episcopum pro facultate praecavebit abusus).

2. Inter facultates stabiliter omnibus episcopis recognoscendas (*l. c.,* pag. 36) adnumerari convenit benedictiones quas em.mi cardinales dare possint vi can. 239, § 1, nn. 5 et 6. (Hoc fieri potest delendo clausulam « ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis », in fine can. 349, § 1, n. 1).

20

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. CUENCO

Archiepiscopus Iarensis

« Episcopi singuli tamquam vicarii et legati Christi singulas sibi commissas Ecclesias, propria, ordinaria et immediata potestate episcopali in unitate cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate regunt ut fidelium patres et pastores gregum suorum... » (*Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series secunda. De Ecclesia et de B. Maria Virgine,* cap. IV, *de episcopis residentialibus,* pag. 23).

Pascendi et regendi ius episcopis singulis ex ipsa divina ordinatione competit, non quidem illimitatum, universale et supremum quod, certe, Pontificatus Supremi proprium est et in persona Romani Pontificis, B. Petri in primatu successoris, residet, sed, qua veri principes sunt, in territorio eis commisso, illud exercere potestate propria, ordinaria et immediata valent. Quod optime exprimitur a Leone XIII in sua constitutione *Satis cognitum,* die 29 iunii, a. 1896: « Episcopi, qui succedunt apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt; ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen vicarii Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem ferunt sibi propriam, verissimeque populorum quos gerunt, antistites ordinarii dicuntur ».

Dum finis societatis a Christo Domino institutae sanctificatio hominum his in terris sit ut vitam aeternam in caelis consequantur quae adipisci non possumus nisi mediis ab ipso divino Fundatore praeditis, videlicet sacramentis et sacramentalibus confectis et administratis a legitimo ministro sacra ordinatione ornato: en potestas Ordinis.

Ut vero necessaria obtineatur cooperatio in assecutione finis ultimi homo recte et ordinatim procedere debet in usu mediorum: en potestas iurisdictionis in Ecclesia ad regendum hominum actus.

Haec duplex potestas in capite Ecclesiae vere « suprema et plena est in universa Ecclesia tum in rebus quae ad fidem et mores tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent » (c. 218, § 1). Qualis vero sit potestas episcoporum est quaestio magni momenti et difficili responsu si

illam considerare velimus sub aspectu ut ita dicam, amplitudinis seu extensionis. Clarissimus et em.mus card. Ottaviani in suo opere « Institutiones iuris publici ecclesiastici » solutionem huic quaestioni tradere videtur cum ait: « Si vero quaeratur quid possit episcopus, seu quanta sit eius potestas, illum dicimus talis amplitudinis iurisdictionem habere, qualis necessaria est ad bonum regimen ecclesiae particularis sibi commissae, ita ut in iis quae ad praefatum ordinarium regimen pertinent episcopi dicantur habere intentionem fundatam in iure seu ea omnia posse quae nec potestatem vicariam requirant, nec iuri communi obstent » (Vol. I, n. 220, pag. 414, ed. 3[a]). Si canones Codicis I. C. percurramus invenire poterimus illos qui in genere et absolute decernunt episcopos habere ordinariam potestatem regendi peculiares ecclesias quas praeficiuntur, et praeterea quod ius et officium ipsis sit gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva (cf. cc. 329, § 1 et 335, § 1). Sed alia ex parte passim in eodem Codice plurimi alii canones inveniuntur qui illam potestatem ordinariam coarctant et aliquoties tali modo ut, audeam dicere, eam ad munus merae vigilantiae exercendae reducant. Silentio committam quod omnium nostrum in mente est circa exemptionem religiosorum tum virorum tum mulierum (can. 500) et mihi adducere liceat c. 336 §§ 1-2: « Observantiam legum ecclesiasticarum episcopi urgeant; nec in iure communi dispensare possunt, nisi ad normam can. 81 ».

§ 2: « Advigilent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem sacramentorum et sacramentalium... » quod fere repetitur in can. 1261, § 1. Ex istis canonibus clare apparet potestatem Ordinariorum locorum circa disciplinam ecclesiasticam in administratione sacramentorum et sacramentalium et aliorum mere negativam seu vigilantiae esse. Si aliqua in eis datur potestas vel facultas haec dicitur delegata quatenus eis specialiter concessa sive per rescriptum aliquod particulare Sanctae Sedis sive in facultatibus quinquennalibus vel decennalibus.

Munus boni pastoris postulat ut greges laetis ac uberrimis pascuis pascantur. Fideles Christi nutriuntur cibo spirituali qui eis suppeditatur mediante sacramentis et sacramentalibus, pascuae uberrimae sacro cruore irrigatae, et quae omnibus christifidelibus patere foribus expansis debent.

Fas mihi sit animo recolere verba card. Bona quae inveniuntur in Encyclica *Mediator Dei* Pp. Pii XII: « Omnibus igitur exploratum esse debet digne non posse honorari Deum, nisi mentes animique ad vitae perfectionem assequendam erigantur; cultum autem, quem Ecclesia, una cum divino capite suo coniuncta Deo praestat, sanctitudinis adipiscendae habere efficacitatem quam maximam » (*A.A.S.*, 39, pag. 532). Cum tam maximam efficacitatem cultus in christifidelium sanctificatione habeat quare non praebere, seu, ut melius dicam, liberum relinquere antistitibus exercitium eorum potestatum praesertim in administratione sacramentorum et in sacramentalibus peragendis? In bonum spirituale christifidelium plurimae facultates concessae sunt tum ipsis fidelibus tum episcopis: illis ut valeant sacram communionem recipere, servatis servandis, non tantum horis matutinis, sed etiam vespertinis; antistitibus vero ut possint suis sacerdotibus concedere alteram vel trinam Missam celebrare diebus statutis « si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet ». Tamen facultates istae dicuntur delegatae et generaliter post determinatum tempus renovandae. Quid enim obstat quominus istae et aliae plurimae eiusdem ordinis ordinariae efficiantur? Hac in aetate in qua homines omnia, velut uno ictu oculorum, habere desiderant, nemo non videt necessitatem pollendi

illa quodammodo plena potestate ad quaestiones quae quotidie in vita religiosa fidelium surgunt solvendas, quin requiratur tam frequenter ad Sanctam Sedem recurrere, haud semel sed pluries, cum magno animarum detrimento.

Illam non ambio episcopis facultatem qua praesules primorum saeculorum, pro rerum adiunctis christianorumque necessitatibus, fruebantur, sed nec plus satis coarctatam illam desidero utique vere hodiernis necessitatibus congruam. Quod faciliter fieri autumo si can. 81 hoc modo redigatur: « A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii locorum dispensare queunt in iis tantum in quibus Sedes Apostolica solet ».

II. Quod enim diximus de potestate in ordine ad finem spiritualem fidelium assequendum, idem dicendum est de facultatibus necessariis ad res temporales administrandas nam, prout dicitur in Encycl. *Mater et Magistra* die 15 maii 1961: « Quamvis igitur Ecclesiae sanctae ante omnia sit animos ad sanctitatem adducere et bonorum caelestium facere participes, eadem tamen de quotidianae quoque hominum vitae necessitatibus sollicita est, quae non modo ad eorum pertineant victum cultumve, sed etiam ad commoda et prosperitates, in vario bonorum genere, in variisque temporum momentis » (*A.A.S.*, 53, pag. 402).

Plurimae et magni ponderis sunt necessitates quibus non paucae dioeceses opprimuntur et quibus antistites occurrere non valent ex eo quod se inveniant manibus vinctis praescripto canonum praesertim 1532 et 1541. Omnibus compertum est qua celeritate istis in temporibus actiones et transactiones in re oeconomica fiant. Quantitas in iure determinata qua Ordinarii locorum in contractus locationis vel aliorum secum ferentium alienationem bonorum ecclesiasticorum parvi momenti est sicut et illa postremis temporibus concessa. Valor pecuniae quotidie mutationes patitur et in genere diminuitur dum vero valor laboris augetur, quibus ex causis evenit ut quantitas 15.000 (quindecim millia) dollariorum velut ad nihilum reducatur in ordine ad actiones oeconomicas perficiendas. Unde fere semper recursus ad Sanctam Sedem faciendus sit cum magno periculo amittendi profectum in bono dioecesis.

Inde ampliores desiderantur in Codice Iuris Canonici facultates quibus maiore cum facilitate valeant antistites subvenire necessitatibus tum spiritualibus tum materialibus gregum suorum.

1. *Cap. IV,* n. 13, circa facultatem ipsis concessam super ordinandorum defectu aetatis. Postulatur huius facultatis extensio ad unum usque annum, saltem pro regionibus illis in quibus, sicut apud nostrates contingit, iuvenes citius maturescunt.

2. *Cap. VII,* n. 26, circa facultatem « admittendi in seminarium alumnos dimissos ». Postulatur ut facultas haec remaneat simpliciter prout in can. 1363, par. 3 prostat.

Decisiones enim Ss. Congregationum de Seminariis et Studiorum Universitatibus necnon Religiosorum erga exeuntes ab aliis seminariis « quacumque ex causa », propter nimias dilationes, molestiis innumeris occasionem praebent sive episcopis sive seminariorum superioribus, sicut et ipsis alumnis, ut experientia nimis patet.

21

EXC.MUS P. D. IOANNES DADONE
Archiepiscopus S. Severinae

Cap. III, n. 19, 3. *Votum* « De competentia et auctoritate singulorum episcoporum in deliberandis a conferentia nationali; et de eorum sufficienti repraesentatione in consilio permanenti eiusdem conferentiae ».

Cum in art. 19, 3 cap. III supradicti schematis merito affirmetur « omnibus et singulis praesulibus, de quibus in n. 19, 1, ius esse ut conferentiae nationali *personaliter,* et quidem cum voto *deliberativo,* intersint »; et simul praevideatur ob nimium eorum numerum impossibile fore ut iidem omnes et singuli revera conferentiae participent: de modo quo vere mens et vota omnium praesulum in earumdem conferentiarum episcoporum nationalium decretis conficiendis innotescant, quae sequuntur vota iis quos spectat ut praesentia sint adprecor.

1. Consilium directivum et permanens, cui omnia incepta de re catholica in universo territorio nationali tribuuntur et commendantur, sex menses antequam decernat quaeque singulos episcopos etiam iuridice obligent, scripto exponat singula deliberanda, congruis argumentationibus suffulta, ac uniuscuiusque episcopi observationes, vota et suffragium sollicitet intra mensem a recepta communicatione remittenda. Omnibus a consilio examinatis responsionibus, sententia quae prorsus a maioritate duarum saltem ex tribus partibus suffragium obtinuerit pro universo territorio adoptetur.

2. Quod si talis suffragiorum maioritas in primo scrutinio obtenta non fuerit, consilium relationem et brevem argumentationum duarum partium ostensionem redigat; et denuo ab unoquoque praesule suffragium scriptum exposcat, usquedum maioritas duarum ex tribus partibus legitime attendatur.

3. Numquam nationalis episcoporum conferentia decisiones quae etiam iuridice singulos episcopos obligent decernat vi suffragiorum eorum qui ex iure in consilio permanenti episcopale collegium alicuius regionis vel provinciae ecclesiasticae repraesentant, et qui *oretenus tantum* vota ceterorum suae cuiusque regionis vel provinciae praesulum conferre praesumant.

Votum. « De legitima et sufficienti repraesentantia totius episcoporum coetus cuiusque nationis in consilio conferentiae ».

1. Competentia iuridica consilii permanentis, de quo in n. 20, 1; et commissionum, de quibus in n. 20, 2, sit tantum praevia propositio, discussio et descriptio (non autem decretatio) earum animadversionum circa quae per universale episcoporum totius nationis suffragium scripto datum (ut supra in fol. 1 exposui) deliberare oportuerit.

2. Repraesentatio in Concilio permanenti cuiusque coetus episcoporum alicuius regionis vel provinciae ecclesiasticae non solum per primatem vel metropolitam, qui conferentiae regionali praeest; sed etiam per alterum episcopum eiusdem regionis vel provinciae suffragiis ceterorum confratrum electum.

22

EXC.MUS P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

1. *Quoad cap. I, prima parte,* sub n. 3 ubi agitur de « principio fundamentali ». Par. primam sic velim emendari:

« 1. Episcopi omnes fruantur stabiliter iis facultatibus quae characteris episcopalis dignitati congruunt.

2. Episcopi residentiales vero iure communi omnes habeant facultates quas — ex divina institutione — aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis, explendum expostulat, firma semper in omnibus huius Summi Pontificis potestate sibi causas reservandi quas, propter bonum commune Ecclesiae, pro locorum temporumve adiunctis ad se avocare iudicaverit... etc. ». *Ratio* huius emendationis: Nota 3, in fine pag. 7, dicit: « consulto schema verbis utitur quae ex se abstinent a significando titulo quo facultates de quibus fit sermo sint episcopis recognoscendae ». Timeo ne formula hic adhibita, sine adiunctis: « sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis... ordinariae potestatis... exercitium explendum... etc. » videatur ipsum titulum praebere quo facultates ab episcopis detineantur. Sic firmaretur opinio theologica, sane legitima, secundum quam fons omnis iurisdictionis episcopalis esset suprema potestas iurisdictionalis Romani Pontificis. Si schema propositum hanc opinionem canonizare non intendit, opportunum mihi videtur haec verba adiungere « facultates quas — ex divina institutione — ordinariae potestatis exercitium expostulat etc. » ut melius appareat primatum iurisdictionis Summi Pontificis conciliari posse cum potestate iurisdictionis episcoporum ab ipso ministerio, vi sacramenti, postulata.

2. *Quoad cap. I, secunda parte,* sub n. 5 ubi dicitur: « Nonnulli episcopi diversarum nationum... nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum ». Fateor notam n. 5, in fine pag. 8, mihi non placuisse cum affirmet modo nimis absoluto diuturnam esse praxim Ss. Congregationum nominandi membra ex diversis nationibus, ita ut Ss. Congregationes sint vere, ut dicitur, internationales.

Status praesens de hac re mihi videtur valde insufficiens, cum videmus regimen seu praesidentiam *fere omnium* Congregationum necnon et commissionum conciliarium de facto *uni soli nationi* commissam esse.

Intelligo bene rationes convenientiae quae impediunt quin haec quaestio difficilior sessionibus generalibus Concilii disceptetur. Sed censeo episcopos de hac re opinionem suam declarare posse, occasione Concilii, in consultatione scripta.

3. *Quoad appendicem priorem,* prima parte, in par. « Animadvertenda », sub lin. 10, pag. 28 s. Consuetudo recurrendi ad Congregationes Romanas pro aliquibus gravioribus facultatibus de quibus hic agitur, sic mutatur ut in casibus praedictis ad Nuntios seu Delegatos apostolicos recurrere sufficiat. Haec dicere velim. Haec mutatio in modo recurrendi mihi videtur non semper esse practicam seu opportunam. Experientia difficultatum communicationum per viam postalem aeream cum meo proprio Delegato Apostolico probat recursum ad Romam esse multo faciliorem et rapidiorem quam recursum ad Lagos (ubi est residentia exc.mi D. Delegati).

Quando schemata huius Concilii nobis missa sunt per mediationem Delegationis Apostolicae in Lagos, tardius nobis pervenerunt, et ante primam sessionem aliquando nobis omnino non pervenerunt. Si expedita essent directe a Roma, omnia tempore opportuno nobis praesto fuissent.

Peto quid significet iste modus recurrendi ad Delegatos, et quae sit in hac re, eorum potestas iurisdictionis.

4. *Quoad appendicem alteram,* in par. n. 2, sub littera d), pag. 37, ubi tractatur de « commissionibus mixtis constituendis in S. Congregationibus » quando negotium pertinet ad competentiam duarum vel plurium Congregationum... Hic aliquid dicere velim, quod non nisi in consultatione scripta declarare auderem: Competentia *Sacrae Congregationis S. Officii* eminenter extenditur ad res doctrinales. Peto an ista competentia sit exclusiva competentiae ceterarum S. Congregationum in re doctrinali. Mihi videtur *Congregationem Rituum* et alias S. Congregationes quibus competit tractare de Sacramentis vel de Liturgia, vel de rebus ecclesiasticis, non posse semper praescindere a rebus doctrinalibus. Si competentia eis concederetur in rebus doctrinalibus quae attingunt eorum propriam materiam, collegialitas *S. Dicasteriorum* etiam in re doctrinali, nostris oculis magis appareret.

Si fallor in meo iudicio de hac re, propter meam ignorantiam et imperitiam in commercio cum *S. Congregationibus,* hic humiliter veniam peto.

23

Exc.mus P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO

Episcopus Cajamarcensis

N. 12. Para el obispo Auxiliar debe reproducirse el n. 8 par. 1, o sea que goce de las facultades de Vicario general.

Para determinar las relaciones entre el Capítulo Catedral y el Obispo Auxiliar considero que puede de derecho ser nombrado éste « dignidad supra numerum capituli », según propone mons. Joachim Nabuco, *Ius Pontificalium,* Introductio in caeremoniale episcoporum, pp. 72-73:

« Episcopi auxiliares in hodierna Ecclesiae legislatione nulla gaudent in dioecesi iurisdictione vel beneficio, nisi eis a loci Ordinario detur. Praeterea, mortuo auxiliato, auxiliaris statim suum officium relinquit. Insuper si auxiliaris de gremio capituli ecclesiae cathedralis non sit, fas est capitulo, sede vacante, auxiliari posthabito, unum e suis in vicarium capitularem eligere, sicut pluries iam factum est. Et cum episcopus impeditus, iuxta constitutiones capitulorum ipsiusque Caerimonialis, substitui debet, a prima dignitate capituli substituitur; frequenter enim accidit ut in maioribus solemnitatibus episcopus auxiliaris ad sacras functiones celebrandas loco sui episcopi minime invitetur sed prima dignitas capituli. Exinde accidit episcopos auxiliares, qui ratione Ordinis, ceteros ecclesiae clericos praecedunt, in praxi iuribus aequivalentibus non frui.

« His omnibus difficultatibus satisfieret si iure communi episcopi auxiliares admitterentur uti dignitates supra numerum capituli, nam dignitates de numero ex ordine episcopali nequeunt inservire episcopo ad thronum vel ad altare: id fieret a dignitatibus ex ordine sacerdotali iuxta Caeremoniale; dignitates vere supra numerum ordinis episcopalis supplerent episcopum impeditum; et si dignitates capi-

tuli in episcopos auxiliares eligantur eo ipso dignitates vacant et aliae supra numero creantur. Episcopi auxiliares veluti dignitatem supra numerum in suis locis manerent usque ad nominationem successoris et tunc a Sancta Sede confirmarentur vel non, prout in singulis casibus expedire videretur ».

Todo esto siempre que no sea preferible suprimir los Capítulos Catedrales.

N. 15, par. 2. Si el Obispo Auxiliar es miembro del cabildo catedral, como se propone más arriba, facilmente será nombrado Vicario Capitular.

N. 18, par. 3. Debe añadirse un párrafo sobre los servicios que prestan para un continente algunos organismos, como el C.E.L.A.M. (Consejo Episcopal Latino Americano) e el Secretariado general del Episcopado Africano.

N. 19, par. 2. Debe redactarse así: « Ex peculiaribus statutis episcopi *auxiliares,* etiam mere titulares in Natione degentes, possunt... ». Me parece que los Obispos Auxiliares tienen mayor derecho de participar en las Conferencias Episcopales.

N. 37. Lo mismo vale para las iglesias de *Religiosas*; debe derogarse el canon 609 par. 2, pues en muchos lugares las funciones parroquiales solo pueden hacerse en las iglesias de Religiosas, debiéndo tomarse las debidas cautelas.

Appendix prior. Animadvertenda (p. 27). Las facultades « quinquennales » concedidas por la S. Congregación Consistorial deben pasar al derecho común, pues al ser dadas durante más de 40 años (desde 1923) indican que son normalmente y ordinariamente necesarias.

Las facultades « decennales » concedidas a los Obispos de América latina desde 1899, o sea hace más de 60 años, constituyen normas comunes para este continente.

El Concilio Ecuménico Vaticano II debe ordenar a la Comisión « de reformando Codice I. C. » que incorpore dichas facultades a la legislación canónica común.

Muchas de las Facultades dadas por la S. C. de Propaganda Fide a los Ordinarios de misiones deben ser concedidas a los Obispos, por lo menos de América latina, pues nuestros territorios tienen mucho de misión. También sería oportuna una recomendación en este sentido a la Comisión « de reformando Codice I. C. ».

N. 13. No debe dispensarse a los ordenandos la falta de edad, pues pueden seguir los cursos de pastoral prescritos en el esquema « de sacrorum alumnis », hasta que lleguen a la edad canónica.

Appendix altera. N. 2 *d*). Sería oportuno que cuando una S. Congregación recopila las normas sobre una determinada materia, en forma de un texto único legislativo, incluya también las disposiciones dadas por otra S. Congregación sobre temas afines; por ejemplo el « Novus Codex Rubricarum » promulgado el año de 1960 por la S. Congregación de Ritos debería haber incluído las dispositiones sobre el ayuno eucarístico y horario de misas vespertinas, aunque fueran emanadas de otro Dicasterio romano.

Para los obispos y sacerdotes sería de mayor utilidad tener a la mano todas las disposiciones reunidas.

24

Exc.mus P. D. PETRUS DE LA CHANONIE
Episcopus Claromontanus

Marcellus Lefebvre, arch. Synnadensis in Phrygia, sup. gen. Congr. S. Spiritus; Augustinus Grimault, ep. tit. Maximianopolitensis in Palaestina; Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Cappadocia; Ioannes Prou, abbas Solesmensis, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.

Huius schematis momentum, doctrinale simul et practicum, maximum nobis videtur. Ex quibusdam speciatim capitulis gravissimae consequentiae oriri possunt, quibus perspectis sponte praecipua haec dubia nos agitant:

1. Nonne pro certo haberi possit quaestiones ipsam curiam romanam proprie spectantes primo et principaliter de competentia ipsius Romani Pontificis fore, ita ut eas remittere fas non sit ad quamdam episcoporum collegialitatem quae, ipso facto, participationem aliquam ordinariam et permanentem ipsius curiae iurisdictionis acquireret?

2. Nonne timenda sit, cum conferentiae episcopales competentia necnon iurisdictione valde extensa ditatae canonice instituantur, aliqua subrogatio talium conferentiarum quae aliis canonicis coetibus, v. g. plenariis vel regionalibus Conciliis, magnum damnum afferret ita ut talia Concilia inutilia reddantur?

3. Nonne videatur etiam quod stabilitas, immo permanentia conferentiis nationalibus vel saltem commissionibus permanentibus concessura ordinarium cuiusvis episcopi iurisdictionis exercitium, sive illud restringendo, sive ei impedimenta afferendo, in magnum discrimen inducat?

De his difficultatibus quaedam ipsius schematis capitula testantur. Hic etiam periculum minatur cuiusdam substitutionis per quam indubiae episcopi auctoritati vix delineata cuiusdam collegialitatis auctoritas fundamentis theologicis destituta subrogaretur.

4. Nonne multo magis sapientiae christianae, iuri canonico, ipsique ecclesiastico indoli consentaneum fuisset si conferentiae episcopales tantum haberentur ut organa colligationis, conciliariorum decretorum exsecutionis, cuiusdam iurisprudentiae necnon futurorum Conciliorum praeparationis valde proficua?

25

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Quamvis in novissimo schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine* multae facultates episcoporum feliciter recognitae sint, de quibus Sanctae Sedi gratias agendum est, liceat mihi insistere aliquibus petitionibus quae ad munus pastorale tuendum necnon ad optatam « decentralisationem » ad effectum deducendam, opportunae videntur.

1. Ut curiae romanae dicasteriis hucusque competentiae reservata fuerant — ad mentem schematis novi de episcopis pag. 28, linn. 1-10 de dioecesium regimine — recognoscantur episcopis stabiliter et ipso iure, salvis causis maioribus S. Sedi reservatis, illae facultates « quinquennales » et « decennales » quae nunc sine necessi-

tate ministerii Nuntiis aut Delegatis Apostolicis recensitae sunt. Quare directe et absolute Ordinariis, quasi ex diffidentia, aut minori aestimatione non recognoscuntur? Episcopi Romani Pontificis esse collaboratores, plenitudine facultatum concessa, magis quam a reservatione et continuo recursu, grato animo recordabuntur. Unitas et caritas liberalitate et fiducia accrescunt.

2. Ad mentem pag. 32, n. 16. De impedimentis matrimonialibus penitus recognoscendis. Ordinariis recognoscantur directe et stabiliter facultates dispensandi super impedimentis matrimonialibus *maioris gradus,* salvis can. 1038, 1076 (consang. in linea recta); 1077 (affin. in linea recta); 1073 (de matrimoniis attentatis a clericis *latinis* in sacris); dispensationes cautelis ponendis, super *disparitate cultus* (reservatum S. Officio!?); super impedimento mixtae religionis; consanguinitatis in 2 gradu collaterali.

26

Exc.mus P. D. IOANNES DOOLEY

Archiepiscopus tit. Macrensis in Rhodope

N. 27, § 1, page 20. This paragraph is of the greatest importance for it sanctions the principle that large dioceses should bo broken up into smaller units. In fact many dioceses are today much too large—generally because of the excessive number of inhabitants, v. g. the dioceses centred on the modern cities.

It is true that there may be inconveniences about dividing a large city especially when it happens also to be the capital of the country. But the inconveniences are much more serious when one bishop has an excessive number of clergy, religious and laity under his pastoral care. The salvation of souls seems to demand that a serious effort be undertaken to constitute more manageable units, notwithstanding the inconveniences of division.

It would be wrong to regard this, a priori, as impracticable. Even within large cities certain natural boundaries are to be found.

London, for instance, has two Ordinaries within the city boundaries, and three (I believe) within the London Postal District. Experiment will, I feel confident, show that something similar can be done in other large cities, with many advantages for the Church. What is needed here is courage and a readiness for innovation to meet modern conditions.

The several smaller dioceses resulting from a division could easily be grouped into a " Conference ", and this would ensure a co-ordination of activities.

27

Exc.mus P. D. MARTINUS FULGENTIUS ELORZA LEGARISTI

Episcopus tit. Balianensis, prael. null. Moyobambensis

Cap. I. Pag. 6, ubi de *episcoporum facultatibus,* inter paragraphum 1 et 2.

Par. 2 (sic vel similiter) addatur: « Praelati nullius et vicarii apostolici charactere episcopali insigniti, episcopis residentialibus aequiparantur in iure (integre manentibus suis relationibus cum respectivo dicasterio curiae romanae) ».

Secunda paragraphus transeat, prout iacet, ad tertiam.

Rationes: 1. Hoc triplici gradu completur schala episcopalis et saltus fit suavior

de episcopis residentialibus ad episcopos mere titulares, cum quibus confundere non licet praelatos nullius et vicarios apostolicos, qui, praeter characterem episcopalem, territorio et iurisdictione potiuntur.

2. Privilegiorum ope supplere ea quae iure fieri possunt, si non odiosum, utique fastidiosum evadit et quandam subaestimationem sapit.

3. Haec mentio praesulum missionariorum peropportuna atque iusta videtur, cum in hoc Concilio de munere missionario Ecclesiae tantum loquatur quin ullum fiat verbum de antistitibus episcopalibus missionariorum.

28

EXC.MUS P. D. IACOBUS FERGUS
Episcopus Achadensis

N. 18, 2, pag. 14, post lin. 27 addantur haec verba: « Statuta pro conferentiis iam constitutis, quae a Sancta Sede probata sunt, intacta maneant ».

N. 22, pag. 16, lin. 4, omittantur verba: « et ad effectum deducantur ». *Ratio* est: quia haec verba, si iuxta ordinaria principia interpretationis intelliguntur, obligationem videntur imponere, tum in conscientia tum iuridicam, unicuique episcopo quaslibet conferentiae decisiones semper et sine ulla exceptione ad effectum deducendi. Sed e n. 23 clare eruitur rem ita non esse, nam ex n. 23 licitum est cuilibet episcopo, ob graves rationes, contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere, dummodo antea scripto certiorem faciat conferentiam, per ipsius praesidem, de suis agendi rationibus. Praeterea infra in n. 24 obligatio iuridica ad effectum deducendi decisiones conferentiae restringitur ad quattuor casus ibidem taxative enumeratos. Itaque, tum unitati fovendae tum bono communi in universa natione promovendo satis consulitur per verba in n. 22 « decisiones... debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur » et per praescripta n. 24.

N. 24. pag. 17, post lin. 30 addantur haec verba: « Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum conciliorum plenariorum in regione ».

29

EXC.MUS P. D. SALOMON FERRAZ
Episcopus tit. Eleuthernensis

Ad n. 16 cum n. 7 collato (pag. 11 et pag. 7). Nullo modo videtur faciendam hanc allusionem ad renuntiationem suadendam, ob ingravescentem aetatem cuius limes, arbitrario modo, ponitur in annum 75, in notis. Adsunt enim exempla, internationaliter nota (ne quid dicamus de defuncto Summo Pontifice) omnino contraria, virorum sive in Ecclesia sive in societate civili, qui recte et sapienter gubernarent, aetate plus quam octogenaria.

Insuper, haec ratio valeret etiam pro Summo Pontifice et pro nonnullis em.mis cardinalibus Congregationum Romanarum praesidibus, quorum, tamen, nulla mentio in schemate fit et non est facienda.

Huiusmodi iniunctio est omnino aliena a more Ecclesiae, quae, inde a suis primordiis, senectuti episcoporum providebat, per episcopum coadiutorem, cum vel sine iure successionis.

Distinctionem autem inter duas episcoporum coadiutorum species, videtur retinendam esse, nam nec semper episcopi coadiutores apti sunt ad regendam magnam dioecesim, nisi seligantur ex episcopis qui iam aliam urbem satis magnam, pastorali cura, direxerint.

Ad n. 17, pag. 15. Cum huiusmodi conferentiae episcopales, quamvis vere utiles, ad organa mere consultiva reducuntur, sine ulla supra episcopos iurisdictione, non absente etiam periculo coetus parlamentares fiendi, cum partibus inter se contrariis, earum institutionem compleri quodammodo convenit per restaurationem primatus nationalis.

Episcopus primas, auctoritatem veram et proprie dictam, per facultates a Summo Pontifice specialiter delegatas, tamquam sui immediatus « Delegatus Apostolicus » adderet supra ipsam suam ipsius iurisdictionem, quae ei competit supra suam propriam dioecesim. Hisce facultatibus praeditus, primas, seu Delegatus Apostolicus, quaestiones inter episcopos surgentes, ordinario modo dirimere; actionem collectivam episcopatus nationalis dirigere et urgere; negotia maiora episcoporum solvere; concilium nationale, Summo Pontifice approbante, convocare et praesidere, et tandem tempore persecutionis, cum generatim episcoporum accessus, etiam scripto, ad romanam sedem prohibetur, maxima convenientia ne oriatur schisma, Ecclesias locales dirigere et inter sese unitas et Sanctae Sedi fideles servare, poterit.

Huiusmodi institutio, quin positionem Nuntii Apostolici infirmet, potius corroborat, eiusdemque missionis exercitium, ultra modum, facilem reddens, illi offerens fulcrum intelligens et securum, in medio ordinis politici et socialis perturbationum, quae in America Latina et in regionibus nuper e colonialismo egredientibus, frequenter, et non semper pacifice, sibi succedunt.

Primas qualificatos assessores a seipso electos, a Summo Pontifice autem probatos, haberet; semperque rationem ipsi Sanctae Sedi vel per Nuntium vel immediate redderet, prout res ferat.

Ceteris episcopis et sacerdotibus necnon fidelibus ius semper adesset ad Summum Pontificem recurrendi, non tantum in contentiosis, sed in omnibus. Sic salvatur et unitas cum capite visibili Ecclesiae, coordinatio actionis inter episcopos et discreta autonomia, una cum efficaciori apostolica actione.

Ad « *Appendix Prior* » haec videntur notanda:

1. Episcopis dioecesanis restituatur potestas habitualis delegandi simplicibus sacerdotibus ministerium confirmandi fideles, sine recursu quinquennali.

2. Eisdem concedatur potestas habitualis dispensandi a votis etiam perpetuis, in Congregatione non exempta.

3. Reconciliare cum Ecclesia sacerdotes illos, qui, ob matrimonium civile effectum, in excommunione inciderint, et ubi non est possibile, ob obligationes supervenientes, matrimonium sacramentale illis permittere.

4. Habito prae oculis spiritu oecumenico in Ecclesia nunc vigente, detur episcopo dioecesano facultas recipiendi in Ecclesia sacerdotes e schismate conversos, servatis servandis de recta fide, validis Ordinibus et adhaesione ad Romanum Pontificem, cui uni reservatur, ubique terrarum, admissio episcoporum.

Ad n. 17, in pag. 32, vel etiam ab impedimento formae defectuosae, quando tamen ex alia parte adest matrimonium civile et canonice validum, et unus ex coniugibus non potest vel non vult ministrum catholicum adire.

Ad pag. 36, *de facultatibus pro episcopis titularibus.* Etiam episcopi titulares ad Concilium (et a fortiori ad ipsas conferentias episcopales) ius ordinarium ha-

beant; nam de facto una cum aliis episcopis de episcopatu catholico participant, et vere sunt sicut et alii veri successores apostolorum, maxime quando collegialiter coadunantur.

Ex alia parte, cum actu non exerceant ordinariam iurisdictionem, non alia, nisi supra indicata ratione, a Summo Pontifice convocari ad Concilium possunt.

Minus dignum omnino est quod praelati nullius et etiam superiores maiores religionum exemptarum, non praediti charactere episcopali, maiori iure in Ecclesia gaudeant, maxime in Conciliis, quam ipsi episcopi titulares, una cum Summo Pontifice hac dignitate fruentes.

30

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FERREIRA ARREOLA
Episcopus Texcocensis

Cum in II periodo Concilii de aliquibus magni momenti quaestionibus peragetur, haec commissionis praeparatoriae iudicio ea qua par est reverentia subiicio:

1. Consignare fontem unde episcopalis iurisdictio procedit, uti alia de episcoporum auctoritate in schematibus praeparatoriis continentur.

2. De Urbe tantum, propter episcopatum B. Petri absonum est cogitare in dioeceses dividere.

3. Quando sacerdotes habitum talarem, propter adversas causas publice in via non deferunt; propter disciplinam cleri, necessarium videretur, Ordinarium sacerdotes exemptos cogere posse ecclesiasticum habitum approbatum in dioecesi induere.

4. Conferentiae episcopales nationales coordinant episcoporum modum agendi in his quae sunt in natione communia, nisi iurisdictione in futurum ditentur. Optandum est in omnibus recursum ad S. Sedem singulis episcopis patere.

5. Optandum est, Ordinarium loci vero iure ditari requirendi adiutorium sacerdotum exemptorum in operibus dioeceseos ubi commorantur.

31

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Animadversiones generales:

1. Etsi hoc schema valde laudandum est, tota materia non satis ordinatur circa principium collegialitatis episcoporum, quod est velut cardo huius reformationis.

2. Tanquam applicatio principii collegialitatis, optandum est ut extra Congregationes Romanas instituatur post Concilium quoddam organum episcoporum, cuius membra inter episcopos universi orbis seliguntur, et quod, statutis temporibus, Romae sese adunat ad quaestiones urgentiores ad universalem Ecclesiam pertinentes tractandas sub auctoritate, dependentia et directione Summi Pontificis, capitis collegii episcopalis. Sic, legislatio ecclesiastica, inter alia, citius, efficacius et facilius adaptari poterit circumstantiis concretis quae semper ac modo rapido mutantur.

Animadversiones particulares:

1. *Caput III*: *De nationali episcoporum coetu seu conferentia.* Absque dubio, convenit ut quaedam decisiones nationalis episcoporum conferentiae iuridice singu-

los episcopos obligent. Attamen, periculum non hypotheticum adesse potest. Nempe, potest accidere ut maior numerus episcoporum unius provinciae vel plurium provinciarum Ecclesiasticarum eiusdem nationis faveat propositioni quae ab episcopis unius provinciae ut nociva habetur in hac altera provincia. Ad similia pericula vitanda, proponitur: *a*) sive ut decisiones per tres saltem ex quatuor partibus (3/4) suffragiorum episcoporum nationalis conferentiae prolentur; *b*) sive ut decisiones per duas saltem ex tribus partibus (2/3) suffragiorum episcoporum *eiusdem* provinciae ecclesiasticae ratificentur. Decisiones approbatae a maiore parte et episcoporum eiusdem provinciae ecclesiasticae, et episcoporum conferentiae nationalis, necnon ab Apostolica Sede recognitae, et eae decisiones tantum singulos episcopos iuridice obligabunt. Haec propositio plene congruit cum eo quod scribitur in nota 6, pag. 18 huius schematis. Et sic servatur potestas episcopalis.

2. N. 15. Consentaneum est ut munus administratoris apostolici sede vacante, ipso iure episcopo auxiliari committatur. Ubi sunt plures, committatur illi qui designatus fuit ab episcopo antequam e vita decessit, vel illi qui consecratione episcopali alios praecedit. Nam, auxiliarius, ratione dignitatis characteri episcopali inhaerentis, praecellit capitulum cathedrale.

3. N. 23. Post ultima verba huius paragraphi, forsan addi potest: « Non indiget tamen licentia conferentiae ad agendum », vel verba similia. *Ratio* huius additionis invenitur in can. 329 Codicis Iuris Canonici: « Episcopi sunt apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ». Ex quo constat episcopos potestatem suam a conferentia episcopali non recipere.

4. N. 20. Consentaneum est ut superiores religiosi, superiorissae religiosae necnon nonnulli laici periti saltem consultentur.

5. *Cap. V*: *De paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione.* Dolendum est nil dici in hoc capite de erectione quasi-paroeciarum ac stationum, ut saepe habetur in terris missionum. Desideratur ergo ut aliquid addatur quando schema recognoscetur.

6. *Appendix Prior; Facultates stabiliter et ipso iure...*

A. *Quaedam facultates ibi enumeratae explicatione indigent.*

1. *Fac. 8*: Confessarius potestne confirmari indefinite?

2. *Fac. 9*: Quid sit faciendum quando religio iuris dioecesani in pluribus dioecesibus diffunditur, et unus episcopus permittit (acceptat) transitum dum alter recusat?

3. *Fac. 11*: Cur haec facultas religiosis mulieribus tantum concedaturne? Oportet illam concedere et viris religiosis non sacerdotibus et membris Institutorum Saecularium. Praeterea, potestne concedi professis vel personis votis ligatis tantum, an etiam novitiis?

4. *Fac. 12*: Verba « quavis de causa non praesente » variis interpretationibus locum necnon scrupulis et anxietatibus ansam praebere possunt. V. g. Quid sit faciendum quando parochus est praesens sed impeditus: *a*) sive quia docet catechismum infidelibus qui prima vice ad Ecclesiam veniunt et timetur ne redeantur si parochus ipse catechismum eis non docet; *b*) sive quia negotium maximi momenti (e. g. aedificatio novae ecclesiae) gerere debet cum architecto qui a longe venit et eodem die revertere debet; *c*) sive quia parochus ipse morbo gravatur; etc.

Ad has difficultates circumveniendas, forsan verbis « quavis de causa », substitui possunt verba « sive physice sive moraliter non praesente ».

5. *Fac. 18*: Addatur: « Concedi facultatem celebrandi Missam quacumque hora diei, iusta de causa ».

B. *Optatur ut ampliores facultates concedantur.*

1. *Elenchus Facultatum* quae a Sancta Sede saepe conceduntur, invenitur in: *a*) Facultates decennales a S. C. de Propaganda Fide Ordinariis missionum concessae; *b*) C. Sartori, *Iurisprudentiae Ecclesiasticae elementa,* Romae, Pont. Athenaeum Antonianum, 1949.

2. Desideratur ut agnoscantur vel concedantur facultates sequentes in favorem fidei partis catholicae, vel ad conversionem acatholicorum ad veram fidem faciliorem reddendam: *a*) declarandi matrimonium « naturale » (i. e. inter duos infideles initum) nullum, quando probatur processu saltem summario consensum defuisse saltem in una parte; *b*) dissolvendi vinculum naturale matrimonii non consummati (i. e. inter duos infideles initi); *c*) declarandi nullum (vel dissolvendi) matrimonium inter duos infideles initum, sed dubie validum, quia dubitatur de forma matrimonii, v. g. quando dubitatur an forma praescripta a lege civili sit ad validitatem vel non, ut in casu « Naien » pro Iaponia.

32

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI

Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Ut perfecta servetur identitas terminologiae in schematibus de eadem re tractantibus, opportunius videtur ut semper sit sermo de « Ecclesiis Orientalibus » (ut revera factum est in schematibus de Oecumenismo et de Ecclesiis Orientalibus) et non de « Ecclesia Orientali » ut invenitur in praesenti schemate (art. 2, pag. 6 et art. 32, pag. 21).

Non solum prudens sed necessarium puto esse vitandas quascumque oppositiones etiam mere nominales in Ecclesia catholica. Diversi adsunt ritus, sed una semper manet Ecclesia. Ideoque semper dicatur Ecclesia catholica, et non Ecclesia occidentalis vel orientalis.

33

EXC.MUS P. D. CAROLUS GRECO

Episcopus Alexandrinus

Placet.

34

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY

Episcopus Georgiopolitanus

Inter licentias considerandas videtur esse materia can. 1531 § 3. Iuxta declarationem S. Congr. Concil. 17 dec. 1951 (cf. *A.A.S.,* 44, 1952, p. 44) sensus can. 1531 § 3 notabiliter restringitur; nam declarat: « pecuniae summa, ex huiusmodi bonorum ecclesiasticorum alienationibus percepta, collocanda est *tantummodo* in acquirendis bonis *immobilibus* in commodum ecclesiae seu entis, cuius interest ».

Ideoque non videtur relinqui Ordinario ullam competentiam dispensandi ne quidem si agitur de summa infra decem millia francorum.

Submittere volo ut Ordinario tribuatur saltem competentia ubi summa sit minor quam summa de qua potest approbare alienationem.

35

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS HANLY
Episcopus Elphinensis

1. N. 18, § 2, pag. 14, lin. 28. Addatur: « vel iam confectis et ab Apostolica Sede approbatis ».

2. N. 22, pag. 16, lin. 4. Omittantur: « et ad effectum deducantur ».

3. N. 25, pag. 16, lin. 31. Addatur: « Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum conciliorum plenariorum in regione ».

36

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

This Schema is in general to be commended.

Chapter One. It is well that the relationships between the Bishops and the Sacred Congregations of the Roman Curia are discussed. It is especially gratifying to read the recommendation that Bishops of various nations be named as members and consultors of the Roman Congregations. It would be well, however, to discuss also the re-organization of the Roman Curia. Although this task will be undertaken under the direction of the Holy Father, and although treatment of such matters may perhaps be better undertaken by the Commission for the revision of the Code of the Canon Law, nonetheless the need for such re-organization should be indicated. As the Schema now stands, a reader might infer that no change in the organization of the Roman Curia is contemplated.

It would be well to abolish the present system of taxes and instead assess Dioceses and Religious Orders and Congregations to meet the expenses of the Roman Curia.

Chapter Two. Perhaps it would be well in this Schema to clearify even further the position of all titular Bishops, that is, to indicate that all Bishops are members of the Episcopal College and share in the prophetic, pastoral, and priestly mission of the Church.

Chapter Three. It would perhaps be well in treating conferences of Bishops, to consider the establishment not only of national but also of regional conferences. Whithin nations there is often need of regional adaptations, e. g. in the Sacred Liturgy, and often it may be either impossible or undesirable to make adaptations for entire nations.

No. 19. It would be well for all Bishops, including all titular Bishops, to enjoy deliberative suffrage in these conferences.

Chapter Five. No. 36. It would be well to utter a word of caution concerning the establishment of personal parishes for immigrants. In the United States of

America, as experience proves, such parishes, not infrequently, create serious problems.

It would be well to emphasize in this schema, as in others, that all priests, both secular and regular, depend upon the Episcopal College and upon the local Bishops in the fulfillment of their priestly mission.

37

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS HERRERA

Episcopus tit. Tanaitanus, coad. s. d. Jujuyensis

Caput I, ad 2. Haec nova redactio propono: « Censet Sacrosancta Synodus peropportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae, episcopi *omnes* in posterum iure communi stabiliter habeant plures facultates, *ut melius, tanquam apostolorum successores, in apostolico Ecclesiae universalis munere perfungendo et in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti, dignoscantur.* Quod vero, ad necessitudines attinet episcopos inter ac sacra romanae curiae dicasteria, percupit ut eadem ita componantur, ut magis in dies haec episcopis in regendis dioecesibus auxilio sint praesto. Placet igitur Sacrosanctae Synodo ita statuere et decernere ». *Ratio*: salvo meliori iudicio, forsitan hac redactione clarius collegialitas episcoporum enunciatur. Hucusque, differentia satis nota existens inter diversos episcopos, aliquando non tantum vere odiosa evadit in praxi haec discriminatio, sed etiam et ipsa collegialitas vigore imminuitur. Revera, hoc apparet praesertim in differentia facultatum quibus gaudent, et quidem saepe saepius cum detrimento episcopalis dignitatis coram clero et fidelibus. Nonne episcopi omnes successores apostolorum sunt et omnes in solidum responsabilitatem assumunt coram Deo et Ecclesia salutis animarum una cum Summo Pontifice et sub eius ductu? Quamvis certe residentiales praecipuum onus in animarum regimine sustineant, attamen et ceteri tanquam adiutores validi considerari debent et non solummodo sicut nominales coadiutores, relinquendo arbitrio residentialium facultates eis tribuere, ac proinde, cum probabili periculo eorum ministerium nimis coarctandi, ut in praxi, proh dolor, experientia teste, non raro occurrit.

Ad 3, § 1. In lin. 18, post verba « episcopi residentiales », haec alia, iure meritoque adiungi debent: *et coadiutores. Ratio*: coadiutores, iuxta mentem novam a S. Synodo introductam, et quidem optimo cum iudicio practico, revera Ordinarii considerandi erunt. Quapropter, bene distingui debet eorum figura iuridica supra vicarium generalem vel delegatum episcopalem (quaestio de terminologia), ut infra notabo (cf. ad 8).

§ 2. Melius esset facultatum enumeratio taxativa consignare ut in posterum dubia et anxietates vitentur.

Ad 4. Optimum quidem hoc in articulo principium statuitur. Praesertim quae in linn. 14-15 perspicue continentur, omni laude digna reputo atque opportunissima. Ita, episcopi in posterum melius et directius cum Romano Pontifice in eorum officii exercitio pastorali communicarentur, absque nimia interventione Nuntiorum Apostolicorum, quae praxis usque nunc vigens, saepe saepius coarctat libertatem praesulum et non semper libera est a personarum acceptatione. Eorum functiones, sc. Nuntiorum, ad campum mere diplomaticum restringi generatim debent, maxime quia hodie difficultates omnino desunt ad communicationes cum Sancta Sede

statuendas eo quod media ordinaria rapida et secura sunt. Ut iam dictum fuerat in conventu C.E.L.A.M. Bonis Auris habitum paucis abhinc annis, Ecclesia in America Latina ad suam maturitatem iam pervenit et ideo, qua talis S. Sedes considerare debet.

Episcopi, eorum negotia directe cum S. Sede pertractari debent et maxima cum libertate atque simplicitate, ac vicissim a Ss. Dicasteriis illorum praesentationes cum diligentia et benevolentia amplissima excipi ac considerari optandum est, fiduciam sic demonstrando erga praesules qui laudabili criterio et conscientia recta abs dubio agunt, quin ergo indigeant litteris commendatitiis Nuntiorum ut responsa favorabilia obtineant. Si Sancta Sedes in episcopatum aliquem assumpsit, pro eo praesumptio stat ut pastorale ministerium perfungat actibus mature perpensis.

Ad 5. Magno cum gaudio accipio hanc ideam. Sed maxima cum reverentia animadverto quod S. Synodus in huius novitatis introductione cavere debet a possibili personarum acceptatione — quod humanum est — in designationibus. Ac proinde, hoc facile vitare poterit, si praedicta facultas conferentiae episcopali pro casu relinquatur, et quidem secreta suffragatione.

Caput II, ad 7. In lin. 22 corrigatur textus dicendo: *...Auxiliaris vero semper sedi datur et sine iure successionis. Ratio*: ita magis consonum cum dignitate episcopali videtur, praesertim si casus possibiles — et in praxi non raro confirmati — considerentur auxiliarium qui morte occurrente titularis, in vicarium capitularem non eliguntur, et ideo in dioecesi manent sub potestate simplicis sacerdotis in vicarium capitularem electi.

E contra, si auxiliaris simpliciter sedi datur, principium in art. 15 statutum, roboratur et dignitas episcopalis in tutum vertitur. Maxime si meam propositionem ad art. 15 § 2 propositam acceptatur.

Ad 8, § 1. Textus sic modificetur: « Coadiutori, vi officii, ea in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, *tanquam vero Ordinario iure communi* competit, nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». *Ratio*: figura coadiutoris, abs dubio, plus est quam vicarii generalis figura iuridica. Ergo, bene distinguatur in praxi et a iure, eiusdem officii exercitium. Adhuc magis, ut postea dicam, mihi videtur quod in posterum vicario generali non indigeat dioecesis ubi adsit coadiutor, quia stricte necessarium non amplius iudicatur; et, si casus ferat, solummodo tanquam officialis auxiliaris in administrativis et quidem dimidiatus, admittatur. V. g. eius figura iuridica sufficiens erit sicuti provicarius hodiernus, nempe cum iure quiescente et reviviscente tantum in casibus extraordinariis, impedimenti vel absentiae sive episcopi titularis sive coadiutoris, vel — ut in art. 10 ad notam 4 innuitur —, eius figura non superet illae simplicis vicarii episcopalis pro determinata dioecesis parte constituti, vel pro quadam activitate speciali commissa. Denique, si recognoscantur coadiutori facultates tanquam veri Ordinarii loci, iam sufficienter definita eius figura esset. Attamen, si S. Synodus praescribit ut etiam in litteris nominationis clare ac determinate, prout casus ferant, facultates assignentur vel determinentur, melius eius officium suffulciretur et in praxi difficultates absint. Nam, quod abundat non nocet et ita lux iugiter in tenebris lucet.

Ad 9. Post verba: « ac reverentiam exhibeat », in linea 2, utile videtur addere: *coram clero et populo... Ratio*: experientia teste, generatim coadiutus reactione psychologica explicabili motus, non semper ab imo corde coadiutorem recipit. Sed, si in posterum omnis coadiutor erit cum iure successionis, convenit ut eius aucto-

ritas moralis inde ab initio in dioecesi in solido nitatur et coram sacerdotibus et coram fidelibus. Hoc maximi momenti reputo.

Ad 10. Redactio nova sic fiat: « Cum potestas episcopi coadiuti integra ex se maneat, ipse poterit *provicarium generalem* sibi constituere, *vel si praeferat potius vicarium episcopalem cum determinata potestate sive quiescente sive in actu pro certa parte dioecesis aut speciali administrativa activitate* ». *Ratio*: si vicarius generalis constituatur pro curia dioecesana, figura coadiutoris in capitis diminutionem vertetur. Ex altera parte, necessarium non videtur, stricte loquendo, talem designationem facere. At vero, si utilis evadat eius nominatio, semper sub ductu coadiutoris sit et determinatas functiones peragat in decreto nominationis taxative enumeratas. Nihilominus, potius designationem meri vicarii vel delegati episcopalis facere magis consonum in casu evadit, relinquendo vicarii generalis nominationem tantummodo pro dioecesibus ubi coadiutor non adsit, vel hic pleno iure constitutus sit.

Ad 15, § 2. Forsitan in praxi melius esset directe statuere ut, ubi adsit auxiliaris, ipso facto hic functiones vicarii capitularis adsumat, morte occurrente titularis, vel si plures auxiliares sint, uni ex illis a capitulo eligatur.

Caput III, ad 18, § 3. In hoc art. addere potest, sicuti in art. 27, § 2 innuitur, clausulam commendatitiam quoad *conferentias regionales* quae sat utiles, immo plusquam provinciales aliquando iudicantur.

Ad 19. Sic articuli textus reformetur: « *Episcopi omnes, necnon et coadiutores et auxiliares,* vicariis generalibus et capitularibus exceptis, si dignitate episcopali non fulgeant, cuiuscumque ritus sint, de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinent ». *Ratio*: si omnes episcopi collegialiter assumunt responsabilitatem officii pastoralis licet diversis in gradibus, sed nihilominus solidarie, qua de causa non omnes in deliberationibus pari modo considerantur et differentia fit inter et residentiales coadiutoresque et auxiliares? Hi generatim postea in residentiales adsumuntur, cur ergo inde ab initio membra collegii episcopalis nationalis non considerantur? E contra, simplex vicarius capitularis, quamvis careat dignitate episcopali, admittitur tanquam membrum a iure. Quod non convenit ut ordinarie interveniant, sunt Nuntii apostolici, velut aliquando in nationibus occurrit. Eius interventio extraordinaria debet esse. Intelligenti pauca!

§ 2 supprimatur.

Ad 32. Optimo cum consilio haec statuuntur. Utinam et pro eligendis episcopis hoc criterium in posterum etiam sequatur. Immo, et cum interventu cleri et fidelium, saltem illorum qui apostolice adlaborant plus immediate cum hierarchia ac proinde melius quam alii possunt supradictum interventum aestimare. Ita, episcopi ministerium inde ab initio valido adiutorio gauderent quod in dies magis ac magis adaugeretur et quidem maximo cum profectu animarum et in bonum Ecclesiae. Sic etiam abs dubio perplurae difficultates feliciter superabuntur.

Ad 35. Difficultates in hac materia semper surgunt, qua de causa melius esset si affirmatur simpliciter quod episcopus *auctoritate propria* paroecias dividere potest. Immo, et graviter eius onerata conscientia hoc fiat, in quo et capitulum vel consultores dioecesani et illi quibus interest plane *voto favorabili* acquiescant tanquam veri coadiutores episcopi in regimine dioecesis.

Appendix prior. Quaedam animadversiones. Lin. 21 in titulo: A) Facultates stabiliter et ipso iure episcopis residentialibus *et coadiutoribus* (addatur) recognoscendae. *Ratio*: si iuxta mentem S. Synodi, coadiutores in posterum veri Ordinarii

loci iudicabuntur, qua de causa non eis tribuerentur hae facultates? Hodie et vicarii generales gaudent facultatibus *quinquennalibus* et *decennalibus,* iuxta communem auctorum sententiam et praxim curiarum, quare ergo non gaudebunt coadiutores episcopi de residentialium facultatibus? Hoc consentaneum videtur.

Ad 2. Optime hoc principium statuitur. Sed ut facilius in praxim reducatur, bonum consilium erit ut via administrativa respectiva Codex Religiosorum conficiatur bene ordinatus et sensu practico dispositus.

Ad 3. Sic textus corrigatur: « Commutandi ob visus delibilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque perdurante, obligationem recitandi Divinum Officium cum quotidiana recitatione Rosarii B. Mariae V. vel aliarum precum. *Et etiam, si casus ferat, illis qui versantes in determinatis adiunctis recursum sive ad actum sive habitualiter instituant iusta de causa* ». *Ratio*: revera, vita pastoralis hodierna edocet quod aliquando omnino praeter voluntatem versamur in determinatis adiunctis quae difficile vel onerosum pro humanis viribus redditur Divinum Officium aut integre aut quoad partem saltem persolvere et eo quod, nemo iudex in causa sua, anxietates in conscientia surgunt. V. g., experientia teste loquor, pluries in meo ministerio ob rationes pastorales per integrum diem quietem non habui sufficientem ut Breviarium absolvere possim et valde lassus debui Officio adimplere. Et notate sedulo. Quando de ministerio loquor non praecise intelligo sensu communi (confessiones, praedicatio, sacramentorum administratio), sed alia motiva quibus tempus amplius non suppetit pro Officio Divino.

Ad 12. Textus forsitan melius sic conscribatur: « Concedendi *habitualiter omnibus sacerdotibus in paroeciis degentibus, etsi parocho praesente et illo non renuente,* facultatem... ». *Ratio*: si haec facultas data fuit in bonum animarum in periculo mortis versantium, qua de causa restrictio facienda pro ministro administrante? Nunquam rationem vidi in hac dispositione, si praxim inspicias et sano criterio iudices. Ergo, bene applicandum erit principium: Sacramenta propter homines!

Ad 13. In fine huius articuli forsitan adiungi valeant sequentia: *Libere recursum manens ad S. Sedem pro ulteriore tempore expostulando.*

Ad 15. In fine articuli practice addere iudico: « ... ferialibus non exceptis, etiam extra cathedralem ecclesiam *et quidem, iusta de causa quoque et vespere* ». Igitur, post verbum *exceptis,* supprimatur particula *et.*

Ad 18. Haec facultas optimo cum iudicio practico introducitur in vita pastorali. Sed, salvo meliori iudicio, adhuc magis practica erit si in fine art. sequentia addantur: « Has facultates, episcopi vel Ordinarii loci, concedere possunt eorum onerata conscientia, iusta de causa, praesertim pastorali, pro quacumque hora diei, vespertina vel nocturna non excepta, et etiam pro matrimonii celebratione vel exequiarum, tunc hora nocturna exclusa. Immo, et licite stipendii perceptio iuxta mentem Ordinarii, admitti valeat, sive pro seminario sive pro alio opere pio non excluso beneficio proprio celebrantis si paupertate adlaboret ». *Ratio*: praxis pastoralis edocet quod in dioecesibus missionum, ut perplurimae sunt ubique terrarum, iteratio quotidiana Missae beneficium spirituale magnum est et fideles maximo cum gaudio in Sacrificio participant. Praeterea optima occasio redditur pro catechetica instructione impertienda. Et hoc utilius adhuc evaderet si absque temporis limitatione fieret scil. horis matutinis vel vespertinis. Item si pro quacumque iusta causa licite admittatur celebratio.

Quoad stipendii perceptionem, ratio usque nunc a Codice vel commentatoribus

allata, valida non video. Perplures sacerdotes revera paupertate digne laborant et eis permittere eleemosynam duplicem percipere, non esset avaritiae sensum fovere pro illis. Minime vero! Hodiernae exigentiae tales sunt quae uti hac facultate tuta conscientia consiliant. Et, si in aliquo loco vel dioecesi hoc pro sacerdotibus necessarium non videatur, semper Episcopi pia opera habent ut in illis impendere possint.

Ad 21. Art. redactio ampliori sensu perutilis appareret, nempe: « *Concedendi, iusta de causa, omnibus sacerdotibus, facultatem substituendi, loco petrae sacrae antimensium...* ». *Ratio*: petra sacra incommoda est et aliquando etiam summo pretio. Praeterea, facillime exsecratur et ideo difficultates pro itinere transportando adsunt. Sed et aliquando pro sacellis perutile evadit antimensium si Missae celebratio habitualiter non fit.

B) *Facultates stabiliter ipso iure...*

Ad 1. Redactio sic fiat: « § 1. *Celebrandi ubique terrarum et quacumque hora, etiam nocturna, si casus ferat, et sine ministro casu necessitatis, quando sive ob rationes pastorales sive ob alias iustas causas ad hoc constringantur.*

§ 2. Audiendi ubique terrarum confessiones, etiam religiosorum utriusque sexus, *et si casu accidat, haec facultas etiam pro sacerdote episcopo comitante.*

Utinam etiam et concedatur episcopis omnibus quamvis mere titularibus, potestas *indulgentias* concedendi ubique terrarum (quoad modum S. Sedes iudicabitur). Et denique, ut in posterum indulgentiae concessae pro episcoporum anuli osculo, lucrari valeant fideles *unica benedictione,* absoleto omnino anuli osculo ». *Rationes* patent!

38

EXC.MUS P. D. ANDREAS JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

In cap. III huius schematis, nisi plurima tractanda sint in Iure canonico, videntur non pauca ibi deesse.

Pag. 14, n. 18, lin. 25. Optandum est ut saltem delineamenta generalia huiusmodi statutorum inveniantur in appendice, quibus apparet mens huiusmodi conferentiae et quae sint adiumentum.

In hoc capite, coetus episcoporum potius apparet sicut est in maioribus nationibus in quibus multi sunt episcopi; difficilius libertas et facilitas conferentiae invenietur in nationibus in quibus perpauci sunt Ordinarii. Optandum est ut ad earum auxilium sint statuta quasi iam determinata quibus sese adiuvare possint.

Pag. 15, n. 19, lin. 5. Dicitur: « Omnes Ordinarii locorum ». Etsi schema sit de « episcopis », tamen intelliguntur forsan non tantum Ordinarii episcopi, sed etiam illi qui charactere episcopi carent, ut sunt in non paucis regionibus: praefecti apostolici, administratores apostolici, vicarii capitulares sede vacante etc. Si illi hic audiuntur, optandum est ut in appendice agatur etiam de eorum facultatibus a iure.

Pag. 25, n. 36, lin. 1 (Paroeciae personales). In praxi pastorali, saltem in quibusdam regionibus (v. g. Asiae, Africae...), nonnisi aegre et non sine plurimis difficultatibus habentur paroeciae simpliciter personales. Forsan optandum est ut possint erigi paroeciae quae sint simul territoriales quoad omnes in territorio degentes et personales quoad determinatas personas, quae etsi in aliis territoriis degentes, ab eadem paroecia iuridice pendeant?

N. B.: Forsan consulto, praesertim in cap. III, nihil dicitur de Sanctae Sedis *Delegato* aut *Nuntio* in unaquaque natione. Opportunum autem videtur ut: 1) In seligendis legatis Sanctae Sedis pro territoriis missionalibus, ratio habeatur de cognitione quaestionum missionalium et culturae gentis ad quam mittuntur; 2) Delegati Apostolici (et Nuntii, salvo praescripto can. 267, § 1, 1°) tantum fruantur potestate vigilandi modeste in statum Ecclesiarum in territoriis sibi commissis et de eo Romanum Pontificem certiorem reddendi; ideo facultates ipsis commissae coarctentur et stricte limitentur, ne Delegati locorum Ordinariorum suae iurisdictionis liberum exercitium impediant et videantur super episcopum et etiam archiepiscopum residentialem dioecesim gubernare.

Quamobrem pag. 28, linn. 11 et 12, deleantur verba: « Nuntiis seu Delegatis Apostolicis ».

39

REV.MUS P. D. IOANNES B. IANSSENS
Praepositus generalis S. I.

Res in hoc schemate contentae omnes placent, duabus tantum exceptis, de quibus statim. Respondent enim votis plurimorum episcoporum, atque conferent ut mihi videtur bono Ecclesiae per orbem diffusae.

Duae res quae non placent, hae sunt. Pag. 21, n. 31: crediderim e contra Ecclesiae profuturum si iurisdictio localis ubique paulatim restituetur, vel instaurabitur. In non paucis locis nimiae oriuntur difficultates et desaedificatio inter fideles ob simultates inter duces eorum spirituales ratione rituum dissidentium. Instauretur iurisdictio exclusive localis, cum cautionibus debitis ut necessitati spirituali, immo legitimis desideriis singulorum rituum plene satisfiat (utputa per vicarios generales pro variis ritibus, moderante unico episcopo, vel bene multis aliis rationibus). Omnibus ritibus permittatur apostolatus apud infideles (cogito praesertim de India), sub auctoritate unius episcopi localis: multum favebitur diffusioni fidei catholicae, quin oriantur difficultates deprecandae.

Pag. 31, n. 13: ne facilior reddatur dispensatio in aetate pro sacerdotio. Inter sacerdotes ante aetatem ordinati, plurimi sunt primae omnino notae et sancti; sed simul considerare oportet numerum defectionum praesertim inter iuvenes sacerdotes. Humiliter crediderim expedire si absoluta formatione in seminario, iuvenes ordinentur tantum ad diaconatum, ac per plures annos (non per unum alterumve tantum) in paroeciis vel operibus ut diaconi laborent. Cum versus 30 aetatis annum patebit eos solidae esse virtutis, boni iudicii, prudentes et stabiles in occasionibus periculosis, ad sacerdotium promoveantur. Sperare licet tunc longe pauciores fore apostasias a sacerdotio.

Haec de rebus hoc schemate contentis. Humiliter autem censuerim non convenire hoc schema proponere Concilio; nam

1. Nullo modo decet ut Concilium Summo Pontifici iniungat nec etiam commendet normas secundum quas convenit Ecclesiam gubernare. Ne iniungat, patet; sed ne commendet quidem: cum enim non singuli episcopi, qui possunt filiorum instar Patri in Christo ea proponere quae sibi in Domino occurrunt, sed collegium episcoporum aliquid praesertim sollemniter, ut fit in Concilio, commendat Sancto Patri, huius libertas agendi multum, ne dicam fere plene coartatur. Quid enim si Pontifex agat contra votum, publice in Ecclesia et extra eam notum, uni-

versi fere collegii episcoporum? Gravissima tentatio foret pro plerisque catholicis, scandalum pro non catholicis.

2. Non convenit Concilium codicem quasi, ad singula et minuta descendentem, conscribere et promulgare. Non valet coetus 2.000 hominum codicem aptum conscribere. Nec decet ut Concilium, quod pro integro forsitan saeculo et amplius, leges fert, sese periculo exponat ut post minus quam 50 annos (ut experti sumus pro Codice Iuris Canonici) plura antiquata, complenda, de medio tollenda videantur.

Ad summum: quaedam praecipua capita tantum non ut decretum Concilii, sed ut eius humile votum deferantur ad Summum Pontificem. Et haec capita emineant humilitate, moderatione, reverentia, ita ut certum sit minime ne moraliter quidem ligare plenam libertatem Pontificis.

Cavendum enim est ne dum extollimus dignitatem episcoporum, ullo modo, ne indirecte quidem, derogemus potestati supremae, eique immediatae et episcopali Summi Pontificis in singulos per orbem fideles. Nimis salutifera fuit Ecclesiae haec potestas manifeste declarata quam ut ullo modo ei noceamus.

40

Exc.mus P. D. IOANNES PATRITIUS KAVANAGH
Episcopus Dunedinensis

Pag. 24. Viso praescripto can. 1422 C.I.C. in voto est ut hic paragraphus includat haec vel similia verba: « Episcopus... quaslibet paroecias etiam illas commissas religiosis exemptis... ».

Pag. 32, n. 19. Melius: Concedendi sacerdotibus debilitate laborantibus...

Pag. 34, n. 26. Alumnus antea incardinatus in alia dioecesi vel religione atque vi huius facultatis legitime receptus ab aliquo episcopo ipso iure in clerum admittentis incardinatur.

N. B.: Ius vigens quod attinet ad episcopum proprium pro ordinatione saecularium (c. 956) est implicatum, praesertim in casu viri legitime admissi in seminarium in aliqua dioecesi sed pro servitio in alia. In voto est ut in novo iure condendo episcopus illius dioecesis pro cuius servitio alumnus legitime in seminarium admissus fuisset.

In C.I.C. tota legislatio de paroeciis invenitur in sectione de beneficiis. Melius esset si in novo codice condendo inveniatur in sectione de officiis. Canones de officiis applicantur beneficiis quamvis illi de beneficiis non tangunt officia.

41

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Ad pag. 7, n. 5. *Emendatio proposita*: quamquam largitatem, quam n. 5 sentit, magni facio, tamen ob rationes graves infra indicatas textus huius numeri mihi emendandus esse videtur modo qui sequitur vel meliori modo de meliori iudicio peritorum: *N. 5.* « Apud S. Sedem formetur collegium permanens episcoporum, ab episcopalibus conferentiis nationalibus designandorum et a Summo Pontifice approbandorum, quod ad minus semel in anno Romae conveniat, ut de quaestionibus,

quae pastores animarum in toto mundo laborantes occupant, S. Patrem certiorem faciat, de communi bono magis promovendo ac de communibus periculis efficacius avertendis cum eo deliberet, directiva opportuna suggerat, eorundemque exsecutionem coordinet.

Nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali nationali designandi, ab Apostolica Sede nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum, a quibus, statis temporibus, convocentur et in laboris deliberatione effective assumentur ». *Rationes*:

1. Scopus innovationis, de qua in hoc capite agitur, non solummodo est ille, qui ponitur in nota 5 (pag. 8), scil. « ut Romana Curia magis in dies internationalis, ut dicitur, evadat », sed imprimis hic, qui in pag. 2, lin. 9 ss. praepositus est, nempe ut episcopi, « utpote apostolorum successores, in apostolico Ecclesiae universalis munere perfungendo in partem Romani Pontificis sollicitudinis assumpti dignoscantur ». Ad hunc scopum obtinendum collegium episcoporum, corpus vere deliberativum circa personam Romani Pontificis formans, multum mihi videtur esse comportaturum.

2. Haec S. Synodus in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* doctrinam Concilii Vaticani I feliciter complens, potestatem ac responsabilitatem episcoporum ut membra collegii clarificavit eamque in ceteris schematibus aptis decisionibus ad praxim Ecclesiae protrahit. Restat, quod haec protractio per institutionem collegii uti est propositum usque in supremum Ecclesiae gubernium de facto etiam deducatur, in cuius servitium potestas et responsabilitas collegialis episcoporum enim ex natura sua tendit. In tali collegio invenietur ex una parte agnitio practica et eminenter concreta illius collegii episcoporum potestatis, quae doctrinaliter in constitutione *de Ecclesia* iam est provisa, eo nempe quod de facto etiam « caput collegii eos ad actionem collegialem invitat », uti habetur ibi in parte I, pag. 27, linn. 36 s. Et ex altera parte per institutionem talis collegii, quo episcopi in supremo Ecclesiae gubernio suam responsabilitatem vere assument suamque potestatem in debita subordinatione vere exsequentur, efficietur, quod haec eorum responsabilitas e vaga sollicitudine ad veram oneris comportationem evehatur et haec eorum potestas ad exsecutionem realem perducatur.

3. Per institutionem collegii, uti propositum est, mobilisatio et cooperatio omnium episcoporum in bonum commune Ecclesiae multum adiuvabitur. Saeculis praeteritis ista bona, in quibus sine dubio etiam ratio invenienda est, cur Christus Dominus suam missionem duce Petro in collegium apostolorum transtulit, ob varias quibus occurrebant difficultates plenum suum effectum sortiri numquam poterant. Nostris autem temporibus plura ex his impedimentis evanuerunt, ita ut mobilisatio et cooperatio ista nunc sint possibiles. Et insimul earumdem utilisatio facta est maxime urgens, eo nempe quod Ecclesia hac praesertim aetate celerrimo modo inter omnes gentes sit propagata ac in toto mundo immensibus laboribus intricatissimisque vicissitudinibus sit confrontata.

4. Per solam assumptionem episcoporum tamquam membra vel consultores in Ss. Romanae Curiae Congregationes, uti in n. 5 huius schematis proponitur, scopus expositus mihi vix obtineri videtur. Unaquaeque S. Congregatio enim de parte tantum negotiorum Ecclesiae curare potest. Episcopi vero, qui tamquam deputati suarum conferentiarum nationalium S. Sedem adibunt, de universis suae regionis negotiis agere debebunt solutionesque obtinere. Neque est obliviscendum, episcopos, qui hoc modo in Ss. Congregationes tamquam membra vel consultores assu-

mebuntur, in labore specializato ibi faciendo nonnisi difficulter et minore cum efficacitate posse participare.

5. Internationalisatio Ss. Congregationum, uti in textu n. 5 est provisa, sane magnum bonum Ecclesiae afferet. Ideo hoc propositum in secunda alinea meae emendationis retinui. Sed praeter ea alia bona etiam sunt obtinenda. En ratio prioris alineae huius propositionis.

42

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. In quaestione de episcopis et de eorum relationibus et cum Sancta Sede et inter se necnon de regimine uniuscuiusque dioecesis quod attinet, semper prae oculis habenda est natura Ecclesiae ex ipsius Christi divina institutione. Nam in ea Ecclesia Christus voluit ut Petrus eiusque successores potestatem super omnes Ecclesias non tantum *plenam* et *supremam,* sed et *ordinariam* atque immediatam possiderent, vi cuius potestatis *immediatae* Pontifices Romani in omnes Ecclesias directe intervenire possent, necnon ad suum iudicium tribunaliaque quascumque causas diudicandas avocare valerent.

Nec quemque latet dicasteria romana semper Romanum Pontificem *iure delegato* iuvare voluisse in exercitio suae potestatis super omnes Ecclesias *ordinariae.* Quaecumque perinde hucusque aut a Romanis Pontificibus aut a Dicasteriis Romanis, saeculis praeteritis, disposita sunt, aut Sedis Romanae iudicio reservata sunt, *iure* quidem et iuxta intentionem ipsius Divini Fundatoris revera acta sunt.

Quibus omnibus *theoretice* propositis, *practice* tamen fatendum est aliquas mutationes in gubernatione Ecclesiae, quae est institutio semper viva atque perinde necessario crescens, *mutatis conditionibus* et populorum, et aetatum, necnon circumstantium actualium, semper optandas esse. Et praesertim si consideretur episcopos ipsos saepissime hodie melius intellegere conditiones actuales in eorum dioecesibus ac ipsam Sanctam Sedem eiusque dicasteria, locus certe videtur *amplificandi* facultates episcoporum ac *restrictiones auferendi* quae usque modo viguerunt. Nam cum scopus totius Concilii Vaticani II ex intentione Summi Pontificis Ioannis XXIII, felicis memoriae, est Ecclesiam hodiernam ad conditiones actualiter vigentes *intus* reformare, nil mirum si aliquae mutationes ex parte relationum episcopos inter atque Sanctam Sedem introducantur.

Hoc schema mutationes has optime introducit. Et etsi mutationes aliquoties *radicales* videantur, tamen sine ullo dubio melius cum circumstantiis actualibus concordare videntur quin ex ipsis intentio Christi, divini Fundatoris, aliquid detrimenti patiatur.

In genere, ergo, cum in Ecclesia Christi salus animarum sit prima lex, autumandum est suggestiones hoc in schemate contentas Patribus Concilii placituras esse.

In Specie.

Caput I. 1. Pag. 6, lin. 22. Melius esset si legeretur « in Appendice Priori (A) », nam heic sermo de episcopis *residentialibus exclusivo modo* fit.

2. Pag. 6, n. 3, par. 2. Optime haec sectio *omnibus* episcopis, titularibus inclusis, concedere velit omnes facultates quae characteris episcopalis dignitati congruunt. Sed quaenam sunt hae facultates heic memoratae? In schemate non nominantur. Mihi quidem intellegi videntur facultates quae in Appendice Priori (B) continen-

tur. Et si ita est Patrum intentio, melius esset si textui adderentur verba: « *et quae in Appendice Priori* (B) *inveniuntur* ».

Hoc in loco (lin. 24) necnon pluries aliis in locis huius schematis vox « mere » male sonare videtur. Episcopus est aut residentialis aut titularis. Vox « titularis » ex sese clarissima est, dum, e contra, additio vocis « *mere* » laesionem dignitatis episcopalis insinuare videtur. Melius ergo esset si vox « *mere* » e textu, hic et alibi, tolleretur.

3. Pag. 7, n. 4. Optime sonat hoc principium fundamentale, et bene inculcare intendit spiritum caritatis christianae in regimine Ecclesiae. Certissime gravissimum scandalum inter Christi gregem foret, si in Ecclesiae regimine « acceptio personarum » esset prima lex potius quam ipsissima animarum salus.

4. Pag. 7, n. 5. Optima suggestio, nam quantumcumque munus suum cum absoluta sinceritate adimplere voluerint membra aut consultores dicasteriorum romanorum, numquam tamen ad rectam aestimationem conditionum quae apud varias gentes atque diversas nationes vigent pervenire poterunt, nisi iisdem tamquam consultores episcopi nonnulli diversarum nationum, a Sancta Sede designandi, adsocientur.

Caput II. 1. Pag. 10, n. 12. Praeter iura et officia quae ei ex Litteris Apostolicis aut ex Ordinario loci obveniunt, videtur suadendum ut episcopus auxiliaris si non unicus, saltem unus ex vicariis generalibus nominetur.

2. Pag. 11, n. 14. Hoc melius faceret auxiliaris si esset eodem tempore vicarius generalis iuxta dicta supra quoad n. 12.

3. Pag. 11, n. 16, par. 2. Nonne melius esset si *fons* ex quo haec sustentatio derivaretur *explicite* determinaretur? Estne sumenda ex reditibus dioecesis vel Sanctae Sedis vel alio ex fonte?

Caput III. Pag. 16, n. 24. Provisiones nn. 22 et 23 optime proponuntur dummodo agatur de statu mere optando. Minime placent omnes provisiones n. 24, speciatim ea quae in sectione « d » declarantur, in quantum *iuridice ligare* episcopos dissentientes intenduntur. Et quidem, etsi *unitas* in episcopatu alicuius nationis magnopere optanda sit, speciatim in relationibus cum gubernio civili, confundi tamen non debet haec *unitas* cum *uniformitate*. Et si episcopus dissentiens seu episcopi dissentientes ex eo quod non sit unus eorum qui duas supra tres partes efformant *iuridice* cogeretur opinionem maioritatis sequi, videretur contradicere naturae *monarchicae* episcopatus residentialis quae natura monarchica esse iuris divini apparet.

Praeterea, provisio in num. 24 (d) est nimis ambigua, nam et *ipsa maioritas ex sese* declarare possit *quaenam res ut graves considerari debeant* quin aliis episcopis dissentientibus uti graves appareant. Et sic practice regimen alicuius dioecesis particularis, his in rebus saltem, transiret ex regimine monarchico in regimen aristocraticum quod doctrinae catholicae repugnare videtur.

Singuli episcopi solum Sanctae Sedi directe subditi sunt; non corpori aut maioritati aliorum episcoporum. Provisiones n. 24, uti in textu iacent, videntur nimis periculosae et abusibus aut aptae aut faventes.

Caput IV. Pagg. 20-21, nn. 27-28 (par. 2). Estne aliquid ex iure stabiliendum de divisione bonorum ecclesiasticorum his in casibus?

Appendix prior. Sicuti in introductione harum animadversionum iam dictum est, locus hodie in Ecclesia est facultates Ordinariorum locorum amplificandi et restrictiones inutiles auferendi. Omnia quae in hac appendice continentur optima et

Ecclesiae perutilia videntur. Quapropter magnopere suadendum est ut episcopis residentialibus et stabiliter et ipso iure hae facultates seu iura concedantur.

Pag. 34, n. 26, lin. 13: insistatur super verba « dummodo prius episcopus, etc. » quia experientia docet saepissime has notitias de causa dimissionis, et de moribus, indole et ingenio, ante praesentes decisiones Ss. Congregationum de Seminariis et de Religiosis, non requiri.

43

EXC.MUS P. D. LORAS THOMAS LANE
Episcopus Rockfordiensis

N. 10, linn. 19-20. Occasio potest dari quo impossibile sit agere secundum mentem et voluntatem tum episcopi coadiuti tum coadiutoris. In casu conflicto mens et voluntas coadiuti praevalere debent.

N. 14, pag. 11. Quando habentur et coadiutor et auxiliaris in eadem dioecesi, quaenam sit relatio auxiliarem inter et coadiutorem?

N. 16, pag. 11, § 2. Sequentia privilegia concedi non debent nisi cum consensu Ordinarii: 1. induendi cappam magnam; 2. pontificalia cum throno et baldachino peragendi.

N. 23, pag. 16. Sermo praeferenda: « Episcopus agere non debet contra decisiones conferentiae in casu particulari in sua dioecesi nisi ob graves rationes ». Reliqua omittenda.

N. 35, pag. 24. Omittenda verba in lin. 26, « capitulo cathedrali et... » ita ut reddatur paragraphum: « Episcopus valet auctoritate propria, auditis iis, quorum intersit, si qui sint, etc. ... ».

44

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY
Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Pag. 5, linn. 4-6. (Omittantur verba S. Augustini): « nihil periculosius » non est forsitan indubitanter verum; illud « hoc tempore » se refert ad saec. IV-V, non ad nostrum saeculum.

Pag. 9, linn. 24-28. (Mutetur paragraphum ut sequitur): « Coadiutor vi officii *vicarius generalis constituitur, et quidem primarius si plures sint; a quo munere nisi per Sedem Apostolicam amoveri nequit,* nulla *insuper* facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». Melius est ut « persona » iam in iure existens adhibeatur, quam ut nova personalitas iuridica creetur; amoveri non debet quia ius successionis habet.

Pag. 10, lin. 5. Addatur: « ... *ad quod assicurandum statuitur ut actiones contra expressam episcopi coadiuti decisionem omnino invalidae forent* ». In ultimo loco, omnino necesse est ut nonnisi unum « caput » in dioecesi sit.

Pag. 10, lin. 15. Inseratur post verba « V. Generalis »: « *a coadiuto constitutus,* etiam etc. ». Haec mutatio requiritur propter emendationem pro pag. 9, linn. 24-27 supra propositam.

Pag. 10, lin. 23. Loco « ne renuat » lege « ne *cunctetur* episcopus ». « Renuere » aliquid aliquis potest solummodo post invitationem acceptam; sed episcopus ipse debet sua sponte necessitati dioecesis praevidere.

Pag. 10, lin. 12. Lege: « poterit *etiam alios vicarios generales* sibi constituere... ». Quia ut supra propositum est, coadiutor esset iam primus v. g.; et potestas episcopi Ordinarii non iure restringitur ad unicum sibi vicarium generalem constituendum.

Pag. 11, lin. 27. Omittatur « vel ob ingravescentem aetatem ». Quia non propter ipsam senectutem, sed potius ob infirmitates quae forsitan senectutem comitentur, homines inhabiles muneri fiunt. Quae infirmitates satis significantur verbo « debilitatem ». Senex qua talis, ut ex experientia clare patet, non est inhabilis ad regendam Ecclesiam multo minus dioecesim.

Pag. 16, lin. 4. Omittantur verba: « et ad effectum deducantur ». Verba videntur significare omnes decisiones valorem iuridicum habere, quod n. 24 repugnaret.

Pag. 16, lin. 25. Lege « quando gravitas rei *ex natura sua* exigat... praesulum cum voto deliberativo *ad conferentiam iure pertinentium* iudicent decisionem etc. ». Eo consilio ne qui, occasionem nacti, omnibus imperent quae paucis placeant, velut si episcopi adstantes non tota vel etiam maior pars conferentiae, neque nuntiatum fuerit de tanto negotio disceptandum esse.

Pag. 18, lin. 31. Addatur novum caput ut sequens: n. 25. « Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum conciliorum plenariorum in regione ». Ut applicatio horum statutorum magis accommodetur circumstantiis concretis regionis.

Pag. 21, lin. 34. Addantur verba: « easque, *episcopis quorum interest certioribus factis,* Apostolicae Sedis iudicio etc. ». Haec limitatio videtur requiri ex quadam naturali decentia saltem.

Pag. 25, lin. 4. Lege: « *Annuenti* capitulo cathedrali et *auditis* parochis consultoribus, ... ». Aliter potestas est nimis absoluta et personalis pro re tam spinosa.

Pag. 28, lin. 27. Lege: « competunt *ipso iure* etiam Ordinario loci ». Sic habitualiter delegari possunt.

Pag. 37, linn. 11-12. Melius forsitan sic: « a) *Expediantur, iuxta modum magis hodiernum procedendi in rebus civilibus et commercialibus, negotia Ss. Congregationum* ».

45

Exc.mus P. D. PATRITIUS FRANCISCUS LYONS
Episcopus Saliensis

Sicut rogavit em. sua rev.ma card. secretarius status Sanctitatis Suae, litteris die 30 aprilis 1963 e Civitate Vaticana editis et a me die 7 iunii 1963 Saliopoli receptis quibusque voluit ut Patres conciliares eorum animadversiones, observationes, consilia et emendationes de schematibus pro eodem Concilio adhuc praeparatis secretario generali Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II intra hunc mensem iulii mitterent, ego subsignatus ep. Saliensis vellem *emendare schema decreti de episcopis ac de dioecesium regimine* modo sequenti:

Cap. III « De nationali episcoporum coetu seu conferentia », sectio II « De conferentiae moderamine », n. 19 « *De iis quibus conferentiae interesse competit* ».

Iuxta experientiam meam uti membrum nationalis episcoporum conferentiae iam a pluribus annis, est omnino contra bonum Ecclesiae necnon concordiam quae

inter episcopos unius nationis ante omnia desideratur, permittere alicui dioecesi plus quam unum suffragium deliberativum in rebus determinandis a nationali episcoporum conferentia: ideoque desiderarem emendationem n. 19 huius decreti uti hic sequitur:

19, 1 ... « Omnes Ordinarii locorum cuiusque ritus, vicariis generalibus exceptis, necnon et episcopi coadiutores de iure ad nationalem episcoporum conferentiam pertinent et cum suffragio deliberativo: ita tamen ut unicum tantum suffragium pro quacumque dioecesi dari potest, scil. ab ipso Ordinario loci si adsit aut eo absente ab eius episcopo coadiutore.

19, 2 ... Etsi de iure episcopi mere titulares, in natione degentes, non pertinent ad nationalem episcoporum conferentiam, possunt ex peculiaribus statutis in conferentiam cooptari sed sine suffragio deliberativo ».

Rationes. Valde desiderandum videtur ut ipsi Patres conciliares quaestionem de iis quibus nationalibus episcoporum conferentiis interesse competit cum suffragio, hic et nunc accuratius determinarent quia secus facile non esset rem satis resolvere apud singulas nationales conferentias iam exsistentes ob implicationem rei familiaris, eo ac magis si durante disceptatione adstarent episcopi mere titulares qui, in tales conferentias iam a pluribus forsan annis cooptati et quidem cum suffragio deliberativo, de hac ipsa quaestione (de eorum scilicet competentia necnon iure suffragium ferendi) suffragium ferre exspectarent.

Praeterea, etsi in aliqua conferentia alicuius nationis ad hanc quaestionem determinandam soli Ordinarii locorum suffragium ferrent, illi ob praesentiam episcoporum mere titularium ancipites sese invenientes, mentem suam veram aperire facillime haesitarent.

Pro rebus determinandis quae iuxta schema omnes nationis episcopos iuridice obligare possent, iustum esset et sufficiens habere duas ex tribus partes suffragiorum prolatorum a solis Ordinariis locorum qui vere, directe ac primarie cum cura animarum tum bono Ecclesiae in eorum dioecesibus coram Deo onerati sunt.

Cum omnes res quae, suffragiis prolatis, omnes episcopos alicuius nationis obligare possent erunt de ipsarum natura maximi momenti et Ecclesiae et nationi, ii soli qui in eorum dioecesibus onus postea haberent tales res adimplendi deberent ab initio obligationem determinare. Hoc valet ante omnia de rebus quae modo nationali afficere possunt liturgiam, cultum publicum, institutionem iuventutis, moderamen seminariorum, apostolatum laicorum, actionem socialem, et alia huiusmodi eo vel magis quia pro talibus rebus vix non semper apud conferentiam agendum esset de provisione pecuniae a singulis nationis dioecesibus.

In bonum Ecclesiae non esset, nisi dicam quod esset agere perperam, si in rebus nationalibus determinandis opinio maioris partis dioecesium reiiceretur a maiore parte episcoporum e quibus plurimi uni solae eidemque dioecesi pertinerent.

Periculosum insuper esset quod aliquis episcopus « cum pluribus vocibus » loqui posset et quidem cum pluribus suffragiis de rebus quae locos quasi semper potius quam personas afficerent.

Ad haec accedit, uti opinor, quod esset contra bonum Ecclesiae si aliquis episcopus metropolita, mere quia haberet secum in sua dioecesi unum aut plures episcopos auxiliares, posset semper suffragiis vincere omnes aut maiorem partem episcoporum suffraganeorum in sua provincia. Peius forsitan esset si aliquis episcopus suffraganeus, propter aetatem aut aegritudinem auxiliarem habens, plus suf-

fragiis semper valeret quam alios suffraganeos vel ipsum metropolitam qui nullum auxiliarem possiderent.

Experientia clare docet discordiam necnon frustrationem oriundas esse apud nationalem episcoporum conferentiam quando episcopi curam habentes dioecesis inveniant res esse saepenumero determinatas aut praedeterminatas non vero singulis suffragiis singulorum episcoporum coram Deo et in bonum Ecclesiae mentem eorum ac iudicium exprimentium, sed potius a minore parte episcoporum qui vocibus pluribus ornati sint eo quod eorum episcopi auxiliares, ob timorem aut reverentiam, in suffragiis ferendis eorum exemplum quasi ad unguem sequuntur.

Praeterea, dioecesis quae est rustica cum parvo numero sacerdotum et fidelium vocem forsan maiorem potius quam minorem pandere deberet in problematibus nationis apud conferentiam resolvendis quae essent rationis pastoralis et missionariae. Tamen, talis dioecesis generatim auxiliarem non possideret ideoque suffragiis vinceretur a dioecesi urbana, quae talia problemata minus forsan cognosceret sed quae plus quam unum suffragium dare posset propter eius auxiliarem.

Summatim: pro *una dioecesi una* solummodo *vox* in conferentia loquatur oportet.

Pro *bono Ecclesiae* et *nationis* necnon pro casibus in quibus *Apostolica Sedes* nationis mentem vere scire desideret, maximi momenti ante omnia esset scire quid opinentur *ii qui pro cura animarum* vere et principaliter sunt *responsabiles*.

Secus, opinio per medium suffragiorum posset esse falsa et *contra mentem* et *iudicium* et *experientiam* eorum qui saepius essent *membra magis matura* nationis *hierarchiae*.

46

Rev.mus P. D. PETRUS MALEDDU
Praefectus apostolicus Hinganfuensis

Officia episcoporum conferentiae nationalis declaranda magis videntur, praesertim:

1. Super reipublicae regendae artem: ut non modo super reipublicae imperium valeat, sed ut etiam normas tum clero tum catholicis Institutionibus omnibus impertiant, quibus tum clerus tum Institutiones catholicae auctoritate valeant ad bonum spirituale et morale nationis fovendum.

2. Super scholas: communistae et athei videntur in Italia unionem iniisse ad disciplinas philosophicas necnon historicas in publicis lycaeis tradendas: huic unioni deest inter catholicos oppositio, unde fit ut saepe iuvenum animi a recta sentiendi via abducantur. Itidem pluris in locis desunt idonei sacerdotes qui athenaei alumnorum curam gerant.

3. Super spectacula tum cinematographica tum televisiva: ut fortiter, instanter, practice, omnino bellum in immoralia spectacula ducatur; ut cum iam spectacula in cuiusvis consuetudine vitae invaluerint, modus spectacula spectaculis opponendi inveniatur et quamprimum ad effectum perducatur. Quod nisi fiat inutile prorsus bellum in spectacula inhonesta geremus.

4. Super ephemerides. Ut adversarii propriam habent nationalem ephemeridem (v. *L'Unità, L'Avanti!*) ita catholici una ephemeride catholica, quae totam nationem spectet, opus est: sit autem ita composita ut lectione sit grata, in certamine pro bono suadendo constans et fortis, in malo denuntiando alacer et tempestiva, in iudi-

cia super eventa ferendo manifesta et secura: sit incitamentum ad subscriptiones contra publicam immoralitatem, tum quoad libros et ephemerides, tum contra spectacula, tum quoad corruptelam socialium morum.

5. Necessaria quoque videtur ephemeris altera (tipo rotocalco), ab officio nationali condendo in lucem editura, qua publica opinio de catholicis institutis, experimentis, operibus socialibus, speciatim quoad iuventutem, opifices, catholicam culturam, necnon Missiones informetur. Haec erit optimum auxilium in apostolatu clericis. Una autem tantum ephemeris haec omnia complectatur, quae nunc in tot ephemeridibus inveniuntur: sitque prompta ad consilia, et liberae pateat disceptationi.

47

Exc.mus P. D. NICOLAUS MARGIOTTA
Archiepiscopus Brundusinus

Cap. II: De episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus; n. 15, par. 2: « Facultates auxiliaris sede vacante ». Si aderisce a quanto detto alla nota 11 di pag. 12: « Non desunt tamen Patres qui censeant auxiliarem etc. ». È auspicabile che ipso iure l'ausiliare sia amministratore apostolico sede vacante.

Non così invece per l'ausiliare ipso iure vicario generale sede plena, perchè le attribuzioni dell'ausiliare e del vicario generale è bene che restino distinte. Infatti l'ausiliare coadiuva il vescovo nell'esercizio dell'Ordine, l'altro, cioè il vicario generale, in funzione nettamente subordinata, coadiuva il vescovo nel governo della diocesi. Riunire nella stessa persona i due uffici può costituire motivo di grave difficoltà per il vescovo residenziale.

48

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON
Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

1. In cap. II, par. 6, opportunum mihi videtur suggerere ut conferentia episcopalis regionalis vel nationalis, onus sibi assumat vel ei imponatur a iure definiendi probabilem aetatem renuntiationis eamdemque consiliandi episcopis in casibus singularibus.

2. In par. 10, cap. II, adhuc locus remansisse inutilibus et possibilibus altercationibus inter vicarium generalem et coadiutorem: estne possibile stabilire, ubi adest adiutor, ut vicarius generalis sit vicarius utriusque, vel teneat tantum moderationem curiae ita ut officium sit velut vicarius curialis?

3. Ubi adsunt episcopi titulares qui officium dirigunt nationale vel quomodocumque supra-dioecesanum, numquid utilius erit si ipse non sit auxiliaris civitatis in qua ipse commorat, sed potius dependeat a conferentia episcopali vel ab eius praeside.

4. De erectione paroeciarum, vel earum mutationem quoad fines, ut in par. 35 cap. V mihi utile videtur si inter eos quorum interest speciatim nominentur fideles qui audiendi sunt vel singulatim vel per suos praecones.

5. Praeter paroecias personales (par. 36 cap. V) forsan utile erit si in Concilio consideretur opportunitatem erigendi etiam paroecias secundum aetatem vel professionem, e. g. iuvenum vel praeceptorum vel opificum.

49

EXC.MUS P. D. SIXTUS MAZZOLDI

Episcopus tit. Lamenus, vic. ap. Jubaensis

Hoc loco aliquas quaestiones de « Ordinariis (i. e. vicarii apostolici, praefecti ap., etc.) in terris missionum » proponere velim.

1. Quaenam sunt iura et officia Ordinarii erga Institutum religiosum, cui territorium suae iurisdictionis concreditum est.

2. Quaenam sunt iura et officia Ordinarii erga suos missionarios religiosos in sua iurisdictione? Possunt supremi moderatores Instituti religiosi negare missionarios vel revocare eos ad libitum?

3. Superveniente Ordinario indigeno cuius erit territorium suae iurisdictionis, quod prius Instituto concreditum erat.

4. Quaenam sunt iura et obligationes Ordinarii indigeni erga Institutum religiosum in sua iurisdictione.

5. Qua obligatione tenetur Institutum religiosum suos religiosos tamquam missionarios Ordinario indigeno supplere.

Mihi videtur haec et similia locum suum in Codice habere deberent.

50

EXC.MUS P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER

Episcopus Meldensis

Pag. 6, linn. 18-24: salvo iure Romani Pontificis sibi causas reservandi, debemus asserere, ut mihi videtur, quod episcopi ex iure divino et sacramento recepto habent omnes potestates ad populum sibi commissum docendum, regendum et sanctificandum.

Aliud est enim electio ad sedem a Romano Pontifice (vel forsan aliter) facta, aliud origo et fundamentum potestatis episcopalis. Haec potestas non est delegata sed ex munere et sacramento et sic a Christo originem ducit.

Atqui textus noster « de potestatibus amplificandis » loquitur quasi favor esset et delegatio potestatis iam non existentis. Item textus votum exprimit ut « episcopi residentiales iure communi omnes *habeant* facultates ». Sed iam habent ex iure divino.

Possunt tantum hae facultates a Romano Pontifice sibi aliquas causas reservando ligari vel de novo dari libero episcoporum exercitio. Sic non sunt potestates a Romano Pontifice datae vel delegatae sed aliquomodo « restitutae ».

Hoc modum loquendi est magni momenti pro recta intelligentia naturae episcopatus.

Saepe in hoc schemate expressiones deberent corrigi ne falsae interpretationi doctrinae ansa praebeatur: e. g. pag. 6, linn. 18-24, pag. 28, linn. 8-10, pag. 29 in initio paginae (nota in minusculis charact.).

Pag. 7, lin. 20: libenter adderem: « episcoporum mentem et difficultates inquirendo ».

Pag. 9, lin. 10 et pag. 11, lin. 30: haec renuntiatio a munere non est tantum laudanda ut « mirabilis et meritoria » (uti est enim) sed est a iure inducenda et

quasi imponenda cum aliquo moderamine ita ut post septuagesimum quintum (vel septuagesimum?) annum expletum quisquis episcopus residentialis sit « ad nutum S. Sedis », et ita possit ad renuntiationem suaviter etsi non sua sponte induci.

Saltem in magnis dioecesibus, si bonum commune fidelium et sacerdotum id exigit.

Pag. 25, lin. 14: textus de « ecclesiis religiosorum virorum » loquitur. Sed aliquando religiosae feminae habent sat grandem, praeter proprium chorum religiosarum, ecclesiam semipublicam. Bonum mihi videretur si ea in certis casibus uti, ut ecclesia parochiali vel quasi-parochiali, ex iure liceret.

Pag. 32, lin. 5: exoptatur ut omnia impedimenta nisi gravissima episcopis remittantur cum, de facto, omnes dispensationes approbante episcopo a Sancta Sede concedantur.

Si utile appareret, summarium dispensationum ab episcopo concessarum exigi posset tempore visitationis ad limina.

Pag. 35, lin. 20-25: haec concessio omnino necessaria est. Legislatio vigens e decreto 13 iulii 1951 nimis arcta est et odiosa evadit.

51

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Etant donnée l'importance de ce schéma, je procéderai à l'analyse et au commentaire de chacun des chapitres qui le composent.

Je louerai tout d'abord, pour l'ensemble du schéma, le sens des situations concrètes de ses auteurs, le désir de redonner aux Evêques, successeurs des Apôtres, ce qui leur revient de droit divin, et, partant, le sens d'une décentralisation et d'une autonomie, sous la haute et suprême autorité du Souverain Pontife.

Chapitre I: De rationibus inter episcopos et Ss. romanae curiae Congregationes.

1. *Considérations générales*. Je louerai, dans ce chapitre: *a*) le désir d'étendre et d'amplifier les droits et les privilèges des Evêques, successeurs des Apôtres (p. 6, par. 2, lignes 3-6, 9-12; par. 3, lignes 18-22), même des Evêques titulaires (p. 6, par. 3, lignes 24-26); *b*) l'affirmation que le lien, qui doit exister entre les Evêques et la Curie romaine, instrument entre les mains du Souverain Pontife (p. 7, par. 4, lignes 2-3), n'est pas seulement un lien administratif, mais surnaturel (p. 7, par. 4, lignes 7-8); *c*) l'affirmation que cette Curie romaine doit, de jour en jour, amplifier son aide aux Evêques, aide morale et matérielle (p. 7, par. 4, lignes 12-14); créer des Commissions et des Offices, formés de « periti » internationaux (p. 7, par. 4, lignes 17-20); *d*) l'affirmation que des Evêques désignés par les Conférences épiscopales de toutes les Nations, doivent être appelés à siéger, dans la Curie romaine, au titre de Membres ou de Consulteurs (p. 7, par. 5, lignes 22-27).

2. *Considérations particulières*. Je ferai les remarques suivantes:

a) Il faudrait, me semble-t-il, veiller, en voulant donner aux Evêques ce qui leur revient de droit, à ne pas diminuer l'autorité patriarcale dans les Pays d'Orient.

b) La composition du par. 2, p. 6, me semble gênée. A quelques lignes de distance, ce qui est donnée d'une main, est enlevée de l'autre: On y dit bien:

« *salvis iuribus ac privilegiis Orientalis Ecclesiae* », et un peu plus bas, l'on affirme: *Episcopi in posterum iure communi stabiliter habeant plures facultates hucusque, iustis de causis, Apostolicae Sedi vel Patriarchis Orientalibus reservatas* (lignes 3-6).

c) En dépouillant, de la sorte, le Siège Apostolique, de certaines facultés, on ne lui porte aucune atteinte. Il reste l'Autorité Suprême, étant d'institution divine. Mais en dépouillant le patriarcat des mêmes pouvoirs, que lui reste-t-il? Or, je me permets d'insister sur le fait suivant, sur lequel j'ai insisté dans l'étude du schéma « De Ecclesiis Orientalibus »: dépouiller le patriarcat de ses droits historiques, c'est vouer le christianisme, dans les Pays d'Orient, à des secousses terribles; le patriarcat est une force d'unité et de cohésion que ne pourra pas remplacer la conférence épiscopale; le patriarcat, dans ces Pays d'Orient, est une puissance nationale, spirituelle et civile, avec laquelle les Pouvoirs profanes ont à compter: cette puissance spirituelle et civile que le présent schéma voudrait attribuer aux conférences épiscopales (p. 14, par. 17, lignes 14-15).

Chapitre II: De episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus.

1. *Considérations générales.* Je loue, dans ce chapitre, les points suivants: *a*) le sens pastoral concret, devant la trop grande vieillesse, la longue maladie de l'Evêque ou le trop grand travail apostolique, au service des âmes: 1) démission de l'Evêque ou nomination d'un Coadiuteur avec droit de succession ou d'un ou de plusieurs auxiliaires pour la meilleure marche du Diocèse (p. 9, par. 6, lignes 10-12, 13-18); 2) détermination nette des droits du Coadjuteur (p. 9, par. 8); 3) division du Diocèse devenu trop grand (p. 9, par. 6, lignes 12-13);

b) le respect, toujours sauvegardé, de l'Evêque démissionnaire (p. 11, par. 16, lignes 32-37), cf. p. 13, note 14;

c) la sauvegarde de l'Autorité Orientale compétente (passim).

2. *Considérations particulières.* Je noterai un point, qui me semble important. En conformité avec la note 11 de la page 12, il me semble que l'Evêque Auxiliaire devrait, étant donné son caractère épiscopal, être, *ipso iure, sede plena,* le Vicaire général, et *ipso iure* aussi, *sede vacante,* l'Administrateur Apostolique du Diocèse.

De plus, qu'on fasse entrer, dans le Droit, ce qui revient à l'Evêque démissionnaire (cf. note 14 de la page 13).

Chapitre III: De nationali episcoporum coetu seu conferentia.

1. *Considérations générales.* L'insistance, avec laquelle ce chapitre parle des Conférences épiscopales nationales ou internationales ou des relations des différentes Conférences nationales dénote: *a*) un sens concret d'un monde qui s'unifie, d'un monde dont les problèmes, en se multipliant et en se diversifiant, se ressemblent malgré tout et toujours plus; *b*) un sens d'une Eglise qui doit prendre ses responsabilités dans un monde, comme le nôtre; elle doit prendre conscience de ses forces spirituelles en réunissant ses Evêques en des réunions qui leur révèlent les nouvelles échelles nationales ou internationales des valeurs, par delà les limites du Diocèse; *c*) un sens concret de la valeur de l'expérience pastorale, qui peut être pour les uns et les autres une lumière dans l'action.

Chapitre IV: De dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.

1. *Considérations générales.* Il faudrait louer ici, comme dans le précédent chapitre:

a) le sens du concret, soit pour la division des circonscriptions ecclésiastiques, soit pour la prudence et le tact dans leur division: considération des condi-

tions géographiques, sociales, économiques, etc. (p. 20, par. 26, lignes 20-25), et tout cela en vue du bien des âmes;

b) le sens du concret: pour permettre à l'Evêque de pouvoir gouverner son Diocèse. Souvent deux Diocèses ont des paroisses qui rentrent les unes dans les autres (p. 21, par. 29);

c) la création d'une commission d'Evêques qui veilleraient à la division des Diocèses ou à l'ajustement des frontières de différents Diocèses (p. 21, par. 32);

d) la sauvegarde de la compétence de l'Eglise Orientale en ce domaine (p. 21, par. 28 et 32).

2. *Considérations particulières.* Il me semble que je pourrais ajouter ce qui suit à ce qui a été dit. En plus des considérations géographiques, démographiques et sociales, signalées dans le présent schéma, il y aurait à signaler, pour la division des Diocèses, les considérations psychologiques et historiques, aussi importantes que les précédentes.

Chapitre V: De paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione.

Considérations générales. Le sens pastoral se retrouve ici aussi pour la division des paroisses. Ces divisions ne sont plus réservées au Siège Apostolique (p. 24, par. 35, et p. 25, par. 36): en cela la tâche des Evêques se trouve facilitée d'autant.

Appendix prior: De rationibus inter episcopos et Ss. romanae curiae Congregationes.

1. *Considérations générales.* Je louerai les principes qui ont présidé à l'extension des pouvoirs des Evêques:

a) une volonté nette de reconnaître aux Evêques des droits et des privilèges, pour un meilleur exercice de leur charge de pasteurs; de pontifes; et de docteurs (p. 27, par. unique, lignes 1-10);

b) la décentralisation est nécessaire. Loin de nuire à l'unité, elle la favorisera et allégera le travail des différents Dicastères (p. 28, lignes 14-19);

c) chaque Dicastère devra reconnaître aux Evêques des pouvoirs dont mention sera faite dans le Droit Canonique (p. 28, lignes 3-9);

d) les 29 paragraphes, dans lesquels on énumère les nouveaux pouvoirs confiés aux Evêques, et qui sont, en grande partie, nouveaux par rapport au C.I.C. et au C.I.C.O., dénotent une compréhension profonde du rôle de l'Evêque pasteur, pontife et docteur (pp. 28-35). Ajoutez à cela les 4 paragraphes applicables aux Evêques résidentiels et titulaires (p. 36).

2. *Considérations particulières.* La question que je pose, encore une fois, est la suivante: que devient l'autorité patriarcale en tout cela? Il serait à craindre qu'une fois dépouillée et devenue purement négative et formelle, elle ne corresponde plus à rien.

Qui aura été la cause de toutes les conséquences de ce dépouillement, qui ne pourront être que désastreuses? On ne contredit pas l'histoire.

Appendix altera: De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos.

Cet appendice me semble appuyer sur des points importants et qu'il faudrait inclure dans le Droit Canonique:

a) la compétence des Ss. Congrégations devra être diminuée, laissant aux Evêques ou à la Conférence nationale des Evêques de traiter de certaines questions de moindre importance ou des problèmes qui concernent toute la Nation (p. 37, par. 1).

Puisque les décisions des Conférences épiscopales nationales obligent, dans certains cas (p. 16, par. 24), il serait souhaitable que même des problèmes de grande importance leur soient réservés.

Auquel cas, et pour éviter toute équivoque, il serait bon de délimiter, autant que faire se peut, les domaines des Ss. Congrégations et des susdites Conférences épiscopales.

b) Que les manières de procéder des Ss. Congrégations soient plus adaptées aux circonstances actuelles: rapidité des réponses, simplification des formules, Commission mixte pour s'occuper de certains problèmes qui relèveraient de plusieurs Congrégations (p. 37, par. 2).

c) Que ne soient pas urgées les « relations » à faire au S. Siège (p. 37, par. 3).

d) Communication aux Evêques des Actes des Ss. Congrégations avant leur communication aux Journaux (p. 37, par. 4).

52

Exc.mus P. D. THOMAS MORRIS
Archiepiscopus Cassiliensis

Emendatio proponitur ad cap. III, n. 18 § 2, lin. 27. *Addantur* haec: « Statuta pro conferentiis iam constitutis, quae a Sancta Sede probata sunt, intacta maneant ». *Ratio*: schema prout iacet videtur inducere necessitatem statuta omnium conferentiarum de novo conficiendi et probandi.

Emendatio proponitur ad cap. III, n. 22, lin. 4. *Deleantur* verba: « *et ad effectum deducantur* ». *Ratio*: in n. 23 statuitur episcopum in casu aliquo particulari ob graves rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere posse. In n. 24 enumerantur casus in quibus dumtaxat decisiones conferentiae singulos episcopos iuridice obligant. Econtra verba supra allata e n. 22 sine discrimine obligationem imponere videntur unicuique episcopo quaslibet conferentiae decisiones semper et sine ulla exceptione ad effectum deducendi.

Emendatio proponitur ad cap. III, n. 24, lin. 31, vel potius novus n. 25. *Addantur* haec: « Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum conciliorum plenariorum in regione ». *Ratio* est: Talis provisio pro interpretatione videtur esse congruens et necessaria.

53

Exc.mus P. D. HENRICUS MURPHY
Episcopus Limericiensis

N. 22, pag. 16, lin. 4: omittantur « et ad effectum deducantur ».

N. 22, pag. 16, lin. 31: addatur « Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum conciliorum plenariorum in regione ».

54

EXC.MUS P. D. EDUARDUS NÉCSEY
Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

Pag. 10, sub n. 10, § 2: habetur: « Vicarius generalis etiam ad coadiutorem praecipua acta curiae referat... ». Bonum esset insinuare quae sunt illa acta « praecipua » et ideo addatur: « ut sunt personales mutationes cleri, eius causae disciplinares, abalienatio bonorum ecclesiasticorum, restauratio aedium etc. ».

Pag. 14, n. 18, § 1: addatur: « In reipublicis, in quibus plures nationes inveniuntur, praeter conferentiam omnium episcoporum possunt constitui etiam conferentiae episcoporum iuxta nationes ad pertractanda negotia specialia uniuscuiusque nationis ».

Porro ad hoc § addatur: « Praeses conferentiarum est qui habet praecedentiam iuxta can. 106 C.I.C. ».

Pag. 15, n. 19, § 1: in lin. 3 addatur: « ... necnon et episcopi coadiutores *et auxiliares* de iure... ». Dignitas et munus episcopi auxiliaris hoc suadet.

In eadem pag. n. 21: addatur: « Secretarius generalis constituitur ab ipsa conferentia episcoporum ».

Pag. 16, n. 22: in fine nota 7 deleatur. Ipsa nota in pag. 18, sub n. 7 adducitur ita, ut deductio ad actum singularum decisionum ad episcopum relinquitur. Puto melius esset, ut decisiones a conferentiis latae et acceptatae suam iuridicam vim habeant.

Pag. 21, § 2, n. 27: post verba: « provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones, ubi utilitas id suadeat, opportune recognoscatur » apponatur nota 2, quae in pag. 23 his verbis adducatur: « Finito primo bello mundiali facies Europae centralis omnino mutata est. Novae ortae sunt reipublicae, resp. existentes sunt auctae (Cecoslovachia, Jugoslavia, Romania), in quibus plures magnae regiones nec in dioeceses nec in provincias sint coadunatae, quod *valde desideratur* ».

Pag. 32, n. 17: ita compleatur: « Sanandi etiam matrimonia invalida cum impedimentis minoris gradus contracta ». *Ratio*: n. 16 agnoscit episcopis facultatem dispensandi ab omnibus impedimentis matrimonialibus minoris gradus, ideo opportunum esset tribuere episcopis etiam ius sanandi talia matrimonia, quae erant invalide contracta propter impedimentum gradus minoris, a quo dispensatio non erat exoptata.

In eadem pag. 32, n. 18 ita compleatur: « Concedendi facultatem celebrandi Missam ex iusta causa ante horam 16 ».

In eadem pag. 32, n. 19 ita compleatur: « Concedendi sacerdotibus calvis facultatem celebrandi Missam tempore hiemali cum pileo (camaura) excepto Canone Missae ».

Pag. 35, cap. IX, n. 28 ita compleatur: « Amissis ex toto legatis onera exspirant ». Iterum atque iterum evenit, quod per legem civilem de reformatione pecuniaria aliquae pretiosae obligationes (actiones) penitus deletae fuerint. Si legata Missarum talibus obligationibus constent et propter vim maiorem omne pretium amittant, iustum videtur, ut etiam onera exspirent.

55

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMI
Archiepiscopus Barensis

Cap. I: I, n. 3, § 1. Expungatur « sive ex natura rei sive ad Ecclesiae unitatem conservandam », quia hoc videtur limitare potestatem Summi Pontificis.

II, n. 4. Expungatur « praeter administrativam indolem ». Haec verba enim videntur insinuare huc usque rationem administrativam potiorem partem habuisse, quod verum non est.

N. 5. Expungatur « membra » et tantum dicatur: « ... nominentur consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum a quibus etc. ». Nam quod nonnulli episcopi possint esse *membra* supponit quod Romanae Congregationes reformentur, cum iuxta ius vigens membra sint tantum cardinales (C.I.C., can. 246).

Cap. V, n. 36. Ita recognoscatur: « Paroecias personales pro fidelibus diversi sermonis aut stirpis etc. ... ». Non videtur opportunum quod episcopus erigere valeat paroeciam diversi ritus, inconsulta Sede Apostolica.

Appendix altera, 2, *b*). Expungatur. Hoc votum promere supponit quod ita factum non fuerit, quod verum non est.

56

EXC.MUS P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER
Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

Salvo meliore iudicio, hoc proponitur: in posterum praxis non amplius observetur assignandi episcopis, qui non sunt residentiales, v. g., vicarii apostolici, coadiutores et auxiliares, in titulum seu sedem titularem ecclesiam in Oriente, quae, utpote hodie nullatenus amplius existens vel schismaticorum vel infidelium dominationi subiecta, ad summum per fictionem iuris potest titulus episcopalis considerari.

Propositum de commissione, ex membris episcopatus delecta, Concilio Vaticano II dissoluto, statuto tempore Romam convenienda.

Valde opportunum videtur, quod, Oecumenico Concilio Vaticano II absoluto, anno quovis decimo, omnes cardinales et patriarchae, et ex metropolitis, archiepiscopis et episcopis totius orbis catholici decima fere pars in nationalibus episcoporum conferentiis iuxta normas a S. Sede latas electa, Romam conveniunt, ut, multiplici experientia pastorali tot praesulum in variis diversisque partibus vineae Christi laborantium collata, duce Vicario Christi, decretis et commendationibus Concilii Vaticani II inhaerentes, perpendant quae necessaria vel utilia sunt ad fidem, doctrinam, ecclesiasticam disciplinam, religiosam christifidelium vitam in decursu temporis iterum et iterum novis viribus augendam, ad unitatem in christiana et humana familia magis magisque fovendam, et ad illa christiani ordinis principia practice proponenda quibus penitus reguntur et incitantur vel ipsa civilis, oeconomicae, politicae et socialis rei germana incrementa.

Etsi in C.I.C. reformando requiritur certo omnium episcoporum cooperatio diligens et efficax, maxime opportunum esse videtur quod membra commissionis supra descriptae, utpote totius episcopatus delegati et interpretes, partem habent magis directam intimioremque in negotio gravissimi pro vita Ecclesiae momenti

peragendo, in C.I.C. reformando, et in Directoriis Pastoralibus pro episcopis et pro parochiis redigendis.

Appendix prior: De rationibus inter episcopos et Ss. romanae curiae Congregationes.

I - *De episcoporum facultatibus*: A) *Facultates stabiliter et ipso iure episcopis residentialibus recognoscendae.*

In schemate decreti *de Ecclesiis orientalibus,* n. 17 (pag. 8) haec provisio ampla, praesentis temporis necessitatibus vere adaptata, fertur: « Singulis Ecclesiarum orientalium episcopis facultas est a lege generali pro Ecclesiis orientalibus lata in casu peculiari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel patriarchis vel alii auctoritati facta fuerit ». Eadem facultas ampla, mutatis mutandis, Ecclesiae latinae concedatur.

Si hoc tamen opportunum non videtur, ex Facultatibus Decennalibus a S. C. de Prop. Fide Ordinariis Missionum inde ab anno 1961 concessis, saltem illae facultates omnibus episcopis residentialibus recognoscantur, quas ubique aptior et expeditior dispensationis legitime petitae concessio expostulat. Quibus consideratis, inter alia, ad facultatem n. 15 (pag. 32) addatur « et conferendi rationabili ex causa omnes Ordines minores eadem die, etiam cum prima Tonsura »; loco facultatis n. 16 (pag. 32) substituatur Facultas Decennalis n. 29, quae est omnino amplior; loco facultatis n. 17 (pag. 32) substituantur ampliores Facultates Decennales n. 30 et n. 31; post facultatem n. 17 addatur facultas dispensandi ab interpellationibus fere eodem modo ac in Facultatibus Decennalibus n. 32, n. 33, et n. 34 determinatur; loco facultatis n. 20 (pag. 33) substituatur amplior Facultas Decennalis n. 5; post facultatem n. 24 (pag. 34) addantur Facultas Decennalis n. 46 (de indulgentia plenaria pro clericis, religiosis, et laicis post exercitia spiritualia) et Facultas Decennalis n. 47 (de benedictione apostolica occasione sacrarum missionum).

57

EXC.MUS P. D. ERIS MICHAEL O'BRIEN
Archiepiscopus Camberrensis et Gulburnensis

I - *Bishops*:

a) In the nomination of Diocesan Bishops, the clergy of the Diocese concerned be given wider opportunities to express their views on possible choices, as for a particular diocese.

b) That priests and Catholic laity be regularly consulted by local Ordinaries, and that they have recognised opportunity and procedure for submitting their collective opinions to the hierarchy.

c) That the ceremonial in Pontifical functions be modified.

d) That the liturgical episcopal robes and vestments be considerably modified, more in keeping with modern usage—as by eliminating rich, highly coloured robes, decorations and lace; expensive rings and pectoral crosses of gold with large and expensive jewels. Robes should be impressive, but not ostentatious, within this modern age.

e) The episcopal ceremonial should be simplified, as for liturgical functions;

vesting, and non-essential ceremonial within the actual ceremonies, should be considerably reduced.

f) In view of the fact that sick and ageing Bishops find it indelicate to suggest their retirement to the Holy See, a regulation, along these linies, be made. Every bishop, on reaching his seventieth year, be required to notify the Holy See of his willingness to retire from active work. In such circumstances, the Holy See may be relieved of the invidious task of so requesting a Bishop to retire, but may refuse to accept the proposed offer of resignation, if the work of the Bishop is judged to be satisfactory. Some Bishops do cling to office for too long, disregarding the fact that the environment of their territory is being modified, beyond their comprehension and energy. Meanwhile, their dioceses may deteriorate. Retiring Bishops, who could and would wish to continue work within a less exacting apostolate, should be offered honourable but less exacting opportunities to assist another Bishop elsewhere, more or less as Auxiliary Bishop.

II - *Priests*:

a) That consideration be given to a revision of the effects of incardination into a diocese, such that:

i) reasonable provision may be made to solve the tremendous problems of insufficient clergy in many areas and specific needs;

ii) in cases of priests unlawfully absent from their diocese, the diocese may no longer be responsible for them, either financially or otherwise.

b) That the canonical distinction between irremovable and removable pastors be eliminated.

c) That the general Law of the Church make suitable provision for the support of aged and infirm priests (The New Code of Oriental Canon Law, De Personis, can. 59, deals with the support of aged priests).

d) That alcoholic priests be permitted to use altar wine with a minimum alcoholic content.

e) That, with Catholic populations increasing and the numbers of priests not adequate to meet the increasing pastoral needs, attention be given to the increasing amount of administrative and paper work in the Church. Unnecessary reports impede pastoral work.

III - *Religious*:

a) That, in view of the problem of insufficient clergy, provision be made in the General Law of the Church that Religious, both clerical and non-clerical, may become pastoral in outlook and activity. (The law should reflect the concern of the Holy Father that those religious who are in sacred orders should not neglect the pastoral ministry).

b) That, in the General Law of the Church and in their Constitutions and Rules, religious women be allowed and encouraged to have a pastoral consciousness, and to regard themselves as an integral part of a dynamic Church in a modern normal world, particularly in matters affecting clothing, recreation, etc.

c) That the nature and effects of exemption of religious be revised to provide larger opportunities for their closer participation in the apostolate of the Church.

d) That the necessity of special faculties for the confessions of religious women be re-considered, and, if necessary, modified.

IV - *Marriages*:

a) i) That, if the Banns of Marriage must be called, they should be called for *all* marriages, including mixed marriages.

ii) That local Ordinaries be authorised to permit, *generali modo,* pastors to dispense from the Banns.

b) That the *Tempus Clausum* be eliminated to allow for the imparting of the Nuptial Blessing during Mass in Lent and Advent.

c) That the Tridentine law on clandestinity be revoked, so that the marriages of Catholics before civil officials and ministers of religion be valid, though gravely unlawful.

d) That, in allowing for the diversity of human circumstances and cultures, and in order to minimize an attitude which makes validity depend on apparent technicalities, the ecclesiastical impediments to marriage be made fewer and simpler. E. g.

i) a simpler and more restricted norm in regard to such impediments, as affinity, crimen, public honesty, etc.;

ii) the difference between the impediments of disparity of cult and mixed religion no longer seems to be warranted. In Australia, the danger to the faith of the Catholic party and the children is no greater in the case of disparity of cult; in fact, it is often less, because the unbaptized party is very often indifferent to religion, thereby leaving greater freedom to the Catholic partner. Moreover, there are so many non-Catholics whose baptismal status is altogether uncertain, because of insoluble doubt in regard to the fact of the validity of their baptism. Therefore, it is proposed that there be a return to the discipline which prevailed until the thirteenth century, according to which disparity of cult was merely an impedient impediment and not distinct from mixed religion.

e) That the rite of celebration of « mixed » marriages be the same as that for marriages between Catholics.

f) That there be no undue publicising of the increasing number of matrimonial causes, especially of the dissolution of the natural bond.

V - *Other*:

a) That, in dispensations from the law of Eucharistic Fast, more value should be attached to the recommendation of a qualified medical practitioner relative to the necessity or advisability of taking solid food prior to Communion.

58

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Omnia quae hoc in cap. II exponuntur pie observans, sequentes animadversiones proponere volo:

a) Episcopi coadiutores et auxiliares dioeceses proprias suas habeant. Dioeceses nimis magnae dividantur ut ab ipsis regantur;

b) Vicarius generalis, alter ego episcopi, officio episcopi coadiutoris et auxiliaris fungatur;

c) Quando dioeceses novae eriguntur, nova seminaria secure instituuntur;

d) N. 16 servetur;

e) Sede vacante, vicarius generalis munus administratoris apostolici, patriarchae et vicarii capitularis exsequatur;

f) Cum aliquis episcopus a munere renuntiet, privilegio Ss.mum Sacramentum asservandi gaudeat.

59

EXC.MUS P. D. EUGENIUS O'CALLAGHAN
Episcopus Clogheriensis

N. 18, sect. 2, pag. 14, lin. 28. Addatur « Statuta pro conferentiis iam constitutis, quae a Sancta Sede probata sunt, intacta maneant ».

N. 22, pag. 16, lin. 4. Omittantur « et ad effectum deducantur ».

Ad finem subsectionis III huius cap. III addatur nova paragraphus ut sic: 25. Conferentiae nationali episcoporum competit potestas dandi interpretationes authenticas decretorum Conciliorum plenariorum in regione.

60

EXC.MUS P. D. GREGORIUS ELIAS OLÁZAR MURUAGA
Episcopus tit. Prusensis, vic. ap. Yurimaguaensis

Caput I, pag. 6, ubi *de episcoporum facultatibus* inter par. 1 et 2, addere propono: Par. 2: « *Vicarii apostolici et praelati nullius, episcopali charactere insigniti, episcopis residentialibus aequiparantur in usu facultatum a iure concessarum* (integre manentibus mutuis relationibus quae hucusque vigent inter vicarios apostolicos et dicasterium de Propaganda Fide ». *Rationes*:

1. Sic completur schala episcopalis et saltus fit suavior de episcopis residentialibus ad episcopos mere titulares, cum quibus confundere non licet vicarios apostolicos et praelatos nullius qui, praeter characterem episcopalem, territorio et iurisdictione potiuntur.
2. Privilegiorum ope supplere ea quae iure fieri possunt si non odiosum, utique fastidiosum evadit et quandam subaestimationem sapit.
3. Haec mentio explicita praesulum qui in territoriis missionalibus laborant, peropportuna atque valde iusta videtur, cum in hoc Concilio de munere missionario Ecclesiae tantum loquatur quin tamen ullum fiat verbum de praesidibus missionariorum.

61

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Animadversionibus a tredecim episcopis ex Africa Centro-Orientali iam traditis, has etiam, meo proprio nomine, remittere velim.

Ad nn. 4 et 5, viz. *De praxi Sacrarum Congregationum relate ad episcopos*. Humiliter, et quidem quasi diffidenter, ac salvo meliore iudicio, sequentia proponere audemus.

Quamvis inopportunum forsan videatur concretam agendi formulam proponere

cum sit munus Concilii tantum de generalibus statuere, fas sit nobis aliquas concretas suggestiones facere. Plures alternativae concipi possunt.

A) *Prima alternativa*: *Collegium cardinalium* ita recognoscatur ut ex eo efformetur coetus vel senatus, qui potestatem habeat Summo Pontifici proposita praesentandi, quae, post approbationem eiusdem Summi Pontificis, S. Dicasteriis ad actionem peragendam remitterentur.

B) *Altera alternativa*: *Speciale Concilium,* sub suprema Summi Pontificis auctoritate et cum permanenti secretariatu, componatur ex episcopis aliquibus diversarum regionum, quod directiones ab eo confectas et a Summo Pontifice approbatas ad varia dicasteria tradat, et constantem, eamque actuosam, cum episcopalibus conferentiis ubique terrarum dispersis communicationem servet, ad mentem n. 5 huius schematis.

Mens est quod episcoporum collegialitas S. dicasteriis potius coordinari quam subordinari oportet.

Attamen, quod ad solutionem in n. 5 propositam attinet, nobis videtur quod non satis fieret si episcopi, de quibus agitur, ex diversis orbis regionibus, utpote membra vel consultores Sacris Romanae Curiae tantummodo incorporarentur. Humiliter existimamus melius fore si illi selecti episcopi maiorem potestatem in bono communi totius Ecclesiae promovendo donarentur quam ordinarie consultoribus S. Congregationum conceditur.

Insuper, notandum est nonnulla negotia forsitan tractari posse in scriptis (nempe per litteras inter Speciale Concilium de quo supra et varias episcopales conferentias) quin necesse fuerit ut episcopi nimis frequenter Romam inierint.

Venia mihi concedatur si minus sapiens dixerim.

Ad nn. 22-24: *De conferentiarum decisionibus.* Hic agitur de dilemmate inter potestatem ordinariam quae unicuique episcopo infra fines suae dioecesis competit et illam collectivam (ut ita dicam) potestatem quae episcopalibus conferentiis ad mentem et formam collegialitatis episcoporum proponitur.

Relatio inter principium collegialitatis episcoporum (de qua in cap. II schematis *de Ecclesia*) et practicalem episcopalium conferentiarum agendi ordinem (de quo in praesenti capite) ita arcte involvitur ut, nostro saltem iudicio, valde difficile sit — immo forsitan imprudens et impossibile, de unoquoque ex his duobus terminis aliquid certum decernere nisi praevia, et quidem diligentissima, consideratio et comparatio alterius termini instituta fuerit.

Itaque nobis videtur suffragationem de collegialitate episcoporum certe postponendam esse oportet donec plena et conclusiva disputatio de conferentiis episcopalibus prius absolvatur. Ambae enim quaestiones complementariae videntur.

Particulari modo, ad n. 24 quod attinet, notatu dignum est articulos, qui hoc loco utpote iuridice obligatorii enumerantur, ad bonum generale sive totius Ecclesiae, sive totius nationis vel regionis ita pertinere ut episcopi omnes, in rebus talis momenti, ad suum personale iudicium sacrificandum, salvo quidem recursu ad Apostolicam Sedem, praeparati esse oporteat. Hic enim invenitur collegialitas episcoporum in actu. Etsi haec collegialitas in actu sacrificia aliquando postulet, certe interpretari potest ut positivus progressus ad meliorem, quam dicunt socialem, Ecclesiae ordinationem, qua episcopi omnes unius regionis, in rebus maximi momenti quibus universo populo Dei interest, ad melius communitarium, ut ita dicam, regimen omnium dioecesium unius regionis adduci possunt.

Tempore quo omnes homines ad maiorem unitatem et communitatem magis

ac magis alliciuntur, institutio episcopalium conferentiarum progressus est, notioni collegialitatis valde consentaneus, etsi forsan potestati ordinariae singulorum episcoporum in aliquibus circumstantiis impedimentum esse videri possit.

Aliae animadversiones circa schema « De episcopis ac de dioecesium regimine », in relatione ad « collegialitatem episcoporum », de qua in cap. II schematis de Ecclesia. (*« De Ecclesia », cap. II,* nn. 16-17. - *« De episcopis ac de regimine dioecesium »,* nn. 17-25, *cap. III*).

Praenotandum. Quidquid sit de disputatione super collegialitatem episcoporum, quae in aula conciliari ad longum protracta est, nobis videtur sequentia principia sufficiens fundamentum habere, nempe:

a) *De collegio apostolorum, nullum dubium esse potest.*

b) *De episcopis utpote successoribus apostolorum,* clarae et valde repetitae mentiones in Vaticano I inveniuntur.

c) *De collegialitate episcoporum,* sufficienter ex Scriptura et antiqua traditione constat.

d) *Ex his principiis, nulla diminutio vel obscuratio Romani Pontificis potestatis consequitur.* E contrario haec Romani Pontificis potestas roboratur.

Quaestio nunc est quid sit praecise haec episcoporum collegialitas sub Petro et cum Petro, et quonam modo operetur. Nota: memoria tenendum est hic agi, non de potestate ordinaria qua unusquisque episcopus in sua ipsa dioecesi gaudet, sed de participatione uniuscuiusque episcopi in universali sollicitudine et potestate circa totam Ecclesiam Christi.

1. *Modo extraordinairo.* Haec participatio certe invenitur in existentia et natura *Conciliorum Oecumenicorum.* Etenim ex can. 228 constat Concilium Oecumenicum (seu collegium episcoporum sub Summo Pontifice et cum illo) suprema in universam Ecclesiam potestate pollere.

2. *Modo ordinario.* In ordinariis circumstantiis, collegialitas episcoporum, sub Summo Pontifice et cum illo, variis modis exercetur, nempe:

a) Mediante « sollicitudine omnium ecclesiarum » quam episcopi omnes, corporativo modo, habendi sunt.

b) Mediante « missionario spiritu », quo episcopi omnes, corporativo modo, ad totius orbis evangelizationem, pro suis viribus, tenentur.

c) Mediantibus mediis, quibus dioeceses, quae divites sunt, *assistentiam* pauperioribus dioecesibus, etiam dissitis, praebere tenentur, nomine christianae solidaritatis.

d) Haec collegialitas aliquo modo *adumbratur* in mutua assistentia quae *localiter,* i. e. in particulari regione vel natione, ab episcopalibus conferentiis instituitur.

e) Sed *praecipue,* haec universalis collegialitas episcoporum (sub Summo Pontifice et cum illo) *clarius appareret* si in praxim ducerentur ea quae in schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine,* cap. III, n. 5, proponuntur, nempe si *concilium episcoporum, ex variis terrae regionibus, ab episcopalibus conferentiis eligendorum* (*cum approbatione Summi Pontificis*), *ad bonum Ecclesiae universalis promovendum, sub suprema auctoritate Summi Pontificis, de facto institueretur.*

Appendix prior: I. *De episcoporum facultatibus.*

A) *Facultates stabiliter et ipso iure episcopis residentialibus recognoscendae.*

Notatur has facultates, utpote descriptas in pag. 28-35, *non esse habendas tanquam completivas.*

Quapropter Ordinarii missionales facultates generales — nempe decennales — quibus gaudent, non abrogandas esse sentiunt.

Etenim, ex facultatibus decennalibus, nonnullae sunt quae, etsi ad bonum animarum in missionalibus regionibus valde concurrentes, in praesenti appendice non includuntur.

B) *Facultates stabiliter et ipso iure omnibus episcopis, etiam mere titularibus recognoscendae.*

N. 2, pag. 36 aliquam fert similitudinem cum facultate decennali 39.

N. 3, pag. 36 in facultate decennali 63 iam invenitur.

Notandum: simplicius forte evaderet si, ex facultatibus sive generalibus, sive particularibus, Ordinariis missionalibus concessis, illae saltem quae ad bonum animarum in universali Ecclesia spectant, ad omnes episcopos concederentur. His enim nostris temporibus, variae orbis regiones non tam dissimiles sunt ratione ministerii animarum.

62

Exc.mus P. D. THOMAS LEO PARKER
Episcopus Northantoniensis

Page 29, line 23. Suggest that very busy parish priest who have no assistant priests and perhaps three Masses in more than one place may be allowed on Sundays to recite the Office from the canonical Hour at which they can begin and be dispensed from the earlier part. If the Rosary is substituted, state 15 decades.

Page 32, No. 16. Ecclesiastical impediments (e. g. consanguinity in second degree collateral), should not apply to non-Catholics who inter-marry.

Page 32, No. 17. So often the baptism of non-Catholics is doubtfully valid, we always add in the case of Mixed Religion a clause is added giving a dispensation from the impediment of disparitas cultus ad cautelam: presumably, therefore, the Sanatio mentioned would cover *all* these cases of Mixed Religion?

Page 33, No. 20. Omit the word " suis " because very frequently, especially in holiday times in rural dioceses, professors and other peregrini stay with friends in country parts remote from any church.

Only the Ordinarius loci should be able to give permission, i. e. priests having this permission may not make use of it outside the diocese of the Ordinary who grants the permission.

Note: I think the occasions for administering the anti-Modernist Oath and Profession of Faith should be reduced.

63

Exc.mus P. D. VILLELMUS PHILBIN
Episcopus Dunensis et Connorensis

Pag. 14, lin. 27, addatur: « Inquantum haec praescriptio iam impleta est ».

Statuta iam probata ab Apostolica Sede manere possunt.

Pag. 16, tribuatur conferentiae nationali episcoporum ius authentice interpretandi decreta conciliorum plenariorum.

Pag. 16, lin. 4, omittantur verba: *et ad effectum deducantur* (quia plus videntur exigere quam requiritur in nn. 23, 24).

Pag. 29, ad finem n. 1 (post paragraphum *Opportunum*...) mentio fiat de iure episcopi imprimis *cognoscendi* quae sit constitutio et qualia privilegia institutorum omnium tum religiosorum tum saecularium in dioecesi sua degentium. Si episcopus non potest sese informare de his privilegiis inane esse videtur asserere ius eius ad participandum in iisdem.

64

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Appendix prior: III. Quoad Religiosos.

N. 5, pag. 29: « Libere ingrediendi et permittendi, iusta et gravi de causa, ingressum in clausuram papalem aut ab eadem egressum ».

Puto hanc facultatem hisce verbis expressam episcopis concedi non posse. Etenim:

1. Monasteria sunt iuris pontificii atque clausura papalis regula est maximi momenti. Ideoque ad S. Sedem pertinet casus determinare, in quibus episcopi ingressum et egressum permittere possunt.

2. Si haec facultas episcopis relinqueretur, necessario haberetur magna diversitas quoad observantiam legis clausurae in monasteriis eiusdem Ordinis in diversis dioecesibus collocatis.

Quapropter, circa facultatem episcoporum in hac materia, peto ut statuatur regula, quae habetur in schemate *de statibus perfectionis adquirendae* (cap. I, n. 6, pag. 9, lin. 17): « Ordinarius loci, necnon, si eidem monasterium subditur, superior regularis, pro eorum prudenti arbitrio et conscientia, clausuram ingredi possunt atque, in casibus a S. Sede determinandis, ingressum in clausuram et egressum ex eadem permittere ».

65

EXC.MUS P. D. ALOISIUS PIRELLI
Episcopus tit. Lysiadensis

Circa schema: cap. I, n. 5, pag. 7 ubi dicitur: « Nonnulli episcopi a conferentia nationali *designandi*... » videtur addere « *ratione competentiae* ». Quod opponi potest rationi dignitatis vel officii: v. g. Metropolitae, praesidis regionis, etc. Hoc postulatur a bono communi.

Cap. III, II, 19, § 2, ubi agitur de episcopis mere titularibus qui possunt in nationalem episcoporum conferentiam cooptari et suffragio deliberativo aut consultivo tantum frui... mihi liceat proponere: si invitentur, fruantur voto deliberativo, quia iure divino episcopi aequales sunt et, propter universalem iurisdictionem, quae ex charactere episcopali eis derivat, collegialiter participes sunt, cum et sub Romano Pontifice, sollicitudinum universalis Ecclesiae.

Quinimmo peropportunum esset in conferentiis *regionalibus,* quae ob vastitatem territorii et discrimina religiosa, socialia etc. constitui possunt, episcopos mere titulares cooptari.

Quod optime dicitur in cap. IV, n. 29, de *continuitate* territorii dioecesani, quamplurimum applicare videtur paroeciis, hoc significando in cap. V, n. 34 ad normam can. 1427 § 2.

66

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Schema in genere consideratum placet et laude dignum est. En animadversiones:

1. *De titulo cap. I* (pag. 6) *et cap. I, II* (pag. 7) *emendando.* Sacrae Congregationes pars quidem principalis Curiae Romanae iure vocari possunt, sed episcopi etiam cum aliis Curiae Romanae Dicasteriis relationem habent. Qua de causa petitur, ne in titulo Congregationum tantum fiat mentio, licet in textu (pag. 6, lin. 7 et pag. 7, lin. 3) de dicasteriis in genere sit sermo. Ratione habita C.I.C. can. 242 necnon communis modi loquendi ubique fere terrarum, titulos sic emendarem: « *De rationibus inter episcopos et curiam romanam* » « *De praxi curiae romanae relate ad episcopos* ».

Hac emendatione proposita, praesentare audeo quod sequitur. Curia romana totum est quoddam conflans et Congregationibus et Tribunalibus et Officiis quibus Commissiones saltem permanentes accedunt. Congregationum titulum plerumque, immo iuxta C.I.C. necnon « Annuario Pontificio », per se adiectivo *Sacra* decoratur. Paenitentiaria Apostolica et Romana Rota, *Sacrae* et ipsae appellantur. Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae ac Officia inter quae Secretaria Status eminet, *Sacra* esse vocarique solere nunquam audivi nec in C.I.C. can. 259-264 ita recensentur nec in « Annuario Pontificio » (1963), ubi soli Camerae Apostolicae epiteton *Reverenda* datur. Commissiones quoque Pontificiae permanentes (Annuario Pontificio 1963, pag. 963 ss.) denominationem *Sacra* non participare videntur, licet inter eas Commissio de re biblica in sua quam regit provincia *Sacris* Congregationibus nihil cedat (cf. Denz. 2113). Totum tandem illud, nimirum Curia Romana, quatenus scio, *Sacra* nunquam auditur. Quod sane consuetudinum vi explicatur, quae tamen quoad continuatam rationabilitatis et opportunitatis exsistentiam quandoque examini subiiciendae sunt (cf. C.I.C., can. 5).

Liceat humilem, sed instantem formulare petitionem quam in votis haud paucorum sacrorum antistitum esse certa scientia et experientia Romae adquisita scio, videlicet ut epiteton *Sacra, Sacrum* e titulo Congregationum et Tribunalium dematur et simplex fiat verbum de Congregatione x seu y etc. Qui modus loquendi non e ratione quadam omnia laicizandi ortum duxit; e contra, intentione non cuncta habendi et nominandi sacra. Omnino iusta apparet denominatio *Sanctae* Sedis, *Sacri* seu *Sacrosancti* Concilii, *Sancti* Officii, Congregatio Sacrorum Rituum (cf. can. 259) et aliorum id genus, vocabulo autem *Sacra, Sacrum* adeo crebro uti « ab hodiernis rerum hominumque condicionibus dissentire » (cf. *A.A.S.*, 43, 1951, 480) videtur. Maior hac in re modestia et restrictio sanior procul dubio placent nec statim laicismum sapiunt. Nonne omnibus Curiae Romanae instantiis titulus quam maxime honorificus esset illud *Pontificia, Pontificium* etc.? Utinam Secretaria Status quae simplici nomenclatura insignitur, aliis Sanctae Sedis dicasteriis in simplicitatis et modestiae exemplum praeluceat quod omnia imitentur.

2. *De titulo quo episcopi facultatibus gaudeant.* Ad n. 3, pag. 6. Principium fundamentale uti iacet, optima quidem intentione vivificatur, de eius vero redactione non adeo gaudeo. Imprimis clausula initialis tanta cum instantia pontificiam statuendi casus quos reservatos appellas, potestatem de qua nemo catholicorum

dubitat (quamvis de reservationis convenientia seu opportunitate inter oves nonnumquam absque reverentiae violatione quaestio oriatur et moveatur et quidem iure, ut modus loquendi huius nostri schematis « sensim sine sensu » confirmare videtur), effert, ut episcoporum potestas ordinaria ac immediata tamquam aliquid natura sua potestati pontificiae detrimentum inferens seu illaturum timeri videatur. Absit redactio qua umbrae huiusmodi opinionis minima praebeatur ansa. Unde textum emendatum propono. « § 1. Quemodmodum Romani Pontificis potestas sibi causas reservandi quas ipse, sive ex rei natura sive ad Ecclesiae unitatem conservandam, pro locorum temporumve adiunctis ad se advocare iudicaverit, apud omnes in comperto est et tamquam primatus iurisdictionalis quo Christi Vicarius potitur in universam Ecclesiam, sequela et exercitium habetur, ita quoque explorata est res oportere, episcopi omnes stabiliter iis fruantur facultatibus quae characteris episcopalis dignitati congruunt, et praeprimis praesules residentiales iis gaudeant facultatibus, quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium, sub auctoritate Summi Pontificis explendum, (ex)postulat.

§ 2. Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae pro locorum temporumve adiunctis amplificentur; inter alias, eas habeant quae in appendice ad hoc caput recensentur ».

Simplex parallela in § 1 exhibetur qua, nimia clausulae instantia et anxietate protegendi eam quam nemo ne leviter quidem tangit pontificiam potestatem sublata, res magis positive exprimitur, quin quid veritati et disciplinae detrahatur. Nec verbum *oportere* in altera de episcopis parte difficultatem puto pariturum esse; siquidem « oportere » aptum videtur esse verbum quod exigentiam quandam modo mitiore statuat; esse autem muneris episcoporum divinitus constituti exigentiam e modo loquendi quoque schematis erui posse non dubito (cf. pag. 6, lin. 21 ... expostulat... usque ad lin. 26 incl.).

Insimul conveniens esse duxi primo loco de episcopis indistinctim loqui (sicut etiam in aula conciliari omnes, sola aetate « consistoriali » uniuscuiusque gradus regente, locum indistinctim tenent), et deinde de residentialibus quorum tamen positionem eminentem vocabulum « praeprimis » sufficienter in tuto collocat. Praeterea, si in § 2 proponatur illud « Quapropter... recensentur », in ipso schemate legitur, quod nunc omissum est, nempe in appendice etiam episcoporum, mere titularium, mentionem fieri. Ceterum appendix I magis mihi placuisset, si formam ideamque can. 349 C.I.C. imitata esset, quatenus episcopis omnibus communia praemissa et deinceps specialia secuta essent. Maior attentio erga episcopos mere titulares quae in schematis cap. II apparet et grata est, etiam in appendice et textu cap. I lucescat.

3. Ad n. 4, pag. 7. Pag. 7, v. 4 legitur: « ... munus suum explent... ». Quemadmodum in linn. 8-9 quoad episcopos dicitur: « ... illud potissimum supernaturale caritatis vinculum *referant oportet...* », ita etiam quoad romanae curiae dicasteria non absonum est in lin. 4 pronuntiare: « ... munus suum *expleant oportet* in bonum omnium ecclesiarum et in servitium... ». Etenim, ut episcopis ratio quaedam agendi inculcatur, ita pro dicasteriis pontificiis ratio quaedam et munus concipiendi et exsequendi, in propositione ista subordinata, optime locum habet. Par parium est ratio.

4. Ad n. 5, cap. I, una cum nota 5: *De curia romana internationalizanda.* Textu lecto, in memoriam sponte latini poetae verbum insilit: « ... tamen est laudanda voluntas ». Ratio autem proposita viaque indigitata curiam romanam internationa-

lizandi omnino inefficax videtur. Experientia docet influxum consultorum extra Urbem degentium in genere nimium non esse, immo in Urbe secreti finibus non concluditur factum, quod et ipsi em.mi cardinales extracuriales in dicasteriis quibus sunt addicti, magno non solent eminere influxu. Et sane quidem nec mirum est. Mentis proinde habitudo eorum qui in curia romana, absque dubio, saepe magnis cum sacrificiis, silentio et solitudine oppressi, in bonum adlaborant universalis Ecclesiae, ne aequo plus unius tantum nationis, ceterum de Ecclesia optime meritae, rationi res negotiaque et concipiendi et cogitandi et loquendi et solvendi et decernendi et disponendi sit commensurata. Quod vix obtineri posse videtur quam transfusione quam vocant sanguinis ac renovatione virium, i. e. virorum. Denique hanc plerique Romae degentes, erga nationem istam bene affecti, sentiunt inextricabilem animi difficultatem: quo pacto una eademque natio tot tantosque viros per saecula iterum iterumque curiae romanae necnon servitio diplomatico ecclesiastico offerre valet, quin natio ipsa, continua optimorum virorum quasi abductione, detrimenti quid capiat? Nonne et ipsa natio, i. e. Ecclesiae ibidem locales, maiore illorum virorum optimorum parte per civitates, oppida, loca, provincias, regiones diffusa, incrementum capiet, quin Ecclesia universalis, vires virosque « ex omni quae sub caelo est natione seligens » (cf. schema olim distributum *De Ecclesiae unitate « ut omnes unum sint »*, n. 47, pag. 266), eo ipso detrimentum patiatur?

Hae cogitationes de curia internationalizanda non textu quidem schematis, sed eius infelici nota quinta in me provocatae sunt.

5. Ad n. 16, pag. 11: *De causis renuntiationis*. Pag. 11, v. 29 legitur modo delicato dictum: « ... muneri minus apti *evaserint*... ». Salva reverentia episcopis debita, alium textum praefero, quo verbis textus « aliamve causam » quae (ut in can. 2147 § 2, 1 quoad parochus habetur) etiam imperitia radicalis et insanabilis esse potest, valor detur rebus magis respondens; videlicet, loco *evaserint* dicatur « *inveniantur* ». Ita modus mitigatus loquendi et reverentiae plenus servatur et nihilo secius sensus propositionis amplior redditur.

Appendix I.

1. Ad n. 11, pag. 31: *de ablutione purificatorii* etc. Facultas eam fere repetit concessionem quae a Congregatione de propaganda Fide antistitibus sibi subiectis dari solet.

Duo animadvertere liceat: 1) Vi textus et contextus (tota sectio III, ni fallor, de religiosis stricte sumptis agitur, ut ex canonibus ad calcem citatis patet, exceptis nn. 7, 8, 9 qui, vi can. 675, 677, 681, quibus canones ad hos numeros in commentario allegati etiam ad societates sine votis extenduntur, pro earum quoque sodalibus valent), de solis religiosis mulieribus stricte dictis sermo est. Ne ab ambitu facultatis excludantur mulieres religiosae late sumptae (cf. G. Vromant, *Ius Missionariorum, Facultates Apostolicae*[3], Paris 1947, p. 50).

2) Cur episcopus ampliore non gaudet facultate hanc ablutionem etiam permittendi sive viris religiosis quibuslibet sive clericis qui in maioribus non sunt constituti? Num mulier religiosa cui forte ne tangere quidem liceat purificatoria etc. iam adhibita in sancto Sacrificio Missae, clerico simplici qui ea tangere non prohibetur (can. 1306 § 1), praeferenda est? Ipsa § 2 can. 1306 melius adaptetur et reformetur.

2. Ad n. 10, pag. 30: *de religioso « expellendo »*. Facultatis aliquatenus analogae casum in can. 307 reperis, ubi absque haesitatione verbum *expellendi* in casu clarius adhibetur. Quae in animadversione p.p. sub 1 dixi, etiam de nostro n. 10

valet. Ne a facultatis ambitu religiosus late sumptus excipiatur. Par parium est ratio.

3. Ad n. 15, pag. 32: *de ordinibus conferendis.* Facultas haec sane desiderabilis est et partim praxis contraria sat generalis facultati viam stravit. Gaudio autem afficerer extensione facultatis olim in missionibus concessae, nimirum conferendi, rationabili de causa, ordines minores simul, etiam cum prima tonsura (cf. G. Vromant, *Facultates Apostolicae*[3], Paris 1947, p. 55). Si enim prima tonsura et ordines minores tales remaneant quales sunt, restrictio quoad eorum collationem non placet, et proinde can. 978 § 3 reformetur (cf. etiam can. 1006 § 4 « et festis duplicibus (!), mane (!) tamen »).

4. Ad nn. 19 et 20, pag. 32 s. Comparatione horum numerorum facta, mens anceps haeret, cum in n. 19 dicatur « concedendi sacerdotibus... », in n. 20 vero « concedendi sacerdotibus *suis*... ». Res clara sit oportet.

5. Ad nn. 20 et 22, pag. 33. Quod in priore parte n. 22 statuitur, in n. 20, nisi fallor, totum continetur. Unde utilitas prioris partis n. 22 non apparet. Ne bis idem.

6. Ad n. 21, pag. 33. Vi verborum reliquiae quidem requiruntur, sed non necessario martyrum. Licetne concludere reliquias duorum saltem sanctorum, licet non martyrum, praesertim cum eae certius et securius et generatim verius haberi possint, pro his linteis sufficere? Res clara sit.

67

Rev.mus P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

Il me paraît très souhaitable que les droits et privilèges des Préfets Apostoliques soient clairement énoncés dans le nouveau droit.

Que les Préfets Apostoliques de droit soient Pères du Concile parce qu'ils sont Ordinaires de lieu, avec souvent une plus grande responsabilité dans l'Eglise, que certains Evêques, pas mêmes diocésains. Si leurs pouvoirs ne sont que vicariaux, ils ne pourront que profiter d'être informés directement de la vie de l'Eglise.

Certaines facultés qui seront accordées aux Evêques, devraient également être accordées aux Préfets Apostoliques, comme par exemple d'entendre les confessions dans le monde entier.

Il me semble que les Confesseurs de la Foi, qui ont langui dans les prisons, et qui ont été chassés par les ennemis de l'Eglise, ne devraient pas être privés de leur facultés parce qu'ils ne peuvent pas résider pour le moment dans leur territoire. Je proposerais de laisser aux Evêques et Préfets Apostoliques, confesseurs, et chassés de leurs territoires, au moins certains droits d'honneur et certains pouvoirs, qu'ils n'auront pas besoin d'aller mendier à d'autres. Qu'on leur donne également information, comme aux Ordinaries résidentiels, les informations directement, concernant la vie de l'Eglise.

68

Exc.mus P. D. ALOISIUS RAIMONDI

Archiepiscopus tit. Tarsensis

a) *In genere.* In schemate non agitur de obligationibus episcoporum quoad regimen sive spirituale sive temporale dioecesium, e. g. de usu et administratione bonorum ecclesiasticorum et dioecesis. Quamvis aspectus iuridicus iurium et obli-

gationum episcoporum pertineat ad C.I.C., non inutile videtur Concilium determinare principia quaedam generalia, quae determinationem accipient in legislatione canonica.

b) *Ad cap. I,* n. 5. « *Episcopi in Ss. Congregationum consilium cooptandi* ». Non videtur necessarium neque opportunum. Nam supra n. 4 iam dicitur quod « exoptant (sacri Pastores) ut Romanae Curiae dicasteria constituant peculiaria officia vel commissiones, quatenus opus erit, viris peritis undequaque adscitis, quae in studium incumbant difficillimarum et gravissimarum quaestionum hodierni ministerii pastoralis in diversis nationibus ». Inter « viros peritos », etiam episcopi cooptari possunt.

Cum romanae curiae dicasteria sint organa quibus Romanus Pontifex utitur in exercenda « sua in universam Ecclesiam suprema ac plena iurisdictionis potestate » (cf. n. 4), non videtur ratio imponendi obligationem quandam in Romanum Pontificem vel Apostolicam Sedem nominandi nonnullos episcopos designandos a conferentiis episcopalibus nationalibus.

Ad internationalizationem curiae romanae sufficit, si Apostolica Sedes libere cooptat in sacros dicasterios viros ecclesiasticos ex diversis gentibus prout circumstantiae requirunt.

c) *Ad cap. IV,* n. 32. *Commissio de dioecesium ac provinciarum mutationibus.* Opportunius videtur relinquere iudicio Sedis Apostolicae constituere hanc commissionem iuxta necessitates locorum et temporum. Etenim eiusmodi commissio vix respondet necessitatibus permanentibus « uniuscuiusque nationis ». Quando circumstantiae hoc requirant, aptius et congruentius inceptum relinquitur Sedi Apostolicae, cuius est de conditionibus iudicare, eo magis quod semper Ordinarii locorum audiuntur in his casibus.

d) *Appendix prior, cap. VI,* quoad cultum divinum, n. 23. Haec facultas non videtur necessaria, saltem in forma ordinaria.

69

Exc.mus P. D. FRANCISCUS RENDEIRO
Episcopus Pharaonensis

1. *Appendix prior,* n. 11: si facultas purificandi corporalia concedenda est religiosis mulieribus, quare non religiosis viris, cum saepe valde utilis esset haec facultas.

2. Addenda: mihi videtur concedenda esse episcopis facultas celebrandi, iusta de causa, missam qualibet hora diei et noctis, necnon permittendi sacerdotibus eandem celebrationem.

70

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema mi piace, come forma e come contenuto. Farò alcune osservazioni qua e là, o segnerò qualche mio particolare assenso. Le osservazioni sulle due Appendici, le invierò, in fogli distinti, alla Segreteria Generale.

Al cap. I, art. I, n. 3. È proprio opportuno ampliare le facoltà finora concesse ai vescovi.

Al cap. I, art. II, n. 5, dove si parla dei vescovi designandi dalle conferenze episcopali, stabilirei, che i designandi debbano avere almeno un sessennio di appartenenza alla conferenza, e a Roma siano avvicendati dopo un sessennio (rinnovabile).

Al cap. II, n. 6, approvo in pieno la indicazione della rinunzia del vescovo, quando per infermità, o età avanzata, non può efficacemente reggere la diocesi.

Al n. 16, però, lin. 28, toglierei la terza ragione che indurrebbe alla rinunzia (« aliamque gravem causam »), che, da una parte è ovvia, e dall'altra, darebbe luogo a tante perplessità, e motivi di pressione dall'esterno. Alla lin. 29, alla frase « *enixe rogantur* », toglierei quell'« *enixe* », che quasi rende... imperativa la preghiera.

Al cap. V, n. 37, fo questa osservazione. È un principio che darebbe luogo a serie difficoltà, nonostante si tratti di negozio da trattare fra le parti, e di uso temporaneo. Abolirei questo numero, che darebbe luogo a tante noie. Senza dire del difficile svolgimento degli uffici parrocchiali! Oppure, si proponga ai religiosi (per essi, al loro Superiore Maggiore) l'alternativa: cedere temporaneamente l'uso della propria chiesa, o accettare *ad tempus* l'ufficio parrocchiale.

71

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Ad n. 26. Normae optimae sunt et necessarium est quod hic statuitur. Continuatio conditionis, quae in eadem natione tolerat dioeceses minimas quoad territorium et fidelium numerum, sine possibilitate parandi ea quae ad vitam actuosam et gubernium dioecesis necessaria sunt, et dioeceses enormes in quibus efficax regimen impossibile est, maximi videtur esse damni ad vitam christianam fovendam et regnum Dei aedificandum.

Sed haec consilia pia et irrita desideria manebunt si praeiudicia, sic dictae traditiones, ambitiones praevalebunt, et non vitam quaeremus et appetemus sed historiam, quae vita non est sed vitae haud fida magistra. In hoc rerum discrimine, dum omnia mutantur et semper novae et graves quaestiones oriuntur, sistere non potest Ecclesia, timens rumores manantes per compita, et fallaces fucos.

72

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE

Episcopus Urawaensis

Ad cap. I, sectio II: « De praxi sacrarum Congregationum relate ad episcopos ». Proponitur ut addendus: novus articulus de *commissione centrali seu coordinationis*.

Haec commissio centralis seu coordinationis constituenda est ab omnibus membris et consultoribus charactere episcopali insignitis Sacrae Romanae Curiae Congregationum (de quibus agitur in n. 5, pag. 7), quaeque habebit similem competentiam quae data erat sive commissioni centrali praeparatoriae sive commissioni coordinationis Concilii Oecumenici Vaticani II.

Talis commissio centralis seu coordinationis quae de facto repraesentat catholicitatem Ecclesiae atque concrete et quodammodo in praxim deducit ea quae asse-

runtur de officio collegii episcoporum ut talis in schemate *de Ecclesia* (pag. 27), multum iuvabit: 1. ad bonum totius Ecclesiae promovendum; 2. ad unionem inter curiam romanam et ecclesias particulares promovendam; 3. ad coordinationem et cooperationem inter Dicasteria romana promovendam.

Insuper variae commissiones post-conciliares quae constitui praevidentur (e. g. de re liturgica), sub assistentia et vigilantia huiusmodi commissionis centralis facilius expeditiusque finem suum attingere poterunt.

73

EXC.MUS P. D. PAULUS SAVINO
Episcopus tit. Caesariensis in Thessalia, aux. Neapolitanus

Opportunum videtur quod facultates nuntiis et delegatis apostolicis ampliores sint; opportunum quoque quod facultates episcopis residentialibus recognoscendae aliquo modo amplificentur; sed mihi non placet ampla ita dicta « decentralisatio », sicut proponitur in schemate decreti.

74

EXC.MUS P. D. IOANNES B. SCAPINELLI DI LEGUIGNO
Archiepiscopus tit. Laodicensis ad Libanum

Caput I: *De rationibus inter episcopos et Sacras Romanae Curiae Congregationes.*

N. 2, pag. 6, lin. 3: « ... salvis iuribus ac *privilegiis orientalis Ecclesiae* »... et lin. 5: « ... *vel patriarchis orientalibus reservatas* ». Licet pro animarum bono utilissimum esset, ut episcopi in posterum iure communi stabiliter habeant plures facultates hucusque, iustis de causis, Apostolicae Sedi vel patriarchis orientalibus reservatas, tamen valde exoptandum est, ne, inspecta particulari physionomia Ecclesiae orientalis, ex huiusmodi amplificatione facultatum, in favorem episcoporum, dignitas patriarchalis aliquando minuatur.

Caput II: *De episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus.*

N. 9, pag. 10: in hoc numero videtur contineri periculosus, ut ita dicam, dualismus; potius dicatur saltem, ut nemo eorum faciat id, quod approbationem alterius non obtinet, salvo interventu Sedis Apostolicae.

N. 15, pag. 11: plene consentio, Patribus ita censentibus, auxiliarem sede vacante, administratorem apostolicum renuntiandum esse, et sede plena, vicarium generalem, ratione dignitatis characteri episcopali inhaerentis.

Caput III: *De nationali episcoporum coetu seu conferentia.*

III. *De conferentiae decisionibus*:

N. 23, pag. 16: in fine huius numeri addatur: « *necnon Apostolicam Sedem* »: agitur de re gravissimi momenti.

N. 24, pag. 16: perutile esset, censeo, si in lucem clarius ponatur, singulos episcopos etiam iuridice obligatos esse ad normas in hoc numero sancitas servandas, quia eas ipse Summus Pontifex, immediatus pastor pastorum et fidelium, statuere dignatus est.

Caput IV: De dioecesium ac provinciarum congruenti circumscriptione.

N. 27, § 3, pp. 20-21: optima regula, per se. At, melius esset, si possit aliquantulum temperari, ne sonet tamquam nimis absoluta, nullam exceptionem admittens.

Caput V:

N. B.: In fine huius capitis adderem, si hoc possibile sit, ut parochi paroeciarum, praesertim ruralium, quae inter se non longe distant, in unum presbyterium uniantur, ad fovendam vitam spiritualem et intellectualem sacerdotum saltem iuniorum, et ideo ad provehendam eorum actionem pastoralem; iidem enim, pro necessitate, statim — per hodierna instrumenta communicationis et locomotionis — se conferre possunt quocumque proprium munus exercere debeant.

Quae res non taxative esset statuenda, sed potius episcopi iudicio relinquenda, ita ut, pro necessitate paroeciarum et sacerdotum, facultas id disponendi episcopo recognoscatur, absque necessitate ad S. Sedem recurrendi pro dispensatione a lege residentiae.

Appendix prior: De rationibus inter episcopos et Sacras Romanae Curiae Congregationes.

I. *De episcoporum facultatibus.* Circa episcoporum facultates, quae hinc in p. 27, sub littera *a*) *c*) et *d*) continentur, aliqua dubia moveri possunt. Ita, v. g., de facultatibus sub litt. *a*), quis eas determinare potest, seu quisnam sit competens ad statuendam normam omnimode claram in hac materia, ne confusiones et lites enascantur.

Item, quoad facultates sub litt. *c*), difficile statuere possumus utrum necne, adsit periculum abusus in facultate utenda.

Reapse, relate ad facultates, de quibus sub litt. *c*): memoretur oportet, adesse materias gravissimi momenti, uti v. g. dispensatio matrimonii rati et non consummati, et ita porro.

III. *Quoad religiosos.*

N. 5, pag. 29: propositio non placet: timendi sunt abusus.

N. 7, pag. 30: haec propositio vix mihi placet. Ratio, quia dispensatio, de qua hic fit sermo, est res quae respicit totum *Institutum,* quod saepe saepius est superdioecesanum, seu sese extendit saltem ad duas pluresve dioeceses.

V. *Quoad Missae celebrationem.*

N. 20, pag. 33: ad concedendum privilegium altaris portatilis, tamquam causa canonica invocari debet bonum spirituale fidelium, inter quos privilegiatus sacri apostolatus operam exercet.

IX. *Quoad administrationem bonorum ecclesiasticorum.*

N. 28, pag. 35: reductio Missarum unice et exclusive S. Sedi reservetur.

N. 29, pag. 35: caveatur, ne episcopus sit iudex in causa propria (quod plane repugnaret principiis generalibus iuris).

Salvo semper meliore iudicio!

75

Exc.mus P. D. HERMANNUS SCHAEUFELE

Archiepiscopus Friburgensis

Schema decreti in genere valde placet. Quae praesertim de nationali episcoporum conferentiis statuit, sunt quid prorsus novum et certo certius Ecclesiae universali maximam utilitatem afferent.

Salvo meliore iudicio quasdam propono emendationes, quae hic sequuntur.

Cap. I: *De rationibus inter episcopos et Ss. Romanae Congregationes.*

N. 3, § 1 (pag. 6, linn. 14-23). In definiendis facultatibus episcopi residentialis initium sumendum est ab ipsa essentia muneris episcopi. Quare tamquam principium fundamentale habendum est: episcopo omnes illas facultates ipso iure ac iure proprio datas addicere, quas munus episcopi expostulat. Inde textus ita fere mutetur: « Firma... iudicaverit, episcopi residentiales ipso iure omnes habeant facultates, quas eorum munus pastoris, pontificis ac doctoris fidei in dioecesi ipsis commissa expostulant. Inde facultates hucusque datae quinquennales vel decennales reputantur vi muneris datae ».

N. 4. (pag. 7, linn. 1-20). Episcoporum vota, quae recenset appendix altera (pp. 37-38), inserantur quoad essentiam in ipso textu decreti.

N. 5. (pag. 7, linn. 21-26). Ut finis huius paragraphi attingatur, opus est, ut episcopi in Ss. Congregationes ut membra, non tantum ut consultores, cooptentur et cum eis communicentur omnia, quae maioris sint momenti sive pro Ecclesia universali sive pro Ecclesia illius nationis, quam repraesentant. Inde textus sic fere sonet: « Nonnulli episcopi... nominentur membra Ss. Romanae Curiae Congregationum, quibuscum istae, scripto vel oretenus, de omnibus communicent, quae ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda faciunt ».

Appendix prior (pag. 27-36). Tunc tantum hic appendix nomine Concilii editus haberi potest, si Concilium ipsum de appendice conciliariter agit. Quare necessarium erit, ut iste appendix denique a Concilio definiatur.

Quoad singula haec mihi videntur adnotanda:

N. 13 (pag. 31, lin. 9): hae dispensationes iuxta hodiernam praxim Curiae Romanae absque ulla difficultate ultra annum conceduntur; inde omittantur in textu verba « sex menses » et ponatur eorum loco verbum « annum ».

N. 16 (pag. 32, lin. 6): hisce facultatibus indiget episcopus ad ordinariam suae dioecesis administrationem; quare in textu supprimenda sunt verba « minoris gradus » et eorum loco ponantur verba: « super quibus Ecclesia dispensare solet ».

N. 20 (pag. 33, lin. 8): multo aptius quam altare portatile censendum est antimensium. Insuper eadem ratio militat pro itineribus in aëronavi factis. Inde textus sic mutetur: « Concedendi... privilegium altaris portatilis vel antimensii addita facultate celebrandi, adhibitis tamen debitis cautelis, etiam in mari, in fluminibus et in aëre ».

N. 23, (pag. 34, lin. 4): facultas extendatur etiam ad consecrandas *campanas.*

Cap. II: *De episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus.* Cap. II intendit salva dioecesani regiminis unitate coadiutorum et auxiliarium activitatem efficaciorem reddere et dignitatem characteri episcopi inhaerentem magis in tuto ponere (n. 6, pag. 9, linn. 16-18). Attamen modus, quo talis intentio in effectum adducenda sit, minores reddit condiciones episcopi residentialis.

Nn. 8-10 (pag. 9-10): vi officii, idest independenter ab episcopo residentiali, coadiutor habet eandem potestatem iurisdictionis easdemque facultates ac vicarius generalis dempta praeterea facultate episcopi sibi quidpiam reservandi. Insuper eodem modo vicarius generalis devincitur episcopo residentiali ac coadiutori. Nemo est quin videat hac ratione regiminis dioecesani unitatem in radice tolli; et certo certius timendae erunt difficultates, praesertim si episcopus residentialis adhuc habilis est ad regendum.

Inde textus in nn. 8-10 supprimendus est, et ius vetus (C.I.C., can. 351) in vigore maneat.

Nn. 12-14 (pag. 10-11): episcopus residentialis rogatur, ut auxiliari suo necessarias et opportunas facultates committat, quibus auxiliaris non solum in pontificalibus peragendis, sed etiam in administranda universa dioecesi officium suum efficaciter explere valeat (n. 12, pag. 10, linn. 34-37). Nulla difficultas quoad ius peragendi pontificalia; fortasse hic et istic statuta capituli cathedralis erunt mutanda. Sed si auxiliari etiam debetur ius suum officium in administranda dioecesi independenter a vicario generali explendi, tunc talis compositio rei unitatem regiminis dioecesani offendit et maxime detrahit muneri vicarii generalis (cf. C.I.C., can. 368-369).

Inde textus in n. 12 (pag. 10, linn. 33-38) sic fere mutetur: « Quodsi in Litteris constitutionis provisum non fuerit, velit episcopus auxiliari suo necessarias et opportunas facultates committere, quibus auxiliaris in pontificalibus peragendis officium suum efficaciter explere valeat ».

N. 15, § 2 (pag. 11, linn. 17-20): immutatum retineatur ius capituli cathedralis libere constituendi vicarium capitularem (C.I.C., can. 432), quia ipsius maxime interesse debet, ut vacante sede aptissimo sacerdoti regimen dioecesanum committatur. Insuper attendas velim: si capitulum cathedrale, non obstante hoc statuto Concilii, auxiliarem non deputat vicarium capitularem, hoc facile aestimationem publicam auxiliaris minuit. Quare textus n. 15, § 2 deleatur.

Cap. III: *De nationali episcoporum conferentia.*

N. 17 (pag. 14, lin. 15): verba « apud civilia gubernia vel acatholicos viros » melius non leguntur, inde omittantur.

Nn. 19-21 (pag. 15, linn. 5-20): agunt de conferentiae moderamine, sed nihil dicunt de praeside conferentiae. Hoc saltem his statuatur, quod praeses conferentiam convocat eaeque praesidet. Quare ad textum n. 19, § 1 addantur haec verba: « Ad normam iuris a nationali episcoporum conferentia conditi designandus est praeses ad conferentiam convocandam eaeque praesidendam ».

N. 20 (pag. 15): consilium tale permanens ex natura rei non postulatur (v. g. in conferentiis episcoporum Germaniae non habetur). Insuper hic determinari deberet, utrum episcopi in hoc consilium cooptati semper iidem sint necne. Praeterea notandum est, quod existunt conferentiae ex paucis tantum episcopis constantes; quare singulo episcopo committi debet peculiare negotium in conventu plenario tractandum. Inde textus fere ita mutetur:

« N. 20: E gremio uniuscuiusque conferentiae, in quantum opus est, constituatur:

§ 1. Consilium permanens, ex aliquibus praesulibus per suffragiorum maioritatem relativam pro certo annorum numero eligendis, quod...

§ 2. Commissiones... titularis. Si autem conferentia nationalis paucis tantum constat episcopis, possunt etiam uni ex membris conferentiae peculiaria negotia committi, ut de iis in conventu plenario tractet ».

N. 21 (pag. 15, linn. 30-31): item ex ipsa re non postulatur (v. g. conferentia episcoporum Germaniae non habet secretariatum). Inde inseratur post verbum « insuper » haec verba: « in quantum opus est ».

Nn. 22-23 (pag. 16) nimis coarctant ius episcopi; inde textus hoc fere modo mutetur: « N. 22. Firmo... coadunatis, vim consultivam habent, quas tamen unus-

quisque episcopus, nisi obstant peculiares rationes, accipiat et ad effectum deducat ad unitatem fovendam et bonum commune in universa natione promovendum.

N. 23. Episcopus ob peculiares rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere intendens, conferentiam per ipsius praesidem hac de re certiorem faciat ».

N. 24, § 1 *b*): hae declarationes quaenam sint, accuratius definiri debet; quare textus sic mutetur: « *b*) Quando agatur de declarationibus, quae per quattuor saltem ex quinque partibus suffragiorum iudicantur maioris esse momenti et inde publice faciendae nomine nationalis episcoporum conferentiae ».

N. 24, § 1 *d*): ne semper qualificata minoritas victas manus dare debeat, textus sic mutandus est: « *d*) Quando... simulque quattuor saltem ex quinque partibus praesulum... communiendam ».

Cap. IV: *De dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione*. Quae hoc in capite de circumscriptione dioecesium statuuntur, iure meritoque merentur omnium consensum. Paucae tantum proponuntur emendationes:

N. 26 (pag. 20, linn. 5-7): veritas rei hanc mutationem textus postulare videtur: « ... episcopi impares sint personaliter, uti opus est, singulos sacerdotes bene cognoscere paroeciasque interdum visitare; at pariter... ».

N. 31 (pag. 21, lin. 26): optandum est, ut dioecesis personalis non erigatur, nisi numerus eius fidelium aequivaleat plus minusve numero fidelium alicuius dioecesis territorialis. Huic voto textus respondeat.

N. 32 (pag. 21, linn. 30-35): talis commissio minime desideratur; si huiusmodi quaestio oritur, tunc hac de re videant — et videbunt — episcopi, quorum interest. Inde textus iste deleatur.

Cap. V: *De paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione*. Et hoc quoque caput valde placet. Novum est, quod episcopus ius habet paroecias personales ex novo erigere, paroecias iam erectas dividere, dismembrare et inter se unire; unica et sufficiens ratio est « quoties id pro animarum bono necessarium vel utile ipsi videatur » (n. 35). Haec tantum mutentur:

N. 33 (pag. 24, lin. 2): verba « dioecesis veluti cardo » deleantur, quia nimis efferunt paroeciam.

N. 33 (pag. 24, linn. 2-3): eadem de causa ponatur loco « omnis pastoralis navitas » haec expressio « ordinaria pastoralis navitas ».

N. 35 (pag. 24, linn. 26-27): loco « auditis capitulo cathedrali et iis, quorum interest, si qui sint, praesertim rectoribus ecclesiarum » dicendum est: « auditis capitulo cathedrali et parochis vel rectoribus ecclesiarum, quorum interest... ».

N. 36 (pag. 25, lin. 7): hic textus vindicat episcopo ius erigendi paroecias personales; analogice ad n. 35 episcopo etiam ius competere debet paroecias personales iterum supprimere, si inutiles evaserint. Inde ad n. 36 fere hoc addendum esset: « ... nequeat. Si autem sufficiens fidelium numerus respective sermonis aut ritus aut stirpis non iam exstat, episcopus valet paroecias personales iam erectas, auditis capitulo cathedrali et parochis consultoribus, supprimere ».

76

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema mihi placet. Has autem propono emendationes:

1. Cap. I, n. 1, pag. 6, lin. 20: omittatur verbum « iurisdictionali » uti superfluum. Lin. 24, omittatur verbum « mere » uti superfluum et captiosum.

2. Cap. I, n. 2, pag. 7, linn. 2-3: sic emendetur « potestate, Romanus Pontifex vult sacris uti ipsius curiae dicasteriis, etc. ». *Ratio*: ut melius exprimatur dependentia Curiae de voluntate positiva Romani Pontificis.

3. Cap. I, n. 2, pag. 7, linn. 11 et 24: loco « *Romanae Curiae* » dicitur « Curiae Romani Pontificis ». *Ratio*: uti supra et ut melius exprimantur universalitas et « internationalitas » Curiae Romani Pontificis uti in notula n. 5, sub cap. I huius schematis.

4. Cap. II, n. 6, pag. 9, lin. 10: loco verbi « ordinarie » dicitur « saepe ». *Ratio*: ut melius intelligatur nihil in hac praxi nisi morem et usum esse.

5. Cap. II, n. 6, pag. 9, lin. 28: additur « nisi in singulis casibus ». *Ratio*: aliter ansa datur difficultatum, rixarum, divisionum, etc., et unitas regiminis in discrimine esse videtur.

6. Cap. III, Pars 2, n. 19, pag. 15, lin. 9: eliminetur verbum « mere » pro ratione uti supra ad cap. I, n. 1, pag. 6, lin. 24.

7. Cap. III, n. 23, pag. 16, linn. 6-10: haec provisio mihi non placet nam videtur esse indebita incursio in gubernium dioecesis episcopo residentiali concreditum, interponit auctoritatem inter Sanctam Sedem et episcopum et moras aliaque inconvenientia inducere potest.

8. Cap. V, n. 35, pag. 24, lin. 29: addatur post verbum « unire » phrasis « etiam unione exstinctiva ». *Ratio*: ut clarius exprimatur auctoritatis episcopi.

9. Cap. V, n. 36, pag. 25: addatur « Ubi agitur autem de novis paroeciis fundandis propter diversitatem sermonis vel stirpis, hae erigi non debent sine vera necessitate ». *Ratio*: multiplicatio paroeciarum sic dictarum nationalium raro videtur esse in verum commodum animarum.

Appendices. Secundum principium generale quod proposui in cap. I huius schematis, ubi occurrit phrasis « Curia Romana » mihi melius videtur phrasis substitui « Curia Romani Pontificis » propter rationem iam allatam sc. ut melius exprimatur dependentia Curiae de voluntate positiva Papae. Sufficit elenchum facere locorum in Appendicibus.

Pag. 27 *in notula designata asterisco* emendetur: Sacra Curiae Romani Pontificis Dicasteria.

Pag. 27, lin. 4, emendetur: Romani Pontificis Curiae Dicasterium.

Pag. 37, lin. 19, emendetur: Sacrorum Curiae Romani Pontificis Dicasteriorum.

77

BEAT.MUS P. D. STEPHANUS I SIDAROUSS
Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Page 4, n. 4. « Principium fundamentale »: La Discipline de l'Eglise Orientale postule que les Evêques doivent s'adresser à leur Patriarche avant de s'adresser au Souverain Pontife. Les Eglises séparées y verront davantage le respect des Traditions et le lien qui les relie au Patriarche.

Page 10, n. 10. Ne peut-on pas craindre un conflit entre Vicaires-Généraux si l'Evêque Résidentiel et le Coadjuteur ont chacun leur Vicaire Général...

Page 28, n. 2. Ces facultés et privilèges accordés à l'Ordinaire sont une excellente initiative, mais encore faudrait-il que les Religieux en donnent connaissance à l'Ordinaire.

Page 15, n. 19. Chez nous en Orient, vu la diversité des rites représentés, ces Conférences Episcopales devraient comprendre les Ordinaires de tous les rites. Cette Conférence devrait élire un Conseil permanent pour transmettre les directives.

Page 21, n. 31. Diocèses personnels: L'expérience a montré chez nous en Egypte, les dangers et ennuis provoqués par ces « Diocèses ». En Orient, il est indispensable d'avoir l'unité de direction pour l'administration et pour les relations extérieures avec l'Etat.

Il est à souhaiter que les divers rites n'aient que des Vicaires-Généraux dépendant de l'Ordinaire du Pays, et ayant pouvoir sur leurs sujets. L'Ordinaire du lieu doit être seul responsable devant les Autorités Civiles des catholiques du Pays.

78

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Cap. IV, n. 31, pag. 21. Experientia patet saltem in Indiis Orientalibus duplicem iurisdictionem, territorialem scil. et personalem, ubi viget, ansam dare invidiae, rixis, et dispersioni inutili virium. Cum orientales etiam ius habeant evangelizandi et simul gaudeant maiori copia opium et hominum, territoria duplicis iurisdictionis sensim sine sensu se extendent ubicumque, cum consequentiis malis supra enarratis. Ad hoc praecavendum melius esset creare ritum nationalem e ritu orientali et latino adaptatum, qui inservire poterit et orientalibus et latinis, cum iurisdictione una territoriali communi.

Appendix I, n. 12, pag. 31. Loco « concedendi certis quibusdam sacerdotibus... » ponatur « omni sacerdoti qui legitime assistat aegroto in mortis periculo »...
Ratio: *a*) Sic tantum convenienter providetur pro ipsis aegrotis in periculo mortis.

b) Sic convenienter provisio fit pro paroeciis quae habent territorium magnum, sicut in multis territoriis missionum, et alibi; nec parochus ipse ubique adire debet.

c) Sic qua potestate sacerdos orientalis ritus pollet, sacerdos latini ritus pollebit saltem pro casibus istis necessariis.

79

EXC.MUS P. D. BENIAMINUS SOCCHE

Episcopus Regiensis in Aemilia

Appendix prior, pag. 31, ad IV: quoad Sacramenta. Proponitur ut episcopi — qui sine coadiutore vel auxiliari sunt et dioecesim habent magnam ratione territorii et incolarum — facultatem extraordinariam conferendi Confirmationis sacramentum ad suum vicarium generalem extendere possint, ob episcopi impedimentum vel absentiam.

80

EXC.MUS P. D. IOANNES SMIT

Episcopus tit. Paralensis

Pag. 10, addatur lin. 19: caveat *vicarius generalis* ne...
Pag. 16, lin. 28, loco « communiendam » legatur *communicandam.*

81

EXC.MUS P. D. ARTURUS ANTONIUS SZYMANSKI RAMÍREZ

Episcopus tit. Cerasuntinus, coad. c.i.s. S. Andreae de Tuxtla

Introductio: N. 1. Optamus ut *introductio* potius *agat de perfectione episcoporum*: Utinam schema melius redigatur et stylo minus iuridico. In votis est ut tale *schema sit magis pastorale.* Ad quod obtinendum *hic referantur est opus ea omnia quae habeant relationem ad sanctitatem episcopi vel ad eius actionem pastoralem* atque in aliis schematibus inveniuntur.

Caput VI: post n. 5 addatur alius qui ita sonet: *Constituatur coetus episcoporum omnium nationum vocandus « Consilium permanens episcoporum coram S. Sedem » qui conveniant, statutis temporibus, ad Romam ut mentem episcoporum totius mundi aperiant S. Sedi et qui non sit dependentia quaedam S. Congregationum. Membra huius coetus designandi erunt a conferentiis episcopalibus nationum. Ratio* huius propositionis: ut clare appareat S. Sedi modus videndi res in diversis nationibus atque ab hominibus qui regunt nationes in spiritualibus.

Appendix I: addatur clausula quae ita se habeat: *Submittatur decisioni corporis iuridici episcoporum* (*quos coetus nationalis determinet*) *solutio quorumdam casuum determinatorum, praesertim contra sacerdotes, quos hucusque erant competentiae S. Officii.*

Appendix II: n. 2, littera *a*): addatur « *praesertim S. Officii relate ad causas sacerdotum* ».

Propositiones fiunt nomine quorumdam episcoporum mexicanorum in quorum nomine infrascripti subscribimus.

[*Subscripsit etiam*] Alphonsus M. Sánchez, ep. Papantlensis.

82

EXC.MUS P. D. DINUS TOMASSINI

Episcopus Isclanus

1. Ad cap. I, pag. 7, post lin. 27: « Maxima quoque cura et prudentia necessaria est in electione Ss. Congregationum officialium, a quibus practice relationum Sanctae Sedis cum episcopis ratio efficitur. Oportet enim, ut inter Summum Pontificem et episcopos universos Spiritus Sancti communio virescat, officiales illos (sicut multi iam sunt sed non omnes) non tantum doctrina iuridica, sed theologica, ascetica, sociali, oecumenica, pastorali imbutos esse; oportet etiam ipsos apostolico et catholico zelo, corde magno et evangelico sensu, non ambitione aut alia humana vanitate, praeditos esse. Cavendum quoque est ab omnibus ex dioecesibus evasoribus (imboscati) qui in Ss. Romanas Congregationes non intrant per ostium voluntatis Dei sed aliunde, i. e. per servilismi vel adulationis aut protectionismi tortuosas semitas. Abolenda etiam omnino est praxis quae in illo diabolico principio fundatur " promoveatur ut amoveatur " ».

2. Ad appendicem I, pag. 29, post lin. 4: « Dispensandi a recitatione alicuius partis Divini Officii sacerdotes celebraturos, diebus dominicis vel aliis peculiaribus diebus, duas vel tres Missas cum homilia vel solemnes cum populo publicas preces facturos ».

83

REV.MUS P. D. VINCENTIUS TOMEK

Praepositus generalis Sch. P.

Pag. 29, n. 5: convenit inserere post « *clausuram papalem* » verbum « *mulierum* ».

Pag. 32, post n. 15, loco can. 946, *949* legatur.

84

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII

Episcopus Marsorum

Clare et aperte statuendum est:

1. Ut de omnibus problematibus generalibus, praesertim de normis in certis rerum adiunctis sequendis, de prohibitionibus faciendis, de malis usibus tollendis, conferentia episcopalis nationalis aut, si res ad regionem tantum spectat, regionalis decernat.

2. Ut his decretis rite approbatis omnes episcopi stare debeant. Agitur de re maxime necessaria.

Si enim, fideles videbunt — et in posterum id erit semper facilius ob multiplicatas communicationis vias — eadem hic vetari et illic permitti, nunquam voci Ecclesiae oboedientes erunt.

85

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CLEMENS VAN HOECK

Episcopus tit. Cissitanus, abb. null. Pietersburgensis

1. In sequentibus adnotationibus, collegimus quae animadvertere cupimus circa conferentias nationales episcoporum, tum in schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine,* cum in schemate *de cura animarum.*

2. Huc usque habebamus, ex una parte, Curiam Romanam, corpus centrale quod singulis episcopis normas dabat in omnibus negotiis alicuius momenti. Recursus ad hanc curiam erat persaepe iniunctus et responsio ab ipsa data decretoria. Ex altera parte, habebamus conferentias nationales episcoporum sine iurisdictione directa, in quibus episcopi inter se conferebant et, generaliter, libere se subiiciebant omnibus quae statuebantur tribus ex quatuor partibus suffragiorum. Unusquisque episcopus sibi reservabat tamen ius strictum non exequendi rem statutam, quando hanc aestimabat omnino contrariam bono spirituali propriae dioecesis, cuius peculiaris adiuncta ipsi erant nota.

3. Res Curiae Romanae commissae erant fortasse nimis multae, et iniuncti recursus ad hanc curiam plus aequo numerosi, in detrimentum auctoritatis administrativae episcopi in propria dioecesi. Hoc tamen non impedit quominus curia romana fruebatur experientia universali, et officiales eius perdiu instituebantur ad peculiarem laborem ipsis concreditum.

4. In duobus schematibus praecitatis, pertingitur quidem ad imminutionem rerum curiae romanae concreditarum, sed etiam ad augmentum rerum conferentiae nationali commissarum. Reipsa, his conferentiis necesse erit creare curias nationales, quarum membra neque experientia universali curiae romanae, neque necessaria praeparatione potientur. Multis conferentiis nationalibus deerunt officiales numerosi ac sufficienter instituti, quos talis immutatio exiget.

5. Haec curia nationalis staret profecto sub moderamine conferentiae nationalis, sed, secus ac in curia romana, hic nulla existet auctoritas personalis. Tota auctoritas conferentiae nationalis dependet a fortuita parte maiore suffragiorum in scrutinio.

6. Concessionem formalis iurisdictionis conferentiis nationalibus, in determinatis casibus, facile consequi possunt abusus. In tali conferentia enim, saepe membra non pauca indifferenter se habent circa solutionem quaestionis propositae. Omnino naturaliter suffragium affirmativum dabunt, potius quam ut formaliter repugnent suffragio negativo. Reipsa, pars leviter maior tunc imponet suam voluntatem numerosae parti adversae, mero casu suffragiorum.

Quid tunc superest de potestate administrativa episcopi in propria dioecesi?

7. Si concessio huius iurisdictionis conferentiae nationali non posset evitari, omnino coarctanda esset ad casus maxime necessarios: scil., quando Sancta Sedes iniungit quod res aliqua decernatur a conferentia nationali, et quando ipsa conferentia nationalis, explicito scrutinio, decernit consensum vim legis habere, propter bonum commune totius territorii. Schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* prospicit hos casus, in n. 24 (pag. 16), in paragraphis *a*) et *d*).

Paragraphi *b*) et *c*) eiusdem n. 24 sunt nimis incerti et generales, quam ut legitime possint imponere decisionem aliquam conferentiae. In his paragraphis *b*) et *c*), fieri potest ut sint casus in quibus solutio nationalis esset graviter damnosa

pro determinata dioecesi, de qua tandem proprius episcopus tenetur rationem reddere.

8. Nobis etiam omnino necessaria videtur iniunctio obligationis conferentiae nationali recurrendi ad scrutinium secretum, quotiescumque agitur de imponenda aliqua obligatione iuridica. Sic effugerentur pressurae non optabiles.

9. Nimiae sunt commissiones sine utilitate immediata in certis regionibus, praesertim in regionibus missionum, in schemate *de cura animarum prospectae*. Oporteret ergo accuratissime secernere commissiones omnibus iniunctas, a commissionibus quarum institutio solum suggeritur, si aliquando evaderent utiles.

10. In totum, hoc schema mihi videtur nimis longum et implicatum, et, tandem, forsitan absorberet fines propositos in cumulo ordinationum administrativarum.

86

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

In genere hoc schema bonum et rationabile videtur. Perpauca tamen corrigenda hic notantur.

Caput II.

Pag. 9, linn. 27-28. Tollantur verba: « nulla tamen facta episcopo... reservandi ». Episcopus enim coadiutus remanet episcopus dioecesis, et sibi aliquam quaestionem solvendam servare poterit.

Pag. 10, 1. Redigatur n. 9 sub sequenti forma: « Coadiutor episcopo coadiuto semper obsequium et reverentiam exhibeat; negotia ad se spectantia sub auctoritate episcopi residentialis tractet, nihilque magni momenti agat nisi eo consulto et approbante.

Vicissim autem episcopus coadiutus coadiutorem fraterne diligat, existimatione prosequatur eique in munere obeundo foveat. In negotiis maioris momenti nisi coadiutore consulto agere velit ».

2. In n. 10 addatur ad finem § 1: « Si opus fuerit, etiam plures vicarios generales eligere poterit. Praeter ipsos, episcopus valet unum vel plures vicarios episcopales constituere, quibus, vi officii, sit iurisdictio ordinaria in determinata tantum dioecesis parte, vel in determinato tantum negotiorum genere.

3. Tollatur prima pars § 2 n. 10 et legatur secunda pars: « Caveant vicarii generales ac vicarii episcopales ne suis potestatibus utantur contra... coadiutoris, ut unitas directionis servetur.

4. Redigatur ut sequitur n. 12 in sua totalitate: « Omnibus episcopis auxiliariis concedantur facultates vicarii generalis, simul cum potestate pontificalia peragenda in tota dioecesi.

Caput V.

Pag. 24 et pag. 25, lin. 26 et 4, pro « audito capitulo cathedrali », legatur: auditis consilio suo et suis cooperatoribus in cura pastorali...

87

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ
Superior generalis Ord. Bas. S. Iosaphat

In genere:

1. Schema in genere placet, forma, spiritu, dispositionibus.

2. Prooemia tamen (nn. 2, 6, 17, 26, 33) in breviorem formam redigenda videntur et magis stylo conciliari aptanda, tollendo illam speciem excusationum et explicationum, quarum Synodus Oecumenica non habet necessitatem.

In particulari:

N. 2, linn. 3-4: omittantur dictiones: « in posterum » et « stabiliter ».

N. 3, lin. 16: post dictionem « conservandam », haec addantur: « sive ob bonum animarum melius procurandum ».

N. 3, lin. 22: « hucusque ipsis recognitae amplificentur ». Haec dictio non placet, quia susceptibilis falsae interpretationis, acsi episcopi omnes facultates tantummodo ex relaxatione Summi Pontificis habeant. Ex appendice tamen patet, maior pars earum tantummodo ex reservatione olim facta provenire et per modum facultatum singulis episcopis concedi, et nunc, reservatione sublata, ad eos iterum redire « iure communi ». Quapropter dicatur potius: « Quapropter facultates *quaedam* hucusque *Romano Pontifici reservatae relaxantur et ad ius commune episcoporum remittuntur, inter alias eae, quae huic capiti alligantur* ».

N. 4, lin. 2: addatur: « iurisdictionis *ordinariae* », ut melior fiat distinctio cum iurisdictione extraordinaria in Conciliis Oecumencis cum collegio episcopali exercenda.

N. 4, linn. 11-20: tenor huius textus non est clarus: estne petitio, desiderium, decisio? Et quemnam sensum habebit hic textus post approbationem Summi Pontificis? Curia Romana est Curia Summi Pontificis.

Praesertim attendendum est dictionibus: « augeant » (lin. 13), et « Sedis Apostolicae mentem » (lin. 16); forsan opportunius dicatur: « perficiant », et « Romani Pontificis mentem ».

N. 5, linn. 21-27: forsan melius determinandum esset principium selectionis ne numerus enormiter crescat, et sic labor impossibilis evadat. Dicerem potius: « Nonnulli... diversarum *regionum*, a conferenti*is* episcopali*bus* designandi... etc. ». Principium « nationum » est periculosum, dum *regio* meliores solutiones in exsecutione praebere potest.

N. 16, linn. 23-26: omitterem haec verba, ut detur libera « iniziativa » ipsis episcopis, et Sedes Apostolica libera maneat ab hac odiosa necessitate.

Dicerem proinde in hunc modum: « Episcopi residentiales... (lin. 26)... (faciant) *Apostolicae Sedi vel, pro orientalibus, competenti auctoritati offerant, quae per coadiutoris vel auxiliaris designationem providere vel renuntiationem acceptare libera sit* ».

N. 16, lin. 35: addatur et hoc privilegium: « ... ius sepulchri *cum sollemnitate funeris* erit... ».

N. 17, lin. 4 (et in toto capite): periculosum videtur canonizare in Concilio terminum « *nationis* », ob eius diversam interpretationem: politicam (status) et ethnicam (diversi populi in eodem statu politico), et etiam mutabilem realitatem

(foederationes Statuum, Uniones, novi status in Africa, Europa unita, etc.). Haec res plurimas difficultates creare potest. Forsan melius utendum dictionibus « territorii » vel « regionis » vel similia, quae postea respectivo adiectivo possunt melius determinari in casibus dubiis (e. g. territoria nationalia, ethnica, ritualia, etc.).. Res maturius adhuc reconsideretur.

Post dictionem « nationis » (vel similis) addatur in lin. 4: « *vel ritus* », ut aliquomodo provideatur etiam orientalibus modo peculiari.

N. 17, lin. 8: adderem et aliam rationem post dictionem « communicatione », in hunc sensum: « ... communicatione, *character collegii episcopalis in ordinario Ecclesiae regimine melius manifestatur, mens universae Ecclesiae clarior fiat nec non apud omnes constat...* ».

N. 18, lin. 23: addatur post dictionem: « ... nationalis *vel ritualis* episcoporum... ».

N. 19, lin. 10: addatur dictio: « ... degentes, *et praesertim qui regimini dioecesium renuntiarunt,* possunt... ».

N. 25, lin. 3: addatur: « ... nationum *vel rituum* ad maius... ».

N. 22, lin. 2: sufficit dicatur loco « nationali » in « conferentia episcopali », quia etiam aliae dari possunt conferentiae.

N. 24, lin. 12: omittatur dictio « nationalis », quia sufficit dicatur solummodo « episcoporum conferentiae ». Ratio eadem ac supra.

Lin. 18: omittatur dictio « nationalis », ob eandem rationem.

Lin. 22: idem, omittatur.

N. 26, linn. 1-26: textus brevietur et stylo conciliari aptetur. Est potius quaedam iustificatio, immo excusatio.

N. 27, lin. 31: cautius loquerer de suppressionibus; non est in praxi Ecclesiae suppressio sedium episcopalium, prout testantur fere omnes sedes titulares in oriente, quae hodie conceduntur. Immo, sedes hae ad invicem unitae, possunt optime concedi in titulum auxiliarium et coadiutorum harum dioecesium. Hoc fuit in praxi in quibusdam regionibus orientalium.

Lin. 8 (pag. 21): adderem in fine: « ... iuris communis, *et exceptis excipiendis* » ne videatur quod subiectio immediata Sedi Apostolicae est omnino sublata; adsunt enim circumstantiae, in quibus talis subiectio esset necessaria.

N. 28, lin. 14: post verba « sedes episcopalis », adderem haec verba: « *salva quaedam praerogativa honoris sedi principaliter vel ad invicem unitae* ». Hoc modo forsan tranquillius haec unio perfici posset, saltem quod spectat populum, qui traditionibus saepe tenaciter adhaeret.

N. 29, lin. 20: post ultima verba « pertineant dioecesim », adderem sequentia vel similia: « *nisi agatur de eparchiis Ecclesiarum orientalium* », vel etiam hoc modo: « *nisi agatur de dioecesibus ritibus distinctis* ». Et hoc ut salvum maneat quod proponitur in schemate *de Ecclesiis orientalibus* (cf. n. 5, et in genere ubi agitur de tuitione rituum orientalium).

N. 31, linn. 25-28: comparetur cum textu schematis Comm. *de Ecclesiis orientalibus* (n. 5, pag. 6). Forsan non est opportunum ut hic determinetur « personalitas » eparchiarum orientalium; relinquendum Sedi Apostolicae ut determinet characterem harum eparchiarum vel dioecesium.

N. 32, lin. 31: dictio « permanens » videtur superflua et inutilis, quia non est negotium tam frequens permutatio dioecesium. Et esset institutum quasi mortuum. Sufficit ut dicatur « peculiaris commissio ».

N. 33, linn. 1-15: prooemium brevius fiat, quia explicationes sunt obviae et patent, et non sunt necessariae pro decisionibus Concilii.

N. 37, lin. 14: post ultima verba: « paroeciales », addatur haec clausula: « *salvis necessitatibus communitatis religiosae* ». Saepe est unicus locus cultui communitatis religiosae destinatum, qui cultus normis praecisis regitur; esset fons dissidiorum, si non haberetur debitus respectus harum necessitatum.

Adnotationes ad Appendix prior (pag. 27-36). Consideratis canonibus C.I.C. 329, § 1, 335, § 1, 336, et praesertim can. 335, § 1, « ius ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in *spiritualibus* tum in temporalibus... », melius determinetur potestas episcopi ut pastoris animarum et ministri Sacrorum in bonum fidelium. Exinde, quoad facultates omnino necessarium est ut distinguatur inter facultates, quae ipsis ex ipsa natura eorum muneris competunt, et quae ipsis conceduntur ex plenitudine Summi Pontificatus. Proinde:

1. clare pateat iam in ipsa enumeratione facultatum, quae ipsis competunt ex eo, *quia reservatae* fuerunt a superiore Auctoritate, etsi ex ipsa natura muneris episcopalis ipsis non repugnant, ut propria et ordinaria auctoritate exerceantur;

2. separatim ponantur eae facultates quae ipsis dantur *ex plenitudine Summi Pontificatus,* et exercentur nomine alterius et eorum muneris naturam excedunt;

3. quoad facultates sub 1), si reservatio tollatur a Concilio, omnino redeant in ambitum eorum ordinariae et immediatae potestatis episcopalis, et augeant eorum « ius et officium gubernandi dioecesim *in spiritualibus* et temporalibus »;

4. quoad facultates sub 2) omnia tractentur ad modum facultatum, quinquennalium, decennalium, etc., relaxando quaedam ipso iure communi, prout proponitur in hac appendice. Sunt revera facultates ex ipsa natura rei et tales manere debent.

Cum hac distinctione et amplior evadet potestas episcopalis et clarius patebit potestas Summi Pontificis et confusio evitetur ex iuxtapositione duarum harum potestatum et obiectiones evanescent facilius, praesertim apud orientales, acsi episcopi essent tantummodo « exsecutores » unici regiminis Romani Pontificis in universa Ecclesia.

Proinde in Codice reformando de facultatibus sub 1) loquatur ut de potestate episcopali, quae plenior fiat ob sublatas reservationes, et de illis quae ponuntur sub 2) ut de facultatibus vere et proprie dictis, quia sunt in potestate Summi Pontificatus.

Iuste proinde Concilium tractare potest de necessitate vel opportunitate auferendi reservationes factas olim propter peculiares circumstantias, et quae hodie potius impedimento sunt, quam emolumento in exercitio regiminis episcopalis; immo, pro casu, etiam disceptatio institui posset de novis reservationibus inducendis, quae essent necessariae in hodiernis adiunctis.

Quod spectat secundum genus facultatum, est in potestate Summi Pontificis, et PP. Concilii possunt tantummodo sua exprimere desiderata ut quaedam facultates ipsis sive ad tempus sive iure communi relaxentur. Ceterum non sunt materia Concilii, nisi Summus Pontifex in Concilio et occasione Concilii eas episcopis concedere vellet.

Salvo meliori iudicio...

88

EXC.MUS P. D. PETRUS ZUCCARINO
Episcopus Bobiensis

Sic vidi quartum schema *de episcopis ac de dioecesium regimine.* Quid sentiam notum facio et humiliter expono. Quaeque nova nostri enim vero Patres proposuerunt venerabiles mire laudanda censeo praecipue enim cum de augenda episcoporum auctoritate disceptetur et congruentem dioecesium circumscriptionem et paroeciarum accipiendam examinetur.

Si diaconatus per se optimus vivit sua et laudabili pollet vita nixu, nihilominus optimum esse caelibatum dicimus et adprobamus in diaconatu, eumque perutilem Sanctae Romanae Ecclesiae habemus.

89

EXC.MI QUIDAM PP. DD. AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

1. *Ad cap. I.* Postquam in schemate *de Ecclesia* fundamentum theologicum muneris episcopalis positum eiusque natura et missio explicata est, in initio huius capitis iura episcopalia inde deducenda et cum iure papali comparanda sunt. Principium deinde generale statuendum est: episcopum scil. in sua dioecesi gaudere usu pleno omnium iurium sui muneris, utique sub Romano Pontifice exercendo, cum Romani Pontificis sit exercitium horum iurium ad bonum commune unius Ecclesiae coordinare. Ideo omnes limitationes huius iuris vel eius usus (e. g. in iure poenali et in iure collationis officiorum; cf. C.I.C., can. 1435) ex circumstantiis historicis ortae et hucusque conservatae abrogentur, in quantum hodie iam non necessariae sunt. Id quod applicetur etiam ad appendices, congrua congruis referendo.

Pag. 7, n. 5. Approbamus ideam n. 5 expressam. Ut vero effectus huius propositionis in tuto collocetur, petimus ut modus concretus cooptationis episcoporum in Ss. Congregationes hoc n. 5 expressus plenius adaptetur principio collegialitatis episcopalis in schemate de Ecclesia expresso, ita ut functio collegii episcopalis sub uno capite locum habeat.

2. *Ad cap. II.* Ex una parte quoad episcopos auxiliares supponendum et retinendum videtur principium in schemate *de Ecclesia,* n. 14 cum nota 10, datum, consecratione scil. episcopali dari plenam potestatem docendi et sanctificandi et regendi; ex altera parte missio et facultates episcopi auxiliaris ita circumscribi debent, ne exercitio huius potestatis unitas regiminis episcopalis infringatur, id quod schemate proposito non satis caveri videtur.

3. *Ad cap. III.* Placet in genere. Expungatur verbum « nationale »; eligatur terminus latius patens, v. g. « territoriale ». In titulo simpliciter dicatur: « De conferentiis episcopalibus ».

4. *Ad cap. IV.* 1. Placet in genere. 2. Proponuntur mutationes quaedam:

a) Pag. 21, n. 27, par. 2: textus ita aptius sonat: « Ubi utilitas id suadeat, provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur, provinciae vero in regiones ecclesiasticas componantur ».

b) Pag. 21, n. 32, lin. 31: omittatur: « ac permanens ».

c) Condiciones dioeceseos « personalis » exactius circumscribantur, ne sub hoc titulo « dioeceses » sine sufficientibus rationibus creentur.

5. *Ad cap. V. a*) Pag. 24, n. 33, lin. 2: deleatur « omnis »; substituatur « ordinaria ».

b) Omittantur in linn. 3-4: « instimulatur atque ordinatur ».

c) Pag. 25, n. 36, linn. 2-5: expungatur « stirpis »; dicatur « diversi sermonis et praesertim ritus ».

Expungatur « immo erigere studeat », ita ut linn. 4-5 textus sonet: « erigere valet, quoties *et quamdiu* ».

Restringatur ergo tota paragraphus ad diversitatem ritus, quia pro diversitate sermonis et a fortiori stirpis provideri potest per vicarium cooperatorem vel missionarium.

[*Subscripserunt*] J. B. Theunissen, arch. de Blantyre; Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Francis Mazzini, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; L. P. Hardman, ep. de Zomba; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; B. Chitsulo, ep. de Dedza; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; Agnozzi, ep. aux. de Ndola; Rupert Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

90

Exc.mi QUIDAM PP. DD. AFRICAE ORIENTALIS

1. In textu *Introductionis* ad schema connexio quaedam cum constitutione dogmatica de episcopatu (cf. cap. II, *de Ecclesia,* p. 1) desideratur ita ut clare appareat potestatem ministerii episcopalis de qua hoc decretum agit *in ipsa natura* officii episcopalis fundatam esse.

2. Ad cap. I.

a) In prooemio sermo est de « facultatibus episcoporum », sed minime loquitur *de iuribus* episcoporum, de quibus prius tractandum esse videtur. Haec quidem iura ex natura ac missione muneris episcopalis deducenda et cum iure papali comparanda sunt. Proponitur ergo, ut sequens principium generale huius capitis statuatur: episcopum scil. in sua dioecesi gaudere usu pleno omnium iurium sui muneris, utique sub Romano Pontifice exercendo, cum Romani Pontificis sit exercitium horum iurium ad bonum commune totius Ecclesiae coordinare. Qua de re omnes limitationes huius iuris eiusque usus (e. g. in iure poenali et in iure collationis beneficiorum cf. C.I.C., can. 1435) ex circumstantiis historicis ortae atque hucusque conservatae abrogentur, inquantum hodie iam non sunt necessariae.

b) Criteria practica et generalia quae in Appendice I de episcoporum facultatibus sub titulo « Animadvertenda » allata sunt, in corpore cap. I, n. 3 inserenda esse videntur, cum his agatur de principiis fundamentalibus secundum quae huiusmodi facultates ipso iure episcopis recognosci censentur. Secus enim in aula conciliari non disceptabuntur (cf. notam ad Appendicem priorem).

3. Ad cap. I, pag. 7, n. 5: quae hic dicta sunt, placent. Ut vero effectus huius propositionis in tuto collocetur, petimus ut modus concretus cooptationis episcoporum in Ss. Congregationes hoc n. 5 expressus plenius adaptetur principio collegialitatis episcopalis in schemate *de Ecclesia* expresso, ita ut functio collegii episcopalis sub suo capite vere ad effectum ducatur.

4. Ad cap. II: ex una parte quoad episcopos coadiutores et auxiliares retinendum videtur principium in schemate *de Ecclesia* n. 14 datum, consecratione scil. episcoporum dari plenam potestatem sanctificandi et docendi et regendi; ex altera vero parte missio et facultates episcopi coadiutoris et auxiliaris ita circumscribi debent, ne exercitio huius muneris unitas regiminis episcopalis in dioecesi infringatur neve minuatur auctoritas vicarii generalis, quod quidem in schemate proposito non satis evitari videtur.

5. Ad cap. III, n. 18: hic proponuntur Concilia plenaria et provincialia celebranda. Sed cum in hoc decreto conferentiae episcoporum nationales (melius forse vocarentur: conferentiae territoriales) cum potestate legislativa iuridice constituendae proponuntur, dicta concilia minus necessaria censentur, quia his conferentiis quaestiones pastorales territorii satis communiter discuti atque pro bono communi totius territorii resolvi necnon si res fert legibus sanciri posse videntur.

6. Ad cap. V, n. 33, lin. 5: hic verbum « ampliores » deleatur, quia vi huius decreti episcopis auctoritas de hac materia per se decernendi simpliciter recognoscitur.

[*Subscripserunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman van Elswyk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugenio Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casio; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis.

91

CONFERENTIA EPISCOPORUM ARGENTINAE

Proposición: Que al quedar vacante la sede Episcopal, intervengan en la elección de Administrador o Gobernador Ecclesiástico, no solamente los Cabildos, sino también los párrocos u otros sacerdotes previamente designados.

Que se evite la expresión « Vicario Capitular ».

[*Subsignaverunt*] Franco Vicentin, arz. de Corrientes; G. Esorto, arz. de B. Blanca; Alfonso M. Buteler, arz. de Mendoza; Alejander Schell, ob. de Lomas de Zamora; Jeronimo José Podestà, ob. de Avallaneda; Francisco J. Vennera, ob. de S. Nicolás; Raul Primatesta, ob. de S. Rafael; J. R. Chalup; Alberto Deane; Alberto Devoto; Carlos M. Cafferata; José A. Marozzi; M. Blanchoud; Manuel Menéndez; Ildefonso M. Sansierra, aux. de S. Juan; J. Carlos Carreras; Manuel Marengo, ob. de Azul; Juan Carlos Aramburu, arz. de Tucumán; A. Rodriguez y Olmos, arz. de San Juan; Manuel Tato, ob. de Santiago del Estero; Jorge Mayer, ob. de S. Rosa; Pedros ...; Miguel Raspanti, ob. de Morón; A. Quarracino, ob. de 9 de Julio; Antonio M. Aguirre; Jorge Gottau; Pedro Lira; Carlos Pérez; Benito E. Rodriguez, ob. aux. de Rosario; M. Magliano; Ernesto Segura; Oscar Villena.

De episcopis ac de dioecesium regimine. (Consta de Introducción y 5 capítulos).

1. La *Introducción* recuerda que « Animarum salus, est lex in Ecclesia Christi suprema », cuando se trata del ministerio pastoral. Para ello, hay que afirmar, robustecer y reivindicar la autoridad episcopal. Por lo tanto, el Concilio decreta lo siguiente:

Capítulo I. *Relaciones entre los Obispos y las Congregaciones Romanas.*

2. *Proemio.* El Concilio cree oportuno que los Obispos tengan « iure communi stabiliter » facultades reservadas hasta hoy, por justos motivos, a la Santa Sede. En cuanto a las Congregaciones Romanas, que sean cada día de mayor auxilio a los Obispos en el gobierno de la Diócesis, y que estos se sientan cada día más responsables en el gobierno Universal de la Iglesia, con el Romano Pontífice.

I. *De las facultades de los Obispos.*

3, p. 1. Princ. Fund. Salvo el derecho del Romano Pontífice de reservarse causas, que por su naturaleza o para conservar la unidad creyere conveniente reservarse a sí mismo, los Obispos Residenciales tengan todas las facultades « iure communi » para poder « aptius et expeditius » gobernar, bajo el Primado del Romano Pontífice. Amplifíquense, pues, las facultades que tenían hasta ahora; ver las contenidas en el Apéndice.

P. 2. Todos los Obispos, dice el párrafo 2 del art. 3, aún los Obispos Titulares, gocen de las facultades congruentes a su dignidad episcopal.

Aquí se podría preguntar aver si, por ejemplo, administrar la confirmación es una facultad inherente a la dignidad episcopal, y que por este motivo corresponde a los Obispos ubique terrarum.

II. *Praxis de las Sagradas Congregaciones con respecto a los Obispos.*

4. Princ. Fund. El Romano Pontífice usa las Congregaciones Romanas para gobernar; lo hacen « nomine et auctoritate illius ».

Tienen índole *administrativa* y *vínculo de caridad,* entre la cabeza y el Colegio Episcopal.

Se desea que las CC. RR. sean cada día más eficacez para: robustecer la autoridad episcopal; reivindicar su dignidad; manifestar la mente de la S. S.; constituir Comisiones con peritos internacionales, a fin de estudiar las cuestiones más graves y difíciles.

Que se nombren, a propuesta de las Conferencias Nacionales, algunos Obispos como miembros o consultores de las S.S. Congregaciones para promover el bien común y alejar los peligros más eficazmente.

Es de advertir que las propuestas del artículo 4 son totalmente nuevas, y que lo referente al artículo 5 ya viene practicándose en la Santa Sede.

Capítulo II. *Obispos Coadjutores y Auxiliares.*

6. Princ. Fundament. *Proemio.* Hay 2 dificultades principales en el gobierno de las Diócesis: *a*) enfermedad o vejez del Obispo; b) excesiva extensión o número de habitantes o circunstancias expeciales de apostolado.

Lo primero se resuelve con la generosa renuncia del Prelado. Lo segundo, con la división de la Diócesis. Pero también se puede solucionar, a juicio de la autoridad competente, con Obispo Coadjutor o Auxiliar.

7. El Coadjutor se da al Obispo con derecho de sucesión, el Auxiliar no tiene derecho de sucesión.

A estos dos términos se reduce esta materia, quedando eliminados diversos términos, como « Sedi datum », « Personae datum », etc. y dejando, simultáneamente en mayor libertad a la S.S. para ampliar las facultades de los Coadjutores o Auxiliares. Queda abrogado el C. 350 que se refiere a estas figuras jurídicas.

8, p. 1. Al Coadjutor, vi officii, le competen las facultades de Vicario General, sin reservas.

P. 2. En casos particulares, sea la Sede Apostólica, sea el Obispo Diocesano, podrán darle mayores facultades. Queda abrogado el C. 351, por el que el Obispo Coadjutor podía hacer sólo lo que le encargaba el Diocesano.

9. El Coadjutor debe a su Obispo, reverencia; consultarlo en los asuntos más importantes y procurar la unidad de gobierno.

Pero a su vez, el Diocesano debe amar a su Coadjutor y favorecer su acción; y, lo que es nuevo, no omitir las consultas al Coadjutor, en los asuntos de mayor momento.

10, p. 1. El Diocesano puede nombrar Vicario General distinto al Coadjutor, principalmente para la Administración.

P. 2. Para defender la disciplina del Clero y fieles, el Vicario General tendrá que informar también al Obispo Coadjutor, y no obrar contra la mente, ni del Obispo Diocesano ni del Coadjutor.

Sobre esta cuestión, muchos Padres Conciliares propusieron el asunto de los Vicarios Episcopales, con jurisdicción ordinaria para una parte de la Diócesis solamente, o determinados asuntos.

Nuesta Asamblea dirá el temperamento a seguir.

11, p. 1-2. Cuando lo exija el bien de las almas, no deje el Diocesano de pedir un Obispo Auxiliar, o varios, si no es el caso de pedir división o desmembración de la Diócesis.

12, p. 1. Las Bulas Pontificias definirán las facultades de los Auxiliares. De lo contrario, concédaselas el Ordinario, no sólo para ejercer las Pontificales, sino también para gobernar más eficazmente toda la Diócesis, sin delegar a otro lo que puede hacer el Auxiliar.

P. 2. La S. S. o el mismo Obispo pueden darle mayores facultades, en casos particulares, definiéndose mejor lo prescripto en el cánon 351.

13. Si hay muchos auxiliares, que cada uno cuide de una parte distinta de la Diócesis o se encargue de un oficio distincto. Esta es también una recomendación nueva.

14. El auxiliar depende del diocesano y no debe hacer nada « nisi eo consulto et probante ». Temperamento este que tampoco estaba expresado en el Código actual.

15, p. 1. Caducando el oficio el Obispo Diocesano no caducan las facultades del Auxiliar, abrogándose los párrafos 2-3 del Canon 355.

P. 2. El párrafo 2 del artículo 15, expresa un « optandum » de que, en caso de sede vacante, el Auxiliar sea elegido como Vicario Capitular. Nuestra Comisión, que a pesar de la nota explicativa de este párrafo, desearía proponer que el Auxiliar sea automáticamente Vicario Capitular.

16, p. 1. Por este párrafo, se ruega « enixe ob Dei atque animarum amorem » a los Obispos Diocesanos, cuando por enfermedad, vejez (hacia los 75 años) u otra causa grave no puedan gobernar debidamente ni con Coadjutor ni con auxiliar, que renuncien a la Diócesis.

P. 2. Se le dará congrua sustentación, o si gusta, un oficio apropiado, conservando el « ius sepulchri » y concediéndosele algunos privilegios detallados en la nota número 14.

Capítulo III. *Conferencias Episcopales.*

17. *Proemio*: Sin perjuicio de la jurisdicción ordinaria e inmediata de cada Pastor, « summopere expedit » que todos los Obispos de una Nación se reúnan

en días determinados para promover en bien común.El Papa León XIII ya dió directivas acerca de eso al Episcopado Austríaco en 1898. Nadie negará la conveniencia de las Conferencias para unificar algo a las Diócesis y evitar la admiración de los fieles por disposiciones distintas o tal vez contrarias de los Obispos. También para fortalecer la disciplina eclesiástica, biscar el bien común, y aumentar la autoridad de los Obispos ante la autoridad civil o ante los acatolicos.

18. I. *Constitución de las Conferencias.*

P. 1. Que se establezca en cada país la Conferencia Nacional de Obispos de manera estable con reconocimiento de la Santa Sede.

P. 2. Sus estatutos serán hechos por la misma Conferencia y aprobados por Roma.

P. 3. Por razones especiales podrán los Obispos de muchas naciones, con permiso de la S. S. tener además una Conferencia Internacional, o tenerla en lugar de la nacional. Ya hay ejemplo de ello, con la Conferencia Episcopal de Centroamérica y el C.E.L.A.M.

19, p. 1. II. *Regimen de las Conferencias.*

La componen todos los Ordinarios de lugar, exceptuados los Vicarios Generales y los Coadjutores.

P. 2. Si lo establecen los Estatutos, también pueden incluirse a los Obispos Titulares con suffragio deliberativo o consultivo solo.

P. 3. Si por el excesivo número o por otra causa grave, reconocida por la S. S., no todos los Prelados, a los que se refiere el p. 1, pueden asistir, establézcase en los Estatutos el modo de proceder, para conocer la mente de todos.

20, p. 1. Establézcase Consejo Permanente, que represente a la conferencia en todas las causas y asuntos que le incumben.

P. 2. Que haya Comisiones Episcopales al frente de asuntos especiales, que deberán ser tratados después en la Conferencia. Aún los Obispos Titulares podrán incluirse aquí. De paso, diremos que bajo este aspecto, habrá que reformar también nuestros estatutos que suprimió las Comisiones Episcopales.

21. Se establecerá un secretariado General, al servicio de la Conferencia.

III. *De las Decisiones de la Conferencia.*

22. Princ. General. Salvo lo prescripto en el n. 24, cada Obispo reciba con reverencia y ejecute las decisiones de la Conferencia, por razón de unidad y del bien común.

La nota a este artículo añade que cada Obispo podrá dar valor jurídico a cada norma o decisión.

23. Una novedad es la del art. 23. Si algún Obispo quiere obrar en contra de esas decisiones, en algún caso particular, deberá comunicarlo previamente por escrito a la Conferencia, por medio del Presidente. Sus razones tendrán que ser graves.

24, p. 1. El art. 24 trae también una novedad de mucha trascendencia. Las decisiones legítimas, aprobadas por las dos terceras partes de sufragios, y reconocidas por la S. S., obligan también juridicamente a cada Obispo, en los siguientes casos:

a) tratándose de asuntos especiales sea de derecho común, sea encomendados especialmente por la S. S.;

b) tratándose de declaraciones de importancia mayor, que hay que hacer públicamente en nombre de la conferencia como son las declaraciones que han

de conmover o causar admiración en los fieles, o las que estén fuera del sentir común o en pugna con las declaraciones de Conferencias vecinas;

c) cuando se trata de asuntos ante el Gobierno, que interesa a toda la nación;

d) cuando la gravedad del asunto exija uniformidad, y los dos tercios de los prelados, con voto deliberativo, juzguen que hay que obligar juridicamente a todos.

25. Que se fomenten las relaciones entre las diversas Conferencias Episcopales.

Capítulo IV. *De los límites de las Diócesis y Provincias.*

26. *Proemio.* Para el mejor gobierno de las diócesis, es necesario fijarles límites convenientes. Evítese, por un lado, el exceso de extensión y número de fieles, que haría imposible el visitar las parroquias y conocer a los fieles. Por otra parte deben evitarse Diócesis demasiado pequeñas, y con escaso número de fieles y de sacerdotes, y sin medios para constituir las instituciones u oficios indispensables para el buen gobierno.

Igualmente el apostolado moderno exige una adecuada división y creación de provincias Eclesiásticas, a fin de que las relaciones entre los Metropolitas y Sufragáneos y con las Autoridades civiles se faciliten y los problemas apostólicos se resuelvan más adecuadamente.

27, p. 1. Princ. grales. Las Diócesis demasiado extensas o con excesivo número de fieles se dividirán; las que son demasiado pequeñas se suprimirán uniéndolas a otras.

P. 2. Cuando hay motivos razonables, se revisarán los límites de las Provincias; y las Provincias se compondrán de regiones eclesiásticas. De este último, no dice nada explícitamente el Código.

P. 3. Las Diócesis directamente sujetas a la Santa Sede, se agregarán a la Provincia más cercana, y se sujetará al Metropolita, a tenor del derecho.

28. En caso de unión extintiva de dos o más Diócesis, habrá una sola Curia, una Catedral y un Capítulo Catedralicio. Si la unión es « aeque principalis », habrá una Curia y una Sede Episcopal.

29. En la modificación de límites de la Diócesis, se procura que el territorio esté todo unido, de modo que no haya Parroquias o lugares en la jurisdicción de otras Diócesis.

30. Que la Sede Episcopal esté en el lugar más apto para Clero y fieles.

31. Se crearán Diócesis personales en los lugares donde hubiere muchos fieles de diverso rito, los cuales no pueden ser atendidos por un sacerdote o parroquia ad hoc.

32. En todas las Naciones, con aprobación de la S. S. podrá haber una Comisión especial y permanente de Obispos, la cual, auditis episcopis quorum interest, estudie las modificaciones de límites de las Diócesis y Provincias a introducirse, y las proponga a la S. S.

Capítulo V. *De la erección de las Parroquias y sus límites convenientes.*

33. *Proemio.* Para que el gobierno de la Diócesis sea más eficaz, es necesario que los obispos tengan, por derecho común, facultades más amplias de las que actualmente gozan, respecto a la erección de Parroquias, y conveniente fijación de límites.

Razones: por un lado el vertiginoso crecimiento de las ciudades y por otro, el notable decrecimiento de la campaña.

En el primer caso, se impone la necesidad de erigir nuevas parroquias en los barrios nuevos de las grandes urbes. En el segundo caso, la emigración de la gente ha reducido los pueblos de la campaña, lo que obliga a unir las parroquias y reducir su número.

34, p. 1. Princ. grales. Para que el Párroco pueda atender debidamente y conocer a sus ovejas, es menester dividir las Parroquias de jurisdicción extensa o con excesivo número de fieles.

P. 2. Las Parroquias demasiado pequeñas redúzcanse a una sola.

35. El Obispo, por propia autoridad, « auditis capitulo » y todos aquellos quorum interest, puede erigir nuevas Parroquias o las ya erigidas, desmembrarlas o también unirlas entre sí, modificando sus límites, cuando lo exige el bien de las almas.

36. El Obispo, por autoridad propia, puede erigir Parroquias personales, en los lugares donde residen, en forma estable, fieles de diversa lengua, rito o raza; mayormente si la atención espiritual de sus fieles no puede ser atendida convenientemente por un sacerdote misionero. Con ello, se deroga el C. 216, que exigía la intervención de la Santa Sede.

37. En los lugares donde no haya Iglesia ni local decente ni posibilidad inmediata de edificar Iglesia, el Obispo, previo convenio con los Superiores Mayores, puede usar, ad tempus, como Iglesia parroquial, la Iglesia de los Religiosos aún exentos.

A continuación del Esquema, se añaden dos Apéndices.

El primero, detalla las facultades de los Obispos, de acuerdo con el principio fundamental del art. 3° del Primer Capítulo.

Y en el segundo, se exponen algunos deseos de los Obispos, acerca de la praxis de las S. S. Congregaciones en sus relaciones con los Obispos.

92

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI
ditionis apostolicae Burdigallensis in Gallia

La Réunion des Evêques note que, d'une manière générale, il est certain que ce projet de Décret paraît inspiré par un esprit beaucoup plus large que les textes qui avaient été préparés jusque là.

Cependant, nous regrettons que les dispositions de ce schéma ne tiennent pas un compte suffisant de ce qui a été proposé, et de ce qui aura été, espérons le, statué dans le « De Ecclesia », 1ère partie concernant la Collégialité de l'Episcopat, son origine de droit divin. A plusieurs reprises on remarque que les Evêques semblent n'être source de droit *que pour autant qu'ils dérivent* du pouvoir du Pontife romain.

Chapitre I. Nous demandons qu'il soit bien précisé que les Evêques résidentiels qui, dans leur diocèse, sont, par institution divine, sources du droit, ont le pouvoir de légiférer et statuer pour les questions pastorales ordinaires. Le Souverain Pontife est seul compétent pour les questions fondamentales et d'ordre général de foi, de communion, de culte.

Chapitre II: p. 9, n. 8, lin. 27 et 28. La formule « nulla tamen facta Episcopo

coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi », nous pose des questions. S'agit-il seulement des pouvoirs que l'Evêque doit préciser pour les Vicaires Généraux? — c'est compréhensible. S'agit-il de l'interdiction faite à l'Evêque des pouvoirs de son successeur? Cela parait impossible.

P. 10, n. 9, linn. 6-9. Si l'obligation est rigoureuse pour l'évêque de consulter son coadjuteur dans les affaires les plus importantes, il faut tout de même maintenir par quelques précisions que le coadjuteur n'est pas l'égal de l'évêque qu'il assiste.

P. 10, n. 10 en note. Suggestion intéressante, en face des modifications qui s'imposent actuellement dans l'administration de bons nombres de diocèses: des « vicaires épiscopaux » qui auraient *juridiction* pour une partie du diocèse ou une catégorie d'affaires.

P. 10, n. 10, § 1. Il ne nous semble pas acceptable que les pouvoirs des Auxiliaires soient déterminés par Rome: faut-il ébrécher encore l'autorité de l'évêque?

Chapitre III. Nous sommes d'accord sur l'ensemble de ce chapitre. Cependant:

P. 16, art. 24: au début de cet article est placée une condition qui ne devrait pas exister, à savoir la nécessité de l'approbation du St Siège, au moins en certaines matières. Car:

1) C'est une limitation excessive du droit des évêques à gouverner leurs diocèses, et une mesure centralisatrice.

2) C'est, alors, inutile d'instituer les Conférences Episcopales.

Cependant, cette plénitude de décision pour les Conférences Episcopales sans recours au Saint Siège, ne devrait jouer que pour certaines catégories de décisions.

Les cas particuliers où le recours au Saint Siège est inutile, sont, notamment, les suivants:

1) lorsqu'il s'agit de l'organisation pratique et de la compétence des œuvres d'apostolat et de l'Action Catholique;

2) lorsqu'il s'agit de l'approbation des textes liturgiques traduits en langue usuelle par les soins d'une commission Episcopale, dont les membres seront simplement agréés et mandatés par le Saint Siège. De même, pour les traductions de l'Ecriture;

3) lorsqu'il s'agit du temps de scolarité et des programmes de vie et d'étude des séminaires, au moins pour des choses particulières. Car, il parait évidemment contraire à toutes les lois de la psychologie et de la pédagogie de statuer, en cette matière, de façon uniforme pour toutes les régions de l'univers dont la culture, le tempérament et les traditions sont si diverses.

P. 17, n. 25: les précisions, apportées par la note 10, limitent beaucoup trop les relations prévués entre les différentes conférences Episcopales.

Chapitre V: p. 24, n. 35. On se demande pourquoi il est encore nécessaire de solliciter l'avis du Chapitre Cathédral pour ériger les paroisses, les diviser, etc., alors que les vénérables Chanoines manquent en fait, du moins en France, de la compétence voulue pour juger ces problèmes.

Appendice I: p. 30, n. 10: nous demandons que cette faculté soit accordée aussi pour « des causes simplement graves ».

P. 31, n. 12. Il serait opportun que les Vicaires Généraux possèdent, de droit, le pouvoir de confirmer.

P. 35, n. 29. Nous souhaitons que cette approbation romaine ne soit nécessaire en aucun cas.

P. 36, n. 2, linn. 9 et 10. Nous demandons que le secret du Saint Office soit au moins, très limité, et qu'il s'appelle desormais, s'il subsiste, « *Secret Pontifical* ».

93

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI
ditionis apostolicae meridionalis Galliae

N. 1: optatur ut in ista introductione evocentur ea de quibus postea quaestio erit et ponantur in lumine schematis *de Ecclesia.* Ista paragraphus ita conscribi poterit: « Ut aptius, expeditius et fructuosius exerceri valeat episcoporum munus, quale in schemate *de Ecclesia* nuper denuo claruit, praecipue quoad unitatem collegii episcoporum sub Petro, Sanctae Synodo sequentia visum est de modo se habendi episcoporum: 1. ad Sedem Apostolicam; 2. inter se, per conferentias nationales et meliores in territoriis partitiones; 3. in ipsa sua dioecesi, quoad cooperatores episcopales et quoad pastoralem divisionem ».

Desideratur suppressio verbi « vindicetur » in lin. 11.

N. 2, lin. 11: ut episcopi partem habeant in apostolico Ecclesiae universalis munere, non sufficiunt relationes administrativae etiam caritate informatae.

N. 3, lin. 18: facultates de quibus agitur suntne favores a Sancta Sede concessi? Nonne inhaereant intrinsece episcopali munere?

N. 4: nova redactio postulatur.

In textu ponantur ea quae in appendice altera adsunt, praesertim articuli: *a*) *b*) *c*).

N. 5: collegialitas episcoporum sub Petro magis postulat. Non sufficit ut episcopi quidam delegentur a conferentiis nationalibus, et intersint dicasteriis romanis, sed necesse est ut collegium episcoporum, per suos delegatos, vere regat Ecclesiam Dei cum Petro et sub Petro. Videtur necessarium ut isti Episcopi delegati audiantur a Summo Pontifice v. g. bis in anno.

N. 6: difficilis quaestio est de relationibus inter episcopos coadiutos et coadiutores. Optatur ut Sancta Sedes, inquisitione prudenter facta, determinet in singulis casibus facultates concedendas coadjutori. Sed ea quae dicuntur in schemate servanda sunt.

N. 17: duo sunt dicenda:

1. In schemate non datur ratio fundamentalis ex qua apparet necessitas conferentiarum episcopalium.

Socialisatio hodierna talis est ut nexus multiplicentur inter homines et etiam inter catholicos. Quaestiones gravissimae et magni momenti excedunt fines dioecesium singularium et ideo competentiam singulorum episcoporum.

2. Attamen res non se habent eodem modo in singulis dioecesibus, etiam in eadem natione. Adsunt dioeceses valde christiani; adsunt dioeceses ubi vigent neopaganismus, materialismus, communismus.

Itaque quod convenit uni dioecesi dedecet in altera regione. Itaque, conferentiae episcopales diligentissime conditionibus locorum attendere debent et earum auctoritas cum moderamine exerceri debet.

N. 19: Optatur, saltem pro Gallia, ut coetui cardinalium et archiepiscoporum adsit unus episcopus, a confratribus electus, pro unaquaque regione apostolica vel pro unaquaque provincia ecclesiastica.

94

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

Provinciarum Aquensis et Avenionensis et dioecesis Massiliensis

Animadversiones generales.

1. Hoc schema, summatim sumptum, placuit et optatissima vota profert.

2. Dolendum tamen illud non connexum esse cum propositis de episcopatu in schemate *de Ecclesia* quoad doctrinam et in schemate « De cura animarum » quoad rem pastoralem.

3. Ex titulo coniici potest hoc schema de omnibus quae ad episcopos spectant acturum esse; revera, argumento intellecto, satius sit huic titulum imponere « De dioecesium regimine ».

Animadversiones speciales.

Introductio. N. 1. Non congruere videntur in hac introductione terribilem in modum dicta de difficultatibus periculisque in episcopali munere. Optandum itaque apparet ut hac introductione utamur ad coniungendum hoc schema cum duobus aliis, ut supra notatum est (n. 2 in animadversionibus generalibus).

Cap. I. Nn. 4-5. Multum interest viros peritos, de quibus in n. 4, qui officiorum et commissionum pontificalium participes erunt, eligi non ex sacerdotibus diversarum nationum Romae degentibus, sed ex episcopis vel aliis in propria cuiusque natione apostolicum exercentibus ministerium congruum cum rebus de quibus tractet Officium aut Commissio in qua annumerentur. Sicut episcopi, de quibus in n. 5, designari feliciter possint a conferentiis episcopalibus nationalibus. Sin minus, timendum ne in « technocratiam » incidamus.

Cap. II. N. 6. Cur, in hoc capite, de episcopis non residentialibus qui nec coadiutores nec auxiliares sunt, non tractetur, etsi haec quaestio ad dioecesium regimen non directe pertinet? (nisi alio in loco de his dicatur).

Enorme videtur coadiutorem vel auxiliarem titulum habere dioecesis alieni ab eo ubi ministerium exercet; idem dicitur cum episcopus non residentialis titulum habeat antiqui dioecesis nunc sub episcopi residentialis auctoritate constituti. Omnes hae fictiones tolli possunt. Cur Episcopi titulares non tantum « titulares episcopatus » sint?

N. 9. Necesse videtur distincte designare quae ex his negotiis maioris momenti coadiutoris consultationem et quae eius consensum exigant sc. nominationes ad graviora ecclesiastica munera, venditiones, mutuationes quae in posterum dioecesis obstringant.

N. 10. Notio vicarii episcopalis, de qua in nota 4, aptissima videtur praesertim si agitur de meliore regimine maximarum dioecesium quae dividi nequeant et maximae amplitudinis administrationes fruantur, cum plures vicarii generales non necessarii semper nec institutio vicariorum foraneorum satis apta in hoc casu appareat. Attamen hanc notam in schemate inserere difficile et ad novum Codicem Iuris Canonici magis pertinere videtur.

N. 11. Optandum ut, in designatione episcopi auxiliaris, severitas et inquisitiones easdem habeantur ac in designatione episcopi residentialis; sic ad sedem residentialem nominari poterit auxiliaris ut primum in dioecesi, ubi munera sua exerceat, non iam necessarius erit. Secus magnis difficultatibus exponitur.

N. 16. Optandum ut in schemate ipso, nec vero in sola nota, aetas determi-

netur a quo S. S. episcopo coadiutorem imponere vel ab officio renuntiationem exigere valeat: id post septuagesimum quintum annum fieri potest. Determinandum etiam est quae honesta sustentatio episcopo renuntianti a suo dioecesi debeatur.

Cap. III. N. 17. Commemorare expediat aliquae ex actualibus causis quae in eadem regione episcopalis actionis coordinationem necessariam reddant sc. fidelium huc et illuc frequentes discursiones, nuntiorum velox propagatio...

N. 18. Nonne opportunum videatur can. 281 mutari ut concilia plenaria, quibus plurium provinciarum episcopi coadunentur, faciliores reddantur.

N. 19. Exoptamus ut hoc schemate conferentiae regionales proponantur quae in diversas partes nationis nationali conferentiae ita opus praestent ut non tamen auctoritatem plenariorum conciliorum vel conferentiae nationalis habeantur.

Cap. IV. N. 27. In nota 1, seminarium proprium ut criterium necessarium ad dioecesis existentiam consideratur; quaerimus nonne hoc contradictorium sit cum schemate *de clericis* quo seminaria interdioecesana proponantur.

Cap. V. N. 33. Quamvis magni momenti sit paroecia, certe, in hoc prooemio, augetur: minuenda ergo ibidem sunt verba ut interparoeciales suum locum habeant institutiones, tam necessarias quidem nunc, praesertim in urbibus.

Appendix prior. I. *De episcoporum facultatibus.* Potius videatur sequenti principio uti: episcopi, potestatem ordinariam directam in suo cuiusque dioecesi habentes, pleno iure omnibus fruuntur facultatibus necessariis ad exercenda munera sua pastoris, pontificis ac doctoris. Omnes illas facultates delegare possunt ad normam iuris.

Attamen, in casibus gravioribus, S. S. aliquas facultates sibi reservare poterit, sive ad tempus, sive in perpetuum.

95

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Omnino laudantes schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* in quantum continet varias propositiones et statuta cum votis multorum Patrum Concilii convenientia et huius temporis circumstantiis magis adaptata, tamen quasdam animadversiones proponere desideramus uti sequitur:

I. Imprimis *ipse titulus* schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* minus placet, cum non plane concordat cum iis, quae revera in schemate continentur. Schema enim non praebet argumentum completum « de episcopis ac de dioecesium regimine ». E contra: de episcopis, de eorum officio et potestate in dioeceses omnino silentium tenetur, dum quoad regimen dioecesium, schema tantum tractat quasdam quaestiones — inter se non cohaerentes, nec quaestiones praecipuas —, quae relationem habent cum hoc regimine. Quaeritur ergo an forsan melius non esset, si omnes quaestiones in hoc schemate tractatae, suum locum haberent in aliis schematibus, uti *de Ecclesia, de clericis, de cura animarum* et etiam in *de missionibus,* ubi similes vel annexae quaestiones iam tractantur. An potius forsan adhuc melius, si omnia iuridica de episcopis et de regimine dioecesium, quae nunc in variis schematibus disperse tractantur, in unum coordinentur et in uno schemate redigantur?

II. Ad pag. 6, n. 2, reg. 1-6: « Censet Sacrosancta Synodus peropportunam... rem esse facturam si, ... episcopi in posterum iure communi stabiliter habeant plures

facultates hucusque... reservatas ». *Proponitur sequens mutatio*: « Censet Sacrosancta Synodus peropportunam atque animarum bono utilissimam rem esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae, episcopi in posterum habeant liberius et plenius exercitium potestatis et officii sui et reservationes et restrictiones, hucusque iustis de causis ab Apostolica Sede vel patriarchis orientalibus sibi vindicatis, aboleantur ».

III. Ad pag. 6, n. 3, reg. 14-23: loco totius huius paragraphi primae liceat haec proponere: « Firma semper in omnibus Romani Pontificis potestate sibi causas reservandi quas ipse, sive ex rei natura sive ad Ecclesiae unitatem conservandam, pro locorum temporumve adiunctis ad se avocare iudicaverit, episcopi residentiales uti ordinarii et immediati pastores suarum dioecesium, iure communi habeant omnem potestatem quam aptum et expeditum eorum officii exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat. Quapropter, causis S. Sedi reservatis ad minimum reductis, potestates hucusque episcopis residentialibus per facultates concessae, amplificentur et ad ius commune reducantur ».

Ratio mutationum sub II et III propositarum haec est: verbum « facultas » in iure (saltem sensu stricto) et etiam in usu loquendi communi significat concessionem alicuius potestatis, quae per se accipienti non competit et ergo quamdam speciem privilegii prae se ferre videtur. Cum tamen episcoporum residentialium potestas « qua nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata » (cf. schema const. dogm. *de Ecclesia,* pars I, pag. 31, reg. 9), « neque (episcopi residentiales) vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam » (cf. *l. c.,* reg. 14), « eorumque itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur... » (cf. *l. c.,* reg. 17), revera schema loquendo de « facultatibus » episcopis residentialibus concessis aut concedendis principium minus rectum ponere videtur. Etenim, quae per « facultates » episcopis residentialibus conceduntur, proprie eis competit ratione potestatis et officii sui et S. Sedis tantum sibi reservaverat has potestates propter iustas causas et — nisi ex natura rei aliter requirebatur — ad tempus tantum. Reservatione abrogata, hae potestates cessant esse facultates, sed fiunt ius commune.

IV. Ad pag. 7, n. 5, reg. 21-27: Relate ad propositum sub hoc numero 5 factum (et quod magni aestimandum est) scil. ut nominentur ab Apostolica Sede nonnulli episcopi diversarum nationum membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum et ita Romana Curia magis in dies « internationalis » evadat, oritur quaestio an forsan aptius non esset et huius temporis circumstantiis magis conveniens, si episcopi de quibus supra, non laborent separatim in variis Romanae Curiae Ss. Congregationibus, sed e contra coniunctim efficerent aliquod « supremum collegium », quod universalis Ecclesiae partes gereret et in quo, sub immediata directione Summi Pontificis et una cum eo episcopi collegialiter exercerent ordinario modo suam in universam Ecclesiam potestatem.

Rationes huius voti sunt sequentes:

1. Ratio praecipua est in eo, quod episcopi mediante tali instituto supremo permanente etiam extra Concilium Oecumenicum, quod est coetus omnino extraordinarius, suam sollicitudinem pro universa Ecclesia, qua ut membra collegii episcopalis ex officio tenentur, ad concretam applicationem perducere valent. Ita character collegialis potestatis episcopalis, cuius doctrina hodiernis temporibus maiore cum claritate proponitur, non tantum theoretice, sed etiam practice magis in lucem profertur.

2. Opus et labor tam ingens, quod a Romanae Curiae dicasteriis perficitur, certissime facilius et efficacius reddetur, praesertim quoad difficillimas et gravissimas quaestiones hodierni ministerii pastoralis in diversis nationibus, si aliquod supremum collegium internationale episcoporum, experientia amplissima praeditum, qua consilio qua ope suum auxilium praebeat.

V. *Relate ad cap. I in genere*: loquente cap. I de relationibus inter episcopos et S. Sedem, hanc nacti occasionem, infrascripti episcopi Indonesiae votum proferunt ut recognoscatur institutum Legatorum Romani Pontificis, i. e. Nuntiorum, Internuntiorum et Delegatorum Apostolicorum, eo modo ut ambitu potestatis Legatorum in suo campo accurate circumscripto, liberum exercitium suae iurisdictionis Ordinariis locorum ad normam can. 269 § 1 C.I.C. revera sit tutum.

VI. Ad pag. 16, n. 24, reg. 21-22: « quando agatur de declarationibus maioris momenti... ». Proponitur sequens mutatio: « quando agatur de declarationibus nomine nationalis episcoporum conferentiae publice faciendis, quas duae saltem ex tribus partibus praesulum iudicant esse maioris momenti ».

Ratio: ut evitentur conflictus circa quid in casu concreto habendum sit ut declaratio maioris momenti.

VII. *Tandem* episcopi Indonesiae infrascripti animadvertunt, quod quaedam quaestiones, quae cohaerent cum subiecto huius schematis, non discutiuntur in hoc schemate, uti sunt inter alias:

1. Quaestio de instituto canonicorum capituli: necessarium videtur ut hoc institutum recognoscatur et nostri temporis circumstantiis accommodetur aut loco cedat alio Instituto magis necessitatibus hodiernis conveniens.

2. Quaestio ad quem, sede episcopali vacante, devolvitur regimen dioecesis in regionibus ubi non habetur capitulum cathedrale (forsan tractatur in schema *de missionibus?*).

3. Quaestio de episcopis mere titularibus, scil. an in posterum adhuc concedi possit episcopatus ex titulo mere honorifico iis qui nullum habent gregem. Non enim videtur congruens nec dignitati nec fini talis sacramenti, si detur in praemium meritorum vel annectatur alicui officio nullam habenti relationem cum episcopatu.

96

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Ad schema IV *de episcopis* conferentia episcoporum Neerlandiae sequentia notare velit.

1. Principium cardinale collegialitatis episcoporum in hoc schemate laudando vim suam parum demonstrat.

2. Post nn. 4 et 5, postquam dictum est quod dicasteria Romana sunt instrumenta Romani Pontificis, forsan iuvat addere numerum sextum, in quo aliquid diceretur de instrumentis efficacibus regiminis iure divino collegialis Ecclesiae sub capite Summo Pontifice. V. g. in hoc sensu: « Cum Ecclesia regimine iuris divini collegiali regatur sub capite eius, Romano Pontifice, expedit ut etiam tempore extra concilium oecumenicum quoddam organum instituatur cuius membra sunt electa ex collegio episcoporum in mundo dispersorum, qui statutis temporibus cum Romano Pontifice tractant de quaestionibus principalioribus Ecclesiae. Per tale organum regimen centrale Ecclesiae eiusque regimen collegiale harmonice componi possunt ».

97

CONFERENTIA EPISCOPALIS PEDEMONTANA IN ITALIA

Cum rite laudandae sint certae, definitae, validaeque praesentis disciplinae immutationes quae in schemate continentur, haec tamen notanda videntur.

Ad art. 4 cap. I (pag. 7): optandum est ut episcoporum cum Romana Curia communes rationes magis circumscribantur et aptius singularum Congregationum munera praefiniantur, ut casus luculentius pateant in quibus Sancta Sedes sit adeunda; atque eadem de re, si ad rem locus fuerit, aequiore ac securiore animo episcopi ad Romanas Congregationes recurrant.

Aliis verbis, quod in appendice secunda huius schematis adumbratum exoptatur, id in huius schematis corpore definitis verbis inducendum putamus. Minime enim videtur sufficere quod Concilium optativis verbis utatur (pag. 7, linn. 11-12) « Sacri Pastores exoptant... » ut re vera sacri antistites et auxiliis et defensionibus et luminibus Romanarum Congregationum ope continua polleant.

Ad art. 5 (pag. 7, lin. 25): propositam locutionem « statis temporibus » his verbis pressius immutari determinari placet: « semel in anno » ne accidat ut membra seu consultores a conferentiis episcopalibus nationalibus designandi revera nunquam aut fere nunquam convocentur, ita ut difficillime de sententia episcoporum apud Romanam Curiam loquantur.

Ad art. 7: laudabiliter episcopo coadiutori adsignatur ampliores facultates quae in sequentibus numeris apte describuntur, ita ut non tantum eius munus clare a munere episcoporum auxiliarium distinguatur, sed etiam praefinita forma iuridica polleat. Dubitari tamen potest quin officio episcopi coadiutoris ius successionis *semper* utiliter addendum sit. Si enim episcopus, cui coadiutor datur, adhuc sit validus et insuper cooperationis tempus per nonnullos annos perducatur, oriri potest in eadem dioecesi — prae novis validisque facultatibus — discrepantia quaedam in rebus moderandis; vel etiam, si coadiutor dioecesi regendae ineptum se detegat, capta postea perpetua possessione, condiciones incommodae nocivaeque pro dioecesi perpetuari possunt.

Quare art. 7 (lin. 22 pag. 9) huiusmodi tenuiori modo loquendi moderari potest: « Coadiutor datur episcopo *regulariter* cum iure successionis ». Ergo, non necessario ex iure.

Quoad cap. III: huic capitulo nihil abrogandum vel adiungendum videtur. Tribuit enim iuridicam formam praefinitasque potestates conferentiae episcopali nationali.

Attamen, *ad art. 27, par. 2* (pag. 20-21): melius dilatari potest hic articulus, ubi sermo habetur de episcoporum conferentiis regionalibus, tamen nunc absque definitione de earum iuribus atque officiis, seu de earum competentia. Saltem haec aptior locutio videtur addenda: « Potestas et competentia conferentiae episcopalis regionalis singillatim et pro rerum adiunctis a conferentia episcopali nationali praefiniri poterit ».

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis LIX

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. IV schematis de Ecclesia

Congregatio Generalis LX

Congregatio Generalis LXI

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de episcopis ac de dioecesium regimine in genere

Congregatio Generalis LXII

Congregatio Generalis LXIII

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. I schematis de episcopis ac dioecesium regimine

Congregatio Generalis LXIV

APPENDIX